UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros Decretalium, Tomus ...

In Librum V. Decretalium, Per Quadraginta, Et Unum Titulos Distributum, In quo agitur De Judicio criminali, exponendo primùm actiones in eo judicio instituendas, & suscipiendas, ...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1709

Tractatus In Librum Qvintum Decretalium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-73064

Visual Library

TRACTATUS IN LIBRUM QVINTUM DECRETALIUM.

1 POstquam libro 1. actum est de jure personarum Ecclesiasticarum; altero de judiciis; tertio, & quarto de materia, seu rebus quæ in judicium, potissimùm civile deducuntur; congruè subjungitur liber quintus, ubi agitur de judicio criminali, exponendo primùm actiones in eo judicio instituendas, & suscipiendas, ac modum earum; deinde præcipua crimina, quæ in ejusmodi judicium veniunt; ac demum pœnas illis decretas. Constat hic liber 41. tit. ex quibus ea tractabimus, quæ magis expedire videbuntur.

QVÆSTIO I.

IN TITULUM I. DE ACCUSATIONIBUS, INQUISITIONIBUS ET DENUNTIATIONIBUS.

2 CUM in judiciis publicis duplici modò procedatur, nimirum vel per viam inquisitionis, quam Magistratus ex officio facit; vel per modum accusationis, quæ fit ab aliquo ex populo, & hodie etiam à procuratore Fisci, ut notat Scotanus P. 2. Pandect. Tit. de accusat. in principio statim hujus libri de utroque agitur; & quamvis in c. *Licet Heli.* 31. de simonia dicatur: *tribus posse modis procedi*, 1. per accusationem, *quam præcedere debet legitima inscriptio*, 2. per denuntiationem, quam præcedere debet *charitativa correctio*. 3. per inquisitionem, quam præcedere debet *clamorosa insinuatio per publicam famam*, & frequentem insinuationem: secundus tamen modus non est judicialis, sed fori solùm paterni, de quo dicemus infra.

ARTICULUS I.

De Accusationibus.

3 ACcusatio in genere, est alicujus criminis apud judicem competentem, legitimè facta delatio, vel ad vindictam publicam, seu bonum publicum, quod procuratur facinorosorum punitione, aliis in exemplum; vel ad pœnam parti læsæ applican-

candam. Hinc, si crimen alicujus deferatur ad Judicem *non competentem*, accusatio elidi, vel repelli potest exceptione declinatoriâ fori, & si non fiat *legitimè* (nimirum non servatâ accusationis formâ) absolvitur accusatus ab instantia, sed ex integro conceditur potestas repetendi Reum, si reus criminis deferatur: primo modo, *accusari* dicitur *criminaliter*; si secundo, *solùm civiliter*. Nam, *licet etiam in hoc agatur de crimine, non est tamen hujusmodi quæstio criminalis* ut dicitur in c. *super his* 16. h. t. quia non agitur ad vindictam publicam. Accusatio enim criminalis prout est *quid juris*, dicitur, *jus deferendi Reum criminis solenniter in judicio ad publicam vindictam.* Sic Gonzalez in c. 1. h. l. n. 6. non quando fit *civiliter* ad satisfactionem læsi; sic ille.

4 Accusatio fieri potest vel *solenniter* (nimirum porrecto accusationis libello cum inscriptione; & sic est alicujus criminis delatio apud competentem judicem, facta solenniter ad vindictam publicam) vel *non solenniter*, solâ scilicet simplici accusatione verbali; & sic idem est ac denuntiatio judicialis de qua dicemus in seqq. Illud hic notandum venit, accusationem strictè sumptam, seu factam solenniter, ferè non amplius esse in usu fori, ac ejus loco usurpari denuntiationem, de qua priùs, ut notat Azor p. 3. Instit. moral. l. 3. c. 19. Dixi *ferè*; nam ejus adhuc aliquando, etiam nunc, usum esse, testatur Haunoldus tomo 6. de Jure & Just. tract. 3.

5 Solennitas accusationis criminalis petit 1. libellum accusationis. 2. habilitatem accusantis, & accusati. 3. legitimam inscriptionem. Libellus accusationis jure communi debet fieri in scriptis, tum ut constet, quid accusator probare debeat; tum ne quid possit mutare, casu quo in probatione defecturum se adverteret: consuetudine tamen inductum est, quâ fieri potest etiam verbaliter, sed notario statim cuncta in scripturam redigente; sic Julius clarus §. *fin.* q. 1. & Azor Instit. moral. p. 3. l. 13. c. 19. loquimur autem hic de libello accusationis, quæ fit ab initio Judicii, & continuatur per totum Processum, diciturque *primordialis.*

6 Regulariter continere debet sequentia 1. annum, & diem, quo libellus porrigitur. L. *libellorum* 3. ff. de accusat. 2. nomen accusatoris, & accusati. 3. nomen Judicis, ut sciatur an sit competens? 4. speciem delicti; cùm super hoc fundetur intentio accusantis. 5. locum, & tempus, nimirùm annum, & mensem commissi criminis: dies autem, & hora, non est de substantia; si tamen reus petat, addi debent, ut dicitur cit. L. *libellorum.* V. c. *Perscripta.* 2. q. 8. ubi habetur forma accusationis, & modus concipiendi libellum.

Ad hæc rectiùs intelligenda nota 1. 7
nomen accusatoris, & accusati exprimendum esse, ut sciatur, an sint personæ legitimæ, quæ scilicet accusare, & accusari jure possint; *Speciem delicti*, ac ejus gravitatem; nam alias non potest definiri pœna; *tempus & locum*, ne accusato tollatur defensio per negativam, probando per testes, se illo tempore fuisse alibi.

Nota 2. licet accusatus petere possit, ut 8
accusator etiam exprimat diem, cum ex hoc forte probare possit, se tali die non fuisse in illo loco; si tamen accusator credibiliter asserat, & juramento confirmet, se non recordari diei, standum esse ejus assertioni, in quo casu res plurimùm pendet ab arbitrio judicis.

Nota 3. accusatorem non hoc ipso suc- 9
cumbere, quòd diem assignatum probare nequeat, si testes de crimine deponant; Quamvis enim aliqui affirment contrarium apud Haunold. cit. tomo 6. de Just. tr. 3. n. 62. hoc tamen tunc solùm procedit, quando *dies destinatus*, est de substantia delicti; ut si certum factum *tali die* prohibitum sit; non autem, si stet delictum, sive hoc, sive illo die fiat. Sic enim sufficit narrare delictum, expressis reliquis, ut supra.

Nota 4. in quæstione, an in libello 10
ponenda sit conclusio? communiter dici, sufficere si accusator sic concludat: *Quare peto, ut Reus puniatur juxta formam Juris, & Statutorum, ut alii hoc exemplo deterreantur.* Hæc de libello accusationis *primordialis*; de illa verò, quæ fit, post processum jam absolutum, in fine judicii, solenni confessu Judicum, quando Reo ultimus dies capitalis est designatus, sententiâ priùs conceptâ, mox publicandâ, & executioni dandâ, videri potest Haunold. cit. à n. 64.

Nota 5. accusatorem in libello, etiam 11
posse narrare indicia commissi delicti, sic, ut si non probaverit delictum, petitio sit alternativa, nimirum indiciis probatis Reus torqueatur, quando ea sunt sufficientia ad torturam; si autem omisit in libello,

ei

ei regressum concedi, ut ea probet, & his probatis, Reus torturam subeat. Hæc enim sufficiunt, ut Judex possit inquisitione uti, ad quam valdè conducet ille regressus.

12 Nota 6. in casu, quo qualitas in libello expressa non est probata, non propterea Reum esse absolvendum in omnibus; sed in his, quæ allegata, & probata sunt, justè condemnari, ne delictum legitimè probatum maneat impunitum, præsertim cùm judex habitâ tali probatione, procedendo per viam inquisitionis, justè ageret, condemnando Reum in his, quorum legitimam probationem haberet, per eam procedendi viam; quibus præmissis:

13 Quæres 1. an Accusator teneatur ad inscriptionem? per *inscriptionem* hìc intelligitur subscriptio accusatoris, quâ se obliget ad pœnam talionis, si defecerit in probatione; & promittat, se accusationem perducturum ad finem suæ sententiæ; sic gloss. in cit. c. 16. V. *oportet*. h. t. & Fagnanus in c. *qualiter*, eodem, n. 82. Hæc inscriptio, de jure civili requiritur, sed non de consuetudine jam receptâ. Sic Julius Clarus cit. q. 12. Prima pars constat ex L. 3. C. qui accus. poss. ibi: *qui crimen publicum instituere properant, non aliter ad hoc admittantur, nisi priùs inscriptionis pagina præcesserit, & fidejussor de exercenda lite adhibitus fuerit*, Item L. 7. §. 1. ff. de Accusat. ibi: *Caveant itaque singuli, quòd crimen objiciant, & præterea perseveraturos se in crimine usque ad sententiam.*

14 Ordinatio Carolina art. 11. (ut testatur Haunold. cit. n. 70.) statuit, ut, postquam Reus carceri datus est, etiam accusator tamdiu servaretur in custodia, donec cautionem fidejussoriam præstaret pro expensis, & nomine injuriæ, per L. *fin.* C. de accusat. & c. *Quisquis* 2. q. 8. c. *fin.* 3. q. 9. ibi: *donec causa per sententiam terminaretur.* Verum, quoniam sic accusatores ab accusando absterrebantur, inscriptio talionis sublata est, & cautio substituta de refundendis expensis in eam rem ab accusato factis, & præstandâ Reo satisfactione pro injuria, & damno, si justam, ac probabilem accusandi causam non habuit; quòd sanè justum est, ut non minus consuleretur indemnitati eorum, qui injustè accusantur, frequenter odio, non bono zelo, ad accusandum temerè impellente; quàm justo accusantium studio, quos ad hoc boni communis amor inducit. *Dignum* enim *est, ut innocentis vita, nullâ maculetur pernicie accusatorum* c. *Dignum* 3. q. 9.

Jure autem canonico accusator omni- 15
no inscribere debet; constat hoc 1. ex c. *Licet Heli*, superius cit. c. *super his*. 16. h. t. ibi: *sed cùm in modum accusationis, oportet inscribi*. c. *qualiter*. 24. eodem ibi: *accusationem legitima debet præcedere inscriptio.* Et ideo illâ in libello omissâ, Reum non cogi respondere; docet Julius Clarus *§. fin.* q. 12. Lessius l. 2. de Just. c. 30. n. 9. ab hoc tamen excipe quinque casus recensitos à Glossa: in cit. c. *super his*, V. *oportet inscribi*, nimirum, cùm quis accusatur in crimine abiegatûs; vel in levibus, & parvis; vel ab Apparitoribus; vel in crimine apostasiæ; vel de nuptiis à Christiano cum Judæa, vel econtra, contractis. Hæc de jure scripto; nam si alicubi consuetudo legitima aliud habet, secundùm eam procedendum est. Excipe 2. ut non procedat, nisi cùm crimen in modum accusationis opponitur, v. g. ut quis dejiciatur, vel à promotione excludatur; non autem, ut ab accusatione, vel testificatione per exceptionem repellatur, ut dicitur in cit. c. *super his*. Excipe 3. ut libellus accusationis non exigat inscriptionem, si crimen per exceptionem objicitur electo ante confirmationem; vel post confirmationem, ordinando, vel consecrando; quo tamen casu excipiens objectione criminis contra talem, & in probatione deficiens, ad extraordinariam pœnam, Judicis arbitrio est adstringendus sic c. *Super his* cit.

Nota demum, etsi communis teneat, 16
hodie loco inscriptionis ad pœnam talionis sufficere cautionem, de qua n. 14. in fine, ne scilicet illâ inscriptione conterriti habentes notitiam criminum, ab accusando abstineant, & sic defectu publicæ notitiæ complura delicta impunita maneant magno boni communis detrimento: quia tamen non minùs caveri debet, ut absterreantur homines à calumniando, & temerè, ac malitiosè accusando (quod sanè non rarò contingit) merito Judices obligare possunt accusatores, ut caveant de expensis, & damno accusati reparando, si vel in re, vel justâ præsumptione temerè processissent, nimirum sine justâ, & probabili accusandi causa. Hoc enim casu, Reo neganda non foret actio contra talem accusatorem.

ARTICULUS II.

De habilitate Accusatoris.

17 ETsi verum sit, multos esse inhabiles ad accusandum, hoc est, multos ab accusando, juris dispositione, repelli, tanquam *non legitimos accusatores*, ut mox dicemus, juxta L. 11. nemo tamen ab hoc arceri potest, si suam, suorumque injuriam prosequatur. Nam postquam in citata L. enumerati sunt, qui non admittuntur, subjungitur: *hi tamen omnes, si suam suorumque injuriam prosequantur, aut mortem propinquorum defendant, ab accusando non excluduntur*; nomine *suorum* communiter veniunt ascendentes, & descendentes; Patroni, & Patronæ; liberi, fratres, sorores, uxor; socer, socrus; Gener, nurus: vitricus, noverca. Cœterùm communis regula est, omnibus permissum esse accusare, qui jure non sunt specialiter, ac expressè prohibiti, L. *qui accusare*. ff. de Accusat. Quod enim nullo jure prohibitum, concessum intelligitur c. 2. de translat. Episcop. junct. Gloss. V. *non incurritur*; & L. *ab ea parte* 5. ff. de Prob. Est autem hìc sermo de jure publico, cujus punitionem exigit utilitas publica; nam de crimine privato is solùm accusare potest, cujus interest, ut colligitur ex c. *Illa Præpositorum* 3. h. t. & §. 1. Instit. de Publ. Judic. Porrò complures sunt, qui jure excluduntur ab accusando, ut dicemus in sequentibus: atque adeò, qui non reputantur accusatores legitimi. Hi enim omnes, & soli sunt, qui justè, & secundùm leges idonei reperiuntur, juxta cit. c. 1. h. t. Hinc:

18 Quæstio est 1. an Clerici criminaliter accusare possint Laicos? Ex multis causis certæ personæ prohibentur ab accusando; nam propter dignitatem personæ, regulariter Clerici prohibentur criminaliter accusare Laicos. 2. q. 7. c. *sicut* 6. ibi: sicut sacerdotes, vel reliqui Clerici à secularium Laicorum excluduntur accusatione, ita illi ab istorum sunt excludendi, & alienandi crimination. Nam *accusare est genus illaudabilis intentionis*, ut dicitur 2. q. 7. c. *si quis* 50. juncta Gloss. V. *Illaudabilis*; adeoque personam Deo dicatam regulariter non decens, etiamsi non agatur ad vindictam publicam. Dixi *regulariter*; nam pro casu quo suam, suæque Ecclesiæ injuriam accusando defendunt, licitè accusant, etiamsi delicto, de quo accusant, pœna sanguinis annexa, & ab illis non intenta, Reo deinde per Judicem infligeretur; si prius expressè protestentur, quòd non ad vindictam, seu pœnam sanguinis, sed ad illati damni reparationem accusent, ut expressè decidit c. 2. de homicidio in 6. ratio ibidem redditur: *alioquin, sic propter hujusmodi metum* (quòd judex contra tales accusatos posset procedere ad pœnam sanguinis) *taliter conqueri non auderent, daretur plerisque materia trucidandi eosdem, & ipsorum bona liberè deprædandi.*

Quæstio est 2. an Laici criminaliter ac- 19
cusare possint Clericos? Rz. quòd Laici excludantur à jure accusandi Clericos, constare 1. ex cap. *sicut* cit. Deinde ex c. *non est* 1. c. *nullus Laicus*. 2. c. *Laico*. 3. c. *Sacerdotes*. 8. c. *Oves*. 13. caus. 2. q. 1. demum etiam ex c. 10. h. t. ubi Alexander 3. Joannem Laicum, qui Manconellam Presbyterum accusabat de Simonia, ab accusando rejecit, *quia Laicus erat*; & (ut notat Wagnereck in comment. Exegetico ad cit. c. 10.) *accusati inimicus*; ut colligitur ex mutua accusatione, & præsumptione collusionis cum fratre suo Presbytero B. qui illum induxerat ad Manconellam secum accusandum.

Porrò, quòd Laici non possint jure 20
criminaliter accusare Clericos, inter multas alias causas etiam ex eo est, quòd Laici ex odio, quo solent plerumque Clericos persequi (ut dicitur c. *Laicos*. 5. c. *Laici*. 14. 2. q. 7.) oppido Clericis infesti sint; & ideo præsumantur potius moveri *odio*, quàm *zelo justitiæ*: sic Julius Clarus in practica §. *fin*. q. 14. n. 21. Farinac. p. 1. l. 1. tit. 2. q. 10. n. 13. Excipitur tamen casus, quo Episcopi, vel Clerici in fide errarent, ut expressè habetur in 2. q. 2. c. *Sacerdotes*. 8. ibi: *etiamsi ipsi* (nimirum Clerici, & animarum Pastores) *aliter, quod absit, agant, nisi in fide erraverint.*

Et ideo communiter conceditur, Cle- 21
ricos accusari posse à Laicis in criminibus, & delictis gravioribus, ac enormibus, si bono zelo denuntientur ea crimina. v. g. 1. in crimine hæresis, ut dictum est. 2. in Simoniæ. c. *Tanta*. de Simon. 3. in crimine læsæ Majestatis, c. *sanè*. 15. q. 3. L. *si quemquam* C. de Episcop. & Cleric. 4. Secundùm aliquos in crimine Sacrilegii, c. *qui autem*. 17. q. 4. ac in crimine dilapidationis. c. *non liceat* 12. q. 2. sic Gloss. in c. *non est*. 2. q. 7. V. *Quod verò*; sed hoc limita, si non sint inimici accusati? propter dicenda in seqq. Constat hoc etiam ex c. *Clericos*. 2. q. 7.

juncta

junctâ Gloss. in casu, ubi dicitur: Laicos, & Clericos, qui proni sunt, ad accusandum alios, non debere admitti ad accusandum Episcopos, vel Clericos, nisi prius eorum opinio, & vita discutiatur. Quod sanè magni momenti, & revera gravis obligationis est, ut tot calumniantium linguæ nimium pronæ, non inveniant faciles Judicum aures, ingenti bonorum detrimento, & malorum illicio.

22 Notandum tamen 1. quòd Glossa in c. *non est.* n. supra citato, expressè addat, *hoc demum procedere, supposito bono zelo accusantis* c. *Licet Heli.* de Simon. & si accusatus fuerit vitæ suspectæ; nam si accusatus fuerit bonæ vitæ, tunc in dictis criminibus accusare permittuntur Laici solùm bonæ vitæ. c. *Per tuas.* de Simon. sic Gloss. cit. c. simul addens: hæc dici, *de solemni accusatione*; in denuntiatione autem omnes admitti; sed hoc intellige, non de denuntiatione judiciali, sed Evangelica, ut ibidem notatur. Cœterùm quando per exceptionem opponuntur crimina contra Clericos, vel Monachos testificantes, ad eos à testimonio repellendos, contra ipsos possunt admitti testes Laici, cùm talis causa sit civilis, non criminalis; quia agitur de crimine via exceptionis ad repellendum; non accusationis, ad vindictam publicam. sic Barb. in c. *super his.* h. t. n. 3.

23 Not. 2. Parochianis licitum esse, accusare suos Parochos, cùm vel suo muneri pastorali desunt, vel licentiosè vivunt; vel res Ecclesiæ prodigè, ac noxiè curant; sequitur ex dictis. Eorum enim interest, habere bonum Parochum, seu Pastorem, & Ecclesiæ suæ administratorem. sic Haunold. tomo 6. de Just. tract. 3. n. 23. q. 3. intellige tamen, apud Judicem competentem, nimirum Ecclesiasticum; non autem secularem, etiam Patronum, vel Advocatum Ecclesiæ. Nam *Laicis nulla in Clericos potestas attributa est*, ut constat ex c. 2. tit. de foro compet.

24 Quæstio est 3. An *inimicus* criminaliter accusare possit? Responsio est negativa; quia talis præsumitur ad accusandum moveri potiùs privatæ vindictæ causâ; quàm zelo Justitiæ; sic Julius Clarus in pract. criminal. §. *fin.* q. 14. n. 17. & videtur specialiter habere animum sumendi vindictam de inimico, ut advertit Mascard. de Probat. conclus. 98. n. 2. & conclus. 1128. n. 6. Menoch de Præsumpt. L. 6. præsumptione 29. n. 26. Nec obstat dictis, quòd sacri canones eos removeant ab accusandi munere, quos leges rejiciunt. c. *Accusatores.* 3. q. 5. in legibus autem civilibus non reperiatur inimicus exclusus ab accusando, ut constat ex L. *Qui accusare*, ff. de accusat. & toto tit. eod. qui accusare non possunt. Quia ibi non dicitur, quòd excludant *eos tantùm* Sic etiam dicitur, quòd omnes, *jure canonico*, infames dicantur, quos leges Seculi infames dicunt. c. *omnes verò.* 6. q. 1. & tamen præter illos aliqui jure canonum infames sunt; nec omnino omnes, qui jure legum, ut dicemus infra.

25 Nota tamen 1. sermonem hìc esse de accusatione in judicio criminali, atque adeò criminaliter intentata. 2. debere intelligi de inimicitia *capitali*, & *gravi*. Quæ porrò inimicitia censeatur hìc gravis, traditur à Claro cit. & Farinac. p. 1. l. 1. Tit. 2. q. 12. à n. 34. rectè tamen notat Wagnereck in exegesi ad c. *meminimus.* 13. h. t. Notabili 3. in hac materia, idem esse *inimicum capitalem*, & *manifestum*; & hoc tunc meritò judicari, quando adsunt manifesta indicia odii, seu sinistri affectûs in accusante adversus accusatum. Ex hoc enim prudenter concluditur, illum non duci bono zelo, & sincero animo, qui ad solum bonum publicum in puniendis delictis accusationem referre debet.

26 Nota 2. ad hunc juris effectum etiam eos, qui cohabitant cum inimico accusati, censeri inimicos ejus, c. *Repellantur*, 7. h. t. non tamen *capitales* c. 1. dist. 93. hi tamen, ut & eorum accusatio repellatur, non quidem plenè, sicut ipsius inimici; in tantum tamen, ut minor illis fides adhibeatur; Sic Farinac. p. 2. l. 2. q. 13. n. 46. Et hoc à fortiori procedit de his, qui sunt positivè amici, & quasi continui cum inimico accusati. Barb. in cit. c. *Repellantur.* n. 3. *quia propter amorem, ac odium sæpe pervertitur hominum judicium.* c. *Quatuor.* 11. q. 3. & Gloss. in cit. c. *Repellantur* V. *amicitiæ.*

27 Ex hoc colliges 1. quòd possit quis excipere contra inimicum accusantem, eumque exceptione inimicitiæ ab accusando repellere; quod verum est, licet culpâ suâ causam dederit inimicitiæ (excipe nisi malitiosè, ac per dolum hoc fecerit) quia hìc non attenditur tam causa litigandi, quàm affectus, quo quis movetur ad accusandum, qui communiter depravatus præsumitur in inimico.

28 Colliges 2. Laicum etiam in criminibus exceptis repelli ab accusando Clericum, si sit inimicus, sic in c. 10. h. t. Joannes Laicus, qui Manconellam Presbyterum, & H. Laicus, qui Cassiotam Abbatissam accusavit de crimine simoniæ, (quod est inter exceptа) repulsus fuit, titulo inimicitiæ cum accusatis; sic Eman. Gonzalez ad cit. c. 10. n. 6. & alii communiter: quia contra inimicum stat præsumptio privatæ vindictæ, nascentis ex odio inimicitiæ, consequenter defectus zeli justitiæ, quo carens inhabilis est ad actus justitiæ, præsertim in criminalibus.

29 Nota 3. etiam inimicum recenter reconciliatum patiter ab accusando repelli c. *Accusatores*. 3. q. 5. secus est, si jam dudum extincta sit inimicitia; Gloss. in c. 32. de Simon. V. *Inimicitias*; quia vulneri recenter consanato facilis est sensus. Et ideò nec in notoriis criminibus ad accusandum admittitur inimicus, ut docet Farinac. cit. q. 12. à n. 40.

30 Nota 4. Inimicum non posse opponere exceptionem *voluntariam*, quæ contingit, cùm quis spontè, non molestatus, seu provocatus, venit ad judicium, ac in eo aliquid contra alterum opponit; constat ex c. *Meminimus*. 13. h. t. & ratio est, quia ex illa præsumitur quis inimicus: secus est de *necessaria*, quam nimirum quis facit requisitus, vel jussus; sic enim solùm paret mandato Judicis. *Obedientia* autem *tollit omnem calumniam, & suspicionem inimicitiæ* c. *qui culpatur* 23. q. 1. c. *ad aures* §. 1. de Tempor. ordinat. sic Abbas in cit. c. *Meminimus*. n. 4. & 8.

31 Ex hoc colliges 1. quòd nec in criminibus exceptis (quale est crimen Simoniæ) ad criminaliter accusandum admittatur inimicus, quia scilicet suspectus est de calumnia, non bono zelo, ut dictum est n. 25. Colliges 2. eum, qui in causa criminali, testem agit contra alterum, non posse postea in eodem, vel alio judicio, super eodem crimine illum accusare c. 10. h. t. ibi: *quia in testimonium illius causæ adductus fuit*, & c. *Meminimus* 13. h. t. ibi: *Cùm non liceat Laicis contra Clericos, & Monachos testimonium ferre*; &, *contra eam* (Abbatissam de simonia accusatam) *testimonium tulerit*. Nam ex tali depositione, seu testimonio præsumitur inimicitia inter testem, & eum, contra quem deposuit, sic Abbas in c. *Meminimus* n. 8. Gonzalez in cit. c. *Meminimus*. n. 4. sed hoc intellige, si egit testem *voluntarium*, & ultrò se obtulit ad testificandum, propter rationem superius datam; quod autem dicitur, Laicos non posse testimonium ferre contra Clericos, intellige, deponendo contra illos in causa criminali, criminaliter intentata; non autem si deponant solùm, ut à testificando repellantur, ut monui supr.

Quæstio est 4. an Monachi, vel Religiosi, possint accusare suum Abbatem, vel Prælatum? R. affirmativè, ut apertè decidit in c. *ex parte*. 11. h. t. quia Monachus accusando proprium Prælatum delinquentem, censetur procurare bonum Monasterii, cujus interest non habere Prælatum malum, seu lupum pro Pastore. Constat etiam ex c. *Illa Præpositorum* 3. h. t. Nota tamen 1. pendente tali accusatione Religiosum nihilominus teneri suo Prælato obedire in licitis; cùm nondum sit privatus officio; excipe nisi præciperet, ut desistat ab accusatione; nam hoc præceptum foret injustum; ita Sanch. l. 6. moral. c. 12. n. 13. 32

Nota 2. subditum in dato casu non teneri, priusquam accuset Prælatum, petere, ac impetrare licentiam, seu veniam ab eodem, vel Episcopo; cùm jam à jure concessa sit in c. *ex parte*; ita Sanch. n. 19. c. *Illa Præpositorum*. 3. eodem. Nota 3. cùm Religiosi proprium non habeant, expensas necessarias in casu dictæ accusationis, ipsis præstari debere ex rebus Monasterii, donec causa debitum finem accipiat; ita decisum est in c. *ex parte*; ac ejusmodi expensæ non repetuntur ab accusatore in hoc casu, etiamsi succumbat, c. *olim*. 26. h. t. sic Barbosa in cit. c. n. 2. Excipe tamen, nisi accusans ipse habeat peculium sufficiens ad prosecutionem accusationis; quia tunc cessat ratio prioris decisionis, nisi accusatio fieret ob utilitatem Monasterii; tunc enim hoc expensas præstare deberet; unde primum intelligitur, si accusatione prosequatur causam propriam.

Nota 4. cùm subditus accusat suum 33
Prælatum, accusationem non admittendam, nisi post præcedentem causæ cognitionem summariam etiam sine præsentia partium, an procedat bono, vel malo zelo? sic Joann. Andr. hic n. 9. qui non rarò deficit in subditis malè contentis. Nota 5. Prælato accusato à suis Religiosis, debere expensas præstari à Monasterio ad se defendendum, usque ad finem litis, cùm Monasterii interest, non deponi Abbatem, expertem

tem culpæ; sic Gloss. in c. *ex parte* V. *alia.* Et hoc procedit, esto Abbas foret suspensus ab administratione; non autem, si foret verè ac realiter depositus; quia tunc non amplius haberet aliquid commune cum Monasterio. Ita Sanch. cit. n. 24. Nota 6. etiam conversos Laicos admitti ad criminaliter accusandum Prælatum. Ratio enim pro illis eadem est, ac pro aliis; & colligitur ex c. *Illis* 3. h. t. ibi: *si quispiam ex Monasterio sit ejusdem Abbatis, qui ausit dicere,* hoc est, *accusare, &c.* Nota 7. quibus diximus licitum esse accusare suum Prælatum, iis etiam licere illum denuntiare, idque non solùm ob delictum dolo commissum, sed etiam ob culpam seu negligentiam. Abbas in c. *Illis.* n. 3. Nota 8. non tantùm in institutione Prælati, sed etiam in ejus destitutione (sive viâ accusationis, sive denuntiationis, aut inquisitionis procedatur) causam esse tractandam in præsentia eorum, quorum interest c. *Illis* cit. & Gloss. V. *dicere* c. *Illa Prapositorum.* 3. eodem.

34 Quæstio est 5. an Monachi, seu Religiosi possint alios accusare? R. negativè, ut decidit in cit. c. *Ex parte,* junctâ Glossâ V. *licet alios.* Excipe tamen 1. quòd accusare possint Extraneum, si duæ conditiones concurrant, 1. licentia Abbatis. 2. si monasterii utilitas id postulet. c. *Monachi.* 16. q. 1. Excipe 2. casum, de quo n. 18. ut quando cum licentia Prælati, suam, vel Ecclesiæ sibi commissæ injuriam prosequuntur, præmissâ protestatione, de qua ibidem dictum est.

35 Nota tamen 1. hanc protestationem non esse necessariam, quando accusatio fit coram judice Ecclesiastico; ut si Religiosus alium accuset de crimine, pœnâ mortis digno. Nam textus in c. *Prælatis,* de homicidio. in 6. requirit eam, dum accusatio fit *apud judicem secularem.* Ita Suarez D. 47. de Censur. sect. 2. n. 18. Naldus in summa V. *Irregularitas* n. 11.

36 Et hoc procedit, licet Judex Ecclesiasticus in dato casu Reum tradat brachio seculari. Nam sicut in isto casu Judex Ecclesiasticus non concurrit ad mortem, concursu qui dispositione juris inducat irregularitatem; sic nec accusator; ita Suar. cit. & ex illo Lezana, in summa qq. Regularium, Volum. 2. V. *Accusare,* n. 19. quod tamen intellige solùm pro casu, quo accusatio fit à Clerico, vel Regulari, pro defensione sua, ac suorum, ut loquitur cit. c. *Prælatis.*

37 Ex hoc sequitur, quòd, si Clericus, vel Monachus apud Judicem secularem accusaret alterum de illata injuria personis extrancis, contra irregularitatem non prodesset ei dicta protestatio, si accusatus pœnâ sanguinis puniretur. Sic Navar. c. 27. n. 217. quia sic non defenderet suam, aut suorum injuriam. Illud hîc etiam annotandum, si Monachus alium, præter Abbatem, accuset, non deberi illi expensas à Monasterio, ut docet Glossa in c. *Cùm Pastor,* V. *eodem.* 2. q. 7. Cætera quæ concernunt irregularitatem ex tali accusatione nascentē in casu secutæ pœnæ sanguinis accusati, dicemus infrà tit. 39.

Præter prædictos, ex aliis quoque cau- 38
sis repelluntur aliqui ab accusando. Nam 1. *ob defectum ætatis* ab accusando repelluntur Pupilli, nisi defendant suam, vel parentum injuriam; possunt tamen 1. cum authoritate Tutoris, si sint majores infante, licet impuberes; aut cum authoritate Curatoris, si sint minores, sed puberes. Secundò, *propter imbecillitatem sexûs* repellitur mulier; cùm propter eam facilè inducatur, ut operetur ex amore, vel odio, nisi suam, suorumque injuriam prosequatur: hinc potest accusare occisorem sui mariti. Excipe pariter crimina excepta. Gloss. in c. 10. h. t. V. *Laicus;* & casum annonæ, cùm ad publicam utilitatem spectet. Cæterùm certi solùm casus (iique novem tantùm, videndi apud Haunold. tomo 6. de Just. tr. 3. n. 26.) in jure inveniuntur excepti, quibus mulier accusare non prohibetur, licet non prosequatur suam, vel suorum injuriam.

Tertiò *ob reverentiam accusando debi-* 39
tam repelluntur liberi, & liberti, ne possint accusare parentes, & Patronos. Excipe duos casus; Primus est, quando parens esset patriæ, vel reipublicæ hostis, vel proditor, 2. si Principi necem, vel interitum machinaretur; quia communis reipublicæ salus est privatæ præferenda. Sic Azor. p. 2. l. 2. c. 3. q. 11. prohibentur etiam servi, & vasalli dominum accusare. Azor p. 3. l. 13. c. 19. q. 6. n. 2. Cæterùm in lege *pen.* C. *Qui accusare,* conceditur servis accusare posse de crimine læsæ Majestatis: ibi: *Majestatis autem crimen tantùm, excipimus.* An autem Clientibus liceat Advocatos suos, seu protectores in jus vocare, vel contra illos testificari, dictum est in 3. Decretal. de jure Patronatus.

Quartò *ob fidem dubiam, & suspectam* 40
repellitur Pauper, qui scilicet in bonis minus habet, quàm 50. aureos. L. *nonnulli*

ff. de

ff. de accusat. (nam paupertas cogit ad illicita) excipe, nisi constet, quòd sit honestæ vitæ. *Ob indignitatem personæ* excluduntur infames, & criminosi. c. *Infames.* 6. q. 1. c. *quærendum* 2. q. 7. & L. *qui accusare*, ff. de accusat. ac L. *criminis*, junct. gloss. V. *Existimatio.* C. de his, qui accusare non possunt. His accedit *Excommunicatus* excommunicatione majori, idque in utroquè foro, licet suam, suorumquè injuriam prosequatur; quia talis repelli debet ab agendo in judicio. c. *Intelleximus.* 7. de Judic. & c. 1. de except. in 6. Accusator autem in causâ criminali propriè est actor. Excluduntur demum etiam *Pagani*, & *Judæi*, qui non possunt accusare Christianos; nec *Hæretici* Catholicos. c. *Pagani.* 2. q. 7. etiam in criminibus exceptis. Gloss. ibidem. V. *accusare.* Salvo tamen semper casu, de quo dictum est n. 17.

41 Quæstio est 6. an quis obligetur accusare? R. quòd regulariter nemo invitus accusare cogatur. c. *si quem pœnituerit.* & c. *si quis iratus* 2. q. 7. & colligitur ex c. *licet.* 14. de accusat. apud Barbos. ibidem n. 3. intellige tamen in causâ privata; quia potest juri suo cedere, & illatam sibi injuriam remittere; quod tamen sic accipe, ut etiam in hoc casu compelli possit à Judice propter bonum commune, ut saltem coram ipso declaret, quis eum offenderit? ut habitâ hinc informatione, inquisitionem necessariam Judex instituat causâ boni communis, nisi offensus esset ex privilegiatis ad non testificandum. Ità Thom. Sanchez l. 6. Consil. Moral. c. 1. dubio 26. n. 5. Ubi autem crimen in commune damnum corporale, vel spirituale redundat, & aliter perfectè remedium adhiberi non potest, quia necesse est, ut non tantùm damno obvietur, sed etiam, ut Reus puniatur, accusare tenetur; qua tamen in re maximè consideranda est ratio boni publici, & delicti, de quo accusando agitur; Nisi enim delicti gravitas, & Reipublicæ necessitas exigat fieri delationem ejus criminis *criminaliter*; non tantùm non obligatur quis ad illud *criminaliter* accusandum, sed nec *licitè* aget, ut mox dicemus.

42 Quæstio est 7. an sit licitum accusare de delicto, quod quis sufficienter probare non potest? R. cum D. Antonino p. 2. tit. 1. c. 19. §. 1. non licere in causâ criminali *propriè* accusare, nisi accusator sit certus de crimine, vel habeat testes, quibus id legitimè probare possit. Aliàs enim non tantùm exponit se periculo pœnæ calumniantium, de qua tit. 2. sed etiam injustè lædit famam ejus, quem sic accusat, & est causa injustâ damnorum omnium consequentium pendentiam accusationis criminalis. Et quoniam jure naturali prohibitum est, hominem, qui est in statu dignitatis illæsæ, seu in possessione bonæ famæ, de tali statu dejicere, nisi hoc exigat vel gravis causa nascens ex delicto, certo saltem moraliter, vel necessitas boni communis, privati hominis commodo prævalentis; non modò non utrumque licitum erit, *delictum criminaliter accusare*, quod quis novit, probari non posse; sed etiam injustum contra justitiam strictam, seu commutativam. Nam ubi deficit facultas probandi delictum, deficit medium unicè necessarium ad propriè accusandum tale delictum criminaliter; & animus boni Zeli, sine quo nec ratio boni publici, nec ullum jus humanum exigere potest talem accusationem; cùm idem esset, ac velle finem cum certa scientia de defectu medii unicè necessarii, quòd rationi dissonum est. An autem exigi talis accusatio possit ad inquirendum? videri posset alicui, quòd sic; sed neque hoc licitum erit 1. quia juris naturalis est, cùm agitur de præjudicio tertii, exigente illud justâ, & proportionatâ causâ, id fieri debere per medium sufficiens, & efficax; quantò minori damno ejus fieri potest, si finis intentus æquè bene, prout exigitur, & necessarium est, obtineri possit, id, quod manifestum est etiam in causis naturalibus: at inquisitio (si videatur necessaria) obtineri potest denuntiatione simplici, cujus loco adhibere criminalem accusationem, abeo faciendam, qui crimen accusatum probare non potest, certè non sanum est, minùs justè exigitum: ergo.

Quæstio est 8. an accusator possit desi- 43
stere à cœpta accusatione? R. 1. ante litem inchoatam posse illum desistere, nisi aliud exigat necessitas boni communis, ut dictum est; secùs est post litem inchoatam, nisi accedat licentia Judicis; quia, cùm contraxerit obligationem, vel delictum probandi, vel pœnam subeundi, si in probatione deficiat, non potest se authoritate propriâ, & ex libitu, ab illa liberare. Imò si Reus propter factam accusationem, vel tormentis subjectus est, vel infamatus, accusator desistere non potest, sine Rei consensu; Secùs incidet in pœnam Senatûs Consulti

Tur-

Turpilliani, si crimen publicum sit. L. 1. C. Ut nemo invitus: vel punitur pœnâ extraordinariâ, arbitrio Judicis, si sit crimen privatum. L. *si quis* 7. ff. eodem.

44 R. 2. si accusator deprehendat, se errâsse, quia falsò putavit, accusatum esse reum criminis, eum teneri desistere ab accusatione; quod etiam procedit, si videat, se non posse crimen probare. 2. si dubitet invincibili dubio; aliàs verè calumniaretur. 3. si judex accusationem rejiciat, vel admissam rescindat. sic Less. l. 2. Just. c. 30. à n. 14.

45 R. 3. eum, qui semel ab accusando destitit, vel interrogatus dixit, *se nolle accusare*, posse desistere. Talis enim, volens sub hoc accusare, repelli debet, juxta L. 2. ff. ad S. Consul. Turpill. ibi: *qui destiterit agere, amplius & accusare prohibetur*; Censetur enim juri suo cessisse; *nec remittentibus actiones suas dandus est regressus*. Et ideo talis licitè potest desistere; sed tunc ei silentium imponi debet, ut non possit eum amplius de tali crimine accusare c. *licet*. 14. h. t. V. n. 47.

46 R. 4. non licere desistere ab accusatione cœpta. 1. post litem contestatam L. 15. §. qui post. ff. ad Senatuscons. Turpillian. 2. nec post datos fidejussores de prosequenda lite L. 1. C. eodem. 3. nec post oblatum libellum, licet nec lis adhuc contestata sit, nec dati fidejussores. Auth. *qui semel*. C. quomodo, & quando Judex, junctâ L. *absentem*. ff. de pœnis: Secùs tamen ante datum libellum, etiamsi citatio rei facta sit.

47 Quæstio est 9. an accusator audiendus sit, si non comparet in termino ad comparendum præfixo à judice? R. negativè, nisi probet justam causam absentiæ. c. *quisquis*. 4. q. 5. L. *si ea*. 7. C. de his, qui accusare non possunt. Si verò terminus illi præfixus sit ad instantiam accusati, ut causam agat, imponitur ei silentium, non antè, sic Abb. in cit. c. *Licet*. 14. h. t. n. 2. ibi: *Nos igitur prædictis Canonicis* (qui Archiepiscopum Bisontinum de variis criminibus accusârunt, sed antè, vel citra inscriptionis vinculum desistere voluerunt) *super prædictis silentium duximus imponendum; ne te de cætero super his accusare liceat, vel etiam infamare*.

48 Quæstio est 10. an accusatio fieri possit per literas cœcas? hoc est, illas, quæ non continent nomen accusantis? R. si accusatio sit solemnis, de jure communi non posse, ut constat ex n. 6. Cœterùm accusatio non fit nisi propriâ voce accusantis, ac præsente illo, qui accusatur; quia *nullus absens accusari potest, nec accusare*, c. *per scripta* 2. q. 8. ibi: nullus absens, aut accusari potest, aut accusare. c. *Accusatori* 3. q. 9. ubi dicitur: *nisi Reo præsente accusator non audiatur*. Idem habetur in c. 2. 3. & sequent. ibidem: secùs est de denuntiatione, quæ omnino fieri potest per literas. Et quamvis Stephanus Papa in cit. c. *per scripta*, prohibeat accusationem fieri *scriptò*; & Sixtus 3. in c. immediatè antecedente velit, eam fieri cum inscriptione; aliud tamen non exigitur, quàm ut accusator libellum accusationis in scriptura factæ, propriâ voce coram judice, & præsente accusato, legat.

Quæstio est 11. quid agendum cum 49 accusato, actore non probante, vel in judicio non comparente? R. etsi actore, seu accusatore non probante, Reus absolvi debeat, ut ex communi notat Fagnanus in c. *Ne innitaris*, de constitut. à n. 359. indicendam tamen accusato purgationem canonicam, seu probationem innocentiæ suæ, prout præscribunt sacri canones, ut dicemus tit. 34. quando est infamatus apud bonos, & graves viros; ut constat ex c. *Veniens*. 15. h. t. quod tamen intellige, tunc solùm, quando aliàs convinci non potest de illo crimine, ut dicitur c. 2. 5. 6. & 8. eodem tit. 34. & adsunt verisimiles suspiciones, vel præsumptiones commissi criminis c. *si quis*. 4. eodem. Sic Hostiensis in c. *Accedens*. 23. h. t. Idem est, si accusator non comparet in termino à judice ad comparendum præfixo; tunc enim audiendus non est, nisi probet justam causam absentiæ. c. *quisquis*. 4. q. 5. L. *si ea*. 7. de his, qui accusare non possunt: si verò terminus illi præfixus sit ad instantiam accusati, ac in eo non compareat accusator, etiam post monitionem, ut causam agat, imponitur ei silentium, non antè. Sic Abbas in cit. c. *Licet*. h. t. n. 2. ut jam diximus supra n. 47.

ARTICULUS III.

De Habilitate Accusati.

SEU quòd idem est, *an quilibet accusari* 50 *possit?* quòd enim non possit accusari quilibet à quolibet, ex dictis constat. Nam inde habetur 1. Laicos à Clericis, & Religiosis non posse accusari, nisi in certis casibus à n. 18. Deinde nec Clericos à Laicis, à n. 19. Nec alterum ab inimico à n. 24. &c.

Similiter accusari criminaliter non possunt *mortui*. L. *ex judiciorum*. h. t. & L. fin. ff. ad L. Jul. 2. accusari non possunt ob dignitatem Imperator, Pontifex, Rex, & qui super se judicem non habent. Sic Hostiensis in summa h. t. n. 7. 3. accusari prohibentur ad tempus Legati, Præsides, Magistratus, & qui Reipublicæ causâ absunt, sed solùm durante officio. L. *Hos accusare*. 12. ff. de accusationibus. 4. accusari prohibentur infantes, & furiosi, & minores, nisi sint puberes, vel pubertati proximi, de quibus videri potest Vallens. in L. 5. tit. 1. 5. Collegium seu communitas (esto omnes aliquid commiserint) accusari non potest, nisi illud factum sit de communi consensu, seu collegialiter, hoc est, præmissâ communi convocatione, & deliberatione. Sic Julius Clarus cit. a. n. 7.

51 Porrò communis regula est, omnes delinquentes, cujuscunque sexûs, statûs, vel ætatis sint, *regulariter*, & *in genere loquendo* criminaliter accusari posse; sic Julius Clarus in Pract. crim. §. *fin.* q. 16. n. 1. dixi *regulariter*, quidam enim excipiuntur, ut patebit ex sequentibus; igitur

52 Quæstio est 1. an absentes criminaliter accusari possint? R. non posse vi juris scripti, de crimine *capitali*. L. *Absentem*. 6. C. de his, qui accusari non possunt. c. *Absente*. 3. q. 9. ibi: *absente adversario non audiatur accusator*; à fortiori autem sequitur absentes condemnari non posse, ne vel condemnetur innocens, vel indefensus c. *Absens*. 3. q. 9. ibi: *absens nemo judicetur*; *quia & divinæ, & humanæ hoc prohibent leges*. L. *absentem*. 5. ff. de pœnis. Clar. cit. q. 4. Dixi, *de crimine capitali*, propter quod nimirum pœna corporalis, vel æquivalens infligitur. Excipitur tamen crimen læsæ Majestatis, apud Vallens. in l. 5. decret. tit. 1. n. 3. Cœterùm si pecuniariam pœnam, aut quæ æstimationem contingit, crimen mereatur, poterit in contumaciter absentem statui, & usque ad relegationem procedi. L. *Absentem*. ff. de pœnis.

53 Quæstio est. 2 an semel absolutus per sententiam, possit iterum accusari super eodem crimine? R. negativè ex c. *de his*, 6. h. t. ibi: *de his criminibus, de quibus absolutus est accusatus, non potest accusatio replicari*; & L. *si cui* 7. §. *iisdem*. ff. de accusat. junctâ Gloss. V. *accusari*, ubi addit: *ab eodem, vel alio*: quia de delicto hominis sæpius quæri non debet. L. *licet*. 6. ff. Nautæ, Caupones; aliàs reo sua fides, & ratio innocentiæ nunquam constaret. Ita Zoësius in ff. h. t. n. 20.

Hæc tamen regula, seu responsio fallit 54
1. (consequenter non procedit) si quis solùm absolutus fuit ab observatione judicii, vel quia libellus non fuit rectè ordinatus; vel quia accusator non fuit legitimus. Nam tali casu alius accusare potest L. 3. §. *quod si libelli*. ff. de accusat. & c. *prohibentur*. 2. q. 1. junctâ Gloss. V. *abolitione publicâ*. Fallit 2. si secundus accusator probet primum non fideliter egisse; sed prævaricatum esse, & collusisse L. 3. §. 1. ff. de prævaricat. & L. *si quis*. 11. C. de accusat. Fallit 3. si secundus accusator suam, vel suorum injuriam prosequatur, & probet se ignorâsse, accusationem ab alio institutam L. *si cui*. 7. §. *iisdem*. ff. de accusationibus. Hæc autem ignorantia probatur juramento proprio, cùm in animo consistat. Sic Abbas hic n. 8. & 9.

Fallit 4. si prima accusatio non fuit 55
criminalis, sed tantùm civilis (ut, si primus accusator egit de crimine solùm *civiliter*, seu ad prosecutionem rei familiaris) L. 1. C. *si quando civilis actio*; si tamen utraque actio, civilis & criminalis, tendat ad vindictam, accusatus civiliter, & absolutus, non potest rursum accusari criminaliter super eodem crimine. L. *ait Prætor*. 7. §. 1. ff. de injuriis. Si autem accusatio civilis tendat ad rem familiarem, & criminalis ad vindictam publicam, & accusatus fuit absolutus ab actione civili (quia accusator non probavit delictum) potest super eodem criminaliter accusari L. 1. C. *quando actio civilis criminali præjudicet*. Si denique fuit absolutus, quia est expers delicti, potest quidem ab alio super eodem accusari criminaliter; non tamen à primo accusatore, ne quidem civiliter, minùs criminaliter. L. *qui de crimine*. 9. ff. de accusation. junctâ Glosâ V. *ab alio*. Sic Felinus in c. *de his*. n. 8.

Fallit 5. si accusatus fuit absolutus, non 56
per sententiam, sed transactionem legitimam. Nam tali casu non potest denuo accusari ab eo, quocum transegit; secùs, ab alio; huic enim per transactionem non potuit fieri præjudicium. Dixi *legitimam*, quia si transactio non tenuit, etiam primus accusator potest iterum accusare, ut docet Felinus cit. n. 3. *limitat*. 2.

Fallit 6. si accusatus fuit absolutus in 57
judicio non per viam accusationis, sed inquisitionis. Tunc enim de jure saltem canonico

nonico (in quo non pœna ordinaria delicti, sed minor imponi solet. c. *qualiter*. 24. h. t.) iterum super eodem accusari potest. Idem est, si absolutus fuit in judicio per viam denuntiationis vel exceptionis; cùm hæc non tendant ad vindictam publicam; sed, illa ad emendationem; ista, ad repellendam intentionem actoris.

58 Fallit 7. si accusatus de crimine, sit absolutus ab illo, solùm pro foro interno, seu quoad Deum (veluti per baptismum, aut pœnitentiam) quia forum internum, & externum, ad diversos fines, & effectus tendunt. Fallit 8. in criminibus mixti fori v. g. sacrilegii, adulterii &c. hinc absolutus, & punitus à Judice Ecclesiastico, potest adhuc accusari, & puniri à Judice seculari, & econtra c. *Felicis. §. per hoc quoque*, de pœnis in 6. ibi: *Per hoc quoque secularibus potestatibus non adimimus facultatem utendi legibus contra tales, quas adversùs sacrilegos Catholici Principes ediderunt.* Sic Jul. Clar. cit. q. 57. tum quia pœna spiritualis non tollit temporalem; tum quia jurisdictio Ecclesiastica est prorsus separata, & independens à seculari, & ideo locum non habet in altero foro, exceptio rei, judicatæ in uno. Ita Pirhing h. t. n. 27. *limitat.* 8.

59 Quæstio est 3. an accusatus de uno crimine, possit simul, & eodem tempore accusari de alio? R. posse, non tantùm ab alio, sed etiam ab eo, qui accusavit de primo; quod intelligendum est, si utriusquè accusatio simul fiat; si enim successivè, & accusatus interim foret absolutus, ex dictis constat, quid dicendum?

60 Quæstio est 4. an etiam Episcopi criminaliter accusari possint? R. posse, ex c. *si quis* Episcopus. 2. h. t. ubi dicitur, causas eorum criminales ad Primatem canonicè deferendas esse, non ut ipsi definiant, sed ut sensum suum super iis ad Pontificem referant; de quo casu specialia constituta sunt in Trid. Sess. 13. de reform. c. 6. 7. & 8. item sess. 24. c. 5. &c. de quibus Wagnereck in Exegesi ad cit. c. *si quis Episcopus*. n. 2.

61 Quæstio est 5. an, & à quo possit repelli accusator inhabilis? R. si Reus excipiat contra illum, debere repelli à Judice; Reo autem nihil opponente, debere repelli nihilominus ab eodem ex officio. Nam *quando accusator non est legitimus, Reus non est molestandus, nec trahendus ad judicium* c. *si legitimus*. 1. de accusat. Vivianus in rationali Juris Pontif. l. 5. pag. 1. Et ideo de accusatoris persona priùs quærendum est in Judicio. *Inprimis*, 2. q. 1. & L. *si quæramus*, ff. de Testam. Sic Barbos. in cit. c. 1. n. 1. Judex enim ex officio potest repellere accusatorem non idoneum. Sic Jul. Clar. §. *fin.* q. 15. n. 1. quod intellige, si sit omninò inhabilis (ut Judæus, infamis, vel talis, qui repellitur odio ipsius personæ; seu qui nec expressè, nec tacitè consensu partium habilitari potest, v. g. inimicus) non autem, si secùs, sic Boiardus apud Barbos. cit. n. 2.

Not. autem 1. quòd si Reus, seu ac- 62
cusatus in hoc casu non sit infamatus, debeat absolvi ab observatione judicii; si verò sit infamatus, illi debeat indici purgatio canonica c. *Presbyter* 2. q. 5. junctâ Gloss. *fin.* ibidem. Not. 2. Exceptionem, *quòd accusator non sit legitimus*, esse dilatoriam; consequenter ante litis contestationem esse opponendam; non postea, nisi Reus ignoraverit, hanc exceptionem sibi competere. Abbas in c. 1. h. t. n. 2. Not. 3. nullum Episcopum posse suos familiares, ipsum accusare volentes, ab accusando repellere, *exceptione criminis*, quos priùs, quàm sciret, se ab illis accusandum, à sua familiaritate non repulit c. *Nulli* 5. h. t. intellige, *si prius novit, eos tales esse*. Potest tamen ejusmodi homines criminosos ex officio repellere Judex; quia pertinet ad bonum Reipublicæ, ejusmodi homines à judicio repelli. Gloss. in c. *Nulli*. V. *Repellere*, & V. *familiaritate*.

Not. 4. licèt quis agere, vel accusare 63
in judicio non possit (ut infamis, excommunicatus &c.) eum tamen posse alteri opponere exceptionem. Nam exceptio habet rationem defensionis; Bartol. in L. *servos*. ff. de accusat. n. 1. & Jul. Clar. cit. q. 15. n. 3. Not. 5. quòd processus accusatorius formatus ex accusatione ejus, qui jure prohibetur accusare, teneat, & effectum habeat, si Reus contra illum non excepit; sibi enim Reus imputare debet, quòd exceptionem neglexerit sic Jul. Clar. cit. q. 15. n. 5.

ARTICULUS IV.

De effectu accusationis criminalis.

ANte resolutionem supponendum 1 *fa-* 64
mam in genere, nihil aliud esse, quàm opinionem voce populi nuntiatam, seu, ut notat Benedictus Pereyra in Elucidario Theol. moral. & utriusque juris, juxta

numerum margin. 913. *multorum* (nimirum majoris partis in tali loco, vel vicinia) *opinionem de aliquo facto, negotio, vel vita, & moribus alterius.* Ex quo vides, aliam esse *famam inter homines*; aliam *de homine.* Fama *inter homines* est publica, & communis opinio, existimatio, vel proclamatio, quæ interdum ex scientia, interdum ex suspicione procedit, ac quandoque ex certo, quandoque ex incerto authore, ut ait gloss. in c. *Manifesta.* 2. q. 1. V. *Manifesta.* Fama *de homine*, est, quando talis existimatio communis est de hominis vita, & moribus, comprobando eos, vel reprobando.

65 Ex hoc sequitur *famam de homine* quandoque esse in *bonum*, quandoque in *malum.* In bonum apud Juristas L. *Cognitionum* 5. ff. de extraord. cognit. definitur: *status illæsæ dignitatis, legibus, & moribus comprobatus, ac in nullo diminutus*; & sic est argumentum virtutis, teste Baldo in c. *In Genesi*, de Elect. n. 66. *in malum* autem est, *status dignitatis læsæ, ex vita, & moribus talis hominis reprobatus, seu diminutus.* Nam *dignitas* hîc accipitur non pro honore publico, v. g. quod sit Rex, Consul, Abbas; sed pro vita rectæ rationi, & formæ sui statûs consona. Ita Sanch. in Consil. moral. l. 6. c. 3. dubio 4. n. 1. ex Panorm. c. *Vestra.* de Cohabit. & Summistis. V. *Infamia*: quando ergo de dignitate alicujus in hoc sensu est communis opinio bona, *bonæ famæ* quis dicitur; si mala, *malæ.* Et ideo famæ (nimirum bonæ) opponitur *infamia*, ac idem valet, atque *non fama*, vel *sine fama.* Apud Latinos est *macula*, seu *probrum*, ut docet Pereyra cit. n. 916. apud Juristas idem, ac *nota.* L. 1. ff. de his, qui notant. infam. Et ideo aliquem *notare*, sumitur pro *infamare*; qui autem in jure dicantur infames, & quibus subjaceant? petendum est ex Cod. Tit. Ex quibus caus. infamia irrogetur; & ff. Tit. de his, qui notant. infam. Item c. *Infames.* §. *Porrò infamia* 3. q. 7.

66 *Infamia* dividitur in infamiam popularem, & legalem. *Popularis* (alio nomine *communis*) dicitur, sinistra opinio, quæ obscurat personæ æstimationem, non ex via alicujus legis, sed ex communi hominum judicio; ac proinde *infamia facti* dici solet: quasi ab ipso facto, non autem jure. Infamia *legalis* (alia nomine *infamia Juris*) est illa, quæ aliquo jure humano inurit aliquam specialem maculam in eo sitam, quòd pariat quosdam effectus morales, ratione quorum quis repellitur à certis Juris actibus, v. g. *ab accusando, testificando, acquirendo* &c. Alia est *civilis*, quæ per jus civile; alia *canonica*, quæ per jus canonicum inducitur, sic Pereyra cit. a. n. 916.

Not. autem 1. quòd omnis infamia ci- 67
vilis, per jus canonicum non revocata, censeatur acceptata à Sacris canonibus, consequenter etiam canonica fit. Ita Suarez de Censur. D. 48. sect. 1. & constat ex c. *omnes verò* 6. q. 1. junctâ Gloss. V. *leges.* Not. 2. quòd utraque legalis infamia (tam *canonica*, quàm *civilis*) dividatur in illatam per actum juridicum; & hæc appellatur juris tantùm; & in illatam per facti manifestationem, quæ vocatur *legalis facti*, & est quædam applicatio juris ad talem personam, non requirens sententiam Judicis. *Per actum juridicum* intelligitur sententia Judicis, quâ quis de crimine publico criminaliter condemnatus est; vel etiam privato, quod descendit ex actione famosa (cujus nimirum fama ex sufficientibus indiciis orta pervenit ad multos, ita ut major pars illius loci, civitatis, pagi, Parochiæ, vel viciniæ illud norit) sic Less. l. 2. de Just. c. 11. n. 73. & Fagnanus in c. *Vestra.* de Cohabitat. Clericorum à n. 32.

Ex hac divisione colliges, *infamiam fa-* 68
cti esse in duplici classe; alia enim est, *legalis*; altera, *non legalis.* Illa est, cui citra sententiam judicis, seu alium actum Juridicum legis dispositione tribuuntur *certi effectus morales*, ut dictum est; ista, cui non. Nam non omnis, cujus vita & mores reprobantur communi opinione hominum, infamis est *infamiâ facti*, quæ *legalis* sit: ut dicemus infra. Ut igitur quis dicatur infamis infamiâ facti ex aliquo delicto, tres conditiones videntur requiri. 1. quòd sit opinio plurium, nimirum majoris partis, ut dicitur. c. *inquisitionis.* §. *Quæsivisti*, de accusat. sic Felinus ibid. Versu: *Tertiò nota*, & alii. 2. quòd illa opinio voce hominum manifestetur; fama enim à fando dicitur. 3. quòd ejusmodi opinio ducat originem ex probabili suspicione, nimirum ex tali fundamento, & conjecturis, quæ sufficiunt ad causandam opinionem apud viros probos, & cordatos; si enim talis opinio ducat originem ex conjecturis insufficientibus apud ejusmodi viros, non tam erit fama, quàm vanæ populi voces. Hinc sequitur, quòd etsi de aliquo sit communis opinio, etiam

vo-

voce populi manifestata, si tamen inde bonum hominis nomen, & fama apud bonos, & graves viros maneat integra, seu illæsa, etiamsi apud leves personas lædatur, non dici infamiam facti etiam legalem, ut dicitur in c. *Qualiter, & quando*, de accusat. ibi: *infamia non debet procedere à malevolis, & maledicis; sed à providis, & honestis, non semel tantùm, sed sæpè*; quod etiam habetur in c. *In cunctis* 11. q. 3. junct. gloss. V. *Maledicorum.*

69 Not. autem 1. quando dicitur, ad *infamiam* requiri opinionem plurium, seu majoris partis alicujus loci, non intelligi de majori parte puerorum, mulierum, vel similium; sed proborum, & gravium; sicut per oppositum ad *famam* (nimirum legalem, cujus consideratio in legibus habetur) requiritur opinio apud bonos, & graves. Sic cit. c. *Inquisitionis*, h. t. & ibidem Panormit.

70 Not. 2. *Majorem partem* hìc censeri, quæ est major considerato numero hominum in tali loco, ubi est infamia, seu communis opinio de aliquo in malum. Hinc, si sint in aliqua communitate 30. v. g. & apud octodecim, vel viginti viros ejusdem communitatis bonum nomen alicujus diminutum sit ex communi opinione, facti ab illo criminis, infamatus dicitur de tali crimine. Sic Panormit. in cit. c. *Inquisitionis*. §. *Quæsivisti* n. 6.

71 Not. 3. Eos, qui sunt infames, infamiâ facti, repelli à multis rebus alioquin licitis, quibus ejusmodi infames tanquam indigni, privantur; ut mox patebit ex dicendis; & hoc intelligitur *per effectus morales* quos n. 68. diximus causari ab infamia juris, illatâ solùm per facti manifestationem, non per actum juridicum; his præmissis ad quæstionem in titulo propositam?

72 R. Etsi sola criminalis accusatio non constituat aliquem reum, vel criminosum, ejus tamen pendentiam præjudicare in quærendis; sed non in quæsitis. Ut dicitur c. *Omnipotens*. 4. & c. *super his* 16. h. t. Et hoc etiam locum habet in dignitatibus secularibus. L. *Reus*. ff. de munerib. & honorib. Hinc fit, quòd accusatus de crimine, accusatione publicâ, pendente accusatione, non possit ad ordines, vel Ecclesiasticam dignitatem promoveri. Sic Barbos. in c. *Omnipotens*. de accusat. n. 1. item quòd non possit esse Judex. c. *Infamis*. 3. q. 7. hoc enim *dignitatem* dicit; possit tamen esse arbiter. Nam hic nullam dignitatem, vel jurisdictionem habet, sed meram, & simplicem cognitionem; Sanch. l. 6. Consil. moral. c. 3. d. 5. n. 11.

73 Et hoc procedit. 1. licet infamia non præcesserit accusationem. Nam distinctio, an præcesserit, vel non præcesserit infamia, fit tantùm in electione, non autem in promotione. Sic Fagnan. in c. *Omnipotens*. à n. 29. Procedit 2. ut accusatus pendente accusatione non possit alium accusare; quia *non revelatione criminis, sed innocentiâ Reus purgatur*. L. *is, qui* ff. de publ. Judic. & c. *fin.* de Testib. Procedit 3. ut non possit testificari in causa criminali, præterquam in criminibus exceptis, ut est casus in cit. c. *fin.* Nec esse procurator alterius? L. *Meam*. C. de Procuratoribus.

74 Not. tamen, id quod diximus, *procedere secundò*, sic intelligendum, ut non possit *reaccusare* accusatorem suum in pari, vel minori crimine, nisi suam, suorumque injuriam prosequatur. L. 1. & 6. Item L. *Neganda*. 19. C. de his, qui accusare non possunt. De majori autem crimine, potest accusatus, alium (saltem extraneum) reaccusare; quia majus crimen objicere licet, L. 1. & gloss. ibid. V. *graviora*. c. eodem: quia graviori crimini per minus non debet præjudicari, & hoc ante litem contestatam; non autem, postea. Sic Zoësius de accusationibus in ff. n. 13.

75 Hæc tamen regula (quòd pendentia accusationis præjudicet accusato *in quærendis*) limitatur 1. ut non procedat, si ex illa accusatione, vel denuntiatione, non sit orta infamia apud bonos, & graves viros, sed solùm viles, & malevolos, ne scilicet detur occasio malevolis, temerè bonos impediendi à promotionibus. Sic Garcia de beneficiis. p. 1. c. 8. n. 7. Limitatur 2. si accusatio non teneat, & non sit facta legitimè; quia nec sententia condemnatoria, etiam super crimine aliàs famoso imprimit infamiam, si sit nulla, vel ex defectu jurisdictionis, vel ex inordinato processu, vel sine causæ cognitione, vel negatâ audientiâ ipsi condemnato, ut dicitur c. *Inprimis*. Vers. *quia ergo*. 2. q. 1. Limitatur 3. si accusatio fiat solùm *civiliter* ad interesse; & non *criminaliter*, seu ad vindictam publicam. Sic Fagnanus cit. n. 15. quia accusatio etiam de crimine famoso non infamat, si fiat solùm civiliter. c. *Tuæ*. de Procurat. c. *Super his*. eodem. Nam accusatio civilis

non irrogat infamiam. Fagnan. in c. *non debet.* de Testib. n. 6.

76 Limitatur. 4. si accusatur Collegium. Hinc pendente accusatione potest aliquis de Collegio promoveri, nisi persona illa in accusatione sit specialiter nominata. c. *Tantis Daniel.* distinct. 81. Archid. in cit. c. n. 5. Limitatur 5. si crimen sit ex levioribus; quæ autem sint gravia, quæ leviora, vide apud Fagnan. in c. *Omnipotens.* n. 17. & ea referuntur c. *Unum Orarium. §. alias.* dist. 25. Limitatur 6. si crimen, quod aliàs infamem facit, sit occultum. Nam infamia legalis ex delicto nascitur; L. *Cognovimus.* ff. de variis & extraord. cognitionibus, sicut fama ex bonis moribus: neutrum autem eorum contingere potest sine publica rerum notitia. Covar. l. 3. Variar. c. 3. n. 2.

77 Ex his colliges, quòd accusati opinio gravetur quidem in acquirendo ex sola pendentia accusationis, non tamen cujuscunque, sed legitimæ, & criminalis, super crimine gravi, inurente accusato notam infamiæ apud viros graves, & bonos. Hinc fit, quòd, licet taliter accusatus, etiam ante sententiam, honores petere prohibeatur; secùs tamen sit post annum, si per ipsum non stetit, quò minus causa expediretur. L. *Reus.* ff. de muneribus, & honoribus, & notat Gloss. in c. *Tantis Daniel.* V. *obrepsit.* dist. 8. similiter Judex, licet infamis infamiâ facti, ex criminali accusatione pendente, non privatur exinde dignitate priùs obtentâ.

78 Cœterùm, licet accusationis pendentia præjudicet accusato *in acquirendo*, non præjudicat tamen *in acquisitis*, ut dictum est n. 72. Et ideo Notarius, accusatione pendente, potest conficere instrumenta, de quibus est rogatus. arg. L. *quodsi fortè. §. 1.* & L. *Reo criminis.* ff. de solutionibus, & notat Gloss. in c. *sepè.* V. *Rata manet.* de appellat. Ex quo fit, quòd accusatio superveniens non impediat jam promotum ab administratione, nisi sit suspectus de dilapidatione. Sic Fagnanus cit. n. 11. Secus est, si primò quis post infamiam promovendus esset. Hinc Sanch. l. 6. consil. moral. l. 6. c. 3. 2. d. 5. n. 10. censet, collationem beneficii, factam infami infamiâ juris, ipso jure nullam esse, ex c. *Infamibus.* de Reg. juris in 6. & c. *Cùm in cunctis.* de Elect. *§. Inferiora.*

79 Dubitatur tamen, an si accusatus, pendente accusatione promotus est, promotio teneat, si postea per sententiam pronuntietur innocens? R. cum Goffredo in c. *fin.* de Testib. promotionem tenere, si appareret esse accusatum per calumniam, nimirum animo, ut à promotione impediretur. L. *qui de libertate.* ff. de liberalib. causis: secus, si accusatio facta esset ex justa, & rationabili causa. L. *qui statu.* ff. de re militari, & L. *qui cum una. §. Reus*, eodem. Illud ad extremum nota, quòd literæ ad beneficia, non factâ mentione de pendentia inquisitionis, vel accusationis, & collatio inde secuta, non valeat, Ratio est ex n. 78.

Præter hunc accusationis effectum, qui 80
nascitur ex infamia per accusationem criminalem inductâ, alius quoque h. t. reperitur, qui est privatio officii, & beneficii, facienda in casu, quo Sacerdos in potatione pernoctavit, & totam noctem potando egit, postea verò manè Missam celebravit, ut dicitur c. *si constiterit.* 12. h. t. at hic effectus non est accusationis pendentis, sed plenè probatæ, ut patet ex textu ibi: *si de iis rationabiliter convictus fuerit in judicio ante Episcopum, vel sine coactione confessus fuerit.*

ARTICULUS V.

An accusationem necessariò debeat præcedere secreta monitio?

ALiqui negant; cùm accusatio non 81
ordinetur ad emendationem peccatoris, sed ad punitionem propter bonum commune. Sic Navarr. c. *Inter verba.* corol. 6. n. 640. alii affirmant, prærequiri eam in foro conscientiæ, ubi non est periculum in mora, & adest spes emendationis. Nam lex charitatis, ut minori damno, quo potest, damnis occurratur, jure naturali hoc postulat. Ita Sylvester. V. *Accusatio.* q. 3. Alii demum volunt, eam non prærequiri, ubi est præceptum de accusando; secus, ubi non est. Sic Cajetanus cit. apud Sanch. Consil. moral. l. 6. c. 2. dubio 27. n. 2.

Sanchez porrò cit. à n. 4. distinguit, & 82
affirmat, non requiri. 1. si quis accusaret solùm ad reparationem sui damni; vel, si crimen esset publicum, & judex præciperet tale crimen accusare, secus, si esset occultum, & non publicum, licet Reipublicæ pernitiosum, certissimâ tamen spe secururæ emendationis, si secreta monitio præmittatur, quia sic Reus nondum amisit possessionem honoris, & famæ; & malis, ut ponitur, satis cavetur.

Mihi videtur universaliter tenendum, 83
quo-

quoties moraliter certum est, præmissâ monitione secretâ, mala ex delicto occulto, non publico nascentia, sufficienter cavenda in futurum; & jam secutis, reparationem, quæ potest per judicem, à Reo commonito adhibendam, non licere accusare, eâ monitione non præmissâ: quia tunc homini habenti bonum nomen, & honorem, citra causam, utrumque læderetur, quod est contrarium juri naturæ. Dixi, *si est moraliter certum.* Nam quo crimen aliquod est Reipublicæ perniciosius, hoc gravius bonum commune obligat, illud, & nascentes inde pernicioso effectus caveri: consequenter, nisi sciens illud habeat quasi omnimodam moralem securitatem, quòd ex secreta monitione Reus desistet, & futura cavebit, præterita damna reparabit, non licebit ei, saltem à denuntiatione abstinere; quia sic bona Reipublicæ præponderant bono hominis privati.

84 Si quæras, quomodo procedendum sit contra criminosos contumaciter absentes? quid faciendum jure civili spectato, dicitur L. 1. ff. & L. 1. cum sequenti. C. *de requirendis Reis:* Spectato autem jure canonico, quoties lite contestatâ constat, vel constare potest de delicto, & sententia potest executioni mandari, contra criminosum contumaciter absentem procedi potest ad sententiam condemnatoriam. c. *Decernimus.* 3. q. 9. junctâ Gloss. in summa ibi: *Decernimus, ut si adesse neglexerit, dilationem sententiæ* (intellige, ferendæ ut notat Gloss. ibidem) *non lucretur, sed* (ut notat Gloss. in casu) *ferant sententiam in illum tanquam contumacem; quia per suam contumaciam videtur de omnibus confiteri, esto non omnia delicta probentur.* Verùm de hoc ex professo agitur lib. 2. Tit. 14. de dolo, & contumacia; ubi plura in hac materia resolvuntur, cujusmodi est, quòd Judex propter contumaciam Rei possit rem petitam sequestrare, & ipsum contumacem in expensis condemnare, ut dicitur ibidem c. 2. Item, quòd, actore contumace, testes recipi, & sententia ferri debeat, etiam lite non contestatâ, per c. 3. eodem &c.

ARTICULUS VI.

An in causis criminalibus admitti possit Procurator?

85 REsp. Spectato jure civili, non admitti, qui alieno nomine, & tanquam Procurator accuset; nisi accuset universitas. Tunc enim ejus Syndicus admittitur per L. 1. §. 1. ff. quod cujusque Universitatis. Alius enim modus non apparet, quo accusare posset, cùm non omnes convenire, & coram Judice comparere possint; & ideo etiam accusator per Syndicum respondere potest, ex eadem ratione. Ratio à priori est ex L. 13. §. 1. ff. de publicis judic. ibi: *ad crimen publici judicii persequendum frustra Procurator intervenit.* & L. 16. C. ad Legem Cornel. de falsis, ibi: *quamvis ita per Procuratorem accusationem persequi non potes,* & hoc propter inscriptionem tunc necessariam, ut dictum est n. 15. quæ tamen fuisset elusoria, si accusator aberat, & accusatio tendebat ad pœnam capitalem, vel corporis afflictivam, seu relegatione majorem, ut observat Andreas Gaill. l. de pace publ. c. 10.

Limitari tamen debet hæc regula, ut 86
procedat solùm, si agitur ad pœnam capitalem, & corporalem; secus, si agitur ad pœnam pecuniariam, vel similem; quia tunc executio pœnæ non fit in persona Rei. L. 1. ff. an per alium. 2. ut non procedat spectatis moribus hodiernis; nam hodie inscriptio ad pœnam talionis, *spectato jure civili,* cessavit, & accusator, si in accusando defecerit, solùm condemnatur ad sumptus, & mulctam pecuniariam. Quoniam autem in foro Ecclesiastico (ut testatur Jul. Clar. cit. q. 12. n. 18.) adhuc requiritur inscriptio, in hoc foro Procurator accusantis de jure non admittitur extra casum in limitatione positum.

Quæres an in causis criminalibus ad- 87
mittatur Procurator accusati? R. negativè. 1. ex jure canonico in c. *Veniens.* 15. h. t. ibi: *nec Procuratores ejus, in causa possemus recipere criminali;* deinde ex cit. l. 13. ibi: *frustra Procurator intervenit ad defendendum;* agitur autem ibi de casu, quo quis crimen persequitur in judicio publico; hoc autem intellige sic, ut in causis criminalibus Rei absentis procurator, seu defensor, *in merito ipsius causæ* non admittatur. Nam in cit. L. 13. apertè negatur, *Reo admitti defensorem,* & statim subjungitur: *sed excusationes absentium Judicibus allegari; & si justam rationem habeant, sententiam differri,* ex quo textu illud rectè intelligitur, quòd defensorem neget solùm *in merito causæ;* non in aliis, quæ sunt *extra.* Et ratio est, quia in criminalibus absens condemnari non potest L. 5. ff. de pœnis, nec etiam Procurator in sua persona, cùm innocens sit; ergo adesse debet ipse reus.

Sunt

88 Sunt tamen quædam limitationes, quibus rectè etiam in causis criminalibus, ad defendendum Reum absentem admittitur Procurator. 1. si agitur ad pœnam pecuniariam, vel similem, ut dictum est. 2. si ad solam pœnam relegationis. Gloss. in c. *Veniens* h. t. V. *Criminali.* 3. esto agatur ad pœnam capitalem, si Reus detineatur in carcere; quia tunc per ipsius absentiam, judicium, ac executio sententiæ eludi non potest, vel, si sit extra territorium Judicis. Bartol. in L. *penul. §. ad crimen.* ff. de publ. judic. 4. quando Reus principalis comparere non potest, vel impotentiâ facti (ut si accusetur tota Universitas) vel impotentiâ juris, ut si accusetur Monialis, quæ claustro egredi prohibetur. Abbas in c. *Veniens* n. 14. 5. quando comparet Procurator Tertii, qui solùm agit ad suum interesse. 6. quando Reus absens per Procuratorem solùm allegat causas absentiæ, vel opponit exceptiones declinatorias judicii v. g. quòd Judex sit suspectus; vel dilatorias v. g. petendo salvum conductum &c. & similia (quæ ante litis contestationem proponi solent) impedimenta facti, & juris, non attingentia meritum causæ, seu ipsum crimen. Et ideo Reus, in Judicio præsens, potest habere secum Procuratorem, qui pro eo sit in omnibus, quæ non tangunt ipsum crimen; ad hoc enim Reus personaliter respondere debet.

89 Neque dictio obstat L. 33. §. 1. ff. de Procurat. ubi dicitur: *utile esse, absentes à quibuscunquè defendi, & in capitalibus defensionem dari.* L. 3. C. de Accusat. *Reos capitalium criminum absentes, per Procuratorem defendi, leges publicorum judiciorum permittere.* Nam ad L. 33. R. id omnino fieri posse in his, quæ non sunt ad meritum ipsius causæ; hæc enim cit. L. 33. excepta sunt, & illa concessa: aliàs enim falsum esset, *in criminalibus frustra intervenire Procuratorem.* ad lib. 3. R. idem nimirum, qui defendat excusando absentiam juxta limitationes in n. præcedenti positas.

90 Not. præterea, quando dicitur in l. 41. ff. de Reg. jur. *Actori non licere, quod non permittitur Reo, sed pari jure gaudere debere:* (ex quo aliqui inferunt: ergo cùm hodie accusanti liceat agere per Procuratorem, licebit accusato) prædictam regulam procedere de casu, in quo par est utriusque ratio; certum autem est, quod non in omnibus sit actoris, & Rei par ratio in criminalibus. Nam olim actor cogebatur inscribere; non Reus; 2. in decisione causæ, actore non probante, Reus absolvitur; Actor pœnâ calùmniæ plectitur; Reo absente sententia condemnatoria ad pœnam corporalem eluforia redditur &c. de quibus videri potest Gail. l. 1. observat. 22. n. 4.

Not. 2. quando L. 18. ff. de appellat. 91
admittitur, *Dominum posse provocare pro servo, ad bestias condemnato*, esse casum particularem, ex quo judicium non evadebat eluforium; servus enim vinctus tenebatur; & admissâ appellationis prosecutione, nihil ominus sententia, à qua fuit appellatum, à Judicio appellationis comprobata, executioni mandari poterat: sic Barbos. in cit. c. *Veniens.* n. 7. quod ibidem Farinacius consil. 35. n. 6. extendit ad Patrem, & Maritum pro filio, & uxore.

Not. 3. si tamen Procurator admissus 92
fuit in casibus, quibus de jure non debet, parte nihil opponente, ex hoc capite processum, cum eo factum, non esse nullum, sic Barbos. cit. cum Gomez, Perez, Claro, Menochio, & aliis ibidem relatis. n. 4. quia, ubi pars nihil opponit, præsumitur juri suo cedere, in ejus favorem condito.

ARTICULUS VII.

Quando, & quomodo finiatur accusatio criminalis?

RESP. 1. cùm omnis accusatio crimina- 93
lis lapsu 20. annorum à die commissi criminis regulariter tollatur, juxta L. *querelam.* 12. C. ad Legem Corneliam, de falsis; eam tolli tanti temporis præscriptione, quando crimen ex iis est, quod patratum transit, ac non perseverat, cujus rationem reddit Zoësius L. 48. ff. tit. 2. de accusat. n. 29. quia, qui tanto tempore à crimine abstinuit, videtur potius impetu, ignorantiâ, & infirmitate, cæterisquè similibus crimen minuentibus, peccâsse, quàm dolo & peccandi consuetudine. Nam anteriora, per ea, quæ sequuntur, plurimùm declarantur. Dixi, *regulariter:* non ideo, quasi quædam sint crimina, quorum accusatio semper duret; sed quorum accusatio etiam minori tempore præscribatur. Nam injuriarum actio quinquennio finitur per L. 5. C. de Injur. Dixi, *quod patratum perseverat.* Si enim delictum est successivum, & permanens (qualiter eveniret, si

quis

quis in mattimonio nullo, vel apostasia à vera fide, persisteret) præscriptioni, contra talis criminis accusationem, locus non esset. Ita Zoësius cit. n. 28.

94 Ex hoc coll. 1. quando L. 13. ad S. C. Silan. dicitur, *parricidium semper accusari posse*, intelligi, nimirum etiam elapso quinquennio, de quo eadem lex antecedenter locuta est; vel intra vicennium, juxta cit. L. 12. Ea verò quæ dicuntur L. *qui falsum.* 19. ad legem Cornel. de falsis (ubi habetur, *accusationem suppositi partûs nullâ temporis præscriptione depelli*) sunt intelligenda pro casu particulari partûs verè suppositi, quod cognitum removet etiam ab hæreditate; sic enim suppositio in effectu tractum temporis habet successivum, & permanentem.

95 R. 2. Per mortem accusatoris ante latam sententiam condemnatoriam, extingui accusationem criminalem, ex l. *libellorum.* 3. ff. de accusat. ibi: *si accusator decesserit, nomen Rei aboletur, postulante Reo.* Notandum tamen per hoc non impediri Judicem, quò minùs ex officio accusationem prosequatur, & ad finem perducat. L. *penult.* ff. de publ. Judic. ibi: *Accusatore defuncto, res ab alio, judicante Præside Provinciæ, peragi potest.*

96 R. 3. morte accusati extingui accusationem criminalem, & pœnam ejus, ex L. *defuncto.* 6. ff. de publ. Judic. ibi: *defuncto eo, qui Reus fuit criminis, & pœna extincta est*, L. 3. C. Si Reus, vel accusator, ibi: *frustra ob pœnam desertæ accusationis conveniris, cùm morte ejus* (nimirum accusati) *crimen cum pœna sit extinctum:* sic enim deficit is, in quem tendit accusatio ad pœnam publicam. Ex quo sequitur nec pœnam (intellige corporalem) ab hæredibus defuncti exigi posse; quod verum est, etiam in casu, quo criminaliter agitur, ad confiscationem bonorum, vel pecuniariam fisco applicandam, licet lis contestata fuerit. per L. *Ex Judicior.* 20. ff. de accusat. ibi: *Ex judiciorum publicorum admissis, non aliàs, transeunt adversus hæredes pœnæ bonorum ademptionis, quàm si lis contestata, & condemnatio fuerit secuta: excepto repetundarum, & majestatis judicio, quæ etiam mortuis Reis, cum quibus nihil actum est, adhuc exerceri placuit, ut bona eorum fisco adjudicentur, adeo, ut ex bonis suis, quod ex his causis crimen contraxit, nihil alienare, aut manumittere possit. In cæteris verò delictis pœna incipere ita demum ab hærede potest, si vivo Reo accusatio mota est, licet non fuerit condemnatio secuta.* Ita L. *ex Judiciorum*: modò tamen lis fuerit contestata; quia tunc principalis actio non tam ex delicto, quàm ex quasi contractu (qui videtur in litis contestatione intervenire) nascitur.

ARTICULUS VIII.

De Inquisitionibus.

97 *Inquisitio* in genere est investigatio alicujus criminis, vel criminosi, legitimè facta, à Judice competente; seu, ut loquitur Farinacius tom. 1. praxis criminal. de inquisit. q. 1. n. 2. est informatio delicti, Judicis officio, vel authoritate facta. Nam *inquirere*, est informationem capere. Ex hoc colliges, quòd inquisitio formaliter consistat in primo actu, quo Judex contra Reum procedit; nimirum, cùm assumit informationem de delicto; non autem in informationis acceptæ transmissione ad Reum, & subsequentibus actibus; quibus positis:

98 Quæres 1. Quotuplex sit inquisitio. R. etsi alii cum Sanchez l. 6. consil. moral. c. 3. D. 16. dicant, esse duplicem, *generalem*, & *specialem*: alios tamen docere esse triplicem. Primam dicunt *simpliciter generalem*, seu *generalissimam*, cùm neque personâ, nec delicto expresso investigatur, an non in tali loco, vel communitate, sint facinorosi? & hæc fit ex mero Judicis officio, nullo accusante, vel denuntiante. c. *Grave.* de præbendis. c. *sicut olim* 25. h. t. & L. *congruit.* 13. ff. de offic. Præsid. Alteram *generalem* (quam etiam vocant *mixtam*) cum constat de delicto, sed investigatur ejus author; quo casu est generalis de persona, sed specialis de delicto; vel constat de authore, seu homine facinoroso, sed investigantur ejus delicta, ubi respectu delicti est generalis, respectu personæ specialis. Tertiam *simpliciter specialem*, quando de certo, & determinato delicto, contra certam, & determinatam personam investigatio instituitur; & de hac in præsenti potissimùm agemus. Primam tamen, & secundam, authores primæ sententiæ comprehendunt uno nomine *Inquisitionis generalis.*

99 Quæres 2. quot modis fiat inquisitio? R. quòd tribus: Nam informatio criminis capi potest 1. ex mero officio Judicis, scilicet nullo accusante, denuntiante, vel querulante, adeoque motu proprio, propter obli-

obligationem, quam ex officio habet, provinciam sibi commissam servandi liberam à criminibus, & hominibus criminosis. 2. ad querelam alicujus, quin ipse velit stare in judicio tanquam accusator, sed eâ propositâ, Judice ex officio suo ad testes, & informationes procedente. 3. ad denuntiationem alicujus publici officialis, qui ad denuntianda delicta deputatus est. Notandum autem, quando dicimus, Judicem posse ad inquisitionem procedere ad querelam, seu accusationem alteriùs (legitimi nimirum accusatoris) intelligi non tantùm *ad querelam hominis*. Nam præter hominem, cujus proprium est accusare, quatuor sunt, vicem accusatoris habentia; sic D. Thomas 2. 2. q. 67. a. 3. ad 2. nimirum 1. notorietas criminis, ex c. *Evidentia*, de accusat. & c. *Manifesta* 2. q. 1. deinde infamia delicti. 3. denuntiatio canonica, quæ fit ad evitanda damna, qualis est ea, quæ fit inquisitoribus. 4. cùm proceditur viâ correctionis fraternæ, si Reus correctus fiat rebellis. Tunc enim rebellio subit vicem accusatoris. Sic S. Thomas cit. apud P. Thom. Sanch. consil. moral. l. 6. c. 1. d. 20. n. 5. V. infra n.

100 Quæres 3. propter quem finem inquisitio fieri possit? R. posse fieri ob triplicem finem. 1. ad puniendum Reum propter bonum publicum; 2. ad impedienda mala cœteroquin secutura. 3. ad impediendum, ne indigni eligantur, vel promoveantur. v. g. ad ordines, dignitates &c. Ita Sylvester V. *Inquisitio*. §. 1. Sotus, de sigillo, membr. 2. q. 6. vel etiam in malo perseverent. Ex quibus colligitur jus inquirendi, extra prædictos fines, porrigi ad actus, ad quos se non extendit; consequenter ejusmodi inquisitiones non modò illicitas, sed etiam invalidas esse; nimirum destitutas omni jure, tam reddente tales actus inquirendi licitos; quàm juris favore, tribuentis valorem in ordine ad effectus, quos cœteroquin parit inquisitio legitima.

101 Quæres 4. quis possit juridicè inquirere? loquimur de inquisitione criminali ad vindictam publicam, quæ requiritur ad conservandam Reipublicæ salutem. Nam ea, quæ non tendit ad hunc finem, fieri potest etiam à quolibet superiore legitimo respectu subditi ad correctionem, vel etiam satisfactionem partis læsæ; quo posito R. quòd quilibet Judex, sive secularis, sive Ecclesiasticus possit inquirere, modò sit Judex competens, qui merum imperium habet, sive jus gladii, & potestatem causas criminales cognoscendi. Constat ex toto tit. C. si à non competente Judice, & c. *Irrefragabili*. 13. de offic. ordin. Ex quo colliges, quòd non cuilibet judici competat jus inquirendi *criminaliter*; cùm non quilibet habeat jus gladii, & potestatem causas criminales cognoscendi. Sylvester. V. *Inquisitio*. 1. n. 2. q. 1. intellige *per se*, & *directè*. Nam incidenter secus fieri potest propter connexionem.

Notandum autem 1. quòd potestas ju- 102
dicis *juridicè* inquirentis non extendat se ad elicienda occulta, de quibus nulla est publica fama; constat ex c. *qualiter*. 17. h. t. ibi: *exceptis criminibus occultis*. Ratio est, quòd occulta solius Dei judicio relinquantur. c. *consuluisti*. Vers. *spontanea*. 2. q. 5. Nam *latentia delicta vindictam non habent*. c. *Christiana*. 32. q. 5. hoc est, humano judicio non subjiciuntur, ut notat Gloss. *margin*. in eodem. V. *occultum*; hinc subditi, qui in generali inquisitione interrogantur, etiam sub juramento, non tenentur manifestare delicta illorum, qui nullâ laborant infamiâ; quia mens interrogantis solùm est, inquirere de aliis *publicis*; sic Less. l. 2. Just. c. 29. n. 109. Imò nec justè subditos interrogare potest de talibus delictis, quæ probari non possunt in judicio, consequenter nec puniri; quia sic manifestatio tenderet solùm ad injustam infamationem, sic Less. cit. Excipe 1. nisi aliter non posset obtineri emendatio criminosi occulti. 2. nisi aliter non posset caveri grave damnum publicum, vel privatum alterius, bonæ famæ illius multùm præponderans V. dicenda in seqq.

Not. 2. Reum nullo modo teneri se 103
prodere ad mandata publica, & edicta generalia Judicum. Judex enim non potest procedere contra peccatum *omnino* occultum, quia hæc divino judicio reservantur, ut notatum est n. præced. quod verum est, licet delictum, vel effectus sit publicus, si peccatum (nimirum actio *prout est hujus hominis*) sit omnino occultum (*occultum* autem *propriè* dicitur, quod nullâ ratione probari potest, c. *Uniço*. Ut beneficia Ecclesiastica) Nam Reus potest ipse se corrigere, & ad obviandum scandalo judex satisfacit, si generalissimè inquirat. Et ideo monet S. Chrysostomus relatus in c. *quis aliquando*, de pœnit. dist. 1. ibi: *non tibi dico, ut te prodas*. Unde si crimen reliquit effectum (v. g. damnum tertii) satisfacere potest, & tenetur, esto se non prodat. Ita Navarr. c. 25. in

utraque

utraque summa. n. 37. Armilla. V. *Inquisitio* n. 10. Hinc quando in c. *quidam malignè. 5.* q. 1. excommunicatur, qui libellum famosum ediderit in publicum, *nisi se prodat*; intelligendum est, *nisi fama læsa sic reparanda sit*, ut notat Sanch. l. 6. consil. moral. c. 3. d. 28. n. 8.

104 Not. 3. dupliciter fieri posse, quòd judex Reum de admisso crimine interroget. 1. *juridicè*. 2. *non juridicè*. quando judex procedit *viâ tantùm accusationis*, tunc *solùm* juridicè interrogat (interrogatione nimirum ipsi jure concessa, & Reum ad veritatem detegendam obligante) quando interrogat *præcedente semiplenâ probatione*; *vel indiciis manifestis*; si autem tantùm *viâ inquisitionis*, vel *canonicæ denuntiationis*, juridicè interrogat, quando interrogat *præcedente infamiâ delicti per duos testes probata*, ut dicemus in sequentibus. Ita Sanch. l. 6. consil. moral. c. 3. d. 29. n. 9. Ex hoc patet in præcedenti casu, quando judex per edictum publicum præcipit, ut Reus se prodat de delicto omnino occulto, judicem non interrogare, ac petere *juridicè*.

105 Quæres 5. contra quem inquisitio institui seu fieri possit? R. Reum, contra quem inquiritur, oportere esse subjectum judici, seu jurisdictioni inquirentis; ita Sylv. cit. q. 3. dicto 1. n. 5. aliàs enim inquirens non est competens, & inquisitio est invalida, ut constat ex c. *irrefragabili*. 13. de offic. ord. & in C. toto tit. si à non compet. jud. intellige, *saltem* quoad illum articulum, de quo inquiritur. Ex hoc sequitur, quòd inquisitio facta à judice seculari contra personas Ecclesiasticas sit nulla; quia Clerici, coram judice seculari nec civiliter, nec criminaliter conveniri possunt, ut habetur in c. *Clerici* 8. & c. *Cùm non ab homine*. 10. de judic. item c. 2. de foro competente, & tenet Farinacius in praxi crimin. v. l. 1. tit. 1. q. 1. n. 55.

Quæres 6. an in omnibus delictis possit
106 inquisitio fieri? R. olim, de jure civili, non potuisse judicem inquirere ex officio, super delictis, nemine denuntiante, vel querelam deponente; quia *querela* erat remedium ordinarium; *inquisitio*, remedium extraordinarium: hodie tamen facta est medium ordinarium, etiam in foro seculari, ut testatur Fagnanus in c. *qualiter*, & *quando*. h. t. n. 19. & ideo non est in usu hodie, ut judex ad inquisitionem non procedat, nisi interveniente querelâ, sic Haunold. tom. 6. tr. 3. n. 89. Jure autem canonico semper tale erat. c. *Cùm dilecti*, de sententia excommunicationis. Et ideo de jure canonico, propter utilitatem publicam, potest de omni delicto inquiri, sed juxta qualitatem inquisitionis, ut dicemus in sequentibus. Cœterùm quando agitur de privato alicujus commodo, nec in jure canonico, nec civili, judex inquirere potest ex officio *nobili*. Nam quæ in judicio aguntur (intellige causâ privati commodi) ad partis instantiam agenda sunt, juxta L. *qui semel*. ff. de judic. & ubi quis. Excipitur tamen casus, quando inquiritur ad utilitatem pupilli, contra Tutorem suspectum. 2. contra publicos vectigalium exactores, ne tributis vexent. 3. cùm quæritur, an hic sit idoneus, cui committatur Tutoris officium; ita Sylvester. V. *Inquisitio*. 1. q. 2. Nam hoc postulat ratio boni communis.

Quæres 7. an inquisitio, simpliciter 107
generalis fieri possit nullâ præcedente infamiâ, vel indicio criminis? R. Judicem, vel Prælatum, in hoc casu licitè inquirere ex mero officio, *an sciant aliquod delictum*, vel *criminosum*, de quibus possint secundùm jus denuntiare, vel testificari. Constat hoc ex communi praxi Ordinariorum, & Superiorum, quando diœcesin, vel provinciam sibi subditam visitant; & habetur in c. *Placuit*, c. *Relata* 1. q. 1. c. 1. de offic. ordin. c. *sicut olim*. 25. h. t. L. *congruit*. 13. ff. de offic. jud. Advertendum autem, hoc solùm procedere in casu, quo inquisitio fit *generaliter* tam de delictis, quàm de personis. Nam ex sequentibus patebit, quid dicendum in casu, quo inquisitio est *generalis de crimine*; *specialis de persona*: vel econtra. Quare notandum, officium judicis vulgò distingui in *nobile*, ac *mercenarium*. Illud in jure vocatur etiam *auxilium*, seu *merum officium* Prætoris, ac est, quod exigente salute publicâ, proprio motu sine instantia actoris interponit. L. *congruit*. 13. ff. de offic. Præsid. & hoc fit, quando inquisitio est simpliciter generalis, etiam nullo querulante, nec infamiâ præcedente; istud autem est, cùm servire debet actioni, & tunc se non extendit ultra petita actoris. L. *ut fundus*. 18. ff. commun. divid. quod contingit ad alicujus querelam, vel repetitâ delicti famâ ad aures judicis delatâ; hæc enim supplet vices querelæ juxta n. 99. Ex hoc colliges, illam regulam (*ubi nullus actor nullus judex*) sic accipiendam, ut sensus sit, *ubi merum interesse privatum vertitur*, ibi *judicem ex*

officio nihil agere posse; ubi autem aliqua boni publici ratio concurrit, ibi Judicem ex officio nobili procedere debere. Ita Stryckius in 4. Instit. Tit. 17. de offic. Judic.

ARTICULUS IX.

An inquisitio simpliciter specialis, fieri possit juridicè, nulla præcedente infamiâ?

108 REsp. negativè; Constat apertè ex c. *qualiter & quando*, 17. h. t. ubi expressè habetur, quòd *nullus superior* contra subditum per inquisitionem (intellige *specialem*, quoad determinatam personam) juridicè procedere possit, *nisi per clamorem, & famam ejus excessus ad aures superioris pervenerit, non quidem à malevolis, & maledicis, sed à providis, & honestis, nec semel tantùm, sed sæpè.* Et hoc non aliter fieri debere, *manifestè* probari ex veteri, & novo testamento. Sic Alexander 3. in cit. c. 17. constat 2. ex c. *qualiter*, & *quando*. 24. h. t. ubi idem repetitur, & statuitur, ad corrigendos subditorum excessus, Prælatum per inquisitionem *specialem* non debere procedere, clamosâ insinuatione non præcedente, *ne fortè per leve compendium, ad grave dispendium perveniatur.* Constat. 3. ex c. *Cùm oporteat* 19. de accusationibus. ibi: *mandamus, nisi super iis, quæ nobis sunt proposita contra ipsum, famam ipsius læsam esse noveritis, vos ad inquisitionem illorum non subitò procedatis.* Ubi gloss. V. *famam*, ait, requiri *infamiam* ad inquisitionem; idem asseritur in c. *Inquisitionis* 21. eodem; imò ibidem additur, quòd, *etiamsi duo, vel plures jurati affirment*, aliquem ipsis videntibus commisisse crimen, *si infamia non sit*, nullam pœnam ei infligendam, nec Judicem contra illum *ex hoc* posse procedere viâ specialis inquisitionis; quia *paucorum depositiones non infamant.* Et ideo nec ad petitionem eorum, qui clàm schedulas, seu libellos porrigunt ad alicujus infamationem, fieri potest inquisitio specialis; quia tales schedulæ non infamant. c. *inquisitionis* h. t. nisi petat, ut statuto illis termino, probent, quæ in schedulis continentur c. *qui clam.* 5. q. 1. & L. *diffamari.* ff. de ingenuis manumissis.

109 Ex dictis colliges. 1. nec inquisitionem simpliciter specialem, nec specialem de persona, licet generaliter solùm inquiratur de delicto, & fine procedendi ad vindictam publicam, fieri posse, non præcedente infamiâ, ex mero Judicis nobili officio. Ratio clara est ex dictis à n. præced. secùs est, cùm generaliter inquiritur de persona in casu, quo de delicto constat, ignorato authore. Nam sic vicem accusatoris habet notoreitas facti, & inquisitio tali casu fit exigente bono communi, ne tanta delicta impunè transeant; adeoquè inquisitio fit *quoad personam solùm generaliter.*

Colliges 2. quando in inquisitione 110
speciali quoad personam non intenditur vindicta publica inquisiti, sed solum evitatio erroris, vel damni (v. g. ne indignus promoveatur, ne inhabiles contrahant) non prærequiri infamiam, ut licitè inquiratur, ut habetur in c. *Cùm in multis.* c, *cùm dilectus*, de Elect. c. *fin.* de Clandest. depons. hinc fit, quòd etsi contra jam *promotum* non possit procedi absque infamiâ (ut mox dicemus) possit tamen contra *promovendum*; sic enim inquisitio non est criminalis.

Colliges 3. ut contra Prælatum jam 111
promotum procedatur v. g. *ad depositionem*, prærequiri non *qualemcunquè* infamiam; sed *tantam*, ut sine scandalo tolerari non possit; ut, cùm infamatus est de incontinentia, hæresi, dilapidatione bonorum Ecclesiæ, ut expressè habetur in c. *qualiter*, & *quando* 24. h. t. Colliges 4. ad procedendum per inquisitionem specialem *de persona* ad vindictam publicam, non sufficere indicia criminis. Nam ad procedendum viâ inquisitionis non sufficiunt duo, vel tres testes, qui dicant, se videntibus commissum crimen, ut constat ex n. 108. quia hi necdum infamant; certum autem est, quòd horùm depositio plus sit in judicio, quàm indicia; ea enim sufficit ad procendum viâ accusationis.

Colliges 5. inquisitionem specialem de 112
persona fieri posse, usque alia infamia præcedente, quando inquirendus proprium crimen fassus est, quod tamen sic intellige, ut procedat: *si confessio fuit judicialis.* Nam sic facit *notorium*, quod aliam infamiam non exigit (ut dicemus infra) ut per inquisitionem specialem de tali persona Prælatus procedat; non autem, *si foret extra judicialis*, nisi facta coram multis, unde orta sit infamia. Ratio sumitur ex n. 108. Ex hoc colliges. 6. si subditus coram uno, vel duobus, aut etiam coram ipso Prælato, lapsu linguæ, vel alio modo, extra judicium confiteretur suum delictum; vel superior

aperi-

aperiret literas, in quibus subditus suum crimen fateretur, non propterea licere illi procedere ad inquisitionem specialem de tali persona, quia necdum super tali crimine laborat *infamiâ*. Colliges 7. Judici non licere *ex* mero, seu *nobili officio* procedere ad inquisitionem specialem personæ, non præcedente infamiâ *ejus*; ratio sumitur ex claro jure in n. 108. Quare si tali casu, vel subditum, vel alios interrogaret super crimine talis personæ, procederet *non juridicè*, nullusque teneretur aut se, aut alium prodere ex dictis à n. 103. nisi casus foret exceptus, de quo loc. cit.

113 Colliges 8. Judicem, postquam in inquisitione simpliciter generali reperit, esse aliqua crimina, vel criminosos in particulari, necdum posse specialiter inquirere de tali persona, nisi jam laboret infamiâ; ita Sotus Membro. 2. de secreto. q. 6. casu. 5. quia revera talis exceptio (à generali regula in n. 108.) nullo jure probatur, quæ principaliter bono alienæ famæ consulit, gravissimè tamen lædendæ, per ejusmodi inquisitiones meri officii. Si tamen Prælatus in inquisitione generali reperiretur flagitiosus, ut sine scandalo, & periculo mali regiminis tolerari non posset, boni communis ratio exigeret specialem inquisitionem ad privandum suo munere.

114 Colliges 9. etiamsi in inquisitione speciali de *uno* crimine, *aliud* detegatur, de quo inquisitus nondum sit infamatus, non propterea posse contra illum inquiri super illo specialiter. Nam, ut constat ex n. 108. jure Ecclesiastico expresè cautum est, ne inquisitio fiat de criminibus, quæ infamiâ non laborant. Nec obstat, quod L. *Quod evitandi.* C. de condit. ob turpem causam; & L. *penult.* C. si adversus libert. dicatur: quod, *si Judex inquirens de debito pecuniario, inveniat aliud delictum, punire debeat.* Nam hoc procedit, si inveniat *juxta modum* à sacris canonibus concessum; hic enim agitur de materia, quæ concernit evitationem peccati, in qua sequendum est jus Ecclesiasticum, cujus est directè quærere salutem animarum remotione peccatorum. Colliges 10. quando Judex procedit ad denuntiationem officialis publici, de crimine notorio, & famoso, non prærequiri ad inquirendum specialiter de illo infamiam. Nam ea, *quæ per officialem publicum denuntiantur, citra solemnitatem juris cognoscuntur.* L. *Ea quidem.* C. de accusat. intellige, quando aliàs publica sunt, & notoria.

Colliges 11. quando crimina sunt *in* 115
fieri, & damnum alterius privati, vel à fortiori, boni communis, pendet in futurum, Judicem absque illius infamia posse specialiter inquirere contra personam, undecunque illam noverit, propter indicia, & suspiciones, quia sic jus naturale favet innocenti, & exigit, ut ejus impendenti damno caveatur; præsertim, cùm infamia requiratur potissimùm, ne inquisiti fama inquisitione criminis præteriti, & jam facti lædatur; ita Sotus casu ultimo. Talia sunt *falsum testimonium in judicio, falsis instrumentis uti, calumnia in judicio, iniqua tutela* &c.

Colliges 12. similiter inquiri posse 116
specialiter contra personam, non præcedente infamiâ, quando crimina sunt valde atrocia, ut læsæ Majestatis in personam; proditio Patriæ &c. nam eo casu jus naturæ solennitati legum præferendum est. Idem procedit, ubi *lex* aliquem suspectum habet v. g. famulum domûs, cujus dominus domi suæ reperitur occisus. L. 1. §. *Occisorum.* ff. de Silan. *nautas* navis, quæ submersa est. L. *quoties.* C. de *naufragis* &c. Ex dictis sequitur, inquisitionem specialem contra certam personam nunquam fieri licitè, non præcedente infamia super delicto, & persona, de quo contra illam inquiritur, exceptis casibus à n. 114. relatis; intellige autem de inquisitione ex mero officio, ubi non proceditur, nisi viâ meræ inquisitionis; non autem, ubi ad querelam, vel denuntiationem, his positis:

Quæres 1. quæ præscripta sint in c. 117
Qualiter, & quando pro inquisitione? Ea tradit Pirhing h. t. a n. 55. ex c. *qualiter.* 24. h. t. & sunt sequentia. 1. ut is, contra quem specialiter inquiritur, sit præsens, nisi per contumaciam se absentet, 2. ut ei exponantur capitula, de quibus inquiretur, ut possit se defendere. 3. ut ei non tantùm *dicta*, sed etiam *nomina testium* aperiantur. 4. ut inquisitus prius, quàm testes, interrogetur de veritate. 5. ut inquisitio fiat in loco, ubi reus habet infamiam. 6. ut Judex ad inquisitionem specialem circa personam non procedat ex mero officio, non præcedente infamiâ personæ. Requiritur ergo 1. *ut sit præsens*; ne scilicet condemnetur inauditus, quòd etiam faciunt ea, quæ diximus n. 79. deinde, *ut ei exponantur puncta*

cta inquirenda, *nomina testium* &c. nimirum, ut possit se defendere, exceptiones contra testes opponere &c. 3. *ut priùs interrogetur* inquirendus *de veritate*, *quàm testes*. Nam si ipse veritatem fatetur, testibus opus non est. Gloss. in cit. c. 24. V. *redde rationem*; & pœna mitior imponitur. c. *Innotuit*. 20. §. *Multa*, de Elect. 4. *ut inquisitio fiat in loco ubi Reus laborat infamiâ*; nam ibi meliùs informatio capi potest, ubi malâ famâ notatus est, præsertim, cùm quis in uno, non tamen in altero loco, infamatus esse possit. c. 3. de Elect. c. *Quosdam* 3. cum sequentibus de Præsumpt. 6. requisitum est, *ut sit notatus infamiâ super tali crimine*, de quo inquiritur, ex n. 108.

118 Circa hoc postremum not. 1. non sufficere in hoc casu malam de illo famam, sumptam pro varia voce vulgi, & rumore in populo, carente certis auctoribus, & argumentis fide dignis. Ratio est ex n. 108. Not. 2. nec sufficere malam famam de homine, sumptam pro ea, quæ pro privato commodo, ad effectum probandi suam injustam intentionem adversus alteram, excogitata est. Ratio est ex eodem num. Not. 3. requiri, quòd ea fama ducat originem à viris probis, honestis, intelligentibus, fide dignis, non interessatis, & procedentibus ex ratione probabili, seu prudenter approbabili, & sic fama, seu infamia in hoc loco accipitur, cùm jura inhibent inquisitionem specialem de persona non præcedente infamiâ, constat ex dictis à n. 108. Not. 4. quòd sola mala fama *de homine* nec in civilibus, nec in criminalibus faciat plenam probationem, licet orta sit à personis fide dignis, & gravibus; & hoc in utroque jure, l. 3. ff. de Testibus. §. *ejusdem*. junctâ gloss. ibidem; & c. *si testis*. §. *sæpe etiam*. 4. q. 3. junctâ gloss. ibid. ita Farinacius l. 1. praxis crimin. c. 5. q. 47. a. n. 3. Jul. Clar. in Pract. §. *fin*. q. 21. V. *sola fama*; cùm in re possit esse falsa.

119 Hanc opinionem citati authores judicant in praxi sequendam à justo judice adeò, ut *sola fama* nec faciat indicium sufficiens ad torturam, nisi crimen sit occultum, & difficilis probationis; tunc enim fama, si vehemens sit, & legitimè probata, torturæ sufficiens indicium præbet, ut vult Farinacius cit. n. 28. Ne tamen Judex, juris imperitus, frequenter solis consiliariis pariter imperitis, aut Notario instructus, se *in anima*, proximum autem *in bonis animi*, *& corporis*, graviter lædat, non nisi de consilio virorum juris apprimè peritorum ex sola fama ad torturam procedet; cùm *in re criminali* non planè liquida, *minus sit*, *deficere per clementiam*, *quàm excedere per justitiam*, & vindictam publicam; ita illi. Dixi, *sola fama*. Nam si ea sit legitimè probata, in civilibus, & ubi non requiruntur probationes liquidò convenientes (prout in *criminalibus*) accedente uno teste de visu, qui sit omni exceptione major, plenè probat; cùm in his fama legitimè probata semiplenè probet, ut notat Felinus in c. *Veniens*. de Testibus. n. 11. non tamen in *criminalibus*; nam in his fama etiam probata, cum uno solùm teste de visu, etiam omni exceptione majori, non facit probationem luce meridianâ clariorem.

Not. 5. quòd, ut judex ad inquiren- 120
dum specialiter contra certam personam procedat ex mero officio, non sufficiat fama prævia, initium ducens etiam à probis, & honestis viris, ad ipsum delata; sed requiri, ad ipsum delatam esse *sæpè*, cum insinuatione clamorosa, ut habetur c. 17. & 24. h. t. superiùs n. 108. relato; & priùs, quàm ad inquirendum procedat, duobus saltem testibus receptis probet, quòd suam inquisitionem præcesserit requisita fama criminis; sic Julius Clar. cit. q. 6. n. 12. & alii. Not. 6. cùm dicimus inquisitionem specialem non præcedente infamiâ esse nullam, & invalidam, locum habere non tantùm, ubi inquirit Judex delegatus, sed etiam *ordinarius*, ita, ut neque hic specialiter inquirere possit de persona particulari non præcedente ejus infamiâ, ut constat ex n. 108. sive procedat inquirendo ad denuntiationem voluntariam, ut apertè dicitur in c. *Inquisitionis*, de quo ibid. sive ex mero officio, ut habetur loco cit.

Not. 7. inquisitionem specialem, factam 121
invalidè, nimirum non præcedente infamiâ Rei, non revalidari, licet postea producantur testes, qui plenè probent delictum, de quo ante infamatus non fuit inquisitus; quia tractu temporis, seu intervallo, non sanatur vitiosum initium per Reg. 29. ff. de Regul. jur. Not. 8. in judicio inquisitionis Judicem non posse tenere locum actoris, seu accusatoris. c. *Totus*. 10. de verb. signific. & habetur c. 1. & 2. 4. q. 4. Ideo etiam in c. *qualiter*, requiritur *fama denuntians*, & *clamor deferens*.

Not. 9. quæ à n. 117. præscripta dixi- 122
mus

mus in c. *qualiter*, observanda esse non tantùm in casu, quo contra subditos, non Prælatos, specialiter inquiritur, sed à fortiori, quando contra Prælatum, ut dicitur in cit. c. *qualiter*; & ideo ad specialiter procedendum contra istos, non sufficit qualiscunque infamia, sed debet esse talis, ut sine scandalo tolerari non possint, ut dictum est ibid. Not. 10. modum procedendi per inquisitionem præscriptum in c. *qualiter* 24. §. *debet*, non esse servandum ex obligatione in *omni* inquisitione. Nam 1. non servatur in inquisitione simpliciter generali, seu generalissima, ubi fit inquisitio tam in capite, quàm in membris alicujus Ecclesiæ, civitatis, Provinciæ &c. ut dictum est n. 107. Secundò nec in casu, quo fit inquisitio specialis de certa persona non ad puniendum, sed ne ad certa munia, dignitates, vel actus celebrandos indignus, aut inhabilis admittatur. 3. nec in casu quo fit ad pœnam ad denuntiationem ejus, qui ad hoc ex officio tenetur, huic enim nisi notorium denuntiet, non creditur; in notoriis autem ipsa notoreitas delicti vicem accusatoris habet, ex n. 99.

123 Solùm igitur in casu, quo inquisitio specialis, vel ex mero officio, vel ad denuntiationem alterius *voluntariam* (qui scilicet non tenetur ex officio) fit contra certam personam ad pœnam publicam, modus procedendi præscriptus in c. 24. §. *debet*. h. t. ex obligatione observandus est, sive inquisitio fiat contra Prælatum, sive contra subditum non regularem, ut constat ex cit. §. *debet*. Ita Sanch. l. 6. consil. moral. c. 3. d. 41. n. 1. Dixi *non Regularem*, si enim inquisitio fit contra *Regularem*, solùm ad correctionem, vel pœnam regulæ, servandus est modus procedendi præscriptus in particularibus Religionum constitutionibus; in pœna tamen publica, v. g. remotione Abbatis, vel Prioris conventualis ab administratione, vel officio, servandum erit, c. *qualiter*. 24. ut ibidem habetur.

124 Et ideo Sanch. cit. c. 8. d. 1. n. 3. ait omnino tenendum, ad inquisitionem specialem, etiam à superiore Regulari, ad pœnam publicam (qualis est depositio, incarceratio, ut notat idem. c. 3. d. 25. n. 4.) faciendam de delicto gravi contra Religiosum in particulari, eodem modo prærequiri infamiam; quia textus in c. *qualiter*. 24. c. *Inquisitionis*. c. *cùm oporteat*. h. t. universaliter, & indefinitè loquitur; & in c. *Licet Heli*, de simonia, expressè fit mentio. *de infamia contra Religiosum*. Videtur etiam expressè de mente S. Thom. 22. q. 33. a. 7. ad 5. ubi dicit, Prælatum Regularem non posse inquirere delicta, nisi in casibus, *in quibus potest Judex Ecclesiasticus, vel secularis*.

Nec obstat, quòd in c. *qualiter*. 24. h. t. 125 postquam dictum est, *non posse inquiri specialiter, non præcedente infamiâ*, subjungatur: *hunc tamen ordinem circa Regulares personas, non credimus usque quaque servandum*. Nam hoc opponitur ibi solùm ordini servando, quando inquiritur ad depositionem Prælati, vel removendum ab administratione, ut colligitur 1. ex verbis immediatè sequentibus, ibi: *quæ* (scilicet personæ regulares) *cùm causa requirit, facilius, & liberius* (hoc est, licet infamia non sit tam gravis, qualis ad remotionem Prælati præcedere debet) à suis possunt administrationibus removeri.

Colligitur 2. ex illis verbis: *non credimus usquè quaquè* (hoc est, *tam exactè* in 126 omnibus punctis supra præscriptis) *servandum*. Nam per hos textus non voluit indicare, *non requiri* in inquisitione contra Regulares, quod requiri ex sacrarum litterarum auctoritatibus manifestè probatur, sed ad summum, *non omnia tam strictè* (quæ juris humani dispositione requisita sunt ad inquirendum contra Prælatum) debere præcedere ad inquirendum specialiter, & puniendum subditorum excessus, nisi præcedente infamiâ, ex sacrarum litterarum auctoritatibus, manifeste probatur, ut apertè dicitur in c. *qualiter*. 24. ergo.

Accedit clarus textus in c. *Inquisitionis* 127 h. t. ibi: *ad hæc respondemus, nullum esse pro crimine, super quo non laboret infamiâ, seu clamorosa insinuatio non præcessit, puniendum; imò nec depositiones contra eum recipi debere*; ratio datur, quod inquisitio fieri debeat solummodo super illis, de quibus clamores aliqui præcesserunt.

Nec obstat doctrina, quam tradit idem 128 Sanchez. c. 3. d. 25. n. 6. dicens, ad inquirendum contra Prælatum *Regularem* non requiri tantam infamiam, quanta ad procedendum contra Prælatum *secularem*; adeoque contra illum sufficere infamiam, quæ sufficit adversus alium privatum: nam hoc negatur; quia cùm concedat capitulum 24. h. t. (prærequirens infamiam) universaliter loqui, ut constat ex n. 124. & seqq. atque adeo etiam de Regularibus non obstante §. *hunc tamen ordinem* in n. 125. & seq.

con-

consequenter æquè de subditis regularibus, ac non regularibus: idem dicendum venit, quando loquitur de infamia prærequisita ad inquirendum contra Prælatum, sive regularis sit, sive non sit.

§. 1.

An, ut inquisitio criminalis de certa persona, licitè fiat, jure naturali, vel divino, prærequiratur infamia.

129 VIdetur omnino, quòd sic. Nam 1. ipsa ratio suadet, quòd Judex in criminalibus, per criminalem inquisitionem criminis de persona particulari, non possit procedere, nullo accusante, vel querulante, aut alio vicem accusantis obeunte, ut docet D. Thom. 22. q. 67. a. 3. quia Judex est *justitia animata*; justitia autem ex natura rei est inter duos: ergo, ut Judex in criminalibus licitè procedat, adesse debet accusator, seu actor, & Reus; in delictis autem, quæ non sunt in damnum tertii, sola infamia obit vicem accusantis, ubi abest notorietas delicti, & reliquæ, quæ vicem accusantis obtinent, de quibus infra, ergo.

130 Probatur 2. quod requiri, ac fieri debere, manifestè probat sacrarum literarum authoritas, videtur juris Divini; sed quando ad inquirendum criminaliter proceditur contra personam particularem, infamiam prærequiri, nec aliter Prælatum debere procedere, manifestè probat sacrarum literarum authoritas, ut dictum est ex c. *qualiter* 24. h. t. ergo. Ita tenere videtur Navarr. l. 1. de restit. c. 4. n. 59.

131 Contrarium tenet Sanchez l. 6. consil. moral. c. 3. d. 18. n. 2. dicens: licèt valde consonum sit juri naturali, & Divino, ad inquisitionem specialem in gravi crimine, de persona particulari, non procedendum absquè infamia; propriè tamen esse de jure solùm humano. Primam partem suadent probationes allatæ tum ex ratione, tùm authoritate; secundam autem docet haberi ex eo, quia nullum est tale præceptum in sacris litteris; authoritates autem, de quibus in c. *qualiter* 24. h. t. solùm explicare factum Divinum, conforme rationi naturali, cujus imitatione idem servandum esse præcepit Ecclesia. Addit quòd à Pontifice in Ecclesia; & Principe in foro suo, lege statui possit pro magna causa (v. g. *si essent frequentissimi criminosi vel gravissimum scelus*) ut depositio duorum, vel trium, vicem ageret accusatoris, & inquireretur, sicut id statuit de infamia, non autem à Prælatis, aut Judicibus inferioribus, nisi in casibus exceptis à lege, vel consuetudine legitimâ.

Mihi dicendum videtur, inquisitionem specialem de certa persona non esse illicitam, *jure naturæ*, licet non præcesserit infamia, sed solùm fide dignorum depositio, aut indicia criminis à tali persona commissi, aut committendi, quæ faciant prudentem fidem, consideratâ tamen necessitate boni communis hoc exigentis juxta dicenda infra. Nam si judex in tali casu procedat per inquisitionem, nihil agit dissonum rectæ rationi, ut patebit ex seq. Et hoc procedit etiam in casu, esto tendat ad punitionem criminis ad vindictam publicam; tum quia commune bonum exigit, ne delicta gravia, præsertim ea, quæ valdè noxia sunt Reip. impunita maneant, cùm sit medium perquam necessarium ad alios à similibus, metu pœnarum, quas executioni datas vident, coërcendos, tum, quia finem illum intendere potest judex procedendo per viam accusationis, ex talium depositione, in accusationem conversâ. 132

Nec obstat, quòd *infamare proximum*, retinentem adhuc jus ad integritatem suæ famæ, sit prohibitum jure naturæ, *si hoc fiat non exigente justâ causâ, vel jure alterius, præsertim præponderante* damno ejus, quod taliter inquisitio nascitur; 1. quia hoc ipso, quòd habeatur depositio, aut indicia fide digna criminis commissi, inquisitus, aut inquirendus apud Judicem, & Magistratum, cui hæc nota sunt, *non retinet amplius certam possessionem suæ famæ*; 2. hoc ipso per tale factum, de quo duo, tres, aut plures credibiliter deponunt; aut indicia, quæ factum prudenti credibilitate produnt, *ipse damni sui causa est*. 3. tali casu, ne delicta maneant impunita, ne malum serpat amplius, ne laxetur habena vitiis per impunitatem criminum, non modò justa causa, sed ut jus Reip. quod habet, procurandi communem salutem, exigit veritatis debitam investigationem, etiam ad vindictam publicam; ergo tali casu inquisitus, aut inquirendus, nec patitur damnum *injustè* nec ex causa *non justa*, nec jure alieno, non præponderante, id exigente. 133

Nec urget argumentum desumptum à correctione fraterna, quam dicunt esse de 134

præ-

præcepto naturali, exinde sic arguendo: qui post emendationem proximi procedit ad accusandum vel denuntiandum, agit contra præceptum naturale, ac divinum; ergo etiam, qui ad judicialiter inquirendum de illo in particulari. Quia in hoc casu inquisitus, aut inquirendus supponitur emendatus; cùm inquisitio procedat ad solam punitionem criminis. Agimus enim hic tantùm de inquisitione propriè criminali. Nam 2. id, quod concernit obligationem correctionis fraternæ, constiturum ex dicendis à num. 213. & seqq. Cœterùm quantum est ad præsentem quæstionem, dicendum est, à correctione fraterna, in casu quo corrigendus *jam emendatus est*, non rectè argui ad inquisitionem criminalem: nam in casu *emendationis jam obtentæ*, satisfactum est fini, quem principaliter, ac directè quærit correctio fraterna; hæc enim purè tendit ad emendationem fratris: at inquisitio criminalis principaliter, & directè quærit punitionem criminis, & vindictam publicam, cujus reatus etiam in emendato remanet, & cavendis ejusmodi malis in republica, hujus indemnitati debetur. Accedit, quòd in nonnullis delictis, etiam occultis, & non probabilibus (seu quæ probari non possunt, esto sciantur physicâ certitudine) non semper locus sit correctioni fraternæ, ut dicemus à n. præsertim secundùm ordinem præmittendi monitionem privatam; tum ad hoc non juvante, testium adhibitionem; ac demum istâ quoque non fructificante, denuntiationem, qualiter contingit in criminibus periculosis, quæ moram non patiuntur, nisi statim pœnis gravibus suffocentur, ne ultrò serpant.

135 Ex hoc colliges, à nobis non negari, prohibitum esse jure naturali, *proximum infamare* per specialem inquisitionem judicialem, etiam criminaliter intentatam; si inquirendus retineat possessionem bonæ famæ apud eos, quibus ex obligatione incumbit vigilare pro salute reipublicæ sibi commissæ; atque adeo, quando non inducuntur ullâ justâ causâ id exigente: secùs tamen est, si apud eos vel notabiliter gravibus indiciis, ac prudenti credibilitate, vel fide dignorum, nec ullâ ratione suspectorum depositione gravatus sit; at totum hoc contingere potest citra id, quod, præcedat infamia: ergo.

136 Colliges 2. etsi dicamus in certis casibus, licitam esse *jure naturali* specialem inquisitionem criminalem, etiam non præcedente infamiâ, sed solâ prudenti credibilitate, vel fide dignorum depositione; jure tamen Ecclesiastico non licere, ut dictum est num. 131. nisi in criminibus exceptis, de quibus à n. 114. & seq. Colliges 3. plurimum cavendum judicibus Ecclesiasticis æquè, ac Laicis, ne judicialiter inquirant de persona particulari, *præcisè ad criminis punitionem. 1. ex quacunque solùm credibilitate*, vel hominum quorumcunque depositione. 2. nisi id ipsum exigat communis necessitas præponderans damno, quod in fama patitur inquisitus. Ratio primi est, quia id non licet, etiam in casu præcedentis cujuscunque infamiæ, ut notavimus n. 108. & frequentissimè contingit ex tam facili credulitate, innocentes acerbè, & graviter in fama lædi: Ratio secundi est, quia seclusâ tali necessitate judex non procederet *justâ causâ* id exigente.

Colliges 4. à casibus jure permissis, 137
(quibus judici licet criminaliter inquirere inquisitione speciali de aliquo in particulari nō præcedente infamiâ, sed prudenti solùm credibilitate) non rectè fieri extensionem ad alios casus, vel propter identitatem, vel majoritatem rationis, nisi consilio valdè prudenti eorum, qui gravi necessitate boni communis id exigi justis de causis in aliquo casu particulari arbitrarentur. Nam hæc extensio causa est malorum sæpe gravissimorum. Ratio est, quia, ut sapienter, & planè salubriter Greg. 14. in constitut. *cùm aliàs nonnulli*, editâ 1591. de immunitate Ecclesiastica loquens animadvertit; *Sæpè numero sequitur, ut infimæ interdum conditionis Laici, non modò juris, sed etiam literarum penitus ignari, & imperiti, dum, quasi potestates, aut Ministri curiæ secularis, in aliquo castro, aut oppidulo jurisdictionem exercent, facultatem, & indultorum limites longè excedant, eaque suo arbitratu in sensus minus rectos, & ab intentione concedentis* (aut dispositionis, vel legis) *omnino alienos detorqueant, & illorum prætextu, quidquid sibi in mentem venit, præsumant, in grave jurisdictionis, & immunitatis Ecclesiasticæ præjudicium; locorum & personarum divino cultui dicatarum contemptum; ipsius divinæ Majestatis offensam, & scandalum plurimorum.*

Unde his cavendis ibid. §. *Hac itaque*, 138
sub pœnis gravissimis statuit, *ut indulta, extra casus permissos extrahendi ab Ecclesiis eorum criminum Reos, à Prædecessoribus suis*

conceſſa, deinceps nullo modo valeant; nec ex cauſis etiam urgentiſſimis, ac neceſſariis, & æquipollentibus caſibus, vel ex paritate, identitate, aut majoritate rationis extendantur ultra caſus in ea conſtitutione, nominatim, expreſſos. Et quamvis hîc loquatur ſolùm *de immunitate Eccleſiaſtica*, quæ in non paucis eſt juris ſolùm humani; meritò tamen ſuadet naturalis ratio, vitandas ejusmodi extenſiones, quæ lædunt immunitatem famæ, quæ eſt de jure naturæ, ubi eas non exigit evidens, ac gravis neceſſitas reipublicæ privati hominis damno præponderans.

§. 2.

An, & quo ſenſu verum ſit, in criminibus publicis, & exceptis, ampliſſimam Judicibus eſſe arbitrandi libertatem?

139 REſp. iniquum eſſe illorum judicum pronunciatum, & multò magis praxim, *quòd in criminibus publicis & exceptis*, ſeu gravioribus, & atrocioribus *ampliſſima ſit arbitrandi libertas*, nec obſervanda ſint, quæ jura in aliis obſervanda præſcribunt, *ſufficereque probationes longè minores, quàm in vulgaribus*, non paucis ſe fundantibus in eo, quod imputatur Julio Claro in Pract. q. 6. §. *Præterea ſcias*, dicenti: *hodie diffamationis ſolennitatem in inquiſitionibus receſſiſſe ab aula*; ratio eſt, quòd nullâ conſuetudine, vel praxi etiam immemoriali poſſit fieri licitum, ac juſtum, quod eſt intrinſecè, ac antecedenter ad omne jus poſitivum malum; at ex indiciis quantumcunque levibus, poſſe judicem ex ſua libertate procedere in criminibus exceptis, ſeu atrocibus, antecedenter ad omne poſitivum jus humanum, atque adeo intrinſecè eſt malum; ergo ma. videtur certa; quia nulla conſuetudo poteſt licitum facere, quod jure naturæ illicitum eſt, ut tenet communis; cùm ſic deſtituatur actibus, qui rationabiles ſint, prout requiritur ad conſuetudinem inducendam; ad hoc enim requiritur, quòd non ſint contra jus naturale divinum, ſeu, ut poſſint eſſe materia legis, prout dicitur in titulo de conſuetudine. Min. prob. quòd ex ſe eſt rectæ rationi diſſonum, antecedenter ad omne jus poſitivum eſt intrinſecè malum; ſed ab humano judice in criminibus exceptis, ſeu atrocibus, ex levibus indiciis, nullo juris ordine ſervato, poſſe procedi ex arbitrio, & libertate, ex ſe eſt rectæ rationi diſſonum. 1. quia per hanc arbitrandi libertatem evidens periculum eſt, frequenter innocentes pœnaliter lædendi, non tantùm in bonis famæ, ſed etiam corporis, & fortunarum, propter communem præſertim inferiorum judicum imperitiam, & habendi cupiditatem. 2. puniendi non convictos, ſolùm temerè ſuſpectos tam in re, quàm apud judicem; & innocentes, quod eſt contra prima naturæ principia; non enim poteſt eſſe Reus *apud judicem*, quia talis non probatur ſaltem in tantum, quantum exigit Reus in crimine vulgari.

Hujus ratio etiam ex eo eſt, quia, cùm 140
agitur de gravi periculo mali, proximo pœnaliter inferendi, vel impendentis, ipſa naturalis ratio ſuadet, contra crimen, & perſonam, de qua agitur, requiri graviora, & vehementiora indicia, quàm ſi agatur de minori, ut colligitur ex c. *Ubi periculum*. de Elect. in 6. ibi: *ubi periculum majus intenditur, ibi procul dubio eſt plenius conſulendum*; & ratio eſt; nam ſi periculum mali, ex vulgari crimine naſcituri Reo, non poteſt adiri ſecundùm rectam rationem, niſi adſint indicia facti, quæ fundent juſtam actionem judicis quà talis ex mero officio; à fortiori ſequitur idem dicendum, ubi crimen eſt atrocius; cùm ſit periculum majoris mali, ex tali crimine naſcituri Reo: ergo ſicut in vulgaribus, ſic in atrocibus ſecundùm rectam rationem non licet judici procedere ex libertate, & arbitrio ſuo; ſed, juxta probationem delicti ſaltem eam, quam exigit, ut juſtè procedat contra vulgare delictum; at in hoc judex nequit procedere ſolum arbitrariè, & ex meris conjecturis, juris ordine contrarium exigentis poſthabito; ergo minus in graviori.

Deinde, quòd in gravioribus delictis 141
ſufficiant *ſolum conjecturæ, & leviora indicia, imò minora*, quàm in vulgaribus, ad *concludenter* pronuntiandum de Reo? (aliud eſt, *conjecturaliter*) ex nullo capite licitum ſuadetur. 1. non ex eo, quod crimen ſit difficilis probationis; nam contra rectam rationem ageret judex procedendo *concludenter* contra Reum, nimirum ad inquirendum ſpecialiter, torquendum, condemnandum propter leviores tantùm probationes, per meras nimirum conjecturas, & non ſufficientes ad actum judiciarium in vulgari crimine; ergo minus ex iisdem juxta rectam rationem aget in gravioribus; *concluderet enim plus, quàm mereantur principia concluſionis,*

sionis, quod sanè non congruit rectæ rationi. Cujus ratio est, quia ex eo (*quod crimen sit difficilis probationis*) *principia*, quæ non sufficiunt *ad prudenter concludendum* contra Reum in crimine vulgari, *non invadunt firmiora*; & ex illis pronuntians concludenter in crimine vulgari, contra rectam rationem ageret inferens *firmiter* sententiam ex principio insufficienti, ac debili; ergo multò magis ageret contra rectam rationem similiter concludendo in crimine graviori præsertim, si (ut volunt hujusmodi judices) sufficerent in atrocioribus adhuc leviora indicia, quàm in vulgaribus.

142 Nec juvat commune refugium, quo dicunt, *id exigi à communi bono*, ut in delictis atrocioribus incunctanter procedatur, ne malum vel serpat in plures, vel erumpat in flammas, interitum Reipublicæ, aut damna saltem gravissima, parituras. *Nam nemo negat* in tam periculosis casibus subveniendum esse laboranti, vel periclitandi Reipublicæ; sed per ea remedia, quæ recta ratio, & naturale lumen non reprobat. Nam respublica, bene ordinata, non petit sui conservationem per media, quæ pugnant, ac opponuntur rectæ rationi, ut per se manifestum est. *Uti conjecturis, ut conjecturis tantùm*, sanæ mentis est, & utile; sed non, *uti illis, ad concludendum certius, aut firmius, quàm merè conjecturaliter.* 1. Nam majus periculum non facit, quòd conjecturæ fiant *firmiores ad plus concludendum* de commisso delicto, *quàm ipsæ mereantur*; ergo si ex levibus solùm conjecturis concludere de commisso delicto vulgari est contra rectam rationem, & judici *naturaliter* illicitum; à fortiori erit contra rectam rationem, & judici naturaliter illicitum, concludere, ex levioribus adhuc conjecturis, de commisso crimine atrociori, & excepto; maximè, si procedat, criminaliter, & ad vindictam.

143 Dices: ergo nunquam licebit Judici ex meris conjecturis procedere; hoc autem dici non potest, quia sic everterentur omnes præsumptiones, quibus tamen est usus continuus in utroquè jure. Deinde aliud est, *quòd meræ conjecturæ commissum crimen non nisi conjecturaliter probent*; aliud, *quòd ad procedendum, in criminibus exceptis, & valdè atrocibus, ad criminaliter inquirendum de persona particulari, vel etiam torquendum, aut condemnandum, non sufficiant.* Nam quòd inhibeatur in delictis vulgaribus, non est tantùm periculum, esto Judex non procedat, nisi ex sufficientibus indiciis secundùm leges; at in atrocioribus commune bonum propter pericula tantorum malorum, longè oppositum petit. R. ex meris levibus conjecturis, per inquisitionem specialem procedere criminaliter, aut torquere, vel condemnare, in delictis vulgaribus, nunquam licere Judici, quando illæ nec semiplenè probant delictum; esto procedere possit ad inquirendum *generaliter*, & deprehensis tunc sufficientibus indiciis, ex quibus persona inquisita perdat possessionem famæ, ulterius: at sic non evertuntur omnes præsumptiones, quæ propriè tales sunt, & in jure receptæ, ut aliàs constat. Ad alterum R. omnino, conjecturas, quæ non sufficiunt in criminibus vulgaribus, aut illis adhuc leviores, nullo modo, imò multò minùs sufficere ad illos actus in atrocioribus, ad id, quod petitur ab exigentia boni, jam dictum est n. 142. Prius igitur probandum foret, quòd, *sic procedere*, non sit dissonum rectæ rationi, quàm assumatur, *talem modum procedendi*, exigi à bono communi; nisi enim illud præsupponas, respublica bene ordinata ad sui conservationem exigeret medium lumini naturæ oppositum, quod sanè est absurdum, & contra naturam bonæ ordinationis politicæ, seu civilis, quæ non debet esse contra, sed juxta naturale lumen.

Ex hoc etiam respondetur ad id, quod 144
ad sui tutelam aliqui desumunt ex Julio Claro, prout notavimus n. 139. Nam ad hoc respondet Wagnereck in Exegesi ad c. *Qualiter* 24. not. 4. h. t. *esse temerarium dictum, quòd hodie solennitas diffamationis recesserit ab aula*, prout imputatur Julio Claro. Hic enim non indistinctè dicit, *de consuetudine non requiri*, quòd in inquisitione non sit necesse, præcedere malam famam; sed solùm quòd *secundùm hodiernam praxim*, Judices non incipiant *ab inquisitione speciali contra aliquem*; sed *à generali*, petendo, quis delictum commiserit? si de commisso constat, vel an aliqua crimina vigeant? &, si sic generaliter quæsiti, nominent aliquem in specie, posse inquiri specialiter contra nominatum, etiam non præcedente infamiâ. Ex hac autem doctrina nullam firmitatem accipit eorum legistarum, aut Judicum opinio (quam impugnamus) *in criminibus exceptis, & atrocioribus, licere, ab omnibus simpliciter recedere, esse amplissimam arbitrandi libertatem, sufficere levem etiam,*

& minimam umbram criminis. Quia nulla consuetudo, nulla humanæ Reip. (quantumvis gravis) necessitas, potest licitum facere, quod lumini naturæ, seu rectæ rationi dissonum est; eam porrò arbitrandi licentiam in ejusmodi casibus ex umbra delicti, aut conjecturis etiam levissimis, imò nec ad procedendum in vulgari crimine sufficientibus, salva lege naturali à fortiori esse dissonam rectæ rationi, ex dictis constat: ergo

§. 3.

Quæ sint indicia sufficientia ad specialem inquisitionem criminalem?

145 CUm sæpè constet de commisso crimine, sed ignoretur ejus author; subinde tamen sint quædam indicia, seu conjecturæ, quibus persona quædam particularis in suspicionem trahitur, tanquam ab ipsa patratum fuisset illud crimen; quæstio est, quæ indicia, seu conjecturæ sufficiant, ut ex illis juste, ac salvo jure tam naturali, quàm positivo, contra illam specialiter inquiratur inquisitione criminali? Nam non quælibet indicia sufficere, certùm est; cùm talis inquisitio fieri non possit, quin inquisitus, de statu bonæ famæ, dejiciatur; quod, cùm jure naturæ illicitum sit, *si injustè fiat*, utiquè requirit in inquirente tam graves causas procedendi per ejusmodi inquisitionem, quibus jus famæ, quod habet inquisitus à natura, meritò, ac justè posthaberi debeat, & locum non habeat; consequenter ex causa ad inquirendum impellente Judicem, hæc inquisitio *justa* evadat, seu *justificetur*.

146 Pro resolutione supponendum. 1. *probationem* in genere esse, rei dubiæ, per aliqua media, ostensionem, ut ait Sylvester V. *Probatio*; & hanc, ut notat Gloss. in L. *Testium*, ff. de testibus. V. *speciem*, esse duplicem, nimirum *plenam*, seu, quod idem est, perfectam, ac sufficientem; & *semiplenam*, seu semiperfectam. Supponendum 2. plura esse media, quibus habetur plena, seu perfecta rei dubiæ probatio ad hoc, ut iis habitis Judex justè procedat ad sententiam. Inter ea numerantur primùm duo, vel tres testes, omni exceptione majores, ut habetur c. *Tua* 8. de cohabit. ibi: *si verò publicum est, non ex evidentia, sed ex fama, eo casu ad condemnationem eorum sola testimonia* (id est, testium dicta *non juratorum*, ut habet rubrica) *non sufficiunt: cùm non sit testimoniis, sed testibus* (intellige juratis) *judicandum.* 2. privilegia, seu instrumenta certa, & indubitata, juxta c. *Tua* de Excessibus in 6. Tertiò, scriptura librorum antiquorum, quæ reservantur in custodia publica, & fideli, ut dicitur c. *Ad audientium* 11. de Rescript. Supponendum 3. probationes esse in triplici gradu *certitudinis*, & evidentiæ. Nam quædam est *evidentissima*, quæ scilicet fit per media, quæ in jure habentur pro certissimis, & indubitatis; talis probatio est, quæ fit per clarissima, & indubitata instrumenta, vel testes plurimos, ac probatissimos. Altera est *evidens*, quæ nimirum fit per media, quæ in jure habentur tanquam clarè, ac certò, certitudine morali, suadentia rem, de qua dubitatur, sic esse, vel non esse. Talis est, quæ fit per testes communes in numero requisito. Tertia demum est *minùs evidens*, nimirum facta per conjecturas, & præsumptiones, ita Sylvester, loco cit. q. 1.

Supponendum 4. *indicium* (prout 147
usurpatur in utroque jure) esse medium quoddam intellectuale, consurgens ex quadam circumstantia singulari, unde veritas elici queat. Et ideo *indicium*, hic idem est, ac *conjectura probabilis*, ut dicitur L. *Indicia.* c. de rei vind. & clariùs L. *fin.* C. de probat. Alii dicunt: *indicium, esse signum demonstrativum delicti, vel alterius rei, de qua quæritur, & adminiculum probationis.* Sic Pereyra in Elucidario n. 1249. Indicium aliud est *leve*, aliud *probabile*, seu grave: aliud *violentum.* Indicium *leve* dicitur, quod communiter fallit, seu à quo communiter contingit abesse veritatem; *probabile* seu *grave*, cui communiter contingit adesse veritatem, & vehementer movet animum ad aliquid credendum, vel asserendum: *Violentum*, quod ita movet animum ad assentiendum alicui rei, ut in ea, tanquam vera quiescat, neque curet ulterius investigare. Indicium probabile alii vocant *semiplenum*; & violentum, *plenum*, ut videri potest apud Pereyram loco cit. qui n. 1251. *violentum* hic sumit *pro certo*, nimirum moraliter, juxta c. *literis*, 12. de Præsumpt. ibi: taliter respondemus, *quòd ex hujusmodi violenta, & certa suspicione fornicationis, potest sententia divortii promulgari.*

Supponendum 5. *præsumptionem* esse 148
conjecturam, seu divinationem in rebus du-

dubiis, per rerum circumstantias frequenter evenientibus. Pereyra cit. n. 1250. ait: *propriè* præsumptio, est illa ipsa *opinio, cogitatione percepta*, antequam argumentis aliis rem probaveris. Præsumptio multiplex est; alia *juris tantùm*, quando jus in dubio ex verò simili aliquid præsumit; alia *juris, & de jure* (quæ etiam dicitur *necessaria*) quæ fit, quando jus aliquid præsumit, & ulterius disponit ita esse, nec posse probari contrarium. Ex hoc videtur colligi, præsumptionem fundari in indiciis. Hinc præsumptio *temeraria* dicitur, quæ fundatur in levibus indiciis; quæ in gravibus, seu probabilibus, *probabilis*, & universalis, cui statur, donec contrarium probetur, & ante contrarii probationem, facit semiplenam probationem; ac inducit purgationem, maximè famâ crebrescente, c. *si quis*. 4. de purgatione canonic. ibi: *si quis de gradu Ecclesiastico verisimilibus suspicionibus fuerit propulsatus, canonicè se expurget.*

149 Supponendum 6. præsumptionem, quæ fundatur in indiciis violentis, dici *violentam*; & hæc in eo differt à *vehementi*, seu probabili, quòd præsumptio vehemens non plenè probet, c. *literis* 12. de præsumpt. *violenta* verò plenè probet, licet recipiat probationem in contrarium c. *nec aliqua*. 27. q. 1. sic Pereyra cit. n. 1255. intellige, in casu, de quo contra præsumptionem juris, & de jure admittitur, de quo alibi. Illud præterea notandum, quòd inter *fictionem & præsumptionem* juris, detur differentia; nam fictio est adversus veritatem in re possibili ex justa causa dispositio. Et ideo tantùm operatur in casu ficto, quantum veritas in casu vero; & nunquam dicitur veritati contraria; quia jus facit ens de non ente, hoc est disponit, ut talis casus fictus habeat eosdem juris effectus, qui aliàs attribuuntur casui vero: præsumptio autem in dubio stat, ac eatenus solùm, quòd *pro vero* ex illa habeatur, quatenus in contrarium nulla apparet probatio; his præmissis:

150 1. jure naturæ iniquam esse inquisitionem criminalem specialiter contra personam; quæ ad usque illud tempus retinuit statum illæsæ dignitatis, seu boni nominis, si fiat ex levibus solùm indiciis & conjecturis. Nam actio, quæ tertio grave damnum causat, concepta ex purè temeraria conjectura, jure naturæ iniqua est, sed ea inquisitio, tertio (nimirum inquisito) causat grave damnum in bona fama, & nomine, cujus possessionem retinuit hactenus; ergo si procedat ex indiciis, & conjecturis solum levibus, jure naturæ est iniqua. Confirmatur, quia in judicio, de causis criminalibus, ad justè condemnandum requiruntur probationes luce clariores. Nam *in dubio sanctius est absolvere, quàm condemnare innocentem*. L. *Sciant cuncti*. C. de probat. & revera id docet lumen naturæ. Nulli enim fit injuria, si absolvatur Reus, qui de commisso crimine non est liquidò convictus; secus, si innocens condemnetur, præsertim ex indiciis, quæ non fundant, nisi temerariam præsumptionem; ergo etiam requiruntur probationes luce clariores, ut judex justè condemnet criminaliter inquirendum ad jacturam sui nominis, quæ fit per ejusmodi inquisitionem specialem: ergo licet adessent indicia criminis non tantùm probabilia, sed etiam violenta, adhuc non posset taliter judex inquirere, nisi luce clariori probatione constet, *adesse illa indicia.*

Ex hoc colliges 1. etsi *jure naturali* non 151
sit illicita inquisitio criminalis contra personam particularem non præcedente infamiâ, ut diximus; & eodem jure sufficiat, adesse indicia, vel probabilia, vel violenta commissi ab eo criminis: hoc tamen intelligendum esse, quando judici ea indicia luce clariori probatione constant; ratio est tum ex priori num. tum quia licet indicia violenta, seu certa, *certò cognita* pariant certam probationem; secùs tamen est, si sint *cognita solùm temerè*, vel fallibiliter. Sic *antecedens certum incertò cognitum*, non parit illationem, nisi incertam.

Colliges 2. inquisitionem criminalem, 152
quæ fit contra specialem personam, jure positivo iniquam esse, non præcedente infamiâ, licet adsint indicia criminis etiam violenta, quæ habentur per depositionem v. g. duorum, vel trium testium. Ratio est ex n. 131. quæ lex canonica omnes, etiam laicos, ligat, cùm tendat directè in bonum animæ, quod graviter læditur, condemnando aliquem ad jacturam suæ famæ, quam subit taliter inquisitus cum periculo, ne condemnetur innocens, quod, ubi non procedit læsio famæ originem trahens à viris probis, in ejusmodi casu adesse solet; quod tamen intellige, si ea indicia non sint certò cognita judici. Nec obstat, quòd ad torturam sufficiat semiplena criminis probatio, quæ habetur per indicia, & præsumptiones probabiles; ac à fortiori violentas. Nam

hoc non procedit. 1. nisi etiam illa ipsa indicia, pari certitudine, ac probatione nota sint, imò luce clariùs ut constat ex n. 151. deinde solùm, si ex indiciis, aliunde notis luce clarius, persona jam infamata sit; non autem secùs. Nam fama, & vita pari passu ambulant; sed ad criminaliter condemnandum in jactura vitæ, non licet procedere, sine probationibus luce clarioribus ex communi doctorum sensu: ergò nec ad criminaliter condemnandum in jactura famæ; quam tortura, quæ justè, ac licitè fieri potest, supponit: sed hæc jactura famæ fit per ejusmodi criminalem Judicis inquisitionem contra personam particularem; ergo.

§. 4.

An, quando delictum est notorium, sed ejus Author occultus, Judex possit inquirere, quis fecerit delictum?

153 QUæstio esse potest de inquisitione solùm generali circa authorem; vel speciali, circa personam determinatam. Duplex est sententia circa primam partem quæstionis. Prima negat, licere tali casu inquisitionem etiam tantùm generalem circa personam; sic Cajetanus 2. 2. q. 69. a. 2. Sotus l. 5. de Just. q. 6. a. 2. Gloss. V. *Prius* in L. *Prius* ff. ad S.C. Silan. Ratio ipsorum est, quia sacri canones exigunt ante inquisitionem (præsertim criminalem) *peccatorem*, contra quem inquiritur, *esse infamatum*, c. *cùm oporteat*, de accusat. ibi: *nisi super prædictis famam ejus* (nempe inquirendi) *læsam esse noveritis*, & c. *Inquisitionis*. eodem. ubi dicitur, *nullum super crimine, de quo aliâ non laboret infamiâ, esse puniendum.* Nam canones illi intendunt consulere famæ delinquentis occulti: at licet crimen sit notorium, dum delinquens est occultus, illæsa est illius fama, ergo.

154 Not. tamen, quod gloss. cit. non *indefinitè* loquatur, sed prærequirat ad talem inquisitionem, ut saltem indicia ipsius peccatoris præcedant; & Sotus etiam doctrinam illam limitet in duobus, nimirum. 1. ut liceat Judici inquirere *in indicia*, ex quibus author detegi possit (v. g. quâ horâ, quibus armis, quo loco crimen, e. g. *homicidium*, patratum sit? & si talia reperiat, quæ certæ personæ infamiam aliquam circa patratum delictum denotent, licet ei etiam inquirere circa eam personam. 2. ut liceat Judici inquirere in tali casu, quando est talis, qui non prærequirit infamiam inquisiti. Secunda sententia est probabilior, quæ docet in dato casu, licitum esse inquirere generaliter, seu in genere, circa authorem delicti, quod esse commissum ab aliquo, qui determinatè adhuc nescitur, notorium est, sic Navarrus in summa c. 18. n. 38. & Navarra de Restitut. l. 2. c. 4. à n. 159. Bartolus in l. 2. §. *si publico* ff. ad leg. Jul. de adulter. n. 17. & alii. Constat hoc ex generali consuetudine totius propè orbis, ut ait Innocentius, & Navarrus. citt. quia fieri eo casu inquisitionem generalem, circa authorem delicti, perquam rationabile est, ne talia crimina maneant impunita ingenti damno Reipublicæ.

Nec obstant contraria. Nam R. eos 155
textus, ac dispositionem juris, procedete de inquisitione *speciali*, non autem *generali* circa authorem criminis; &, licet etiam intelligerentur de inquisitione *generali* circa authorem criminis, solùm inquirendo in genere, an sciatur, quis sit illius notorii delicti author? consuetudine tamen generali jam ubiquè recepta, & valde rationabili, ei, quoad hoc jam derogatum esset, ut etiam docet Tabiena. V. *Accusatio* n. 14. cum Sylvestro V. *Correctio*. q. 8.

Sed quæstio est, an si viâ inquisitionis 156
generalis circa authorem criminis, deprehendantur quædam indicia, quæ authorem denotant in persona particulari, Judex transire possit ad inquirendum specialiter contra talem personam particularem. R. jam constare ex dictis à n. 150. quando Judex ex indiciis, ac præsumptionibus justè, ac licitè possit, aut non possit procedere ad inquirendum specialiter, inquisitione criminali. Ex quo etiam patet ad secundam partem quæstionis in n. 153. Illud hìc etiam annotandum, licet indicia etiam conjuncta uni testi, qui deponit determinatum hominem esse authorem delicti, non sufficiant, ut Judex procedat viâ inquisitionis specialis non præcedente infamiâ talis personæ, ut constat ex n. 152. sufficere tamen, ut procedat per viam accusationis, quando adest accusator talis personæ, & simul indicia gravia; nam ad viam accusationis non prærequiritur infamia; neque verum est, quòd evidentia criminis stet loco accusatoris, nisi versetur circa crimen, & authorem sic, ut & hìc notoriè constet; tunc enim, ut Judex procedat, alio accusato-

satore opus non est, ut diximus in præcedentibus.

§. 5.

An infamatus, & convictus de uno crimine inquiri possit super aliis occultis?

157 Resp. licet affirmativam teneat Sylvester V. *Inquisitio.* 1. q. 3. dict. 4. & alii. negativam tamen esse probabiliorem. Ita Sotus l. 5. de just. q. 6. a. 2. Navarra l. 2. de restitut. c. 4. à n. 170. Cujus ratio est 1. quia jura, de quibus supra n. 108. & seq. aperte dicunt non posse inquiri specialiter de persona particulari, *nisi de illis criminibus, de quibus est infamatus.* 2. quia infamatus de uno crimine, v. g. *de adulterio*, potest retinere statum illæsæ dignitatis, seu bonæ famæ *quoad alia.* v. g. furtum, simoniam, usuras &c. V. dicta à n. 108.

158 Nota tamen 1. limitari prædictam responsionem, ut non procedat in casu, quo quis infamatus est de uno crimine *frequentato*, seu habituali, v. g. quòd sit famosus latro, fur &c. Nam tali casu potest inquiri super aliis ejusdem speciei; quia jam esset infamatus circa frequentiam delicti in tali specie, sic Armilla V. *Accusatio.* n. 3.

159 Not. 2. limitari 2. ut non procedat in casu, quo delictum, super quo est infamatus, sufficientem pareret infamiam, etiam super alio. Nam eo casu saltem indirectè jam esset infamatus super alio; v. g. est quis infamatus, & convictus *de adulterio cùm muliere conjugata, & familiari consuetudine cum ea*; & subinde maritus ejus, domi suæ, reperitur occisus; tali casu adulter, vi eorum, de quibus jam convictus est, est sufficienter infamatus, etiam super homicidio, propter moralem connexionem hujusmodi delictorum.

160 Not. 3. Secundùm Panormit. in c. *qualiter.* El. 1. de accusat. n. 7. & alios, idem dicendum esse de *circumstantiis occultis criminum infamiâ notatorum*, quando tales sunt, ut sine illis istorum perfecta cognitio haberi non possit; sed nisi etiam circa eas circumstantias, saltem consequenter, ex infamia delicti, cujus sunt circumstantiæ, infamiâ laboret, probabiliùs negatur ex ratione data n. 157. quia sic inquireretur nec directè nec indirectè super illis infamatus.

161 Dices: ratio, propter quam non licet specialiter inquirere de occultis, non est ex eo, quòd delictum sit *occultum*; sed ex eo, quòd persona sit occulta, & bonæ famæ; ergo quando persona jam est infamata, & convicta de uno crimine, licebit inquirere de aliis, quantumvis occultis. R. rationem dictæ probationis in objectione posita integram non reddi, unde n. ant. Integra ratio est, *quia persona est occulta, & bonæ famæ circa occulta.* Ex hoc autem, quod Titius sit infamatus, & convictus de *blasphemia*, retinet bonam famam circa materiam v. g. Justitiæ, adulterii, furti &c.

§. 6.

An convictus de certo crimine possit inquiri super sociis occultis, non laborantibus ullâ infamiâ?

162 Ante resolut. not. quæstionem procedere de inquisitione sociorum *ex ipso criminoso*, eum examinando super illis. Et in hoc ex triplex Authorum opinio; prima considerat delictum, an sit *in odium alicujus personæ particularis*, quale est homicidium; an solùm *ob voluptatem, & commodum operantis*; quo posito Sylvester cit. V. *Inquisitio.* 1. q. 3. dict. 5. & alii, tenent Judicem in primo casu non posse inquirere in socios criminis *occultos*, nullâ super eo infamiâ laborantes; quia tunc adest persona particularis, quæ accuset: posse autem in secundo. Alii autem volunt tunc licere dictam inquisitionem, quando quis est convictus de crimine, quod verosimiliter absque sociis committi non potest; ita Gomez tom. 3. Variar. resolut. c. 11. n. 17.

163 Cæterùm probabilius est, non posse *regulariter* quando delictum jam est patratum, & nullum damnum pendet in futurum, nec damno facto medela fit, ex sola pœna sociorum. Nam sic inquisitio fieret præcisè ad vindictam publicam circa hominem non laborantem ullâ infamiâ de tali delicto, quod illicitum esse constat ex dictis, & patet ex c. *Monasterium.* 1. de confess. ibi: *nisi aliis modis verum esse constiterit, nulli censemus pœnæ dandos; cùm secundum utriusque juris statuta, de se confessi, super aliorum conscientiis interrogari non debeant, & (crimine læsæ Majestatis excepto) de reatu proprio confitentis periculosa confessio non sit adversus quemlibet admittenda.* c. *Veniens* 10. de Testibus ibi: *eò, quòd ille, qui eodem erat infectus crimine, inde contra eum testificari non posset; nullique de se confesso, adversus alium, in eodem crimine sit credendum* c. *Nemini.* 15. q. 3.

q. 3. L. *fin.* C. de Accusat. L. *Repetiti* ff. de quæst.

164 Quæstio potissima est, an convictus de crimine possit inquiri, vel interrogari de sociis *occultis*, quando crimen est in perniciem publicam (ut est hæresis proditio) vel damnum privati, & adhuc pendet in futurum, consequenter caveri potest? in hoc variæ sunt opiniones Authorum, quibus prætermissis. R. 1. probabilius esse, non licere Judici, convictum de delicto, ulterius examinare super sociis occultis, & super eo delicto, nullâ infamiâ notatis, si convictus scit eos *jam esse omnino emendatos*; quia tunc ratio impendentis damni cessat, consequenter inquisitio fieret purè ad vindictam super crimine aliquo jam emendato, ac effectu qui timetur, non secuturo; at in ejusmodi casu talis inquisitio contra non notatum infamiâ non licet ex dictis, ergo.

165 R. 2. nec licere, si per solam correctionem socii omninò emendari possent. Nam, qui tenetur aperire delictum alterius (cæteroquin retinentis statum illæsæ dignitatis) in ordine ad aliquem juris effectum, aut commodum tertii, jure naturæ tenetur id facere, *quanta minori damno famæ potest*; nequit enim rationi esse consonum, teneri ad minuendam alterius famam majori damno in aliquo casu, vel circumstantia, ubi hoc necessarium non est, ad finem, vel effectum, & haberi potest minori; cùm ergo, quod jure naturæ illicitum est, nullo jure licitum fieri possit: rectè sequitur nec in dato casu licere talem inquisitionem.

166 R. 3. quando crimen pendet in futurum, & in perniciem publicam, licere Judici examinare convictum de tali crimine, super sociis occultis, licet non infamatis super eo, si crimen (ut inquiratur) de jure non exigit infamiam, & malum impendens aliter caveri non potest; ita communis cum Sanchez l. 6. consil. moral. c. 3. dub. 22. n. 3. nam tota ratio in contrarium est, quòd non liceat occultos malefactores absque infamia inquirere; consequenter convictum super crimine de sociis occultis interrogare; sed quando crimina talia sunt, in quorum inquisitione infamia inquisitorum non prærequiritur, ea ratio locum non habet; ergo. Talia porro crimina sunt, famosa latrocinia L. D. *Adrianus*. ff. de cust. crimen falsæ monetæ. L. 2. C. de fals. mon. maleficia, L. *fin.* C. de Malefic. hæresis. c. *in fidei favorem*, de hæret. in 6. Proditio, crimen læsæ Majestatis. c. 1. de confess. & penult. & *fin.* C. ad leg. Jul. Majest &c. ut notat Sanchez loco citato.

R. 4. licet in casibus prædictis liceat 167
convictum super crimine interrogare de sociis occultis; id tamen esse intelligendum de sociis *in genere*; non, in particulari, an *Petrus*, vel *Paulus* fuerit socius? nisi sint infamiâ notati; ita Sanchez cit. n. 5. cujus ratio videtur, quia nullo præcedente indicio criminis de tali persona *in individuo*, saltem gravi, ac probabili, inquisitio *criminalis* de persona particulari retinente statum bonæ famæ, jure naturæ prohibita est ex dictis; quia lumini naturæ dissonum est, *innocentem infamare*; dixi *criminaliter*; nam si fieret ad cavendum præcisè damnum impendens, manentibus illis in occulto, justè Judex peteret eos manifestari, si damnum aliter caveri non posset; quia tali casu damnum hominis privati, nascens ei ex inquisitione, posthabendum est gravi damno bono communis, cæteroquin ex eorum malitia non detectâ secuturo.

R. 5. dari posse casum, in quo Reus 168
Judici justè interroganti non teneatur, imò nec justè possit respondere. Nam si Judex dubitans, an damnum secutum ex delicto, pendeat in futurum, convictum de crimine interroget de sociis occultis, justè quidem interrogat (nimirum ex fine consulendi tertio, quem vi officii procurare tenetur) sed si interrogatus veritatem novit, nempe socios criminis jam esse omnino emendatos, nec malum pendêre amplius in futurum, justè non poterit nominare socios occultos, propter rationem in n. 164. sic Navarr. in summa c. 25. n. 27. Si dicas quotiescunque Judex *juridicè* interrogat Reum, tenetur Reus fateri veritatem; sed in dato casu Judex juridicè, ac justè de sociis occultis interrogat Reum de crimine convictum; ergo in dato casu tenetur fateri veritatem, eos nominando. R. majorem sic indefinitè prolatam, esse negandam, ut patebit ex n. 177. §. sequenti, unde constabit ulterior resolutio.

§. 7.

An Inquisitus, juridicè interrogatus super aliquo facto, teneatur Inquisitori veritatem aperire?

169 IN hac quæstione satis frequenti, triplex est sententia, quarum primam tenet Innocent.

nocent. in c. 2. de confess. & c. *dudum.* 2. de elect. dicens: *non teneri*, sive agatur de crimine per viam inquisitionis, sive accusationis, sive exceptionis, nisi 1. crimen sit notorium, vel famosum; 2. nisi impediat executionem officii, vel retentionem beneficii. 3. nisi dissimulatione criminis inducatur periculum, qualiter fit in hæresi, dilapidatione &c. Altera verò docet, Reum *teneri* fateri crimen Judici *ex officio procedenti*, si sit notorium vel famosum; non autem, si *ad instantiam partis*, nisi unà cum infamia impediat executionem ordinis, vel beneficii retentiontm; ita docet Panorm. in c. 2. de confess. n. 19. Gloss. in c. *Ex parte*, eodem in 6. V. *Atque rationabili.* Tertia sententia tenet, nunquam in casu propositæ quæstionis teneri Reum ad fatendum crimen, licet ei Judex intimet, infamiam esse probatam, quando Judex ad partis instantiam procedit, inflicturus pœnam corporalem; secùs quando procedit ex officio: sic Navarr. in c. *Inter verba*, corollar. 64. n. 732. 743. & 764. imò Navarra l. 2. de restitut. c. 4. n. 142. & alii apud Sanch. cit. l. 6. consil. moral. c. 3. d. 29. n. 3. censent, quoties in criminalibus pœna capitis, mutilationis, vel gravis dedecoris est infligenda, esse probabile, Reum non teneri fateri.

170 Ante resolut. not. 1. quæstionem fieri posse 1. de casu, quo Judex procedit *ex officio*, vel *ad instantiam partis.* 2. an tunc agatur solùm *civiliter*, ad reparationem damni, & satisfactionem præstandam parti læsæ; vel criminaliter ad vindictam publicam, per pœnam gravem corporalem, aut famæ, &c. & quidem extra forum sacramentale quæstione factâ à Judice ut persona publica, & procedente judicialiter. Not. 2. nos non loqui de casu, quo Judex procedit non juridicè, seu cùm non interrogat *juridicè*, nimirum cùm interrogat, nullo jure illi legitimè concedente facultatem *talem personam*, vel *de tali materia* interrogandi, qualiter fieret, si interrogaret Reum ab ejus jurisdictione exemptum; vel potestate judiciariâ tunc suspensa propter interpositam appellationem, aut ejus legitimam recusationem &c. his præmissis:

171 R. Probabilius esse, Reum *super suo delicto proprio juridicè* interrogatum, teneri respondere, seu fateri veritatem. Ita D. Thomas. 22. q. 69. a. 1. Navarr. in utraque summa c. 25. n. 36. Graffis p. 1. decis. l. 3. c. 7. n. 16. & complures alii, quos citat, & sequitur Sanchez, ut supr. d. 29. n. 4. Ratio est, quia subditum parêre majoribus, *dum juste præcipiunt*, est præcipuus, & potissimus actus justitiæ, ad quem subditi naturaliter obligantur; ergo ubi Judex justè præcipit Reo subdito, ut ad id, quod quæritur, ex veritate respondeat, ille naturaliter obligatur ex vero respondere; sed quando Judex juridicè interrogat, justè præcipit; aliàs enim jus ei faveret ad actum formaliter injustum; ergo.

Ad ulteriorem explicationem conclu- 172
sionis not. 1. Judicem *non interrogare* Reum *juridicè*, quando procedens *viâ accusationis*, vel ad instantiam partis, cogit eum, fateri veritatem, nullâ præcedente infamiâ, vel semiplenâ probatione, aut indiciis manifestis, probationi semiplenæ æquivalentibus. Nam viâ accusationis procedendo *tunc tantùm juridicè procedit*, quando est semiplena probatio. Judex enim non potest jure procedere viâ accusationis nullo accusante, vel vicem accusantis supplente, ut dictum est n. 99. sed ubi nec est semiplena probatio formaliter, vel æquivalenter, neutrum contingit: ergo.

Not. 2. Judicem *regulariter* loquendo 173
non interrogare Reum *juridicè*, quando procedens *viâ inquisitionis*, vel *denuntiationis* canonicæ, aut civilis, eum interrogat non præcedente ullâ infamiâ ejus, per duos testes probatâ. Nam ad procedendum viâ inquisitionis, vel dictæ denuntiationis, *regulariter tantùm tunc procedit juridicè*, nimirum ex præscripto juris, quando est infamia, ut constat ex dictis n. 108. & seq. dixi *regulariter*, propter certos casus exceptos, de quibus actum est in superioribus à n. 114. & 166.

Ex dictis colliges 1. Reum non teneri 174
fateri veritatem Judici eum interroganti super delicto, circa quod nec sunt indicia sufficientia, de quibus à n. 147. vel semiplena probatio, vel infamia, de qua à n. 108. quia tunc non interrogat juridicè, ut constat ex præmissis. Sic D. Thom. cit. 2. 2. q. 69. a. 2. Sylvester V. *Accusatio.* q. 13. Sanch. cit. D. 29. n. 10. & complures alii.

Colliges 2. Reum, exemptum à tali 175
Judice, non teneri dicere veritatem, esto hic interroget, quoties persona talis Rei ab ejus jurisdictione exempta est; quia tunc eo ipso non interrogat juridicè; nec est dubium, Judices gravissimè peccare, quando per torturas, vel graves pœnas cogunt Reos ad respondendum super quæsitis, ubi

ab eorum jurisdictione exempti sunt. Nam in re gravi alterum cogere ad parendum, nullo jure cogentem investiente per legitimam potestatem id agendi, gravem omnino injuriam infert alieno juri, quo quilibet gaudet adversus eum, cui subjectus non est. Ita Sanch. l. 6. consil. c. 3. d. 24.

176 Et hoc saltem in iis casibus procedit, ubi Reus examinatus non est tam prudens, ut discernere possit, quos teneatur secundùm jus revelare; tunc enim concedendum illi erit tempus, ut viros doctos consulat, à quibus doceatur, quæ respondere debeat, ne suam conscientiam, vel tacendo, quod aperire; vel revelando, quod tacere tenetur, graviter lædat; aliàs enim tales Judices interrogantes Reum, dant causam errandi graviter, & miseris ignorantibus sunt maximo scandalo, ut rectè notat Sotus l. 5. de Just. q. 6. a. 2. Unde, ut docet Sotus cit. vers. *si vero nullum*; ne peccet, ob rationes jam allatas, Judex tenetur etiam Testem monere, ne occulta detegat, id, quod etiam tenet Navarra l. 2. de Restit. c. 4. n. 154. qui addit, *aliter, Judices teneri restituere damna.* Et hæc est ratio, quare in edictis Judices non peccent, *generaliter inquirentes* crimina; quia tempus concedunt, ut denuntiatores, viros peritos, consulere possint, an & quid in ejusmodi casibus denuntiare liceat?

177 Colliges 3. aliud esse, quòd Judex justè, ac juridicè, solùm *negativè*; aliud quòd juridicè *positivè* procedat interrogando Reum. In primo casu jus solùm removet culpam ab interrogatione; in secundo autem interrogato imponit etiam onus veritatem dicendi. Ex hoc respondetur ad object. in n. 168. in fine; majorem esse veram, si Judex Reum interroget juridicè *positivè*; non autem, si solùm juridicè *negativè*; in casu autem, quo Judex convictum de crimine examinat super sociis occultis, quia dubitat, an crimen sit, vel non sit pendens in futurum? interrogat juridicè solùm *negativè*, quando interrogatus scit, socios jam esse omnino emendatos, nec delictum amplius pendere in futurum; tunc enim nec natura, nec jus humanum, cessante toto periculo mali, quod iis ignoratis, eveniret, onus imponere potest eorum delicta revelandi, ut patet ex hactenus dictis; ergo.

§. 8.

An ad inquirendum specialiter, sufficiat simplex notitia de infamia?

Ante resolution. not. per *simplicem notitiam* hîc intelligi, notitiam habitam ex assertione alicujus sine juramento, & aliqua judicii forma, per quam Judex concipit cognitionem criminis, vel delinquentis. Quæstio igitur est, an, ut Judex super certo delicto contra determinatam personam licitè inquirat, sufficiat, quod noverit *per simplicem informationem*, hunc determinatè delinquentem, seu talis criminis Reum esse? R. etsi diversæ sint in hac materia opiniones doctorum, dicendum videtur, in casu proposito, sive Judex ex officio, sive ad alterius denuntiationem procedat ad specialem inquisitionem criminalem, procedere non licere, non præcedente infamiâ, eâque crebrius ad Judicem delatâ, & legitimè probatâ. 178

Not. autem nos loqui de infamia, non primùm orta ex eo, quòd Reus jam in carcerem detrusus sit; sed hanc detrusionem antecedente. Nam ad hunc ipsum actum detrusionis, justè, consequenter licitè, per Judices exercendum, prævia debet esse infamia, de causa carceris, nempe delicto ab hoc homine commisso, ne scilicet graviter infametur innocens; nam hoc per se lumini naturæ dissonum est, atque adeo nullo humano jure, aut consuetudine licitum fieri potest. Not. 2. nos hîc agere de inquisitione speciali contra determinatam personam, eaque criminali ad solam punitionem. 179

Dices, nec jure naturali, nec divino prohibitum est, ut non fiat inquisitio, etiam specialis, contra certam personam sine prævia infamia inquirendi, sed solùm jure positivo, quod per consuetudinem contrariam sciente, & non contradicente Principe abrogari potest; ergo non est damnanda praxis illa plurium Judicum secularium, qui nullâ præcedente infamiâ, ex simplici denuntiatione publici officialis, ad id deputati, vel etiam ex alicujus privati delatione procedunt ad specialem inquisitionem contra aliquem, & ad capiendas informationes; ita Pirhing de accusat. n. 64. in fin. ex Less. l. 2. de Just. c. 29. n. 172. 180

Ante responsionem not. dupliciter posse *specialiter* inquiri circa personam determinatam 1. an laboret aliquo delicto? 181

&

& hæc est specialis, *circa personam*; generalis *circa delictum*, ut diximus supr. 2. an commiserit *hoc certum delictum?* & hæc est simpliciter specialis, idque vel præcisè ad solam punitionem, vel propter bonum publicum, ad quod id videtur necessarium, ut malum impendens impediatur, & Rei talium puniantur, ne Respublica talium patratione scelerum turbetur, ut diximus; quibus præmissis:

182 R. ad objectionem concedi, solo jure positivo esse prohibitum, ut Judex non procedat ad criminalem inquisitionem, simpliciter specialem, nisi talis persona super tali crimine priùs sit infamata, infamiâ sæpius ad aures Judicis delatâ, & probatâ; nullâ tamen consuetudine induci posse, ut Judex ad sic inquirendum licitè procedat, etiam in criminibus exceptis, aliisque atrocibus, & gravioribus, ex solis conjecturis, & indiciis levibus, ut diximus supr. Nam id jure naturali, & divino illicitum esse, constat ex dictis à n. 139. quod tamen intellige 1. si Judex procedat ex mero officio ad solam punitionem, non exigitam à necessitate boni communis. Tunc enim sola ratio (ne crimina maneant impunita) non præponderaret bono famæ non lædendæ illi, qui retinet statum illæsæ dignitatis. Intellige 2. si procedat ad simplicem privati hominis informationem, & inquisitio illa tenderet ad solam punitionem; tunc enim est eadem, quæ prioris ratio. Dixi *ad solam punitionem, non exigitam à necessitate* boni communis, quod solùm contingit, vel quando crimina valdè graviter turbarent rempublicam, vel propter frequentiam, ut sunt assassinia, aut infectiones aliorum, ut est hæresis; vel damna gravissima, quæ adhuc in futurum pendent, ut est proditio urbis, Patriæ, &c. nam in his, uti ex aliis ejusmodi criminibus, tali casu, licitam esse inquisitionem simpliciter specialem, etiam criminalem, quantum est de jure naturali, ac divino, diximus à n. 151. Unde si contra jus positivum, prærequirens determinatè *infamiam*, quoad hoc inducta est consuetudo legitima pro certis delictis, *in iis* per specialem inquisitionem, etiam criminalem, procedere quidem licebit non præcedente infamiâ, at non ex indiciis, & conjecturis tantùm levibus, sed iis, de quibus diximus n. 131. & seq.

§. 9.

An valeat processus formatus, ex inquisitione speciali, contra non infamatum?

IN hoc casu supponendum, nos loqui de 183
inquisitione, quæ, ut licitè fiat, prærequirit infamiam specialiter inquisiti; potest autem hoc contingere, inquisito vel sciente, vel ignorante inquisitionem de se super tali crimine fieri; quo posito ex dictis constat, talem inquisitionem, ignorante inquisito, de se fieri, aut factam ejusmodi inquisitionem, esse nullam, ut constat ex n. 108. & seq. consequenter etiam processum exinde formatum, si contra talem processum pars, seu inquisitus opponat nullitatem inquisitionis; non autem si nihil opponat, ut habetur c. *si is.* 2. & ult. de accusat. in 6. ubi deciditur, valere processum, nec amplius impugnari posse, si Commissarius inquisitionis specialis, Reo præsente, nec reclamante, aut quidquam excipiente, processit inquirendo contra illum de uno, vel pluribus criminibus.

Ratio hujus est, *quia quilibet favori pro* 184
se principaliter inducto, renuntiare potest, ut dicitur c. *Ad Apostolicam*, de Regularib. in 6. & qui tacet, cùm ipso præsente, ac sciente aliquid fit in contrarium talis favoris, si contra factum reclamare potest, præsumitur saltem tacitè renuntiare juri ex eo favore sibi quæsito; si enim non vellet sibi in eo contraveniri, debuisset petere, ut prius inquiratur super infamia; & neglectâ petitione, appellare, ut notat Gloss. in cit. c. 2. V. *Reclamante:* cùm ergò id non fecerit, omissio inquisitionis super infamiâ non invalidat inquisitionem (cùm non sit de ejus substantia, sic, ut ei renuntiari non possit, Gloss. in c. 2. tum in casu, tum V. *nequibit.*) nec processum in ea fundatum. Sed not. hoc intelligi de Reo, *qui præsens, & sciens, nihil opponit*, ut patet ex textu, & valdè probabiliter etiam de contumaciter absente, ac nihil opponente, cùm post notitiam factæ inquisitionis, & inde formati processûs, citra causam justè excusantem, non reclamamat. Tunc enim eadem est ratio præsumendi tacitam cessionem, quæ in foro externo tenet, dum probetur, justè fieri non potuisse tunc exceptionem. Sic Farinacius in cit. c. n. 1. secùs tamen est, si Reus, etiam præsens, ignoravit, inquisitionem illam, non servato præscripto juris ordine factam esse.

§. 10.

An Inquisitor corrigere possit sententiam suam, cùm advertit se errâsse in inquirendo?

185 ANte resolut. not. 1. juris ordinem tum in c. *Qualiter*. 17. h. t. tum alibi præscriptum (ut scilicet regulariter non fiat, nisi contra infamatum, ut dicitur c. 24. eod. & non probatâ infamiâ non procedatur, nisi prius inquiratur de veritate criminis) omnino servandum ex obligatione, *ne* scilicet *inde nascantur injuriæ, unde nascuntur jura.* sic cit. c. 17.

186 Not. 2. in eod. c. 2. decretum esse, ut, postquam inquisitor advertit, se in judicando errâsse, consequenter in sententia definitiva super ea inquisitione fundata, ipsum teneri, tempore opportuno, eam corrigere, ut constat ex cit. c. 17. ibi: *si verò qualibet causa prætermisistis eundem* (scilicet juris ordinem) *ne per leve* compendium ad grave dispendium veniatur, adhuc *ipsum ordinem congruo tempore, volumus observari*, ne inde nascantur injuriæ &c. ut supr.

187 Circa quæ verba observandum 1. quàm providè in tali casu Ecclesia, & authoritati Judicum, & indemnitati Reorum consulat. *Istis*, ne graviter lædantur ex tali processu, & sententia erronea: *illis*, ne, dum corrigunt errorem suum, eorum authoritas vilescat, ut patet ex textu, ibi: *inveniatis occasionem aliquam congruentem* (nimirum errorem corrigendi) *ne vestra vilescat authoritas.* Hoc autem (ut notat Hostiensis in cit. c. 17. V. *supersedeatis*) congruenter fit, si Judices nec sponte errorem suum fateantur (ne Judicis authoritas vilescat) nec etiam illum pertinaciter defendant, cùm ex inordinatè actis non possit ordinabiliter agi; sed de novo procedendo, juris ordinem prætermissum, cautè, prudenterque suppleant, vel ad tempus à processu supersedeant.

188 Observandum 2. juris ordinem à Judice inquisitionis non servari non tantùm, quando non observat ea duo puncta, de quibus n. 185. sed etiam quando à testibus in forma juramenti exigit revelari crimina omnino occulta, ut patet ex cit. c. 17. ibi: *exceptis occultis criminibus*; vel, si inquirat de veritate criminis prius, quàm de infamia, ut notat Gloss. ibid. V. *inquisitionis.* & Abbas ibid. n. 6.

189 Not. 3. quando dicimus, quòd inquisitor debeat corrigere errorem suum, *in sententia definitiva* commissum per judicium erroneum, debere intelligi de inquisitore generali, seu *ordinario*; *non autem speciali*, seu *solùm* delegato ad certam causam. Nam inter utrumque ea est differentia, quòd *ordinarius*, non autem *delegatus*, de nullitate sententiæ suæ definitivæ pronuntiare, ac illam retractare possit, ut diximus lib. 1. tit. 29. de offic. delegat. At Judex specialiter *delegatus*, pronuntiatâ semel sententiâ, ac executioni datâ, cessat esse judex in ea causa; quia censetur jam esse functus officio suo, hoc est, quia delegatio ipsi facta non extendit se ad plùs, ultra sententiam in tali causâ definitivam. c. *In literis.* 9. de offic. delegati, ac L. *Judex.* 55. ff. de re judicata: secùs est in Judice ordinario, qui potestatem annexam officio semper retinet retento officio. Dixi *in sententia definitiva*; & hoc ex duplici capite. 1. si error contingit *solùm in processu*, & non in sententia definitiva; nam tunc in delegato specialiter non exspiravit jurisdictio delegata; adeoque poterit retractare suum errorem. 2. si error contingit solùm *in sententia interlocutoria*, nimirum lata super re, quæ non est de negotio principali. L. *Quod jussit.* ff. de re judicat. sic Gonzalez in cit. c. 17. h. t. n. 4.

190 Not. 4. quando dicimus, Judicem specialiter delegatum, non posse amplius mutare sententiam suam in causa principali semel prolatam, licet agnoscat illam ex errore profectam, debere intelligi, si retractare vellet *ex intervallo*, vel *ad petitionem partis*; non autem si in continenti. Nam, quæ statim fiunt, in ipso actu gesta videntur; ita Gonzalez cit. n. 5. ex Pichardo n. 2. in Manuduct. §. 2. n. 11.

191 Not. 5. hæc intelligi *pro foro externo*, nimirum ibi non profuturam retractationem. Nam in foro conscientiæ, Reo, per talem sententiam Judicis erroneam graviter damnificato, Judex omni modo succurrere teneretur, imò & juvare, ut in foro altiori talis definitio judicialis rescindatur, errore detecto, & actore monito, in conscientia illi talem sententiam prodesse non posse, nixam præsumptione falsâ, ubi veritas doceri potest.

§. 11.

§. 11.

An, & qualiter confessio, facta præcedente juramento, recipiat ex post facto excusationem?

192 DUpliciter fieri potest, quòd Judices delegati ad inquisitionem simpliciter specialem, ab inquirendo recipiant juramentum. 1. sub hac forma: *sincerè respondendi ad interrogata*; 2. sub ista: *quod dicturus sit plenam, & meram veritatem.* De utriusque forma sermo est in c. *Cùm dilecti.* 18. h. t. uti sequenti casu habetur: Cùm dilecti filii Cisterc. Abbas, & P. & R. monachi Fontis frigidi. Apost. Sed. Leg. ad Ecclesiam Agathen. accessissent, ut in ea legationis officium exercerent, quia de Agathen. Episcopo *per frequentem clamorem* multa sibi fuerant insinuata siniſtra: voluerunt descendere, ac videre, si clamorem opere compleviſſet: (*& infra*) quia verò nobis non constitit, *sub qua forma Episcopus* cum Canonicis Agathen. coram dictis Legatis *præstiterit juramentum*, utrum videlicet ita juraverit, ut super statu Ecclesiæ *plenam, & meram diceret veritatem*, an, ut *ad inquisita veraciter responderet?* Mandamus, quatenus eisdem Legatis ex parte nostra mandetis, ut sub qua forma juramentum præstiterit, studeant fideliter intimare. Et *si* secundùm responsionem eorum *sub secunda forma juravit:* aut ipse sufficienter probaverit, se sub illa forma jurâsse, aut per depositiones testium, quos produxit, aut etiam aliorum: cùm depositiones illæ non fuerint publicatæ, nec productioni testium renuntiare curaverit: quoniam *secundùm eandem non teneretur, ex debito juramenti, nisi ad inquisita solummodo respondere*, vos excusationes suas audire curetis, & si eas probaverit, *cùm excusationes hujusmodi confessiones non perimant, sed exponant*, quæ tales sunt, ut ad bonum & malum valeant retorqueri: & ideo judicari debent ex causa, cum sublato appellationis obstaculo absolvatis: cùm, etsi repertus sit culpabilis in quibusdam, ex labore tamen, & pudore punitus, quos propter hanc causam incurrit, hujusmodi levis culpa leviter ei valeat indulgeri. Quod si excusationes illas super dilapidatione, naufragio, & simonia probare nequiverit, aut *sub prima forma juraverit: cùm secundùm eandem nec veritatem tacere, nec admiscere debuerit falsitatem:* vos (non obstantibus excusationibus, quas de novo proposuit: cùm in confessionibus suis nullam omnino de illis fecerit mentionem: quamvis firmiter asseruerit, quòd plures ex illis Legatis prædictis exposuit: cùm hoc per se probare non posset, tanquam qui solus examinabatur ab illis) eum ab administratione Agathen. Ecclesiæ removere curetis. Ubi not. quòd jurans sub hac secunda forma, de dicenda *plena*, & *mera* veritate, se obliget ad dicendam veritatem *puram*, hoc est *immunem à falsitate*; ac *plenam*, *nullam* nimirum tacendo, ut notat Gloss. ibid. V. *Plenam*, & V. *meram*, quibus positis:

R. quòd confessio jurata sub secunda 193
forma (nimirum *dicendi plenam & meram veritatem*) non recipiat ex post facto excusationem; secùs sub prima (*quòd responderet tantùm ad interrogata.*) ita decidit Innocentius III. ut habetur in c. *Cùm dilecti* 18. h. t.

Ex hoc sequitur 1. quando inquisitus 194
juravit, *se sincerè responsurum*, sed *solùm ad interrogata*, debere intelligi *ad interrogata juridicè.* Nam alio fine non licet in criminalibus Judici à Reo exigere juramentum, *sincerè respondendi* ad ea, quæ ex ipso à Judicibus interrogabuntur, nisi hæc ipsa interrogatio juridicè fiat, de quo V. dicta à n. 104. & 172.

Sequitur 2. si Reus confessus esset ali- 195
quod delictum, de quo non fuit interrogatus, licere illi talem confessionem excusare, probando scilicet per testes, non debere intelligi secundùm sensum, quo in ejus damnum vergeret; &, si probationes subsisterint, non esse super eo molestandum, ut constat ex cit. c. 18. ibi: *& si excusationes illas probaverit, sublato appellationis obstaculo, absolvi debet.*

Sequitur 3. si Reus post confessionem 196
juratam (respondendi ad interrogata tantùm) ea ipsa, quæ ad interrogata respondit, excusare velit, vel ipse, vel alii, audiendum esse; quia (ut ait textus) *ex obligatione juramenti non tenebatur, nisi ad quæsita solùm respondere*, quod fecit; & si illas rectè probaverit, saltem sic, *ut ad bonum, vel malum valeant retorqueri, interpretandas esse in meliorem partem, ac demum absolvendum.* ita textus c. cit.

197 Sequitur 4. ex hoc, quòd contra confessionem juratam (sub forma *respondendi ad quæsita tantum*) à confitente per se, vel alios afferantur excusationes dictorum in tali confessione, & admittantur etiam à Judicibus: confessiones ipsius, non perimi, sed solùm declarari; & quidem si ostendant, id, quod confessus est, indifferenter se habere ad bonum, & malum, potius in bonum, saltem *negativè* (hoc est *non contra illum*) à Judicibus accipiendas esse, ut dicitur ibidem.

198 Sequitur 5. si Reus post juramentum: *dicendi plenam & meram veritatem*, ea, quæ confessus est, ex intervallo postea, vel per se, vel per alios excusare vellet, non recipi ejus excusationes; quia sic non posset excusationem adhibere, nisi probando rem à se confessam, *non sic esse*, nimirum prout ei obesse posset; hoc autem, vi talis juramenti tenebatur in principio dicere, cùm nec aliquid tacere, nec aliquid falsum sub dicto miscere debuerit; ergo.

199 Not. præterea ex hoc, quòd certa crimina, contra determinatam personam, denuntientur apud Judicem, non nasci sufficientem infamiam ad criminaliter inquirendum contra eum; sed prius inquirendum de infamia, eaque probandâ, antequam de veritate criminis cognoscenda agatur. Constat ex casu in c. *Cum oporteat* 19. h. t. ubi, à Canonicis Viennensibus, denuntiatio ad Pontificem certis delictis sui Episcopi, hic Judicibus mandavit, ut *ad inquisitionem non procedant, nisi super prædictis criminibus Episcopi fama læsa fuerit.*

200 Not. 2. hoc ipso, quòd alicui committatur potestas inquirendi super certo crimine, ac personâ, tacitè simul committi, seu imponi, ut prius inquirat, *an ea persona in tali crimine, quoad famam, læsa sit?* Nam, sine hoc præmisso, delegatus talis, seu Commissarius, ad inquisitionem de persona, procedere non potest nec debet, ut constat ex priori num.

§. 12.

An Reus, in inquisitione inventus depositione dignus, validè deponatur, non servato ordine judiciario in inquisitione?

201 CAsus præsens habetur in c. *Ad petitionem.* 22. h. t. ubi (postquam ad petitionem Abbatis Corbejensis Pontifex commisit Canonicis Noviomensibus inquisitionem super fama ipsius Monasterii, tam in Capite, quàm in membris.) *Legatus sedis Apostolicæ, Cardinalis, se ingessit, & inspectis illis*, quæ contra Abbatem probata fuerant; *illum à regimine Abbatiæ amovit*, dando monachis licentiam, alium eligendi, qui Priorem in Abbatem concorditer elegerunt. Cùm hæc res delata fuisset ad Pontificem Innocentium III. respondit: *cùm sibi, de prædictis, facta fuerit fides, propter quæ dictus Abbas amoveri debuit à regimine, Abbatem (esto foret restituendus, cùm ordo judiciarius non fuerit servatus) tamen, velle se, de plenitudine potestatis, ut maneat regimine privatus.*

Ex hac resolutione, & reliquo textu cit. 202
c. colliges. 1. depositionem Abbatis à regimine, *non servato juris ordine*, etiamsi causæ justæ, ac depositione dignæ sint, injustam esse, subjectamque restitutioni, ut patet ex casu jam relato, & Pontificia decisione.

Colliges 2. electionem novi Abbatis 203
irritam esse, *si Abbatia vacet, solum ex depositione prioris Abbatis, nulliter factâ propter non servatum juris ordinem*, ut patet ex cit. c. 22. h. t. ibi: *Papa tamen supra dictum Priorem* (in locum depositi, concorditer electum) *per sententiam amovit ab officio Abbatiæ; cùm inordinatè* (nimirum per eum, ad quem non spectabat, ut notat gloss. hic V. *Inordinatè*) *prædictus Abbas fuerit remotus, & consequenter alter non legitimè substitutus.*

Ex hoc colliges 3. quòd, quando Pon- 204
tifex alicui specialiter committit aliquam facultatem, licet delegatus, vel talis Commissarius, alioquin subsit alteri v. g. Episcopo suo, vel Legato à Latere; tamen hujus acta irrita esse, ac nulla, si is se ingerat actui, ad quem alteri potestas delegata fuit, ut constat ex præsenti casu, ut habetur c. 2. de offic. Legati, ac in simili diximus l. 4. decret. in pari materia. Nam in illo casu Cardinalis intromisit se in causa cognoscenda, quæ prius aliis commissa fuit.

Colliges 4. quando delegatus genera- 205
liter inquirit, contra certum Monasterium, vel Communitatem, debere attendi, an inquisitio tangat singulos, *in quantum faciunt communitatem*; vel *in quantum singuli sunt*, & de cujusque pœna agitur. Nam in primo casu non potest proponi exceptio contra inquisitionem; nisi in toto Collegio, secùs

in

in secundo. Nam in hoc opponi potest exceptio à quolibet in quantum suâ interest, se ut particularem tangi, ut patet ex casu hujus c. ubi Abbas excepit contra Cardinalem, quòd ejus inquisitio specialiter tangebat Abbatem, sic Innocent. in cit. c. n. 2.

§. 13.

Qualiter puniendum sit crimen, per viam inquisitionis probatum?

206 QUæstio est, qualiter puniri debeat crimen, *viâ inquisitionis deprehensum, & probatum*, si sit tale, propter quod quis deponeretur, si de illo criminaliter fuisset accusatus & convictus? ante resolut. nota, distinguendum esse inter *crimina depositione digna*; nam quædam, etiam post peractam pœnitentiam, impediunt executionem ordinis, & retentionem beneficii; quædam quæ non impediunt, licet æquè, ac illa sint depositione digna. *Prioris exempla sunt*: homicidium voluntarium, & injustum; beneficii acquisitio simoniaca &c. *posterioris* autem, adulterium, furtum, perjurium, falsum testimonium; nam hæc post peractam pœnitentiam, si notoria non sint, nec in judicio probata per testes, non impediunt usum ordinis suscepti, aut alterius susceptionem; quibus positis:

207 R. etsi in casu proposito par pœna, *secundum jus civile*, infligatur; de jure tamen Canonico, *quoad impositionem pœnæ*, solùm idem observari, quod in casu factæ ac probatæ accusationis criminalis, quando delictum est tale, ut etiam peractâ pœnitentiâ impediat usum ordinis, vel beneficii retentionem; sic Alexander III. in c. *Inquisitionis*. 21. h. t. ibi: *quo casu* (nimirum si crimen sit tale) *erit, sicut in accusationis judicio, procedendum*. Si autem sit crimen depositione quidem dignum, sed non impediens, etiam post pœnitentiam peractam, usum ordinis suscepti, vel beneficii retentionem, arbitrio, & discretioni Judicis pœna relinquitur, ut eam, secundùm merita, & qualitatem excessûs, moderetur, ut in terminis loquitur textus. Unde non rectè concludit Gonzalez in cit. c. *Inquisitionis* n. 6. dicens: crimen probatum per inquisitionem, regulariter, *pœnâ ordinariâ* puniri, nisi impediat ordinis executionem; nam textus allatus id relinquit moderationi judicantis; & ideo Barbosa in cit. idem. c. n. 1. & 4. contrarium tenet, ut & Pirhing h. t. n. 8. dicens: regulariter, esse pœnam arbitrariam, & *ordinariâ mitiorem*.

ARTICULUS X.

De Denuntiationibus.

HOc articulo agendum erit de tertia parte Rubricæ hujus tituli, nimirum de denuntiationibus. 208 *Denuntiatio*, in genere, est alicujus criminis apud superiorem legitimè facta delatio, vel manifestatio; ita Sylvester. V. *Denuntiatio* n. 1. Hæc triplex est, *Charitativa, Canonica, Judicialis*. Alii tamen dicunt denuntiationem esse solùm duplicem, *charitativam*, seu pœnitentialem, quâ crimen defertur ad Prælatum, ut Patrem, & tanquam singularem personam, ut in secreto corrigat; ac *judicialem*, quâ crimen defertur ad superiorem, tanquam personam publicam, sive Judicem. Illa tendit *ad privatam emendationem*; ista, *ad vindictam publicam*, seu punitionem criminis, quo communitas læsa est, vel etiam alius privatus, cui pro injuria, vel reali; vel personali satisfaciendum est. Et quia etiam secundùm præscriptum Sacrorum Canonum denuntiatio fieri potest vel charitativè, vel judicialiter, ideo *denuntiatio canonica*, cum utraque coincidit.

Denuntiatio *charitativa* alia est *Evangelica*; alia *Canonica*, in quantum directè tendit ad bonum delati; alia *Regularis*. 209 Evangelica est alicujus criminis apud superiorem delatio, facta secundùm legem Evangelicam; cujus finis est pœnitentia, & correctio peccatoris; & in ea hic ordo servatur, ut delinquens primùm privatim (*intra te, & ipsum*) corripiatur, seu moneatur etiam sæpius; secundò, si se non emendet, moneatur coram uno, vel altero teste; tertiò, si adhuc maneat contumax, denuntietur Ecclesiæ, seu Judici Ecclesiastico; sed semper, binâ eâ monitione prævia c. *si peccaverint*. 2. q. 1.

Denuntiatio *Canonica* dicitur, cùm de- 210 latio criminis fit, prout à sacris canonibus præscribitur; fit vel *generaliter*, & publicè, & ex hoc fine, ut non committatur delictum v. g. *ne indignus eligatur*, vel *instituatur*; aut si commissum, *ne continuetur*, v. g. ne qui cum impedimento dirimente contraxerunt matrimonium, in eo perseverent; vel *specialiter*, seu privatim, quæ fit per eum, cujus interest, habere bonum Prælatum, seu administratorem, aut subditum; ut si

post

post binam monitionem, non sit corrigibilis ab officio & beneficio removeatur. Hujus fit mentio c. 1. de offic. Custod. ibi: *si autem indomitus permanserit, Archidiaconus, Episcopo denuntiando, provideat, ut indecente ejecto aptus domo Dei constituatur Minister*; & c. *Licet*. 31. de Simon. Et hæc delatio, si fiat causâ emendandi proximum, ad *charitativam* pertinet; si causâ puniendi delatum, ad *judicialem*.

211 Regularis denique denuntiatio dicitur, quæ fit secundùm varias constitutiones Religiosorum, & in ea proceditur simpliciter, ac de plano, nec contra eam appellari potest c. *Ad nostram*. 3. sed de hac in præsens ex professo non agimus; sicut nec de charitativa, quam tractant morales Theologi in præceptis secundæ tabulæ. Pauca tantùm subjungimus: his præmissis:

212 Quæres 1. An denuntiatio charitativa sit sub præcepto? Affirmativam communiter sequuntur Doctores ex illo Christi, si peccaverit in te frater tuus &c. ibi: *si te non audierit, dic Ecclesiæ*. Hoc præceptum tantummodo esse affirmativum docet Escob. Theol. mor. l. 49. c. 17. n. 295. ac proinde non obligare, nisi in certis circumstantiis. Hæ autem potissimum istæ sunt. 1. ut proximus sit in gravi necessitate spirituali. 2. ut ei possimus subvenire absque gravi nostro, nostrorumque incommodo 3. ut speretur fructus. 4. ut hanc denuntiationem exigat necessitas proximi, aliter non juvandi minori damno famæ.

213 Quæres 2. an ex præcepto, denuntiationem charitativam, præcedere debeat correctio fraterna? Ante resolutionem notandum *correctionem* proximi, duplicem esse, *fraternam*, & *juridicam*: hæc non potest fieri, nisi à superiore potestatem jurisdictionis habente; illa fieri potest à Patre in filium, à Superiore in subditum, & contra. *Judicialis* spectat commune bonum, & eorum, qui per alterius peccatum scandalizantur; *fraterna* verò, per se spectat bonum proximi, de hac in præsenti agemus; eamque præceptam esse patet ex Ecclesiast. 19. *corripe amicum, corripe fratrem*; & expresse in c. *tam sacerdotes*. 24. q. 3. Ordinem fraternæ correctionis ita proponit Christus Matth. 19. *si peccaverit in te* (id est te sciente) *frater tuus, corripe eum inter te, & ipsum solum. Quòd si te non audierit, induces testes, unum, vel duos; si illos non audit, dices Ecclesiæ; si Ecclesiam non audit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus*. Ex quo vides hunc ordinem charitatis in corrigendo proximum constitui. 1. ut peccantem admoneas secretò; deinde, si secreta correctio non proficit, testes adhibeas, unum, vel duos. 3. quòd si non audierit, dicas Ecclesiæ; his præmissis:

214 Quæstio est, an hic ordo servandus sit *ex præcepto*, consequenter denuntiationi charitativæ locus non sit, correctione illâ non præmissâ? Hanc correctionem non esse de præcepto plures docent apud Escobar. Theol. mor. l. 49. c. 17. D. 52. n. 328. quia præcepta Christi non videntur generalia, sed sunt tantùm de injuria corrigenti facta, in qua secreta correctio vix videtur habere locum, quin illâ omissâ possit procedere ad denuntiationem. Sed

215 R. 1. servandam sub præcepto naturali, & divino seclusâ cessione juris famæ. Ipsa enim natura dictat corrigendum esse proximum cum minori damno famæ, & honoris, quo potest. Unde si absque testium inductione corrigi valeat, ipsa natura dictat, ut sic correctio fiat: & si unicus testis sufficit, cur duo sunt adducendi? Et sic definitum videtur ab Innocent. III. in c. *novit*. 13. de Jud. ubi Pontifex, postquam refert, Regem Angliæ contra Regem Franciæ processisse secundùm regulam Evangelicam, ac tandem, cùm nihil profecerit, dixisse Ecclesiæ, subjungit: *quomodo nos, qui sumus ad regimen universalis Ecclesiæ superna dispositione vocati, mandatum divinum non possumus exaudire? ut non procedamus secundùm formam ipsius*; nisi forsitan ipse coram nobis, vel legato nostro, sufficientem in contrarium rationem ostendat. c. *Cùm ex injuncto* 12. de hæret. & Alex. III. c. *Licet Heli* de Simonia.

216 R. 2. quòd per illa verba Christi non inducatur *novum præceptum*, quod ex ipsa naturæ lege non oriatur; illud ipsum tamen præceptum naturæ, obscurius traditum, clarius explicetur à Christo. sic Escobar. n. 329. Ex nullo enim capite ostendi potest, *speciali* præcepto, Christum id voluisse imponere, ut clarius constabit ex sequentibus. Ex hoc etiam patet ad rationem contrariam. Primò enim negatur, præcepta Christi non esse *generalia*, ut patet in iis, quæ propriè illius sunt: ut *diligite inimicos vestros*; *benefacite his, qui oderunt vos*. Deinde dato, quòd id procederet de præceptis Christi, quæ non sunt mera explicatio jam præceptorum jure naturali; secùs tamen est, de

oppo-

oppositis, ut patet in eo quod habetur Matth. 18. ubi dicitur: *quæcunque fieri nobis volumus, alteri faciamus*; hoc enim est præceptum juris naturalis, & citato loco à Christo *universaliter* traditum.

217 Denique ex hoc, quod Matth. 19. (ubi præcipitur denuntiatio facienda Ecclesiæ, si proximus illam privatam correctionem non audierit) dicatur, si *peccaverit in te frater tuus*, non rectè sequitur, præceptum loqui solum de casu, quo *injuria corrigenti facta* est. Contrarium enim constat ex fine, qui est *emendatio proximi*, obtinenda saltem vigilantiâ Ecclesiæ, tanquam piæ matris, ubi non juvant mitiora; hæc autem necessitas est non tantùm, ubi peccatur in fratrem, seu proximum; sed etiam cùm proximus est in gravi periculo salutis ex delictis etiam non contra tertium. Et ideo illud: *si peccaverit in te*, rectius communiter exponitur, si *peccaverit te sciente*.

218 Quæres 3. an possit quis cedere juri suo, quod habet, ut denuntiari non possit, non præmissâ correctione fraternâ? Loquimur de illis casibus, ubi cæteroquin urget præceptum naturale, ac divinum, defectum proximi non denuntiandi Superiori, vel tanquam Patri, vel tanquam Judici, non præmissâ correctione fraternâ. Nam hanc non esse in quovis casu denuntiationi, ex præcepto etiam naturali, præmittendam, dicemus in seq. quo prænotato: ad quæstionem propositam negativè respondet Philiarchus, & Lorca apud Escobar cit. n. 331. quia præceptum non tantùm attendit bonum famæ proximi, sed maximè etiam charitatis, & correctionis, ut quàm optimè fiat, cum conservatione pacis, & quietis, ac evitatione rixarum, quæ oriri possunt, ex occultorum defectuum manifestatione. Huic autem juri nemo privatus cedere potest.

219 Sed affirmativa omnino tenenda est; ita Sanchez l. 6. dec. c. 18. Castropal. p. 1. tr. 6. D. 3. p. 9. n. 2. Petrus Ledesma, & alii cum Escob. n. 333. Ratio est 1. quia si subditus propriam culpam suo Prælato aperiret, laudabiliter ageret; ergo etiam laudabiliter aget, qui id facit de ejus consensu. 2. si subditus aliunde famam perdidisset apud Prælatum, alius id sciens posset ejus delictum, in simili materia commissum, aperire Superiori sine occulta correctione prævia; ergo etiam potest, si subditus famam suam nolit conservari apud Superiorem, sed alteri det facultatem, ut Superiori peccatum manifestet. 3. licet ex pœnitentis voluntate, illius delicta ex recto fine manifestentur, quæ accepta sunt in confessione, tamen salvatur, seu non læditur finis præcepti de sigillo, qui est non tantùm conservatio famæ proximi, sed etiam facilitas sacramenti, & rectus illius usus; ergo etiam licet ex subditi voluntate illius delicta, extra confessionem accepta, manifestentur Superiori, tamen non læditur finis præcepti de correctione fraterna, esto sit conservatio famæ proximi, & bonum ipsius correctionis.

Confirmatur; quia hæc cessio de facto 220
sit in Societate JESU ex ejus constitutionibus, quas non licet ullo disputandi, vel ullo indagandæ veritatis quæsitæ colore directè, vel indirectè impugnare; tum quia à Paulo III. & Julio III. totum Societatis institutum fuit approbatum, & confirmatum, & in eo omnes constitutiones, præsertim, quæ contradictionem patiebantur; tum quia Gregorius XIII. in bulla, quæ incipit, *Ascendente Domino* sub excommunicatione prohibet, hanc Instituti impugnationem, & cujusvis constitutionis; tum quia idem Gregorius damnavit libellum cujusdam, qui hanc constitutionem de cessione juris impugnavit.

Et hoc colliges omnino ex præcepto 221
esse servandum hunc correctionis ordinem, nisi corrigendus liberè cedat juri suo. Ubi verò cedit, deferentem subditi culpam ad Superiorem non peccare, esto correctionem occultam non præmittat, *modò id non faciat ex alio fine, quàm in ordine ad quem illa cessio fit.* Notandum tamen haud quaquam tum aliquem conservandæ famæ cedere, cùm certum non est, per Prælatum ita bene obtineri finem correctionis, ac emendationis, ac per inferiorem: ut notat Castropalaus cit. p. 11. n. 9. Idem, si dubium sit, censet Escob. cit. n. 333. cùm Sanch. l. 6. dec. c. 18. n. 47. Unde in his delationibus cautissimum esse decet, ne fiant ex passione; ut certitudo, saltem moralis, habeatur de consecutione finis potius obtinenda per Prælatum, quàm occultam correctionem per inferiorem; id quod regulariter rectius fit, per Superiorem, Dei vices gerentem, præsertim, cùm subditus non erret, sequendo ductum Superioris, ubi non est manifestè peccatum.

Ad rationem contrariam R. ex recto 222
usu

usu juris, quod quis obtinet ex tali cessione ad denuntiandum Superiori ut Patri delictum subditi, nec lædi charitatem, nec rixarum nasci occasionem; cùm finis directè quæsitus in tali denuntiatione nihil omnino importet aliud, quàm bonum ejus, ut reducatur in viam rectam à paterna directione, ubi declinaverit in semitas pravas, ab iis ad aliam non æquè bene avocandus.

223 Quæres 4. An quodlibet peccatum proximi, quantumvis occultum, omissâ correctione secretâ possit charitativè denuntiari ad Prælatum? Supponimus in hac quæstione 1. casum, quo speratur peccantem melius corrigendum per Superiorem, ac per occultam correctionem; deinde quæstionem fieri de peccato proximi, aliunde, quàm in foro sacramenti pœnitentiæ cognito. 3. de denuntiatione, solùm ex fine debito, ut jam præmissum est. 4. ubi necessitas proximi exigens eam denuntiationem præponderat jacturæ famæ apud Superiorem; quo posito. R. in dato casu licere talem denuntiationem, suppositâ cessione juris; quia potest alius ex subditi voluntate licitè facere, quod ipse licitè facturus erat per se; his præmissis:

224 Dubitatur 1. an licita sit *quoad eos*, qui in hoc juri famæ non cesserunt? Negativam tenet Porca, Petr. Ledesma, Navarrus, & Petr. Navarra apud Escobar dub. 54. n. 335. quia sic est læsio famæ; affirmant autem (si fiat Superiori, ut Patri) Suar. de Char. D. 8. f. 6. n. 17. & tom. 4. de Relig. l. 10. c. 9. & 10. Castropal. p. 1. tr. 6. D. 3. p. 10. n. 3. R. in iis, qui magis sui juris sunt, quàm Religiosi, non licere, quia non potest præsumi, illos sic melius esse corrigendos; excipe nisi certò major fructus speretur; in hoc enim posteriori casu, non censeretur subditus rationabiliter invitus, ad majorem animæ fructum, si adsit secutitas in aliis non nociturum; sic Escobar n. 337. In Religiosis verò, qui non ita sunt sui juris, amplectitur Escobar sententiam affirmativam. Ego tamen puto (non suppositâ cessione juris) non licere etiam in illis, nisi sub priori limitatione. Quia revera maximum periculum est, plurimorum malorum, secluſis illis limitationibus, ut patet consideranti varios eventus ex ejusmodi delationibus.

225 Dubitatur 2. an immediatus Superior graviter peccet, qui mediato Superiori aperit delictum grave sui subditi, quod ipse, sine tali manifestatione corrigere potest? si accepit ex denuntiatione sibi facta ut Patri? non peccare graviter censet probabile Escobar n. 341. quia revelare delictum proximi etiam grave uni, vel duobus viris gravibus, qui magis prodesse, quàm obesse possint, esto fiat ex levitate, vel loquacitate, non est grave peccatum, juxta probabilem sententiam, de qua alibi: ergo à fortiori licebit, si id fiat ex recto fine. Hoc etiam probabile censet Castropal. cit. p. 11. n. 7. sic illi. Cœterùm judico probabilius, non posse id fieri sine gravi peccato; quia talis manifestatio delicti, & amissio famæ non habet paternæ delationis finem, qui est lucrum fratris, cùm absque illa Superior immediatus eum possit lucrari. Sic etiam censet Escob. Castropal. ac Mendo in statera opin. benig. differt. 1. q. 16. Unde ad rationem sententiæ oppositæ, judico etiam in antecedenti tenendum oppositum seclusâ necessitate ad finem denuntiationis, ut bene probat, esto non decernat, Mendo cit. n. 196. Nam tale delictum manifestare aliis, præsertim viris gravibus, graviter minuit famam alterius; ergo ubi bonum proximi fine hoc obtineri potest, injustè in materia gravi læditur.

Dices, in Societate JESU, Superior immediatus, mediato licitè aperit defectum subditi ad se delatum; ergo id ex se illicitum non est. ant. pat. Nam in Congreg. 6. decret. 33. dicitur: *potest etiam unus Superior dicere rem sic delatam, & notam, alteri Superiori ejusdem delati.* 226 R. 1. à Societate, in qua est cessio juris famæ, non fieri argumentum ad alios status, in quibus non est talis cessio. R. 2. in eodem decreto apponi conditionem hanc: *quando res ita postulaverit, ad finem paternæ delationis*; sed in dato casu id non contingit: ergo; & ideo etiam in eadem Congr. 6. decret. 6. & de manifestatione delicti c. 15. p. 2. in Ordinat. Gener. dicitur: *sine urgenti necessitate, & magna utilitate, nemini esse crimen delati revelandum.*

Præterea not. 1. quando peccatum est 227
publicum, sive cedat, sive non cedat in damnum aliorum, posse denuntiari absque correctione prævia; nam cùm eo casu læsa sit Respublica propter scandalum, & malum exemplum, in delinquente etiam emendato remanet obligatio ad satisfactionem publicam, ad quam ordinatur denuntiatio; ergo non sufficit sola correctio secreta

creta, sic Navarra l. 2. de restitut. c. 4. n. 177. sed hoc limita. 1. ut non procedat, nisi peccatum sit ita *publicum* notorietate facti, ut nullâ tergiversatione celari possit; secùs enim, esto sit probabile, & aliquâ laboret infamiâ, non est eo ipso necessariò denuntiandum, si privatâ correctione satisfieri possit illi scandalo; ita Sanch. l. 6. consil. c. 2. d. 5. n. 2. Limita 2. ut non procedat in casu, quo nondum adest præceptum Superioris, ut denuntietur; ac speratur aliâ viâ rectior correctio proximi etiam ad satisfactionem publico debitam, ratione scandali. Nam tali casu cessat finis denuntiationis, qui est vel emendatio proximi, vel satisfactio publica minori damno famæ procurata.

228 Not. 2. si crimen sit *secretum*, & contra bonum publicum (prout foret in casu proditionis, infectionis hæreticæ &c.) statim posse denuntiari omissâ monitione, vel correctione secretâ, nisi denuntiaturus certissimè nosset omne malum impendens monitione, vel correctione secretâ, efficaciter impediri. Nam in tali casu propter maximum periculum boni publici, bonum famæ privatorum, bono communi præferendum est; sed quia vix sperari potest hic effectus ex sola monitione, vel correctione secreta, regulariter id non credendum est; ita communis cum Sanch. cit. n. 5. consequenter denuntiandum crimen.

229 Not. 3. inter crimina, quæ dicuntur *occulta*, distinguendum esse; nam quædam sunt *omnino occulta*, *& improbabilia*; quædam autem *occulta*, sed tamen *probabilia*. Quando crimen sic est *occultum*, *ut tamen sit probabile*, censet Sanchez cit. n. 8. posse denuntiari Judici, ut *Judici*, ut puniat; sed circa hoc vide dicenda à n. 234. Quando autem est *omninò occultum*, censet esse denuntiandum solùm ei, qui potest prodesse, non obesse; consequenter Judici solùm *ut Patri*, qui remedium adhibeat, colligens id ex D. Augustino relato in c. *Hoc videtur* 2. q. 5. limitans tamen ad solum casum, quo sic fieri posset remedium; secus judicat cum Soto l. 5. de Just. q. 6. a. 2. posse denuntiari Judici, *quâ tali*, addendo simul, *se id probare non posse*, sed ipsius esse, ex officio providere, & inquirere, dum crimen nocet bono communi; si autem personæ privatæ, posse aperire huic, & hanc judici, ut judici. In hac porro materia videtur meritò distinguendum tam inter crimen omnino occultum, & improbabile, quàm non probabile, quod *nocet soli peccanti*; & id quod *nocet etiâ alteri*. Nam hâc distinctione positâ non eadem de utroque sententia dari aut potest, aut debet, ut patebit infra à n. 234.

Dubitatur 3. an denuntiatio charitativa liceat de delicto jam emendato? Quæstio est, an si proximus de delicto jam sit *omninò* emendatus possit Prælato, *ut Patri*, adhuc illud deferri, ut delinquens hac ratione securior existat à recidiva? affirmant Richard. Gabr. Rosella, & alii apud Escob. dub. 57. n. 346. nimirum, ut pericula, & occasiones relabendi tollantur: negant Sotus, Sà, Valentia, Sanch. l. 6. dec. c. 18. n. 49. quia si bonum famæ posset alicui aufferri *ob solam majorem securitatem*, *ne relabatur*; possent etiam aufferri alia bona temporalia, ut securior sit ab abusu: hoc non licet; ergo nec illud. Deinde subditi plurimi faciunt famam suam apud Prælatum, & ægriùs ferunt apud illum infamari propter dependentiam ab illo, quàm apud socios: ergo ob solam illam securitatem non licet, sic illi. 230

R. si certò constet, fratrem esse emendatum, nec adsit probabile periculum relabendi, non posse aperiri Superiori, sine subditi consensu, secluso alio malo, quòd ex priori facto redundaret in tertium; hoc suadet ratio allata pro sententia negante; sic Escob. cit. n. 348. & complures apud P. Mendo in statera, dissert. 1. q. 17. n. 197. id etiam intelligentes de Societate JESU; quorum sententiam vocat Mendo n. 200. verissimam; hinc n. 205. addit, nec per cessionem famæ, in regulis expressam, ullo modo intelligi *crimen occultum*, *jam emendatum*, *sine periculo relapsus*; finis enim cessionis, ait Mendo, non est quomodocunque humilitas &c. sed ut conjuncta cum fine cessionis, qui est *spiritualis profectus in correctione à Superiore præstanda consistens*; hic autem finis cessat in dato casu; ergo; sic ille. Huic addit, quòd Religiosi Societatis, qui juri famæ cesserunt ad finem denuntiationis paternæ, in ordine ad hoc se habeant, sicut alii, qui juri famæ non cesserunt. 231

R. 2. cessionem famæ, quæ fit in aliqua religione ad paternam denuntiationem, non extendi ad hunc casum. Unde nec in Societate licet denuntiare subditum Superiori ut Patri, si certò constet, esse correctum, nec probabile esse periculum relapsûs, & absit malum tertio, quod aliter 232

emendari non posset. Suadetur ex eadem ratione, & tenet Escobar loco cit. qui ait, eo casu cessare finem, ob quem quis consensit, delicta sua superioribus deferri per quemvis, qui extra confessionem accepit. Hinc addit Mendo cit. n. 206. in Societate eam esse praxin, ut culpæ occultæ, jam emendatæ, non propalentur Superiori, quod omnino firmum, sanctumque esse debet, & oppositum omnino illicitum, & contra justitiam, severè puniri; sic ille, num. autem 208. ait, si dubites, an emendatio facta sit? adhuc non posse deferri Superiori, nisi delictum sit in damnum tertii, vel communitatis.

233 R. 3. si proximus periculum probabile subeat relabendi, nisi peccatum ejus antecedens Superiori manifestetur, manifestari debere, nisi minori damno famæ impediri possit. Tunc enim id exigit spirituale bonum proximi. Vocatur autem *probabile periculum*, quando proximus ita occasionibus est innodatus peccandi, ut (moraliter loquendo) judicetur casurus, nisi ab illis divertatur, ut bene exponit Escob. loc. cit. Nam de alio periculo *remoto* non est curandum, cùm omnibus ex naturæ fragilitate tale insit. Ad quæstionem autem, *quando proximus censeatur emendatus?* respondet Mendo cit. n. 207. id variis modis cognosci. 1. si, post delictum, scis confessum, sacrâque synaxi refectum. 2. si pœnitens ipse significet, se ex animo pœnitere. 3. si occasio culpæ nequit moraliter iterari, aut adeo rara est, quæ timeri prudenter non debeat &c.

234 Dubitatur 4. an denuntiatio criminis *occulti*, sed solùm peccanti nocentis, licita sit prætermissâ monitione, vel correctione fraternâ? Cùm ex dictis constet, denuntiationem delicti alieni (ubi ex obligatione facienda est, aut ubi ad certum finem denuntiatio paterna licitè fieri potest) nihilominus fieri debere, quanto minori famæ damno fieri potest, non tantùm in casu, quo crimen est omnino occultum, & improbabile; sed etiam occultum, & probabile, quando crimen est in damnum solius peccantis, ac emendatio ejus inter te, & ipsum obtineri non potest monitione secretâ, rectè infertur denuntiationi præmittendam esse unius, vel alterius testis præsentiam. Ratio est, quia tunc præceptum naturale subintrat, & ordo Evangelicus; ut *priùs, quàm denuntietur proximus, fiat monitio coram uno, vel duobus testibus.* Nam aliàs tali casu (crimen denuntiando superiori, ut Patri) non fieret, quanto minori damno famæ potest. Ex hoc sequitur, quamdiu per monitionem secretam obtineri potest emendatio proximi, ad paternam denuntiationem non procedi posse, quando crimen est omnino occultum, soli peccanti noxium; ita Sanch. cit. d. 6. n. 1. dixi, quando est *soli peccanti noxium*; nam si tertio noceat, quid agendum, ex dictis constat, & patebit etiam ex dicendis infra. Dixi secundò, *si per monitionem secretam emendatio potest obtineri*, nimirum juxta dicta supr. ut non pendeat in futurum.

Potissima quæstio est, an crimen omni- 235
no occultum, quod in nullius, nisi peccantis damnum cedit *ex obligatione* denuntiandum sit Superiori ut Patri in casu, quo non juvat secreta monitio ejus, qui solus novit. Variæ sunt Doctorum opiniones, quæ videri possunt apud Sanch. cit. l. 6. c. 2. d. 6. à n. 4. Sed R. ad quæstionem, si nec per monitionem secretam, nec per adhibitionem testium, sed per solam denuntiationem juvari potest proximus, debere denuntiari Superiori, ut Patri, crimen, quo laberat proximus, quantumcunque sit occultum, & in solius peccantis damnum. Nam proximo graviter periclitanti, præsertim in negotio salutis, jure naturali tenemur subvenire, modo, quo possumus, præsertim nobis non valdè oneroso; id enim habet præceptum Christi, de quo n. 212. Hinc, si malum ejus averti potest solâ monitione secretâ intra te, & ipsum, nec adhibitio testium fieri potest licitè; si autem hæc averteret efficaciter ejus malum nec denuntiatio fieri potest. Nam hic locum habet præceptum naturale, de facienda delicti denuntiatione, quanto minori damno famæ potest. Si autem neutrum juvaret, denuntiatio omnino fieri debet, ex præcepto Christi: *dic Ecclesiæ.* Ita D. Thom. 22. q. 33. a. 8. Sanch. cit. D. 6. n. 8. & plures alii.

Ex dictis colliges. 1. quando crimen est 236
omnino occultum, nec in damnum alterius (ubi nulla spes est emendationis obtinendæ,) nec monitionem secretam, nec testes, nec denuntiationem paternam licitè adhiberi. Sic D. Thom. cit. Sylvester. V. *correctio.* q. 5. & complures alii. Ratio est, quia tunc cessaret finis monitionis, testium, ac denuntiationis, & licet adhiberentur, frustra fierent cum damno famæ alienæ, nul-

lo

lo jure exigito in talibus circumstantiis.

237 Colliges 2. idem dicendum in casu criminis occulti, & probabilis, ubi nulla spes est emendationis, si non vergat in damnum alterius. Nam in tali casu procedendum foret solùm per denuntiationem Evangelicam, seu charitativam (cùm ponatur delictum occultum, nec alteri noxium,) ergo cùm casus ponat non esse spem, finem hujus denuntiationis obtinendi, adhiberi non debet. Dixi autem *si non sit spes emendationis.* Nam esto forsan solâ monitione secretâ, etiam sæpiùs factâ, proximus non emendetur; sperari poterit, si coram uno, vel altero teste (metu ne innotescat:) & licet forsan nec in hoc casu correctio sequatur; si tamen per Superiorem, si ei denuntietur, speretur fore medelam, v. g. subtractione occasionum, vel aliis mediis, denuntiandum erit.

238 Dubitatur 5. quibus casibus obliget præceptum correctionis fraternæ? R. 1. nec monitionem illam, nec denuntiationem esse ex præcepto debitam, ab eo, qui non est *moraliter certus de delicto proximi*; ita Th. Sanch. l. 6. Consil. c. 2. D. 1. n. 3. Quia licet fortè sit obligatio misericordiæ corporalis, etiam in casu, quo probabiliter, seu prudenter dubito, num proximus indigeat eleemosynâ corporali? ut docent aliqui; quià tamen, ejus omissione corporibus non nocetur positivè, sicut in spiritualibus, aut bonis animi nocetur proximo, si *leviter*, ac *temerè* judicetur esse in peccato: ideo, ubi per oppositam certitudinem deponi non potest hæc dubitatio, de delicto, talem, etiam occultè, monere, aut corrigere, vel denuntiare citra charitatis, & forsan etiam justitiæ læsionem, licere non potest. Ex hoc rectè infert Sanch. cit. n. 4. non teneri ad monitionem occultam, vel correctionem, qui novit delictum proximi solùm per auditum, rumorem, vel signa dubia, nisi circumstantiæ, ex conditione personarum, & conjecturæ, quæ delicti commissionem faciunt valde probabilem, ut prudenti dubio locus non sit, aliud suadeant; præsertim si prudenter credi potest, ei, de cujus monitione dubitatur, gratum, ac salubre futurum, si ei, *de se talem rumorem esse*, ex sincero animo detegatur, citra periculum susurrationis.

239 R. 2. nec esse debitam ejusmodi monitionem occultam in casu, quo deficit opportunitas temporis. Sic velle hominem, *injuriâ recenti* affectum, sedare, importuni temporis est. Nam juxta S. August. 1. de civit. Dei c. 9. *qui correctionem differt quia tempus magis opportunum sperato fructui exspectat, rectè agit*; quod tamen intellige. 1. si talis dilatio faciat spem reductionis melioris alio tempore 2. nisi malum exigeret præsens remedium, præsertim, ubi conjunctum habet periculum, *pendens in futurum.*

240 R. 3. ubi sunt plures, qui proximo prodesse possunt ejusmodi monitione, vel correctione; eum non teneri, qui minus commodè, quàm alii, id præstare potest, qualiter contingit in eleemosyna corporali, quæ solùm tunc *determinatè* obligat, cùm alii, qui æque debent, ac meliùs possunt, deficiunt. R. 4. peccatum proximi, etiam mortale, *jam omnino præteritum, nec pendens in futurum*, ita scilicet, ut nec maneat in pertinacia, nec in periculo relapsûs, non esse materiam necessariam correctionis fraternæ; quia cessante fine, cessat necessitas medii; cùm ergo finis correctionis sit, *fratris emendatio*; ubi jam omnino emendatus est, non est necessario. sic gloss. in c. *si peccaverit.* 2. q. 1. Sylvest. V. *denuntiatio* q. 1. & alii.

241 Cùm autem ex dictis constet, jure naturali prohibitum esse, procedere ad denuntiationem, etiam charitativam eorum, qui non cesserunt juri famæ, si per monitionem secretam, vel inter monentem, & Reum tantùm, vel si opus fuerit, adhibito uno, vel altero teste, illorum emendatio, seu correctio, sperari possit, quando crimen est occultum, & non nocet alteri, pauca dictis sequentia opportunè superaddi visum est. quare not. 1. cùm finis dictæ denuntiationis Evangelicæ, seu charitativæ sit *emendatio proximi*, quæ obtinetur per ejus fraternam correptionem; per hanc intelligi quemcunque sermonem, quo quis vel monendo, vel reprehendendo, vel hortando &c. nititur proximum revocare à peccato. Hinc licet promiscuè sumatur *correptio*, & *correctio*: tamen *correctio* est finis, *correptio* autem via, seu medium ad eam, nisi velis dicere, *correctionem* esse Superioris ad subditum; *correptionem* fratris ad fratrem. Sic Filliucius to. 2. tr. 28. c. 5. n. 111.

242 Notandum 2. quando dicimus, ut *obliget* præceptum correctionis fraternæ, requiri, quòd proximus sit in *gravi* necessitate spirituali; intellige, *ut graviter obliget*; præter hoc etiam intelligitur talis necessitas,

quæ tuam requirit actionem, ut si non esset alius, qui commodè id præstaret; nec videretur differenda occasio. Sic Filliucius cit. n. 116. cum Navarr. c. 24. n. 12.

243 Not. 3. cùm diximus, requiri cognitionem *certam* de proximi delicto, ad hoc, ut præceptum obliget ad ejus correptionem, debere intelligi 1. certam *moraliter* in his, qui non sunt Superiores. Ut autem Superior possit, & vi officii debeat (cum debita tamen cautela famæ) inquirere delicta proximi, videtur sufficere cognitio probabilis, imò ut putat Filliucius c. 7. n. 132. dubia saltem positivè, seu prudens ratio suadens necessitatem talis actûs.

244 Not. 4. dictam obligationem debere intelligi sub *conditione* sic, ut non habeat locum, si majus malum timeretur, quàm sit bonum, quod per eam speretur. Filliuc. n. 136. si petas, an liceat differre correptionem eâ intentione, ut proximus, commissione multorum peccatorum, ferventiùs resipiscat? affirmat Filliucius n. 139. si non sit spes, aliter veræ emendationis; sic enim solùm permittimus, ut proximus (qui aliunde non surgeret) non resurgat; quod non est peccatum.

245 Not. 5. tres communiter casus (præter ea, quæ diximus in præmissis) assignari, in quibus, *sciens delictum proximi*, non tenetur ordinem fraternæ correctionis denuntiationi præmittere. 1. quando peccatum est publicum; sic enim amissa jam est fama; ordo autem præscribitur, *ne fiat jactura famæ*. 2. quando peccatum vergit in damnum communitatis, periculum est in mora, & spes non est, malum impediri posse privatâ monitione. Hic enim prævalet bonum commune. 3. quando peccatum, licet occultum, vergit in majus malum alicujus tertii; vel aliquorum, ac sic jactura famæ qualiscunque proximi apud Superiorem; ut si quis alteri machinaretur mortem (intellige nisi possit impediri secretâ monitione:) tunc enim famæ læsoris præponenda est vita lædendi. Sic Valentia, & alii cum Filliucio loco cit. n. 149.

246 Not. 6. cùm dixerimus in correctione proximi tres esse gradus; primum situm in monitione secreta; secundum in inductione testium: tertium in manifestatione criminis ad Superiorem: quæri posse, an quando venitur ad hunc tertium gradum, hæc manifestatio facienda sit Superiori, *ut Patri*, vel *ut Judici?* R. tunc faciendam ut Judici, quando id exigit commune bonum in circumstantiis, in quibus major ejus ratio habenda est, quàm privati, supposito, quòd non possit idem finis obtineri per denuntiationem paternam. Nam si posset per hanc, ista præferenda foret denuntiationi judiciali; cum correctio fieri debeat, quanto potest minore damno famæ. Hinc etiam ex notitia, quam Superior accepit, *ut Pater*, non potest denuntiatum punire *juridicè*, sed *paternè*.

Si quæras, quando liceat Prælato viâ 247
judiciali procedere, adversus subditum denuntiatum, supposito, quòd crimen probari possit juridicè per duos, vel tres testes, aut super eo judicialiter inquiri? Prima sententia est Soti apud Filliuc. n. 163. negantis, posse per Prælatum puniri subditum *pœnis juris*, si fraternè denuntiatus, proponat se corrigere; secùs si sit incorrigibilis. Secunda est Cajetani ibidem affirmantis; licere illum punire pœnis juris, si spes sit fructûs. Tertia & probabilior, est Bannez ibidem, quam exponit per duo capita. Primum est, quòd, quando licet procedere viâ judiciali propter exemplum aliorum, & bonum commune non interveniente correptione fraternâ, liceat etiam eâ interveniente. Nam charitas non præjudicat justitiæ; ergo si actio justitiæ (scilicet processus judicialis) est licita non interveniente actione charitatis, etiam erit licita eâ interveniente. *Secundum* caput est, quòd in duobus casibus id, quod in priori dictum est, non modò sit licitum, sed etiam debitum. Ex his primus est, quando oporteret crimen juridicè denuntiare, aut de illo inquirere. Secundus est, cùm spes foret obtinendi emendationem per processum judicialem. Tunc enim charitas justitiæ imperat ejusmodi processum judicialem, cùm spes est, per eum obtinendi emendationem. Hanc tertiam sententiam etiam Filliuc. cit. n. 164. judicat probabiliorem.

Dubitatur. 6. quid dicendum de de- 248
nuntiatione judiciali? Ante responsionem advertendum, denuntiationem *judicialem* dici, quæ fit Superiori, *ut Judici*; si fiat ab officialibus, ad hoc auctoritate publicâ constitutis, & extra ea Judex contra denuntiatum procedat, crimine deducto ad Judicium, est denuntiatio *judicialis publica*, dicitur*que generalis*; si autem ad denuntiationem *privati*, erit *specialis*. Utraque dividitur in *criminalem*, si fiat ex fine vindictæ publicæ,

publicæ, ac ad punitionem aliis in exemplum; & *civilem*, si solum tendat ad præstandam parti læsæ satisfactionem. V. Azor p. 3. l. 13. c. 21. Layman l. 3. tr. 6. p. 2. c. 4. &c. quibus positis :

249 Rz. 1. quando quis denuntiatur denuntiatione publicâ, posse judicem in foro seculari procedere ex officio contra denuntiatum ab officialibus ad hoc auctoritate publica deputatis. L. *Ea.* 7. C. de accusat. Hoc extendit Clarus q. 7. n. 2. de consuetudine ad ejusmodi denuntiationem, etiam factam à privato, ex fine sui interesse, quando agere, vel accusare non potest : jure autem Canonico Judicem Ecclesiasticum solùm in *certis casibus* admittere posse denuntiationem judicialem. Casus autem prædicti sunt 1. si Clerici, vel Regulares conquerantur de injustis oppressionibus suorum Prælatorum 2. si Laicus denuntietur de crimine pertinente ad Judicem Ecclesiasticum, ut est hæresis, simonia &c. 3. ob defectum ministratæ justitiæ in foro seculari, vel quia in eo foro crimen non auditur; vel quia Judex Laicus est negligens; vel quia potestas judiciaria vacat; vel quia in eo foro non datur actio, aut repetitio, v. g. ex pacto nudo. 4. ratione pacis violatæ, vel juramenti non servati à Laicis, arg. c. *novit.* 13. de Judiciis. 5. si persona, quæ denuntiationem proponit, sit miserabilis. 6. si causa sit spiritualis, & Ecclesiastica, vel ei annexa, ut si agitur de matrimonio contrahendo, vel dissolvendo, vel de Jure Patronatûs &c. sic Azor loco cit.

250 Rz. 2. in foro seculari non prærequiri secretam monitionem denuntiandi judicialiter, sive hæc denuntiatio sit publica, sive privata. Abbas in cit. c. *novit.* 48. de Judic. Jure autem canonico, ad minimùm prærequiri binam admonitionem privatam ante judicialem denuntiationem specialem. c. *si quis* 2. h. t. ibi: *postquam ipse ab eis charitativè conventus fuerit*; quod procedit saltem, si sit privata. Quid autem observandum in judiciali denuntiatione Episcoporum, traditur in Trid. Sess. 13. de Reform. c. 6.

251 Dices in cit. c. 2. non agi de *denuntiatione*, sed *accusatione*, ut patet ex textu ibi : si quis *ab illis accusatoribus*, qui recipiendi sunt, *fuerit accusatus*; sed in accusatione nulla prærequiritur monitio charitativa per c. *Licet*, & c. *Veniens*, h. t. *admonitio* enim solùm requiritur ad *denuntiationem evangelicam*, quæ ad pœnitentiam, & emendationem dirigitur, juxta c. *novit* 13. de Judic. & c. *qualiter* 24. eod. ibi : *denuntiationem charitativa monitio*; cùm econtra in accusatione ad vindictam publicam agatur, à qua Reus per pœnitentiam & emendationem non liberetur, ut habetur L. *Qui ea*, 67. §. *nemo.* ff. de furt. ergo ex cit. c. 2. non rectè probatur necessaria monitio ante inquisitionem Judicialem, etiam privatam.

Quidam dicunt Pontificem in cit. c. 2. 252
agere de accusatione, per quam Episcopus impetebatur, qui accusari non potest, nisi præmissâ monitione, ut vult Abbas in c. *Licet.* 14. & c. *Veniens.* 15. h. t. n. penult. Alii dicunt accusationem in hoc textu accipi pro denuntiatione; sic gloss. in cit. c. 2. & c. *Licet Heli.* hanc tamen expositionem rejicit Gonzalez in cit. c. 2. n. 4. tum quòd expressè repugnet verbis textus; tum quia ea verba *(causam emendet, & eam corrigere noluerit)* satis ostendunt Pontificem agere de accusatione, per quam Episcopus impetebatur, *quia damnum datum accusatori non emendabat, partique læsæ non satisfaciebat*: & ideo docet, textum procedere *de accusatione civili*, factâ à subditis Episcopi ad satisfaciendum pro injuria privatis data, ut innuunt verba supr. allata, ubi autem per accusationem civiliter proceditur, necessarium esse, ut præcedat monitio, seu interpellatio extrajudicialis. 2. q. 7. c. *sicut.* 46. Verùm, rectius videtur communis expositio, dicentium *accusationem* in textu sumi pro *denuntiatione*, quæ tendit ad emendationem denuntiati, quâ obtentâ satisfiat subditis. Textus enim (per verba *causam emendet*) non loquitur de injuria, seu damno dato subditis *in ipsorum bonis*, ex quibus vult Gonzalez probari accusationem, prout contradistinctam à denuntiatione; sed solùm de accusatione latè sumpta.

Rz. 3. non requiri, quòd denuntians 253
etiam judicialiter, se inscribat ad pœnam talionis subeundam, per c. *super his.* 16. h. t. ibi: *quando crimen in modum denuntiationis opponitur, ad denuntiationem, non est inscriptio necessaria.* Licet autem prærequirat legitimam admonitionem, quia *ad correctionem est denuntiatio*, ut constat ex dictis; aliæ tamen juris solemnitates, quæ requiruntur in libello accusatorio, etiam in denunciatione judiciali servandæ sunt, juxta Jul. Clar. §. fin. q. 7. n. 11.

Rz. 4. judicialem denuntiationem fieri 254
posse

posse per Procuratorem, ex c. *Cùm dilectus.* 20. h. t. & Abbat. ibidem n. 2. ibi: *quorum nomine sunt ejusmodi excessus nuntiati de Episcopo*, id, quod etiam procedit, licet denuntiatio sit de crimine, si non sit criminalis quæstio, prout constat ex c. *Super his.* 16. h. t. ibi: *licet enim sit de crimine, non est tamen quæstio criminalis. Unde per Procuratorem potest ritè tractari.* Not. autem, cùm quandoque contingat, quòd Judex, vel Prælatus, verbo, vel edicto *præcipiat* denuntiationem fieri, diversam esse rationem obligationis ad denuntiandum in hoc casu, ac ubi *non præcipit*; nam in isto casu est obligatio solùm *charitatis*; in illo autem etiam *justitiæ.* De obligatione charitatis ad denuntiandum, jam in præmissis actum est; nunc de illa, quæ est ad mandatum Judicis & justitiæ; Unde

255 Dubitatur 7. an delictum proximi *occultum* denuntiari debeat ad mandatum, seu edictum Judicis? R. Cùm statim in principio hujus quæstionis occurrat dubium, an ejusmodi denuntiationem, ex edicto Judicis debitam, præcedere debeat secreta monitio? distinguendum esse inter crimina denuntianda, an delictum illud sit occultum? vel non? an *occultum*, & *improbabile?* an *occultum*, sed *probabile?* nimirum per duos, vel tres testes? Quid dicendum, quando crimen est omnino occultum, & improbabile, ac nulli nisi peccanti nocens? constat ex n. 235. si occultum, sed probabile? à n. 229. quid si cedat in damnum Reipublicæ, ex n. 228. si autem cedat in damnum privati, ex n. 236.

256 Quæstio nunc est 1. an quando peccatum omnino secretum, nec alteri nocens pendet in futurum, ubi non est spes emendationis per monitionem secretam, sit denuntiandum ad Judicis mandatum? R. esse denuntiandum, sed solùm ut Patri. Sic Navarra l. 2. de restit. c. 4. n. 221. & alii cum Sanch. l. 6. consil. c. 2. D. 14. n. 5. Prob. nam cum solùm denuntiationem quis in tali casu facere tenetur, quam in re exigit mandatum; sed eo casu, quo Titius solus scit delictum proximi, & probare non potest, mandatum non exigit, ut Titius illud *juridicè*, seu ut Judici, *denuntiet*, nimirum *cum obligatione probandi*; nam id, ut ponit casus non potest, cùm omni probatione careat; ergò solùm exigit, ut denuntiet *paternè*, seu, ut Patri.

257 Si dicas, in eo casu non exigi per edictum, seu mandatum, ut, qui scit delictum illud occultum, ac improbabile, denuntiet *juridicè*, nimirum cum obligatione probandi, sed tantùm, ut de illo deponat tanquam testis; ergo in tali casu tenetur parêre edicto quoad hunc effectum. Sic Armilla V. *Correctio.* n. 7. & V. *Denuntiatio.* n. 2. &c. R. vel eo casu supponitur Judex *habere* sufficientia indicia, quæ æquivalent semiplenæ probationi, vel caret? si caret, probabilius est, non teneri dato casu ad testificandum, seu deponendum *judicialiter* de tali crimine, qui solus novit, si non sit officialis ad ejusmodi actum authoritate publicâ constitutus. Nam ad hoc *non* tenetur *ex officio*, ut ponit casus; *non ex charitate*; nam huic satisfit denuntiando paternè: *non ad avertendum damnum tertii*, quia contrarium supponitur in casu; si habet? jam delictum non est improbabile contra casum.

Ex hoc colliges, quòd *non denuntians* 258 delictum in dato casu, non incurrat pœnam, v. g. excommunicationem, in edicto latam, contra non denuntiantes, si omittat in dicto casu denuntiationem. Quia pœna, *non denuntiantibus*, in edicto imposita, supponit omissionem denuntiationis juridicæ, nam (ut rectè observat Sanch. cit. l. 6. Consil. c. 2. D. 14. n. 10.) Judex sive Ecclesiasticus, sive secularis, *jubens per edicta*, intendit juridicam notitiam delictorum; cùm ergo is, qui solus novit delictum proximi omnino occultum, & improbabile, talem illi notitiam præstare non possit, ut jam ostensum est: non committit delictum in edicto pœnali contra transgressores latum. Et ideo indefinitè docet Navarrus in summa c. 25. n. 46. neminem teneri denuntiare *ad edicta*, qui probare non potest; quod intellige ex lege justitiæ, & *vi edicti*; secùs est ex lege charitatis, sed eo tantùm casu, quo teneretur eadem, etiam secluso edicto.

Quæstio est 2. quid dicendum, quando 259 delictum est publicum? R. si Prælatus, vel Judex vel particulariter, vel generaliter præcipiat denuntiari delicta publica, quæ scilicet notoria sunt, & famosa, omnino esse denuntianda, etiamsi non sint in damnum aliorum. Nam tali casu læditur respublica, cui Judex vel Prælatus ex officio consulere tenetur; consequenter tali casu legitimè præcipit ejusmodi criminum denuntiationem judicialem; ut per *viam accusationis* procedatur contra Reum. sic Armilla. V.

Cor-

Correctio. n. 7. & V. *Denuntiatio.* n. 2. aliique.

260 Ex dictis colliges 1. quando peccatum, jam emendatum, non fuit publicum, nec habet effectum pendentem, non esse judicialiter denuntiandum ex obligatione etiam ad edicta. Sic Navarra l. 2. de restit. c. 4. n. 116. Nam in ejusmodi edictis, præcipientibus denuntiationem delictorum, finis est peccatoris emendatio, vel satisfactio publica: in dato autem casu utrumque cessat. Nam *emendatio* jam prius posita est, ut ponit casus; *& satisfactio publica* solùm debetur ex delicto publico, quod non est in præsenti: ergo.

261 Colliges 2. in his quæstionibus necessariò distinguendum esse inter *viam accusationis*, vel *denuntiationis judicialis*, & *inquisitionis criminalis*; nam licet ad *accusandum*, vel *denuntiandum* crimen, sufficiat notitia criminis, ut probari possit per duos, vel tres testes; non tamen sufficit ad *inquirendum* criminaliter contra determinatam personam, ut constat ex n. 108. Et ideo si quis certus foret, Judicem processurum, *viâ inquisitionis specialis* contra crimen denuntiatum, ut Patri, non teneretur quis, etiam ad edictum, denuntiare. Nam ubi Judici non licet per inquisitionem procedere; nec licet ad hunc finem delicti denuntiationem præcipere; at non præcedente infamiâ, non licet Judici per viam inquisitionis specialis procedere, ut supra ostensum est; ergo.

262 Colliges 3. cùm dicimus, ad licitam denuntiationem requiri in denuntiante *notitiam criminis*, saltem moraliter certam, sufficere certitudinem habitam non tantùm *ex visu*, sed etiam *ex auditu* fide dignorum, qui crimen certificaverunt. Nam notitia ex auditu potest facere fidem; eamque certam, quando ducit originem à fide dignis. Et ideo etiam in opinionum contrarietate circa quæstionem aliquam dubiam, v. g. *an super certo casu detur, vel non detur lex prohibens*, magnam vim habet *authoritas*, hoc est, sapientia, & veracitas stantium pro una parte determinata. Nam, qui scit Virum aliquem in rebus rectè cognoscendis apprimè studiosum, & in judicio ferendo, non modò non præcipitem, sed perquam consideratum, & cautum; nec aliter, quàm sentiat in animo, externè sensa sua manifestantem, non temerè, sed prudenter agit, in re incerta fidem illi adhibendo pro ea parte, pro qua scit stare judicium ejus, quamdiu pars opposita, & stans in contrarium, manet incerta.

263 De *authoritate* sic accepta agit Pereyra in Elucidario sermonis Theologici, Canonici, & Civilis. l. 1. elucidat. 5. n. 91. dicens: multum confert ad opinionis probabilitatem authoritas; quæ licet apud Canonistas quandoque non differat à jurisdictione c. *In literis*, de Offic. delegati; & interdum sit *authorizabilis consensus*, qui competit ex officio publico, vel ex legitima administratione, sicut sunt Tutores, & Curatores: in fusa tamen significatione extenditur etiam ad venerationem, eminentiam, seu dignitatem, quam sequimur, & cui cedere solemus. Ex hoc enim fit eorum sententiis nos cedere, qui eminere communiter æstimantur in aliqua sententia, propter eorum in ea linea peritiam, & rectitudinem in judicando, & asserendo.

264 Colliges 4. qui prudenter credit, propter suam denuntiationem Judicem plùs debito commovendum contra Reum, non teneri eo casu ad denuntiationem. Nam, ubi finis justitiæ exceditur à Judice cum damno tertii, non obligatur quis ad actionem, unde creditur nasciturus ejusmodi excessus utpote illicitus, & ideo etiam, quando certum est, quòd Prælatus, vel Judex etiam denuntiato crimine, non faciet justitiam, nec adhibebit remedium, cessat obligatio denuntiandi; tum, quia cessat ejus finis; tum quia ad opus inutile non datur obligatio. Ita Sylvest. V. *Correctio.* q. 10.

265 Ad extremum not. inter eum, qui respondet ad edicta *ut testis*, ac eum, qui *ut denunciator judicialis*, differentiam esse; nam hic tenetur probare; & si in probatione deficiat, subjicitur pœnæ, respondens autem ut testis non tenetur probare, intellige, quando deponit, ut officialis publicus, ut notat Sanch. l. 6. consil. c. 2. D. 14. n. 6. Et colligitur ex c. *Plerumque.* n. q. 7. ibi: *plerumque boni viri propterea sufferunt alienà peccata, & tacent; quia sæpe deferuntur publicis documentis, quibus ea, quæ ipsi sciunt, Judicibus probare non possunt.* c. *si tantum.* 6. q. 2. ibi: *Episcopus non proferat, quod probare non potest.* & c. *si sacerdos*, de offic. ordinar. ibi. si sacerdos sciat pro certo, aliquem esse reum alicujus criminis, vel si confessus fuerit, & emendare noluerit, *nisi judiciario ordine quis probare possit*, non debet eum arguere *nominatim*, sed indeterminatè.

ARTICULUS XI.

Qualiter procedendum super crimine per exceptionem objecto, vel notorio?

266 PRæter jam expositos modos procedendi, nimirum per viam accusationis, inquisitionis, & denuntiationis, tres alios numerat Vallensis in tit. 1. l. 5. decret. §. 6. nimirum per notorium, per implorationem officii judicis, per exceptionem; quibus addit Pirhing n. 105. h. t. quartum adhuc modum, si Reus in flagranti delicto deprehendatur. Hinc quæstio prima est de modo procedendi super notorio. *Notorium crimen* hîc dicitur, quod nulla tergiversatione celari potest, quale est, quod fit coram populo, integrâ communitate, vel majori ejus parte, sive sit factum permanens, sive transiens, ut docet Julius Clar. l. 5. §. fin. q. 9. n. 2. **Not.** autem, *notorium* aliud esse *juris*; aliud *facti*, aliud *præsumptionis*. Notorium *notoritate juris* dicitur, quod in notitiam omnium, vel majoris partis eorum transit per evidentiam, quæ provenit, vel ex judiciali confessione, vel probatione, vel re judicata; quod autem transit in notitiam omnium, vel majoris partis, per rei *evidentiam*, ut nullâ tergiversatione celari possit, dicitur notorium *notorietate facti*. Notorium autem, *notorietate præsumptionis* est evidentia juris vehementer præsumpta; quod fit, quando dictum, vel factum ex circumstantiis publicis à jure pro veritate accipitur. Tale notorium est Paternitas, & filiatio; quod enim unus sit alterius filius, non potest jure probari. L. *Lucius*. ff. de condit. & demonstrat. jus tamen vehementer præsumit, eum esse filium, qui natus est de nuptiis V. Fagnan. cit. in c. *Vestra*. à n. 76. his præmissis:

267 Communis doctrina est, in *delictis notoriis*, *Judicem posse procedere contra Reum, citra accusationem hominis, vel denuntiationem, aut inquisitionem*, ut dicitur in c. 31. de Simonia, ibi: *in omnibus delictis notoriis, exceptis memoratis, tribus modis procedi potest*, junct. gloss. V. *notoriis*. Et ideo quidam ex c. *Evidentia*, h. t. volunt, quando crimen, & malefactor est notorius, non requiri, quòd servetur ordo juris. Verùm, ut hoc procedat, intelligendum est 1. quòd Judex super evidentia patrati sceleris licitè procedat *sine accusatione hominis*. Nam tunc accusatoris vicem subit evidentia, seu notorietas facti. Intelligendum est 2. quando factum est evidens, etiam *quoad qualitates*, ut nullam etiam in his excusationem habeat. Nam, cùm possit esse evidens, *evidentia facti*, quòd Titius occiderit Cajum; inevidens autem, ac incertum, an occiderit *voluntariè, dolo, ex proposito, vel necessariò ad defensionem, vel juste? suffragante nimirum legitimo titulo*, non licebit procedere, non servato juris ordine, nisi fortè per inquisitionem, præcedente infamiâ; aut alio accusante, vel denuntiante etiam eas qualitates. Intelligendum est 3. ut procedat, si Judici, coram quo contra Reum agitur, delictum sit evidens, aut ibi, ubi contra eum agitur, notorium; si enim tantùm alibi foret notorium, non autem in hoc foro, in quo contra Reum agitur, opus foret legitimâ probatione, qua duo, vel tres testes deponerent, *esse notorium*, delictum (quod factum apparet) commissum esse à Titio. Sic Julius Clar. cit. q. 9. à n. 5. quia sic delictum jam evaderet notorium judici; sufficienter enim ei probatus esset patrator criminis, de quo apparet; non autem, secùs cæterùm, etsi in notoriis, ut dictum est non requiratur, servari juris ordinem, si adsit notorietas facti cum omnibus qualitatibus, sic, ut opus non sit alio accusatore, vel probatione; sententiâ tamen declaratoria criminis, & Rei citatione ad eam audiendam opus est, ut dicitur L. *qui sententiam*. 16. C. de pœnis, cum Jul. Clar. cit. n. 2. V. **dicenda à n. 293.** & seqq.

Quæstio secunda est de modo procedendi, *implorato Judicis officio*. 268 Quantùm attinet ad hunc modum procedendi per implorationem officii Judicis, ad titulum de officio Judicis, qui est 32. in 1. decretal. me remitto. Cæterùm, ut notavimus n. 107. Aliud est *officium Judicis nobile* (quod etiam in jure vocatur auxilium, vel merum officium Prætoris) aliud est *mercenarium*, quòd juri, & actioni institutæ subservit; quia Judex in hoc non est liber, sed exercere debet juxta exigentiam actionis institutæ; & finitur finitâ, seu cessante actione: illud autem dicitur, quòd à Judice non ad exigentiam actionis institutæ, sed per se exercetur à Judice auctoritate juris, vel motu proprio, vel ad implorationem partis, licet nulla competat, vel proponatur ordinaria actio, v. g. ut Ecclesia læsa in integrum restituatur, vel talis contractus rescindatur &c.

Quæstio tertia est de modo procedendi 269

per

per exceptionem criminis. Exceptio naturâ suâ tendit, ad repellendam intentionem adversarii c. *Cùm dilectus.* 2. de ord. cognit. c. 2. de Except. & L. 1. ff. eodem. Exceptio criminis fit, cùm adversario, cujus intentionem repellere volumus, opponitur, vel objicitur crimen aliquod, ratione cujus ab actione sua, quam intendit, vel rejicitur, vel impeditur. Fieri potest dupliciter 1. *Civiliter*, quando non agitur ad vindictam, & pœnam publicam, sed solùm, ut exceptus repellatur, v. g. ab accusando, testificando, à possessione dignitatis, ad quam electus est, capienda &c. 2. cùm exceptio fit etiam ad vindictam publicam, quo casu excipitur *criminaliter*. his præmissis:

270 Not. 1. ad excipiendum, objectione criminis, non admitti *criminosum*, quando fit propter bonum publicum. Nam eo casu exceptio est *voluntaria*, & instar accusationis, à qua criminosus tanquam accusator inhabilis rejicitur, ut constat ex dictis à n. 17. & seqq. secùs est, si suam suorumque causam exceptione criminis tueatur. Nam in hoc casu excipit *necessariò*; quia nemini suum jus prosequenti obstat exceptio criminis arg. 2. q. 6. c. 2.

271 Not. 2. si crimen, quòd per exceptionem objicitur, connexum sit cum jure aliquo, ab eo acquisito, contra quem excipitur, & sit probatum; hunc non tantùm repelli ab eo, propter quod crimen objicitur, sed etiam ab altero jure acquisito. Sic Abbas in cit. c. 2. de Except. n. 2. Et ideo si electus repellitur à confirmatione per exceptionem criminis probati, repellitur etiam à jure acquisito per electionem; quia Electus, qui confirmari non posset, inutilis foret.

272 Not. 3. quòd excipiens criminaliter suscipiat partem accusatoris; & ideo in eo requirantur omnia, quæ in accusante criminaliter, quod tamen limita quoad aliquid in ordine ad faciendam inscriptionem, de quo dicam in sequentibus n. 274. Not. 4. quòd in processu per exceptionem criminis, factam *civiliter*, non posset exceptus condemnari criminaliter; secùs in processu per exceptionem criminalem; sententia enim sequitur processum. Not. 5. cùm alicui crimen per exceptionem objicitur, distinguendum esse, quare opponatur, & quando. c. *Super his.* §. *cum autem.* h. t. Ex hoc enim sequitur, si exceptio criminis fiat *civiliter*, non esse necessariam inscriptionem, quia non tendit ad pœnam, seu punitionem criminis.

Not. 6. ad excipiendum de crimine 273
contra electum in Episcopum, admitti quemlibet subditum, seu diœcesanum; sive fiat contra personam, sive contra formam electionis. Idem est de Parochianis contra promovendum ad Ecclesiam curatam; & quolibet de Ecclesia contra electum ad simplex beneficium. Cujuslibet enim interest, habere bonos Prælatos, Pastores animarum, Clericos; ut rectè notat Hostiensis in c. *super his.* 16. h. t. & Abbas ibidem à n. 10.

Not. 7. quòd excipiens de crimine 274
contra electum, ante illius confirmationem, non teneatur præstare inscriptionem; secùs, si post confirmationem. Nam *antè*; sic electus habet tantùm *jus ad rem*; *pòst jus in re*; & ante confirmationem non dicitur *obtinuisse* beneficium, ad quod electus est, cùm effectu; constat ex c. *super his.* cit. ibi: *Si ante confirmationem opponitur, non cogitur quisquam se inscribere*; & paulò post: *Si autem post confirmationem, debet excipiens se obligare ad extraordinariam pœnam arbitrio judicis discreti.*

Not. 8. posse admitti procuratorem, 275
si habeat mandatum speciale ab illo (Clem. 2. de Procurat.) cujus electio, vel promotio ad Prælaturam, vel Canonicatum impugnatur criminis oppositione; nam licet in hoc casu agatur *de crimine*; non tamen agitur *criminaliter*: ex n. 254. illa enim exceptio solùm tendit ad privationem beneficii, non ad depositionem.

Not. 9. quòd Episcopus, per excep- 276
tionem criminis, illum ab accusatione personæ Episcopi repellere non possit, quem antè neglexit separare à familiaritate sua. Et ideo etiam criminosus (licet regulariter non admittatur ad accusandum, ut diximus à n. 17.) ubi tamen fuerit familiaris Episcopi, in pœnam tolerantis talem in domo, poterit Episcopum accusare, per c. *Nulli.* 5. h. t. sic Gonzalez hic n. 2.

Not. 10. *inimicum*, etiam à *volunta-* 277
ria exceptione per criminis oppositionem repelli. Nam, ut dicitur c. *Meminimus.* 1. h. t. *excipere contra aliquem non potest ille, qui præsumitur manifestus inimicus; ut quia in illa, vel alia causa simili fuit testis alio accusante.* Sic Vivian. in Rationali l. 5. Juris Pontif. pag. 6. Ex quò colliges, quòd testificans contra aliquem in causa criminali, præsumatur

matur factus ejus inimicus. Sic Barbos. in cit. c. *Meminimus.* n. 5.

278 Not. 11. quando contra Clericos, vel Monachos opponitur exceptio criminis, eo fine, ut repellantur à testificando, contra ipsos admitti posse testes laicos; quia talis actio est solùm civilis, non criminalis; & solùm agitur de crimine per viam exceptionis, non autem ad pœnam ordinariam. Sic Fr. Emmanuel qq. Regul, tom. 2. q. 10. à 5. V. supr. n. 22.

279 Not. 12. Agenti possessorio adipiscendæ in beneficialibus, non obstare exceptionem criminis, nisi de eo fuerit infamatus, ut dicitur c. *Accedens.* 23. h. t. ibi: *nisi prædictus Clericus, super prædictis criminibus, publicè fuerit infamatus, concessionem sibi factam executioni mandetis.* Ex quo sequitur, petentem, se mitti in possessionem beneficii, à legitimo collatore concessi, & collationem executioni mandari, debere in possessionem mitti, licet compareat aliquis, per exceptionem opponens illi crimen, si super hoc non sit infamatus. Hoc tamen casu not. quòd Judex attendere debeat, an is qui crimen opponit, sit talis, qui crimen probare possit, & velit. Nam probato crimine saltem per denuntiationem, vel accusationem delato, provisus privatur beneficio c. *Constitutis.* 46. §. fin. de appellat. & c. *Post electionem.* 7. de concess. præbendæ; non probato crimine Reus absolvi debet, ut colligitur ex cit. c. *Accedens.* 23. h. t. saltem præstitâ purgatione canonicâ.

280 Quæstio quarta est de modo procedendi super crimine in flagranti? Ante resolut. not. *Crimen* interdum sumi pro quolibet peccato; sed *propriè significare peccatum grave, accusatione, ac condemnatione dignum*, ut colligitur ex Concil. Toletano in c. *Unum.* distinct. 25. & in hac etiam significatione sumi *Crimen* à Legistis, testatur Pereyra in Elucid. l. 1. elucid. 8. S. 1. n. 137. *Crimen* sic acceptum multiplex est in genere, & in specie. *In genere* vel est publicum, vel privatum, vel occultum, vel grave, vel enorme, vel merè Ecclesiasticum, vel merè civile, vel mixtum, inexpiabile, piaculare, capitale, criminosum &c. *In specie:* vel est crimen repetundarum, vel læsæ Majestatis, Peculatûs, Stellionatûs, Perduellionis, Concussionis, expilatæ Hæreditatis, &c.

281 *Crimen publicum* (dictum *populicum* à Molina tom. 4. D. 44. n. 1. teste Lessio l. 2. de Just. c. 30. d. 3.) juxta aliquos est illud, cujus accusatio cuilibet concessa est ex eo, quòd illius punitio ad publicam utilitatem spectet, L. 1. & 2. de publ. Judic. *Privatum* autem, cujus nimirum accusatio solùm concessa est ei, qui injuriam, vel damnum passus est, quale est crimen furti, injuriarum, stellionatus &c. L. *fin.* ff. de privat. delict. sed hæc explicatio non potest esse necessaria differentia inter crimen *publicum*, & *privatum*. Nam aliqua habentur pro delictis *publicis* (adulterium enim inter delicta publica numeratur L. 1. ff. de public. Judic.) & tamen illius accusatio non permittitur, nisi certis propinquis personis, ut constat ex tit. de adulter. Idem est de falso in suppositio partu, aliisque, de quibus V. Haunold. tom. 6. de Jure & Just. tr. 2. à n. 1.

282 Rectiùs igitur delictum publicum dicitur, *quod in ordine ad certos juris effectus, lege*, vel *consuetudine* numeratur, seu *habetur pro publico*; id quod colligitur ex L. 1. ff. de Judic. Public. ibi: non omnia judicia, in quibus crimen vertitur, publica sunt; sed *ea tantùm*, quæ ex *legibus judiciorum publicorum veniunt*. Et ideo etiam Strykius l. 4. Instit. Tit. 18. §. 1. crimina *publica* dici docet, non ex eo solo, quòd principaliter lædant Rempublicam; sed, quod lege publicâ vindicentur. Ex quo vides, has denominationes, *esse delictum publicum*, vel *privatum*, esse mutabiles; cùm juris dispositione, vel consuetudine, delictum publicum possit transire in privatum; & viciſſim.

283 Crimen *occultum* variè accipitur, 1. ut opponitur *publico*, prout hoc accipitur hic in n. priori; vel prout opponitur publico, sumpto scilicet pro eo, quod est notum in oppido, aut in Vicinia, Collegio, vel communitate; vel 3. etiam prout sumitur occultum juxta dicta n. 103. & 229. vel denique ut est oppositum *notorio*, de quo n. 266. Crimen *grave* videtur coincidere cum peccato lethali, vel formaliter, vel fundamentaliter tali; & latius patet, quàm enorme. *Enorme* enim dicitur crimen *excessivè magnum*, quod in jure canonico dupliciter accipitur, ut notat Pereyra cit. n. 142. primò, cùm excedit *normam* pœnitentiæ, quando scilicet hæc non potest plenè reduci ad delendam culpam cum pœna, quin semper aliquid remaneat de pœna, quale est, quod impedit ordinis executionem, & beneficii retentionem, etiam post pœnitentiam. Tale crimen, jure canonico censetur homicidium voluntarium. c. *Mi-*

nora,

nora, dist. 50. & c. *si quis omnem*. 1. q. 7. *Hæresis*, c. *ventum*. 1. q. 1. *Simonia* in ordine, & beneficio &c. Secundò cùm excedit *normam dispensationis*; quando scilicet tale est, ut non recipiat dispensationem. Et hoc sensu dicuntur enormia omnia crimina, quæ inducunt infamiam civilem, ex quibus quis remanet infamis etiam post pœnitentiam. c. *Porrò*. 3. q. 7. & c. *Hinc colligitur*. 2. q. 3. sic ille; addens in fine juxta Farinac. in praxi. q. 8. n. 59. *prudentis arbitrio relinquendum esse, quæ sint delicta enormia.*

284 Dixi *jure canonico*. Nam *jure civili* crimen *enorme* (juxta Farinacium, ut refert Haunold. cit. n. 22.) dicitur, cui statuta est in foro externo pœna, quæ gravior reputatur, quàm si diviti imponeretur pœna ultra tertiam partem bonorum; *enormius*, cui mors civilis, *enormissimum*, cui mors naturalis: at secundum Jul. Clarum, relatum ibid: *enormissima sunt ea solum ex usu juris*, quibus imponitur *mors qualificata*. v. g. ut Reus equis raptetur, rotæ inseratur, flammis absumatur &c.

285 Not. autem 1. crimen *enorme*, & *atrox* pro invicem sumi, ut videri potest apud Haunold. cit. n. 21. in ordine ad forum externum; & cùm unum crimen altero gravius sit, etiam unum altero est *atrocius*, seu magis enorme; aliud *atrocissimum*. Gravius autem unum altero reputatur *in foro externo*, ex eo, quòd sit Reipubl. perniciosius altero, cujusmodi est 1. delictum *mali exempli*, ut dicitur L. 3. §. 2. ff. ad Leg. Cornel. de Sicar. & L. 3. §. 5. ff. de pœnis. 2. *homicidium proditoriè factum*; nam à Proditore non possumus ita cavere, sicut à palàm aggrediente. 3. *commissum clàm, vel noctu*; eò, quòd tale crimen præsumatur fieri ex majore animi deliberatione, nisi fiat *noctu* solùm ob verecundiam &c.

286 Not. 2. quando delicta commissa sunt solùm *ex quadam temeritate, etsi culpabili, non tamen ex dolo* non reputari inter *atrocia juridicè*, sed *levia*; colligitur ex L. 18. C. qui accus. non possunt, ibi: *si fororem tuam leviorum commissorum ream facis*, accusationem non *prohiberis exercere in judicio præsidiali, quo temerè commissa, congruâ ultione plectantur*. Ex hoc sequitur, si prohibitus accusare *in atrocibus*, in aliquo crimine accusare permittitur, crimen hoc non reputari *atrox juridicè*; sed frater sororem accusare potest *in temerè commissis secluso dolo*, licet non possit in atrocibus; ergo *temerè commissa secluso dolo*, non reputantur *juridice atrocia*. Sic Haunold. cit. n. 23.

Sequitur 2. ut crimen aliquod juridice 287
reputetur *atrox*, non esse satis, quòd versetur circa rem graviter pernicioſam Reipublicè: sed requiri etiam, quòd non fiat *merè temerè*, *& secluso, sed cum dolo*; sic non omne votum, vel peccatum *circa materiam reservatam*, est reservatum; nec omne peccatum circa materiam gravem, propterea statim est grave, ut per se constat. Sequitur 3. rationem criminis, in quantum juridice reputatur *enorme*, seu *atrox*, *atrocius*, vel *atrocissimum*, potissimum desumi à posterioribus, nimirum ex pœnis, quæ jure, consuetudine, vel statuto certis criminibus impositæ sunt; non autem ex natura rei, cùm illæ denominationes, ut diximus n. 282. mutabiles sint; & in uno loco magis (propter frequentiam, aut nationum proclivitatem, aliasque causas) quàm in altero, tali Reipublicæ pernicioſa sint.

Præter hæc not. 1. crimen *merè Eccle-* 288
siasticum (ut exponit Azor p. 2. Instit. moral. l. 3. c. 53.) dici, cujus prohibitio ducit originem, vel ex solo jure canonico, vel simul cum jure naturali, aut divino, sed absque civili; & de tali crimine solùm cognoscitur, & judicatur ex præscripto juris canonici, non civilis. Tale crimen est *hæresis*, *Simonia* &c. *merè civile* illud, cujus prohibitio ortum habet ex jure civili, non canonico; consequenter solùm cognoscitur, & judicatur ex præscripto juris civilis.

Not. 2. crimen *mixtum* dici (conse- 289
quenter mixti fori,) quod prohibetur utroque jure, Ecclesiastico, & seculari, consequenter pertinet ad utrumque forum sic, ut de illo tam Judex Ecclesiasticus, quàm secularis cognoscere, ac judicare possit. *Inexpiabile*, quod nunquam expiatur, seu purgatur; *ptaculare*, quod sanguine piandum, & puniendum; L. 2. c. ne Sanctum Bapt. *Capitale*, quod punitur pœnâ capitis. L. *Rei capitalis* ff. de pœnis. & L. *edicto* §. rei capitalis, de bonorum possess. *Criminosum*, quod committitur communicando cum criminoso, nimirum fovendo ejus contumaciam; de quo fit mentio in c. *nuper*, c. *si concubinæ*, de sentent. excommunic.

Hæc dicta sunt de crimine *in genere*, sine 290
quorum notitia vix rectè intelligi possunt ea, quæ libro V. decretalium traduntur; cùm juxta eorum diversitatem diversi omnino

sint juris non tantùm effectûs, sed etiam dispositiones, consuetudines, & statuta; de criminibus *in specie* dicemus in titulis seqq. his præmissis observandum, *flagrans crimen* (quo verbo usus fuit Justinianus in L. *unic.* C. de Raptor. Virg.) dictum fuisse illud, *in quo quis deprehenditur*, teste Pereyra cit. n. 1872.

291 Circa modum procedendi super *crimine flagranti* (cùm scilicet Reus in ipso crimine actu deprehenditur:) Pirhing h. t. n. 105. notat 1. quòd talis deprehensio non faciat *plenam probationem*, nec sufficiat, ad condemnationem Rei, saltem in delictis, & pœnis gravibus; nam in ordine ad hoc requiritur probatio, quæ nullum Reo justum effugium in foro externo admittat; si enim aliquâ tergiversatione, seu probatione revelante celari potest, non est probatio plena, sufficiens ad condemnandum, ut constat. ex *L. ult.* C. de probat.

292 Not. 2. ejusmodi deprehensionem sufficere, ut Reus capiatur *à competente judice*; ac super eo delicto examinetur; ut, si fateatur, contra illum executio pœnæ fiat; si neget, & persona vilis sit, torturæ subjici possit. sic Jul. Clar. in pract. crimin. §. *fin.* q. 8. n. 2. Vide tamen n. 298. infra, ubi hoc ipsum limitationi subjicitur, ut non procedat tam indefinitè, prout hoc asseritur à Julio Claro.

293 Verùm, esto aliqui credant, contra deprehensum in flagranti crimine, statim posse procedi sine solennitatibus juris, sicut in notoriis; hoc tamen non est ita indefinitè verum. Nam 1. etiam *in notoriis* non licet statim procedere sine omni forma juris. Non enim satis est, *delictum esse notorium* utcunque, sed requiritur, quòd sit *notorium Judici* per sufficientes testes; sicut enim discreto, ac justo Judici (ut procedat ad sententiam:) constare debet per legitimas probationes non solùm *quantitas*, & *qualitas* delicti, sed etiam circumstantiæ delinquentis, *ætas*, *conditio*, *sexus &c.* sic constare illi debet *delicti notorietas*, ut procedat super *notorio*; colligitur ex c. *sicut dignum* 6. de homicid. ubi Alexander 3. Exoniensi Episcopo rescribens ait: sanè, cùm vir discretus existas: plenius nosti, quòd in excessibus singulorum, *non solùm quantitas, & qualitas delicti, sed ætas, scientia, sexus, atq; conditio delinquentis sunt attendenda: & non solùm secundùm prædicta, sed secundùm locum, & tempus, quo delictum committitur, unicuiq; debet pœnitentia indici: cùm idem excessus magis sit in uno, quam alio puniendus.*

Ex hoc sequitur 1. aliud esse, delin- 294
quentem esse in flagranti deprehensum *ab ipso Judice*; aliud ab *officiali* ad criminum denuntiationem authoritate publicâ constituto; aliud, *ab alio solùm privato*. Ut enim Judex procedat super crimine flagranti, æquè illi probari debet *criminis flagrantia*; quàm *notorietas*, ut procedat super notorio. Et quamvis Julius Clarus q. 9. n. 5. velit, quando Judici *notorietas delicti* non constat, notorietatem criminis probandam, & super ea capiendam informationem *judicialem*; ad minùs saltem *extrajudicialem*; alii tamen id exigunt, ne procedat super sibi non noto; ergò idem est, cum non constat Judici *deprehensio in flagranti*.

Sequitur 2. quando dicitur *in notoriis,* 295
& in his, quæ manifesta sunt judiciarium ordinem non requiri; & Judicem nulli juris ordini adstringi, non intelligi de ordine jure naturali, & divino præscripto, sed solùm humano, & solùm tunc, quando crimen est *adeo notorium*, ut sit evidens, nullam Reo competere excusationem, seu defensionem, quâ saltem delicti gravitas aliqualiter extenuetur. Ratio primæ partis est, quia juri naturali, vel divino nullum jus humanum statuere contrarium valet: ratio secundæ partis est, quia aliàs ageretur contra jus naturæ, quo cuique patere debet via suæ defensionis, & nemo inauditus debeat condemnari. In casu porrò, ubi crimen adeo manifestum est, ut non exigat juris humani solennitates, dicta regula sic accipienda venit, ut Judici procedere liceat ex officio, sine citatione, libello, litis contestatione, sententia inscripta, vel lata à sedente &c. modò illi sufficienter, ut dictum est, constet de notorietate delicti, aut crimine flagranti.

Præter hæc not. 1. in notoriis non ad- 296
mitti recusationem Judicis, tanquam suspecti, per c. 24. de appellat. Nam hæc non prodest, nisi ubi servari debet *ordo juris*; sed hoc intellige pro casu, quo pœna determinata est à lege; nam in illis, quæ judicis arbitrio committuntur, atque adeo, ubi pœna est arbitraria, potest Judex quandoque rationabiliter esse suspectus; consequenter recusari utiliter. Textus in cit. c. 24.

Notandum 2. in notoriis non admit- 297
ti appellationem, ut constat ex c. 5. §. *fin.* de appellat. ibi, *si raptor sit, vel violentus deten-*

detentor alienæ rei, qui appellat, hujusmodi appellatio facta in judicio, apud Ecclesiasticas personas solet audiri, nisi fortè vel manifestus raptor; vel fornicator existat; intellige, dummodo à Judice *ad quem* nec dum facta sit inhibitio Judici *à quo*. Nam in hoc casu iste non posset exequi sententiam, à qua Reus appellat, donec ei notificet, casum esse inappellabilem.

298 Dixi superius n. 292. deprehensum in flagranti posse capi à competente Judice, ac super eo crimine quæstionibus subjici; ubi not. quando talis delinquens est exemptus ab alicujus jurisdictione, etiam *in criminalibus*, eum ab hoc Judice tanquam incompetente, non posse capi, nisi periculum sit in mora. Nam in hoc casu licebit ei capere, at nullo modo quæstioni, aut examini subjicere, sed statim competenti foro restituendum esse; cùm nemo jurisdictionem licitè exercere possit in non subjectum, præsertim quando Judex, qui se privativè ad alios, competentem authentice docet, Reum restitui petit.

299 Ex hoc sequitur 1. cùm dicitur, quòd quis ratione delicti sortiatur forum, id intelligendum esse, de non exemptis speciali privilegio personæ, per supremi Principis gratiam specialem, quâ talis persona, vel communitas, ac singuli de illa expresè, non tantùm in civilibus, sed etiam criminalibus subjiciuntur certo Judici duntaxat, & cum speciali expressione, *privativè ad omnes alios Judices jurisdictionem habentes dependenter à tali Principe*, sic enim talis Judex evidenter usurparet jurisdictionem, quam non habet.

300 Sequitur 2. multò minùs id licere in casu, quo talis exemptus non in flagranti deprehensus, sed solùm suspectus esset de aliquo crimine, puta, si ejus literæ, quo v. g. debitori, solutionem neganti, per literas comminaretur, se aliâ viâ satisfactionem in bonis vel subditis ejus indubitatò quæsiturum, quam comminationem quidam nunc vocant diffidationem (Absagung oder Feind-Brieff) ut videri potest apud Besoldum, & Speidelium, in Thesauro practico lit. A. n. 6. Ratio procedit à fortiori; quia nemo potest exercere actum Jurisdictionis sive contentiosæ, sive voluntariæ in non subditum, ac invitum, ut rectè probat Fagnanus in c. *Omnis* de Pœnitent. & remiss. n. 81. ex c. *Ut animarum*, de constitut. in 6. c. *at si Clerici* de Judic. c. *A nobis*, de sent. excommunic. *Exemptus* autem æquiparatur *non subdito*, ut notat Riccius P. 1. Decision. Curial. Archiep. Neopolit. p. 1. decis. 163. n. 12. Et ideo, ut docet Barbosa in Repert. practic. concluf. utriusque juris lit. J. V. *Judex*, Judex utens majore jurisdictione, quàm habeat, venit puniendus, & committit crimen læsæ Majestatis per L. 3. §. *ult.* ff. ad leg. Jul. Majest. vel crimen falsi, per L. *qui nomine* L. *eos* C. de falsis.

Dices: privilegium exemptionis non 301
prodest exempto in criminibus exceptis, quale est crimen læsæ Majestatis, quo nomine etiam venit *diffidatio*, saltem in certis provinciis ut constat p. 3. Judic. ordinis Criminalis Austriæ supra Anasum, art. 3. & videri potest apud Jo. Weingartler in Con- & discordant. Jurisconsult. ejusdem Austriæ, tit. 18. de Judic. public. Nam crimina *publica*, præsertim graviora, & atrociora, reservata sunt jurisdictioni Supremi Principis, quam per subordinata sibi tribunalia, eorumque Præsides exercere vult.

R. 1. trans. quando Judex procedit vel 302
ad accusationem partis, vel ad denuntiationem publici officialis, vel per inquisitionem contra diffamatum super tali crimine; non autem, ubi solùm est mera suspicio, & præceps cogitatio, ex qualicunque epistola. Nam ejusmodi modus procedendi nullâ lege humanâ, vel consuetudine, utpote contrarius juri naturæ per dict. à n. 139. induci potest, præsertim cùm jure consuetudinario, ut patet ex eod. ordine Judic. p. 2. c. 3. in criminalibus nec manus propria Rei plenè probat delictum, nisi ad summum, temerè duntaxat minitatum, secluso omni dolo, quo casu nullatenus venit inter atrocia delicta ex n. 287. talis epistola alicujus inimicitiæ comminatoria, præsertim non seria; sed solùm incutiendi metûs causa, ut sibi debitum acquirat.

R. 2. quando Princeps alicui commu- 303
nitati, & singulis de illa, concedit privilegium exemptionis, ab omni alio Judice sibi subjecto, specificè expressis nominibus officiorum (*Locumtenentis*, *Præsidis Provinciæ*, *Vice Domini* &c.) etiam in gravioribus, & criminalibus, eam soli Præsidi ejus communitatis reservando, contra omnes ejusmodi subordinatos Judices, exempto prodesse suam exemptionem, sic, ut ipsi contra eundem etiam in gravioribus, & criminalibus nullatenus procedere possint, præteritâ competente instantiâ talis privilegiati à

Privile-

Privilegiante expressi, aliàs enim exemptio *tam specifica* frustraretur suo effectu. Quod dicitur, *de criminibus exceptis*, in hoc casu nihil probat 1. quia exceptio certi criminis, non prorogat jurisdictionem Judicis, qui specificè excluditur à cognitione criminis ejusmodi exemptorum, delicti cognitione criminis ejusmodi exemptorum, delicti ne, ac castigatione expressè reservatâ soli Præsidi communitatis, de qua Reus est.

304 Secundò, quando jus consuetudinarium alicujus Provinciæ certum aliquod delictum annumerat *delictis publicis, atrocibus*, vel *læsæ Majestatis*, quod jure communi non est tale, reservatio vel exceptio talis criminis non admit jurisdictionem (exclusivè ad omnes alios judices:) concessam ordinario Judici; nec illis sic exclusis tribuit, si talis exemptio fit à supremo Principe, postquam tale jus consuetudinarium *scienter*, authoritate suâ, *confirmavit*. Nam Princeps *à jure* per se, vel subjectos Ministros, condito, vel confirmato (quo certi casus excipiuntur, non jure communi, sed statutario:) *Scienter* eximens aliquam communitatem cum clausulis derogatoriis jurisdictioni omnium Judicum Inferiorum, *etiam exceptioni derogat*, posteriori concessione in omnibus expressis, ut dicemus alibi; *diffidatio* autem non est proprie crimen læsæ Majestatis, ut colligitur ex loco cit. apud Weingartlerum super. Austr. Syndicum, ibi: *impropriè committi dicitur, & non jure communi, sed solo statutario illi annumeratur*, ut dictum est, quod maximè procedit, si committatur solùm contra privatum ejusmodi comminatio; ergo.

Ad summum igitur procedit in crimine 305
atrocissimo, aut ubi est periculum in mora, vel quando tendit contra summum Principem, & Imperii statum &c. Accedit, quòd exceptio criminum non tam fit à jurisdictione ordinarii judicis, quàm ab ordine judiciario, & juris solennitatibus, in ejusmodi causis atrocioribus, aut atrocissimis, non observandis secundùm dict. supr. cùm ageremus de inquisitione criminali.

QVÆSTIO II.

IN TITULUM II. DE CALUMNIATORIBUS.

306 CUm præcedente titulo actum sit de accusatione, inquisitione, ac denuntiatione criminum; frequenter autem contingat ab ipsis accusantibus, vel denuntiantibus aliena crimina, in illo ipso actu committi quædam delicta (puta, si *temerè*, vel *ex malitia* id agant) præsenti titulo de his agitur. Cùm autem tribus modis accusatores, & denuntiatores suam temeritatem, vel malitiam detegant, *calumniando*, seu falsum imponendo, (quod est maximè proprius actus calumniantis juxta hunc titulum) *prævaricando*, seu vera abscondendo; *tergiversando*, seu ab accusatione desistendo, (ut dicitur L. 1. ff. ad S. C. Turpillian. & c. *Si quem. §. Accusatorum* 2. q. 3.) de singulis in sequentibus agendum erit.

ARTICULUS I.

De Calumniatoribus.

Calumnia in genere supponit pro quolibet fraudulenta informatione, cavillatione, frustratione, & perversa juris interpretatione. Pereyra cit. in Elucidar. n. 1193. ait *calumniatorem* propriè esse, qui per fraudem, & frustrationem, alios accusando, vexat; & vocem illam quandoquo sumi etiam pro eo, *qui non debitum petit*, ut habetur L. *penult.* ff. ne quis eum. Haunoldus tom. 6. de Jur. & Just. tr. 2. n. 155. ait, calumniam etiam committi, *quando quis in judicio conatur sustinere tanquam verum, & æquum, quod scit, aut scire debet, esse falsum, & iniquum.* Huic calumniæ cavendæ adinventum est saluberrimum juris remedium, *juramentum calumniæ*, quo nimirum quis 307

jurat,

jutat, se bonâ fide, & non animo calumniandi, agere, egisse, vel acturum, licet in multis provinciis, magno sanè detrimento boni communis prætermittatur. Cœterùm in hoc titulo aliam habet significationem, ut patebit in sequentibus, quibus præmissis:

308 Quæres 1. quid sit, & quot modis committatur calumnia? R. *Calumniam*, juridicè, ac juxta acceptionem, quâ in hoc titulo de illa agitur, *esse impositionem falsi criminis in judicio*: duplex est, vera, & præsumpta. *Vera*; cùm alter malitiosè, ac scienter accusatur, vel defertur de rebus falsis: *præsumpta*; quando quis in probatione objecti criminis deficit. Nam tali casu præsumitur quis animo calumniandi alterum vocâsse in judicium; quia *qui aliquem vocat in judicium, paratas debet habere probationes*. L. *qui accusare*. 4. c. de Edendo.

309 Quæres 2. quomodo committatur calumnia *vera*? R. ut accusator, vel denuntiator sit reus *veræ* calumniæ consideratâ illius acceptione in præsenti, requiri 1. quòd alteri *imponat falsum*. 2. quòd *scienter*. 3. quòd *ex malitia*: verus enim calumniator est, (juxta cit. L. 1. ff. ad S. C. Turpillian.) *qui sciens in judicio, alteri obtrudit, dolo malo, falsum crimen*. *Dolo* fieri dicitur, quod fit ex proposito, seu animo illud ipsum faciendi, ut constat ex L. *In lege*. ff. ad leg. Cornel. L. 1. §. *& ex*. item L. *Divus*, eod. *Dolo malo*, quod fit callidè ad circumveniendum; vel fallaciter ad fallendum: vel *machinatione*, ad decipiendum. Sic Pereyra in Elucidar. à n. 659.

310 Ex hoc colliges non committi calumniam *veram* juridicè acceptam, ubi non imponitur falsum; vel licet imponatur falsum, *si abest dolus*, seu *animus decipiendi, fallendi*, vel *circumveniendi*; qui tamen valdè rarò abest in his, quibus una intentio est, lucrandi causa, quibuscunque tandem fraudibus partem contrariam in rete suum trahant, esto sciant, id, quod agunt, iniquum esse. Haunold. tom. 6. de jure, & just. tr. 2. n. 483. generatim dicit, aliquid *fieri dolo malo*, idem esse, ac fieri ex malitia, æstimata nimirum voluntate, & proposito; & quoniam *dolus malus*, seu prava hæc intentio residet in animo, cujus arcana immediatè sub sensus non cadunt, ideo, ut dicitur L. 3. §. 2. ff. de vi, & vi armata; sufficit adesse talia indicia, ex quibus dolus præsumi possit.

311 Quæres 3. quando censeatur calumnia *præsumpta*? R. jam constare ex n. 308. in accusante, qui deficit in probatione objecti, seu delati criminis, nisi justa causa excuset, præsumi, cum accusâsse animo calumniandi, nimirum dolosè, & malitiosè impingendi alteri falsum crimen (nam ut quis calumniatus esse dicatur, semper dolus requiritur, juxta c. 1. h. t. L. 9. C. eod. & L. 6. *§ fin.* ff. ad S. C. Turpillian.) quæstio autem est, quæ censeantur *justæ causæ* à præsumpta calumnia excusantes.

Varii, varias afferunt; inter potiores 312
numerant communiter sequentes. 1. *necessitatem officii* L. 5. *§. advocatum*. ff. de his, quibus ut indign. qualem *Tutori* præstat tutela, per L. 2. C. de his, qui accus. non poss. vel *Procuratori Fisci*, munus publicum, L. 2. C. *de delatoribus*. ut notat Gail. l. 1. observat. 90. Secundò, *sexûs infirmitatem*, in muliere l. 1. §. 10. ff. ad S. C. Turpill. Nam sexûs imbecillitas mulierem facilè excusat, ubi non adsunt indicia firma doli, seu malitiæ. Tertiò, si accusator, *qui non consuevit calumniari*, intentionem suam saltem semiplenè, probavit per unum testem; aut deceptum se probet à Testibus. Quartò, si ipse defunctus causa fuit accusationis; ante mortem, v. g. dicendo, se à Titio lethaliter vulneratum. Nam, de homine in tali statu, dolus & malitia non præsumitur. Quintò, si accusator intentionem suam probavit per Testes, qui postea deprehensi sunt illegitimi, aut se deposituros de tali crimine promiserunt, & postea se subduxerunt, aut vacillârunt. Sic Abbas in c. 2. h. t. Sexto, si ad accusandum inductus sit, vel *justo dolore*, qualiter esset in marito uxorem adulterii ream postulante. L. *Quamvis*. C. ad Leg. Jul. de adulter. vel in Parente necem filii vindicante, L. 2. C. h. t. aut *propinquitate*: censent aliqui accusatorem (esto in probatione deficiat) excusari etiam à calumnia præsumpta *ex ipsa gravitate criminis*, super quo accusavit, ut si crimen sit atrox, & enorme, puta læsæ Majestatis, hæresis, simoniæ, &c. quod quidam extendunt ad omne crimen exceptum; sed hoc postremum nimis laxè dicitur, & sternit viam gravissimis innocentum infamationibus per temerè objecta crimina, præsertim apud Judices, quibus umbra sufficit ad carcerandos delatos de excepto crimine, ratis, sibi esse in similibus amplissimam arbitrandi facultatem, ut diximus supr. quod sanè iniquissimum est, sed V. quæ dicam in sequentibus.

Quæres 4. an atrocitas accusati crimi- 313
nis

nis excuſet à calumnia præſumpta? 'Ante reſolut. not. 1. *crimen exceptum* hîc vocari *quaſi demptum de numero eorum, pro quibus aliàs exſtat aliqua communis regula, vel juris diſpoſitio*; hinc ea crimina *excepta* dicuntur, quæ niſi ſpeciali diſpoſitione demerentur à numero aliorum eo ipſo ſub eadem juris diſpoſitione venirent, ſub qua veniunt alia, ut magis conſtabit in ſubjectis exemplis. Not. 2. eſſe diſpoſitionem juris Eccleſiaſtici, quòd Reus gravium, imò, & graviſſimorum criminum conſcius, cùm advertit ſe proditum, & ad punitionem quæri à Judice Laico, confugiens ad Eccleſiam, vel monaſterium, gaudeat Eccleſiaſticâ immunitate; quia tamen exſtat ſpecialis conſtitutio Gregorii XIV. quæ incipit, *Cùm aliàs nonnulli*, (quæ eſt VII. inter ejus conſtitutiones in Bullario) per quam è numero eorum criminum (quorum conſciis prodeſt favor aſyli Eccleſiaſtici) aliqui demuntur (ut ſunt *homicidium proditorium, aſſaſſinium, hæreſis, læſæ Majeſtatis in perſonam ipſiusmet Principis, homicidium, vel mutilatio in Eccleſia, vel cœmiterio, populationes agrorum, publica latrocinia, & inſidioſæ aggreſſiones viatorum*) ideo hæc, *excepta* dicuntur à communi lege gaudentium Eccleſiaſticâ immunitate. Similiter, ut conſtat, ex dictis ſuprà, eſt communis, & generalis regula, *non licere Judici procedere ad criminalem inquiſitionem ſpecialem circa perſonam determinatam, niſi conſtet eſſe jam infamatam ſuper tali crimine*: quia tamen extant aliæ diſpoſitiones ſpeciales, vi quarum ab ea communi regula quidam caſus & certa crimina, de quibus ſuprà, demuntur: ideo dicuntur *excepta*; & ſic de aliis.

314 Not. 3. ex hoc, quòd crimen aliquod ſit *exceptum* ab una regula, quæ generaliter diſponit de criminibus quoad certos effectus, v. g. ut eorum Rei gaudeant immunitate Eccleſiarum, vel non poſſint inquiri ſpecialiter non præcedente infamiâ: non propterea rectè, ac juridicè dici *excepta indefinitè* etiam propter paritatem, vel identitatem, aut majoritatem rationis in hoc repertam. Ratio hujus eſt, quia licèt *Magia* (in quantum ſcilicet præcisè explicat ſuperſtitioſam, ſeu dæmonicam rationem, operandi quædam mira, ope dæmonum, per ſigna, ſeu cauſas naturales, quibus poſitis excitatur dæmon ad faciendum, quod Magus petit) ſit crimen par, vel etiam majus, quàm quæ diximus excepta à privilegio Eccleſiaſticæ immunitatis, non propterea dicitur *exceptum*; & licet crimen *læſæ Majeſtatis divinæ* ſit infinitè gravius crimine *læſæ Majeſtatis in perſonam ipſius Principis humani*, non tamen eſt *exceptum*, ſicut iſtud; ut manifeſtum eſt ex cit. conſtit. Greg. XIV. §. 10. ibi: *quoad ſuperius præſcripta duntaxat.*

Notandum 4. non poſſe dici *crimen* 315
exceptum à communi lege, diſponente de certorum criminũ cognitione, punitione, ab his vel illis facienda, *niſi eò ipſo aliàs ſub hac lege communi contineretur, ſi aliâ diſpoſitione ſpeciali de illorum numero non demeretur.* Nam qui ſpeciali lege, vel diſpoſitione juris aliquẽ caſum eximit à lege generali, ſupponit neceſſariò, ſeclusâ tali exemptione, comprehendendum à tali diſpoſitione generali, aliàs dici poſſet *de numero hominum demi, qui non eſt homo.* Ex hoc ſequitur, per hoc, quòd *crimen læſæ Majeſtatis* jure communi ſit crimen exceptum, non rectè inferri; quòd crimen *A.* ſit jure communi crimen exceptum, ſi tale crimen *A.* jure communi non numeretur inter crimina læſæ Majeſtatis; aliàs dices illud demi, & auferri de numero eorum, ſub quorum numero nec veniret, eſto non demeretur. Nam *jure communi* è numero criminum læſæ Majeſtatis demi non poteſt, quod jure communi non eſt in eo numero, ut conſtat ex priori numero. Sed nec jure ſpeciali alicujus provinciæ demi poteſt ex eo numero; nam etiam ſublatâ hâc exceptione provinciali, ſeu municipali, adhuc non veniret *jure communi* in numero criminum læſæ Majeſtatis, ut ponit caſus; ergo ex eo numero jure municipali auferri, aut demi non poteſt, ut verum ſit *eſſe exceptum jure communi.*

Sequitur 2. ſi extet ſpecialis diſpoſitio 316
municipalis, vi cujus aliquod crimen dicatur *exceptum jure municipali*, requiri, quòd *jure municipali* tale crimen contineretur in numero criminum, de quibus generaliter diſponit jus municipale, ſi non exciperetur inde. Ratio eſt eadem quæ numero præcedente. Sequitur 3. aſſerenti certum aliquod crimen (v. g. *diffidationem*, quæ juxta Beſoldum in Theſaur. practic. & Speidelium, lit. A. n. 6. definitur (quòd ſit *denuntiatio animi hoſtilis, quâ quis alii cuipiam ſignificat, ſe eum armis, igne, ſpoliis & raptnis perſecuturum*) eſſe in aliqua provincia (*particulari ejus jure*) *crimen exceptum*; quia tali jure eſt crimen læſæ Majeſtatis;) incumbere probationem 1. quòd eo jure numeretur

retur inter crimina læsæ Majestatis. 2. quòd eodem jure excipiatur à communi lege, à cujus dispositione illam eximit. Cùm enim jure communi eo titulo non sit exceptum, ut ponit casus; ut Judex aliàs non ordinarius titulo *exceptionis*, seu *criminis excepti à jurisdictione Judicis ordinarii* procedat contra inunitum lege communi, aut speciali; non licebit ei titulo exceptionis ab ea lege communi, vel speciali contra illum procedere, nisi eam exceptionem doceat, ut est commune, ingerendo se in jurisdictionem Judicis ordinarii.

317 Sit exemplo: *Titius*, privilegio supremi Principis gaudet jurisdictione cognoscendi, judicandi, terminandi, & puniendi omnes excessus, & causas tam civiles, quàm criminales certi hominum generis, v. g. scholarium, *privativè* ad omnes alios Judices, ab eodem summo Principe in jurisdictione sua dependentes, etiamsi sint ejus *locumtenentes Provinciarum Præsides, Vice-Domini &c.* contingat casus criminis commissi ab uno de illo genere hominum sic exemptorum; quod jure communi non sit *crimen læsæ Majestatis*, neque *hoc titulo exceptum*; nec constet, esse tale jure municipali derogante illius Judicis jurisdictioni: non est dubium, ejusmodi *judicem dependentem* excessurum suæ jurisdictionis limites, Reum carcerando, & quæstionibus subjiciendo; quia in præjudicium Judicis ordinarii exercet jurisdictionem, quam non habet in delinquentem, ex titulo, quo procedit. Ratio est, quia contra eum procedere nequit. 1. ex titulo *Judicis ordinarii*; cùm, ut ponit casus, ab eo exemptus sit, saltem ubi crimen non est exceptum à jurisdictione Judicis, cui ordinariè subest tam in civilibus, quàm criminalibus. Secundò nec ex *titulo criminis excepti jure communi*, quia casus ponit non esse crimen exceptum jure communi; tertiò nec *titulo criminis excepti jure municipali*. Nam vel esset exemptum *jure municipali* condito ab ipsa tali provincia, cum consensu supremi sui Principis, vel immediatè ab hoc ipso? *non primum*; quia jus illi Judici (nempe Titio) per privilegium speciale constitutum, *exemptum est à potestate illorum judicum dependentium*; ergo illi privilegio constitutione suâ, vel statuto derogare in aliquo non potuerunt, nec facere, ut per privilegium posterius ei non derogaretur per supremum eorum Principem, indefinitè eximentem tale genus hominum, ab omni eorum jurisdictione. *Non etiam secundum*, quia cum hoc speciale privilegium eximat illud certum genus hominum quoad omnes causas tam civiles, quàm criminales à jure omnium eorum Judicum dependentium à tali Principe, eo ipso eximit à jure municipali eis præscripto, vel constitutione, vel approbatione sua; præsertim cùm hanc exemptionem concesserit ex merissimo beneficio, quod latissimam habet interpretationem etiam contra jus, aliis suis tribunalibus specialiter constitutum, quorum jurisdictioni *expressè* tale genus hominum subtrahit, ergo.

Ex hoc patet etiam ad quæstionem, 318
initio §. propositam; respondetur enim, *negativè*, si velit accusantem, qui deficit in probatione criminis accusati, excusari à calumnia præsumpta, præcisè ex eo, quòd crimen sit *exemptum*, vel *atrox*, vel *enorme*, nisi ad hoc cogeretur necessitate officii; at tunc non criminis atrocitas, sed officii necessitas excusaret; & hoc maximè procedit in accusatore *voluntario*; cùm enim talis potuisset solùm denuntiare, purè judicando factum, aut indicia facti criminis, meritò præsumitur temerè processisse ad accusandum, debitis probationibus non instructus.

Quæres 5. quæ sint pœnæ calumnia- 319
torum? &c. Etsi aliàs pœna calumniatoris fuerit pœna *talionis*, hoc est, supplicium simile, quod merebatur accusatus, si crimen probatum fuisset. L. *ult.* C. de accusat. & L. *ult.* C. de calumniat. hodiè tamen puniri solere pœnâ extraordinariâ juxta criminis, & accusatorum qualitatem, & circumstantias. Sic Felinus in *Rubric.* hujus Tit. n. 3. & alii. Constitutum autem erat, ut quando calumniator non potest puniri similitudine supplicii, seu pœnâ talionis, illa commuteur in aliam ad árbitrium Judicis ex c. *cùm fortius* 1. h. t. Ex quo colligitur, quando non potest imponi pœna ordinaria jure statuta (quia delinquens non est illius capax) posse, ac debere illam, Judicis arbitrio in aliam commutari, ut deducitur ex casu cit. c. *Cùm fortius* 1. h. t. Cæterùm hodie ut dictum est, pœna talionis extra usum est, & arbitraria successit. Textus in c. *Cùm fortius*, sic habet: *Cùm fortius punienda sint crimina, quæ insontibus* (maximè sacratis hominibus) *inferuntur*, quàm sitis culpabiles, qui in causa Joan. Diacon. resedistis:

attendite, ut Hilarium, criminatorem ipsius, nulla ex definitione vestra pœna conveniens castigaret. Quia ergo *tanta nequitiæ malum sine digna non debet ultione transire:* jubemus eundem H. prius subdiaconatûs (quo indignus fungiter) privari officio, & verberibus publicè castigatum in exilium deportari.

Huic consonat Innocentius III. in c. *Cùm dilectus.* 2. eod. ubi: (ut exponit rubrica) dicitur, quòd denuntians *in probatione criminum deficiens*, ab officio, & beneficio suspendatur, donec innocentiam suam purget, & constat ex textu, ibi: vobis mandamus, quatenus memoratum magistrum scholarum: *donec canonicè suam purgaverit innocentiam* (scilicet, quòd non calumniandi animo ad hujusmodi crimina proponenda processit) *ab officio, & beneficio suspendatis, ut cæteri, simili pœnâ perterriti, ad infamiam suorum facilè non prosiliant Prælatorum.*

320 Dubitatio tamen est 1. an etiam *falsi criminis denuntiator* subjaceat pœnis calumniatorum? R. si denuntiatores *publici* (qui scilicet authoritate publicâ ad id constituti sunt) *verè* calumnientur, seu scienter, innocentes, falsò denuntient, & indebitè, seu fraudulenter alteri negotium faceſſant, puniri æquè, ac verè calumniosos accusatores; secùs ex calumnia tantùm præsumpta. sic Jul. Clar. §. *fin.* 97. n. 12. privatos autem (qui suâ sponte denuntiant crimen) puniri non tantùm ex calumnia *vera*, sed etiam *præsumpta*, quantum est de jure. L. *Eum Patronum* 10. de Jure Patron. & c. *Cùm dilectus* fin. h. t. ibi: *Vobis mandamus* quatenus memoratum Magistrum scholarum, donec canonicè suam purgaverit innocentiam, scilicet, quòd non calumniandi animo processerit ad hujusmodi crimina proponenda, *ab officio & beneficio suspendatis*; licet Pirhing hîc à n. 6. censeat, ex consuetudine puniri solùm ex calumnia vera, esto probare debeant, se non denuntiâsse animo calumniandi, adeoque super tali calumnia se canonicè purgare. Sic cit. Author h. t. n. 7. not. 3.

321 Dubitatio est 2. an calumniator Reo condemnetur in expensas litis? R. quòd sic, L. 79. ff. de Judic. L. 13. §. 6. C. eod. L. 3. C. de his, qui accusare poss. Nam sic in expensis litis Reus injustè damnificatus est, & ideo *temerè litigare convictus, meritò cogitur eas refundere*, per L. *Proponendum §. sin autem.* C. de Judic. & c. 4. de pœnis, ubi dicitur, quòd *in causis pecuniariis victus victori in expensas condemnetur.* Et in utroque jure regula est, victum esse victori condemnandum in expensas. c. *Calumniam.* 4. de pœnis, & cit. L. *properandum.* Hæc regula procedit 1. etiam in litigantibus *sine dolo*, sed *temerè*, hoc est inconsultò, nec adhibito consilio. L. *Eum quem.* 79. ff. de Judic. Procedit 2. licèt victus ab initio litis, juramentum calumniæ præstiterit; quia licèt hoc juramentum excuset *à calumnia*, non excusat tamen *à temeritate.* Abbas hîc n. 4. Covarru. pract. quæst. c. 27. V. *secundo.* Procedit 3. ut etiam locum habeat in causis criminalibus juxta Covarr. cit. n. 2. sed, cùm c. *Calumniam* loquatur solùm de causis *pecuniariis*, Fachinæus l. 1. controv. 42. censet oppositum. Textus enim in c. *Calumniam* sic habet: Calumniam & audaciam temerè litigantium condemnando in expensis, & alio multiplici remedio Sanctio Imperialis compescit. Quoniam igitur sacris institutis consonare dignoscitur: præcipimus, ut *de cætero in causis pecuniariis victus, victori in expensis condemnetur:* nisi sententia pro absente feratur.

Not. tamen, per hanc limitationem 322
Fachinæi desumptam ex c. *Calumniam*, non restringi alias leges, & canones, quibus verus calumniator, etiam in *criminalibus*, victori condemnatur in expensas. Nam hoc poscit naturalis æquitas, quæ jubet ab eo resarciri damnum, qui ejus injusta causa fuit. Et ideo etiam Carolus V. Imperator in constit. crim. a. 12. jubet, ab accusatore præstari cautionem idoneam *de solvendis à se*, crimine non probato, *expensis, & damnis accusato secutis, cum injuriæ satisfactione.*

Dubitatio est 3. an calumniator in- 323
currat *infamiam?* Affirmativa colligitur ex L. 1. & 4. §. 5. ff. de his, qui not. infamiam; & 8. c. de calumniat. quod intellige de *infamia*, non ipso jure, sed per sententiam, ut habetur in §. 5. cit. L. 4. Censetur autem Judex per sententiam illum *infamiâ* notâsse, si declaret *calumniatum esse*; non autem si præcisè dicat: *non probâsti*; nec si dicat: *videri calumniatum esse*; ut colligitur ex L. 1. §. *Quorum.* ff. ad S. C. Turpill.

Dubitatio est 4. an non solùm, qui fal- 324
sò accusat & denuntiat, calumniator sit, & pœnis calumniatorum subjiciatur; sed etiam is, qui in fraudem alicujus librum, vel testimonium, vel aliud quidpiam falsum conquisivit, scripsit, vel in judicium protulit?

lit? Resonsio est affirmativa, ut expresè dicitur L. *ab accusatione*. 6. §. 4. ibi: *calumniæ causâ puniuntur*. &c. ff. ad S. C. Turpillian.

ARTICULUS II.

De Prævaricatoribus.

325 *Prævaricari*, est crimina abscondere, ut dicitur cit. L. 1. §. 1. ff. ad S. C. Turpill. ubi gloss. lit. M. *prævaricari*, est *dissimulare crimina, quæ aliàs proposita ad suam causam maximè facerent; & adversam partem adjuvare proditâ suâ causâ*; prodit autem, dum colludit cum Reo, idque efficit, ne condemnetur; & colligitur ex L. *Prævaricatores*. 22. ff. de verb. signif. ibi: *Prævaricatores eos appellamus, qui causam adversariis suis donant; & ex parte actoris in partem Rei concedunt; quod fit*, ut dicitur cit. L. 1. §. 6. ff. ad S. C. Turpill. colludendo *cum Reo, translatitiè defungendo munere accusandi*, nimirum *proprias probationes dissimulando, & falsas Rei excusationes* admittendo.

326 Circa præsentem materiam not. 1. *Prævaricatorem*, prout hoc titulo de illo agitur, propriè esse, qui *publico judicio* (ubi scilicet agitur de crimine publico) *dolosè* ac *simulatè accusavit*, nimirum dissimulando, quibus crimen efficaciter probaret; & admittendo falsa effugia. Talis prævaricatio est corruptela publici judicii; nam ex hoc fit, Reum criminis, publico prævaricationis judicio, absolvi à crimine, ut rectè notat Haunold. tom. 6. de Jure, & Just. tr. 2. n. 533.

327 Pœna verò prævaricationis olim erat eadem, quam aliàs Reus per prævaricationem absolutus, si convictus fuisset de crimine, subivisset, ut dicitur L. 6. ff. de Prævaricatoribus; hodie est extraordinaria, L. 3. ff. ad S. C. Turpill. & notat Corvinus ad hunc tit. apud Haunold. cit. qui tamen observat in Carolin. Ord. Crim. a. 115. constitutum esse de prævaricatoribus: ut, si *procurator ex proposito, dolo malo, in præjudicium partis suæ, & in favorem partis adversæ gerit, & de hoc convictus fuerit, parti suæ imprimis, pro damno causato, omni possibili modo satisfaciat; deinde ad numellas positus, virgis cæsus, relegetur, vel alio modo, pro qualitate commissi delicti, puniatur.*

ARTICULUS III.

De Tergiversatoribus.

328 *Tergiversari* in universum est ab accusatione desistere, ut dicitur L. 1. cit. §. 1. ff. ad S. C. Turpill. censetur autem desistere non tantùm, qui omittit accusationem, vel denuntiationem criminis sine licentia Judicis, ut dicitur cit. L. 1. §. 7. *Si quis autem*: sed etiam qui cum adversario suo, de compositione ejus criminis, quod intendebat, fuerit locutus; vel intra præfinitum à Præside tempus Reum suum non peregit, ut habetur L. 6. ff. eod. vel denique, qui in totum animum agendi deposuit; non autem, qui solùm distulit, ut habetur L. 3. eod.

329 Not. autem, quæ dicta sunt de *tergiversatione*, etiam intelligi de *frustratione*; nimirum, esse accipienda de desistente, hoc est omittente accusationem, vel cæptam sine abolitione, interventu Judicis, non prosequente, cùm deberet necessitate officii, legis, vel contractûs, aut quasi contractus, qui intervenit ex contestatione litis. Cùm enim calumnia, etiam tergiversando commissa, subjecta sit pœnæ, ut colligitur ex L. 3. 12. & 13. ff. eod. necesse est omissionem accusationis, vel non factæ, vel cæptæ, sed non prosecutæ, debere culpabilem esse. Nam qui Reum *exemptum* non defert, non videtur desistere, L. 12. ff. eod. nimirum culpabiliter. Dixi, etiam intelligi de *frustratione*. Nam *frustrari* apud Cujacium ad L. 4. C. de conveniend. Fisci debitoribus, est *tergiversari*, seu *moram trahere*. Et mora ipsa (nempe illa debitoris dilatio, quam causat latitando, animo, ut fraudentur creditores) *frustratio* dicitur, de quo V. Pereyra in Elucid. 1194. & 1247.

QVÆSTIO III.

IN TITULUM III. DE SIMONIA, ET NE ALIQUID PRO SPIRITUALIBUS EXIGATUR, VEL PROMITTATUR.

330 PErmutatio rei spiritualis cum temporali, quo illius qualitatis fiat compensatio, est delictum, quod vocari solet *simonia*; accepto nomine, à quodam Simone mago, qui primus in lege gratiæ, seu Evangelica, ut legitur Actor. 8. affectu, intentione, & conatu intentavit emere, ac vendere Spiritum Sanctum; ut exponit Suarez tom. 1. de Relig. tr. 3. l. 4. c. 1. vel, ut exponit Haunold. tom. 6. de Just. tr. 2. n. 558. quia pecuniâ emere voluit potestatem dandi Spiritum Sanctum. Ejus deordinatio, seu deformitas ex multis appareret. 1. quòd vendens rem spiritualem, vendat id, cujus nec Dominium habet, nec mandatum à Domino. L. *Tradito.* 20. ff. de acquirend. rerum dominio L. *si Filius* 14. de donat. Ecclesiastici autem rerum spiritualium nec dominium (cùm sint tantùm dispensatores. 1. ad Cor. 4. & 2. ad cosd. 6.) nec *mandatum* à Domnio habent; nisi ut ea *gratis* dispensent. Matth. 10. Secundò ex parte rei comparatæ cum pretio. Est enim ex natura rei difformè rectæ rationi, *pretio vendere rem, ad quam nullum pretium comparationem habet*, ut colligitur ex L. *si emptione* §. *omnium* ff. de contrah. empt. Certum autem est, quòd nulla res temporalis ad rem spiritualem, ac supernaturalem, ullam æstimationem habeat. Tertiò quia talis rei venditio repugnat naturæ contractus onerosi; *supernaturalia* enim naturâ suâ *gratiosa* sunt, & gratis dari debent; vendibile autem naturâ suâ habet, non *dari gratis*; quibus accedit irreverentia, quæ fit rebus supernaturalibus, dum in ejusmodi contractu temporali pretio coæquantur; & ideo meritò est sacrilegium, seu vitium Religioni oppositum, ut notat Pereyra in Elucid. à n. 1315. & seq. Et prædictus ille magus à S. Petro audivit, ut dicitur cit. Actorum 8. *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimâsti, pecuniâ possideri posse:* his præmissis:

ARTICULUS I.

Quid sit Simonia proprie dicta?

REsp. quòd sit *studiosa voluntas, emendi,* 331
vel vendendi pretio temporali, aliquid spirituale, vel spirituali annexum; sic legitur apud Lessium l. 2. de Justit. c. 35. n. 3. Azor. p. 3. l. 12. c. 1. Glos. ad c. *qui studet* 1. q. 1. S. Thom. in 4. distinct. 25. q. 5. a. 1. ubi tamen notandum, eam particulam (*pretio temporali*) à Doctoribus additam esse gratiâ majoris explicationis; quo posito

Quæres 1. quid hic veniat nomine *studiosa voluntatis?* 332
quæstio est, quid importet *studiosa voluntas*, per quam tanquam genus, & aliquid commune omnibus vitiis, definitur vitium *Simoniæ*? Rz. importari quidem voluntatem deliberatam, quæ communis est cuilibet delicto; sed præter hoc etiam denotari, quòd prima simonia in lege gratiæ commissa sit, solâ voluntate, & conatu, ut dictum est n. 330. Cæterùm, per particulam *studiosa*, non significatur, quòd ea voluntas necessariò requirat, *fieri studio*, seu *de industria*, & *datâ operâ*; sed fieri *plenè deliberatè*, ac animo emendi, vel vendendi; hoc est commutandi spirituale pro temporali, vel econtra. Nam sine tali voluntate non committitur simonia *propriè dicta* & jure naturali prohibita; sic Castropalaus p. 3. de Simonia d. 3. p. 4. n. 4. & p. 6. n. 1.

Quæres 2. quid hîc veniat nomine *emptionis*, & *venditionis?* 333
Rz. nomine *emptionis*, & *venditionis* hic venire omnem contractum, pactum, vel conventionem

non

non gratuitam, quà aliquid *spirituale*, vel formaliter, vel annexivè, datur, speratur, vel promittitur *pro temporali*, *tanquam pretio*, vel ejus æstimatione, aut compensatione, vel econtra; ut patet ex ipso titulo, ibi: *ne exigatur, vel promittatur*; consequenter non tantùm illa, *quæ talia sunt propriè*, sed etiam, transactionem, permutationem, contractus innominatos, & omnem pactionem onerosam expressam, vel tacitam, ut ait S. Thom. 22. q. 200. a. 1. ad 5. imò etiam nominationem, præsentationem, electionem, institutionem, confirmationem, renuntiationem, remissionem, & similes actus, si non gratis fiant; denique etiam omissionem; ut, si quis temporale accipiat, ut omittat hujus, vel illius personæ electionem, ordinationem &c. sic Azor Institut. moral. p. 3. l. 12. c. 1. q. 11. Hæc probantur exemplis. Nam 1. Simoniam committit Episcopus, vel Patronus alicui promittens beneficium sub conditione, si certum negotium coram summo Pontifice in commodum promittentis promoverit. c. *Cùm essem*. 12. h. t. 2. si Presbyter xenium, à peccatore publico accipiat in compensationem silentii, seu omissionis, denuntiationis peccati, faciendæ alias Episcopo, vel ejus Ministris c. *Nemo*. 14. h. t. 3. si quis præstet homagium, & fidelitatem Archidiacono, ut ab eo beneficium Ecclesiasticum obtineat. c. *Ex diligenti* 17. eod. 4. si quis Abbati non prius benedictionem det, nisi antè consuetam taxam solvat, vel deponat, c. *Sicut*. 39. eod. 5. si quis cum Episcopo, vel Canonicis, seu capitulo agat, ut in Canonicorum numerum recipiatur, ac (ne aliis præjudicet) offerat certa bona immobilia eâ conditione, ut sibi deinceps sint in præbendam. c. *Tua nos*. 39. eod. 6. si quæ ad Monasteria Monialium, præsertim jam habentia fundationem sufficientem non admittatur, nisi tantam dotem afferat, ut habetur c. 9. 19. & 40. eod. 7. si Canonico non permittantur fructus sui beneficii priùs, quàm ex more det prandium c. *Jacobus*. 44. eod. &c.

334 Ex his exemplis, secundùm expositionem in sequentibus, colliges, non quamcunque dationem, vel acceptionem rei spiritualis pro temporali sufficere ad Simoniam *propriè* dictam, sed requiri, quòd detur, vel accipiatur ex *pacto*, & *conventione onerosa*, saltem æquivalenter tali, ut dicemus à n. 365. sic, ut temporale detur in *compensationem* illius dati, vel accepti spiritualis, cum quo fit hæc permutatio. Nam sine hoc non consurgit simonia propriè dicta, & jure naturali prohibita; quia emptio, & venditio propriè importat compensationem, & quasi *appretiationem rei spiritualis*, quæ pretio fit pro re empta, & vicissim. Ita Suarez l. 4. de Simon. c. 30. n. 1. Castropalaus p. 3. de Simonia d. 3. p. 4. n. 2. & 4.

Quæres 3. quid hîc veniat nomine *pretii temporalis*? ℞ venire non tantùm *pecuniam*, sed *quamlibet rem temporalem pretio æstimabilem*, *vel habentem aliquam temporalem utilitatem*. Hinc nota, ut committatur Simonia propriè dicta (nimirum juris divini, & naturalis) *pretium*, quod datur pro spirituali, necessariò debere esse *quid temporale*. Quare non est Simonia propriè dicta, seu juris divini, dare *spirituale pro spirituali*, etiam ex pacto. Hæc enim nascitur ex improportione, quam res corporalis, seu temporalis habet in commutationem rei spiritualis; ita S. Thom. 22. q. 100. a. 1. & 5. 335

Not. autem, illud datum, seu donum temporale (quod dicitur *pretium Simoniacum*) apud Canonistas c. *Salvator*. 1. q. 3. esse in triplici differentia; dicitur enim munus à manu; munus ab obsequio; munus à lingua; & explicatur à Theologis, Suarez de Simon. cap. 37. Azorio p. 3. lib. 12. cap. 2. q. 2. & Lessio citato cap. 35. dub. 20. *Munus à manu* dicitur pecunia, vel quævis alia res pecuniâ æstimabilis, quæ manu apprehendi potest, ut vestis, gladius, liber; *munus ab obsequio* est ministerium, quo quis inservit alteri v. g. operam, vel comitatum præstando. *Munus à lingua* est, quod linguâ, vel loquendo exhibetur, ut favor, patrocinium, preces, supplicationes, intercessiones, laudes, adulationes, & similia. 336

Ut autem prædicta habeant rationem *pretii*, debet intervenire pactum, vel tacitum, vel expressum. Non enim sufficit, quòd gratis dentur. *Gratis dare*, ut bene explicat Lessius cit. dub. 3. n. 23. ad illa verba Matth. 10. *Gratis accepistis*, *gratis date*, est *dare sine mercede & pretio, seu temporali, quod saltem æquivalet pecuniæ in ordine ad aliquod temporale commodum*: ex quo, & communi sententiâ Theologorum docet, non esse Simoniam *juris divini permutare res spirituales* v. g. beneficia, & missas inter se, etiam interveniente pacto: quia ibi non intervenit *verum pretium Simoniæ*. 337

Hinc

337 Hinc inferes 1. permutationem *beneficii, cum beneficio*, nullâ pecuniâ, vel alio temporali interveniente sine authoritate legitimi Superioris prohibitam quidem esse jure Ecclesiastico, ut dicitur c. *Cùm universorum*, de rerum permutatione; alias tamen permutationes *rei spiritualis pro spirituali*, extra materiam beneficiorum, nullo jure positivo specialiter prohibitas esse. Unde Canones prohibentes omnes pactiones in rebus spiritualibus intelliguntur in iis, in quibus aliquid *temporale pro spirituali datur*.

338 Inferes 2. quotiescunque res temporalis seu pretio æstimabilis *datur gratis ei*, qui donum, vel officium spirituale præstat, nullam committi simoniam *propriè* dictam, seu juris divini & naturalis. Hæc enim necessariò requirit pacti m onerosam animo compensandi dat , dato. Colligitur ex c. *Quàm pio*. 1. q. 2. & clarius ex c. *Licet*, eâd. causâ, & quæst. ubi dicitur, *non esse prohibitum, gratis, & sponte, ac sine exactione datum, accipere*. Constat etiam ex c. *Etsi quæstiones* 18. h. t. & c. *Dilectus* 30. eod. ibi: *gratanter recipi poterit, quod fuerit gratis oblatum*.

339 Inferes 3. etsi temporale datum alicui ex mera gratitudine, qui officium spirituale præstiterit, non sit propriè, & jure divino simoniacum, sic tamen simoniacum fore, si obligatio antidoralis, seu gratitudinis deducatur in pactum speciali promissione illam implendi. Nam hæ conventiones in re sunt pactiones onerosæ, ita Suar. cit. c. 45. n. 9. de quo vide dicenda in seqq.

340 Inferes 4. pro spiritualibus ministeriis dare vel accipere temporalia, etiam ex obligatione, non ut pretium, vel in rei commutationem; sed verè, *ut stipendium, & medium sustentationis necessariæ*, non esse Simoniacum; *dignus est* enim *operarius mercede suâ*, ut dicitur Matth. 10. quia justitia naturalis exigit, ut, qui in alterius commodum laborat, ab eodem sustentationem recipiat. Et hoc procedit, esto ministri rerum spiritualium non sint indigi, sed habeant alia bona patrimonialia, vel Ecclesiastica, ut expressè definitur c. *fin.* 1. q. 2. secùs tamen est, si ministri, ex officio obligati ad ministranda spiritualia, *hoc ipso titulo* jam habeant à fidelibus sibi sufficientem sustentationem constitutam v. g. ex decimis, oblationibus, & aliis proventibus Ecclesiasticis: sic enim jam satisdatum est justitiæ illi naturali, de qua dictum est.

Inferes 5. non esse Simoniacum, da- 341
re aliquid temporale sub onere, vel conditione præstandi opus spirituale, modò non fiat *per modum compensationis*, quâ dans per rem temporalem intendat compensare opus spirituale, vel ut recipiens obligatus sit ad præstandum illud spirituale. Sic enim non intervenit contractus onerosus, sine quo non committitur Simonia juris naturalis, & divini. Hinc, si Christianus tali modo det aliquid infideli temporale, *ut baptismum suscipiat*; vel puella hæretico matrimonium promittat, *si Catholicam fidem suscipiat*; vel Princeps reo mortis, vitæ condonationem spondeat, *si statum Religiosum suscipiat*, Simoniam non committit. Ita Sanch. l. 1. de matr. D. 39. n. 4. Suar. hîc l. 4. c. 16.

Quando autem dubitatur, an munus 342
oblatum habeat, vel non habeat rationem *pretii Simoniaci*, ex circumstantiis (nimirum 1. ex qualitate dantis, & accipientis; 2. ex quantitate muneris, & tempore donationis) rem definiendam esse, rescripsit Papa Archiepiscopo Strigoniensi, ut dicitur in c. *Etsi quæstiones*. 18. h. t. Cùm enim Archiepiscopi Strigoniensis frater, Cardinali Sedis Apostolicæ Legato, pro Archiepiscopi electione, ut ei pallium tradçret, ad partes illas accedenti, præsciens necessitatem, Archiepiscopo ignorante, equum unum transmisisset (quia Cardinalis per mare veniens, nullas aut paucas secum equitaturas attulit) re cognitâ timere cæpit Archiepiscopus, an non simonia, ex hoc ipso munere per fratrem suum dato Cardinali, intercesserit? & rem omnem Pontifici scripsit, à quo responsum accepit: *quòd nullo modo timere oporteat*, ut dicitur cit. c. 18.

Rationem ibidem reddit Pontifex: cùm enim *in accipiendis, vel dandis muneribus tria sint maximè attendenda*, personæ scilicet *dantis*, & *accipientis qualitas*; *quantitas muneris*, & *donationis tempus*; *qualitas personarum*, ut, *à quo*, & *cui*, videlicet, an à paupere diviti, vel econverso, sive à divite locupleti datum fuerit; *æstimatio muneris, & donationis tempus*, si magni, vel minoris pretii res data existat, & an instanti necessitate, seu alio tempore conferatur.

Et subjungit, si ergo prædictorum *Cardinalis, & fratris tui personam*, & *qualitatem*

litatem pensamus, non fuit magnum, ab eodem fratre tuo, Cardinali, equum unum transmitti, quem etiam jaculatori non petenti vir tantus, & tam abundans fortè donaret; verùm si *temporis necessitatem* perpendimus, non aliâ intentione constat factum fuisse, quàm ut Cardinali subveniretur in articulo prænotato.

Respondet deinde ad objectionem, quâ dicitur: Beatus, *qui excutit manus suas ab omni munere*: de illis donis dictum esse, *quæ accipientis animum allicere, vel pervertere solent*; ac concludit: si ipsa etiam persona electi offerat ordinatori, vel consecratori suo electuarium, vel de vino, sive de aliis hujusmodi, *quæ modici pretii fuerunt, & quæ voluntatem recipientis inclinare, vel movere non debeant, non tamen Ecclesia Romana interpretari consuevit, accipientem in his delinquere, vel donantem.*

343 Quæres 4. quid hîc veniat nomine *rei spiritualis?* ante resolutionem suppon. per *spirituale* hîc non intelligi idem, ac omne *solùm incorporale*, sed quod est aliquo modo supernaturale, ad spiritualem salutem animarum ordinatum. Ex his quædam sunt talia formaliter, seu intrinsecè, & quoad substantiam, seu in re, ac *realiter*; alia solùm *moraliter*; quædam verò solùm annexivè. *Spirituale formaliter, & realiter*, est gratia sanctificans, virtutes animæ infusæ, dona Spiritûs sancti, gratiæ gratis datæ, ac omne demum per se conducens, prout oportet, ad beatitudinem supernaturalem: *Spirituale moraliter*, consecrationes, benedictiones Ecclesiæ &c. *Spirituale annexivè* dicitur, quod cum spirituali connectitur, sive *antecedenter*, ut jus patronatûs, quod supponitur præsentationi beneficiorum; sive *concomitanter*, ut labor in ministerio sacramentorum, in sacrificio missæ &c. sive *consequenter*, quod supponit officium spirituale. Sic Pereyra in Elucid. n. 1315.

344 Alii dicunt, *per annexa spiritualia*, ea intelligi, quæ in se, & intrinsecè non sunt spiritualia, sunt tamen illis annexa, & ab illis dependent, vel antecedenter, vel concomitanter, vel consequenter; hinc volunt *antecedenter* annexa esse, quæ ad spiritualia, quibus annectuntur, præsupposita sunt. Sic vasa sacra, vestes, altaria, templa præsupponuntur ad celebrationem missæ, quæ est quid spirituale: Similiter se habent ad beneficia jus patronatûs, electiones, renuntiationes, collationes beneficiorum. Annexa *consequenter*, quæ conjunguntur alicui spirituali, ut effectus suæ causæ; sic beneficium, seu jus percipiendi reditus Ecclesiasticos annectitur officio ministerii spiritualis, tanquam causæ, quia beneficium datur propter officium, & huc etiam reducuntur pensiones Ecclesiasticæ. Ita Azor. cit. q. 1. Suarez l. 4. c. 23. Less. l. 2. Just. c. 32. n. 3. *Concomitanter* ea, quæ nec tanquam causa, vel effectus, sed tanquam aliquid, sine quo exerceri nequit functio spiritualis, intrinsecè conjuncta sunt; ut labor corporalis, qui in celebratione missæ, & administratione sacramentorum suscipitur.

Not. autem sæpè, quod comparatione 345
unius habet se *antecedenter*, & ut causa; comparatione alterius habere se *consequenter*, & ut effectum. Sic sacramenta, *relatè ad gratiam sanctificantem*, quam causant, habent se *antecedenter*, & ut causa; *relatè ad virtutem, & potestatem Christi, quâ signa sensibilia, quibus constant sacramenta, elevantur ad vim practicè significandi, ac causandi gratiam*, habent se consequenter, & ut effectus. Similiter jus patronatûs *relatè ad actum præsentandi* Episcopo pro beneficio vacante, Clericum idoneum ad peragenda divina ministeria in tali Ecclesia, habet se *antecedenter*; *relatè ad potestatem Ecclesiæ*, vi cujus conceditur tale jus illi, qui fundavit aliquod beneficium, vel Ecclesiam, aut ædificavit, vel dotavit, habet se *consequenter*.

ARTICULUS II.

Quotuplex sit Simonia?

CAnonistæ Simoniam communiter di- 346
vidunt in tria membra; mentalem, conventionalem, & realem; id quod ex Theologis etiam tenet Suarez de Simonia c. 41. Lessius L. 2. c. 35. dub. 6. & alii. *Mentalis*, non est in hoc loco merum propositum internum, quò quis vult exterius simoniacè contrahere, seu externam Simoniam facere: sed est propositum internum, quo quis, cùm confert alteri spirituale, intendit illum obligare ad reddendũ temporale: vel econtra, quando confert temporale, intendit illum obligare ad reddendum spirituale, sine ullo pacto externo: ut si quis serviat Episcopo eâ intentione, ut in mercedem ei conferat beneficium, & tandem beneficium conferatur, nullâ tamen factâ exterius conventione. Vocatur *mentalis*, quia licet ex-

ternum effectum habeat, *malitia* non se prodit exterius, sed in mente manet.

347 *Conventionalis* dicitur illa, in qua fit conventio, seu pactum dandi spirituale pro temporali, vel è converso, nondum tamen ad executionem perducto per traditionem: & duplex est: altera *purè conventionalis*, utpote neutra ex parte executioni mandata; altera *mixta*, quæ completa est, seu mandata executioni, ex altera tantùm parte: ut si pactione initâ conferatur beneficium, alterâ parte nondum solvente pretium, vel econtra. *Realis est*, quando pactio ex utrâque parte completa est, saltem inchoatè, ut si conferatur beneficium, & saltem pars pretii solvatur. Unde *realis* addit traditionem rei supra conventionem: & per hoc à conventionali distinguitur.

348 Sub prædictis membris simoniam dividentibus continentur simonia naturalis, *juris divini*, & *juris humani*; simonia *ficta*, & *confidentiæ* &c. simonia *juris naturalis*, & *divini est*, quæ introducta est eo jure, ac contingit, quando datur temporale pro spirituali ex pacto, & animo commensurandi, seu compensandi hoc per illud. Nam in hoc propriè sita est malitia peccati, quod simoniam dicimus. Ex quo vides, ad simoniam juris naturalis, & divini, necessariò requiri, dationem pecuniæ (seu rei temporalis) procedere ex voluntate compensandi, seu commensurandi eam cum spirituali, ac illam tanti æstimandi. Et ideo seclusâ hâc voluntate, etsi detur temporale cum obligatione donandi spirituale nulla erit propriè seu ex natura rei simonia. Sic Castropal. p. 3. de vitiis Religioni oppositis tr. 17. D. 3. p. 4. n. 4. & 5.

Dixi *ex natura rei*. Nam ex jure Ecclesiastico, *in materia beneficiorum*, quælibet donatio cum pacto constituit simoniam. Hinc colliges, simoniam juris tantum Ecclesiastici eam esse, quæ à sola lege Ecclesiastica ortum habet; hoc est, quæ solâ lege Ecclesiasticâ, constituitur sub specie peccati simoniaci. Negari enim non potest, Ecclesiam suis legibus, & præceptis constituere posse materiam in rectitudine illius virtutis, quacum habet aliquam connexionem, & similitudinem; consequenter actum oppositum in irrectitudine, seu deordinatione vitii oppositi.

Nam hac ratione percussionem Clerici, propter reverentiam ordinis, quo Clericus insignitus est, & pollutionem Ecclesiæ, propter sanguinis effusionem, ob reverentiam debitam loco sacro, constituit *in specie sacrilegii*: ergo etiam omnem pactionem onerosam (quæ intervenit in permutatione rei temporalis cum spirituali) constituere potuit in specie sacrilegii, propter reverentiam debitam rebus sacris ad Dei cultum, & animæ salutem ordinatis. Cùm ergo ratio sacrilegii, seu irreverentia prohibita, quam continet simonia propriè dicta, & ex natura rei talis, consistat in hoc, quod res spiritualis aliquo temporali appretietur, ut dictum est n. 330. sub eadem specie sacrilegii, constituere potuit omnem eam pactionem onerosam, quæ cum ista connexionem, vel similitudinem habet, imò frequenter ejus periculum, & rem *licet palliatam*, ut simoniæ vitium evitetur, ut dicitur c. *fin.* de Pactis.

Præter has simoniæ species, alia est simonia *ficta*, ut exprimit Suarez mox citandus; alia *confidentialis*, quam etiam vocant *simoniam confidentiæ*, ut notat Suarez c. 43. hæc contingit, cùm quis paciscitur cum eo, qui confert, vel procurat beneficium, eligendo, præsentando, confirmando, vel aliâ ratione, & illud ipsum procuranti, vel alteri (puta nepoti, fratri ejus) cum fructibus, vel eorum portione cedit: ita Vallensis h. t. §. 3. n. 3. Ex quo vides, quòd hæc simonia habeat pro speciali materia renuntiationes, de quibus egimus l. 1. tit. 9.

Hæc simonia dicitur *confidentialis*, à spe scilicet, & fiducia, quæ illi subest ex resignatione, vel cessione percipiendi commodum temporale v. g. de fructibus beneficii resignati, vel ipsum beneficium rursum alteri cedendi, cujus cessionis numerantur tres modi speciales, nimirum per accessum, regressum, & ingressum, de quibus egimus cit. l. 1. tit. 9. & dicemus aliquid infra.

Ex dictis colliges, conventionem dandi temporale pro spirituali *solo* jure Ecclesiastico prohibitam, tanquam simoniacam, esse simoniam juris *tantùm* Ecclesiastici, ubi ea conventio non procedit ex voluntate expressa, vel tacita temporale commensurandi, seu compensandi cum spirituali; sic enim jure tantùm Ecclesiastico prohibetur ex dictis. Porrò *ficta simonia*, ut exponit Suarez tom. 1. de Relig. tr. 3. l. 4. c. 42. dicitur, quando fit exterius promissio rei temporalis, pro spirituali, vel spiritualis pro temporali, sine intentione implendi promissum

missum, aut se obligandi: sive fictio detur in altero contrahentium, sive in utroque.

349 Potissima difficultas est, ut explicetur, quæ emptio, & venditio, seu permutatio rei spiritualis, cum temporali, aut vicissim sit *juris naturalis*, & divini? quæ *juris tantum Ecclesiastici*? hæc enim distinctio perquam scitu necessaria est, ut colligamus, an praxi contrariâ (quæ hodie admodum frequens est in ejusmodi temporalium exactione, occasione spiritualium, quæ dantur) ejusmodi exactiones licitè fiant? nam quæ jure naturali, vel divino, etiam positivo, prohibita sunt, nullo usu humano, praxi, aut consuetudine licita fieri possunt, ut ex se patet. Simoniam, quæ committitur in permutatione rei *in se entitativè*, *ac naturâ suâ* spiritualis, seu supernaturalis cum temporali, esse prohibitam jure naturali, ac divino, communis tenet. Nam eo casu revera contra reverentiam rerum intrinsecè supernaturalium, fieret rei temporalis appretiatio cum illis, quæ jure naturali, ac divino repugnat, ut dictum est n. 330. His meritò annumerantur omnia, quæ *naturâ suâ* ordinantur ad finem intrinsecè supernaturalem, nimirum æternam nostram beatitudinem; cujusmodi sunt sacramenta, actus per se, ac intrinsecè supernaturales, potestas conficiendi, vel ministrandi sacramenta, celebrandi missas, consecrandi, vel benedicendi &c.

350 Hinc sequitur, permutationem eorum, quæ solùm extrinsecè, nimirum solius Ecclesiæ ordinatione, referuntur ad finem intrinsecè supernaturalem, esse quidem simoniam juris tantùm Ecclesiastici; sed non solam. Dico *non solam*; quia quædam ex speciali etiam solius Ecclesiæ constitutione sub materia simoniæ numerantur, de quibus dicemus in seqq. Simoniam enim (quæ versatur circa præbendas, & beneficia Ecclesiastica, ex his, quæ jure humano inductæ sunt) numerat Cardenas in tr. de propositionibus prohibitis ab Innocentio XI. dissert. 27. c. 1. n. 4. in fine, inter eas, quæ sunt juris divini. Ratio est, quia etsi malitia simoniæ propriè dictæ consistat in eo, *quòd res spiritualis indignè comparetur temporali*, tanquam per hoc compensari posset (nam hoc innuit verbum *emptio*, & *venditio*, quæ important *mercis cum pretio coæquationem ex pacto faciendam*) quia tamen quædam permutationes magnam vel similitudinem, vel saltem judicio Ecclesiæ periculum habent accedendi ad ejusmodi comparationem indignam, ideo & illæ ex eodem fine, quâ ipsa talis indigna rerum spiritualium cum temporalibus comparatio, prohibentur.

Ex hoc colliges, permutationem rei 351
spiritualis cum temporali, quando illa in se (*naturalis*) solùm extrinsecè est spiritualis, nimirum ratione conjunctionis cum spirituali, esse simoniacam non jure naturali, & divino, sed jure tantùm Ecclesiastico; idem est si res taliter spiritualis non ex vero pacto, æqualitatem aliquo modo intendente commutatur pro temporali, ut docet P. Jacobus Illsung Theol. pract. tr. 5. D. 3. n. 311. Talis simonia est (ut habetur in c. *si quis Episcopus* 1. q. 1. & c. *Salvator*. 1. q. 3.) vendere officia, quæ pertinent ad solam temporalium ad Ecclesiam spectantium administrationem; cujusmodi sunt officium *œconomi*, *Sacristæ* &c. Nam hæc *in se* merè temporalia, & remotè solùm, aliquo modo, spiritualia sunt, nimirum per annexionem, quatenus mediatè ordinantur ad Dei cultum, & animæ salutem. Nam custodia sacrorum vasorum, proventuum, & bonorum Ecclesiasticorum tendunt ad eum finem, quem habent vasa sacra, & Ecclesiæ, ac eorum Ministri exinde intertenendi.

Not. autem 1. res spirituales tàm *for-* 352
maliter, quàm *annexivè* dupliciter emi, & vendi posse. 1. *in concreto reduplicativè sumpto*, nimirum non tantùm secundùm se, sed etiam in quantum explicant, vel intrinsecam, vel extrinsecam ordinationem ad finem supernaturalem; vel *in abstracto*, in quantum explicant illam ipsam ordinationem ad talem finem. 2. *solùm specificativè*, ac materialiter, nimirum rem ipsam, seu subjectum, quod sic ordinatum est ad finem intrinsecè supernaturalem.

Not. 2. ut ex venditione, vel emptio- 353
ne rei spiritualis pro temporali (cæteris suppositis) *incurratur vitium simoniæ*, sufficere emptionem, & venditionem *facti*, nec requiri venditionem *juris*, seu venditionem jure validam: sic, ut sacerdos, per matrimonium, contra solenne votum castitatis initum, committat sacrilegium, non requiritur matrimonium *jure*, seu *facto* initum, & sic de aliis.

Ex dictis colliges 1. quoties emitur, 354
aut venditur, seu permutatur pro temporali aliquid *formaliter*, nimirum vel *realiter*, vel *moraliter* spirituale in abstracto, vel concreto reduplicativè sumpto (titulo talis spiri-

tualitatis, auctâ rei æstimabilitate, & pretio) committi simoniam juris naturalis, & divini. Nam sic propriè fit indigna tractatio rei formaliter spiritualis cum temporali. Idem dicendum est de quocunque solùm annexivè spirituali in abstracto, vel concreto reduplicativè sumpto.

355 Coll. 2. quoties emitur, aut venditur res spiritualis in concreto solùm specificativè sumpto, solùm tunc committi simoniam juris naturalis aut divini, quando spiritualitas realis, aut moralis *ab intrinseco* inseparabilis est à subjecto talis concreti, ut est gratia sanctificans; nam hujus entitas intrinsecè connectitur cum effectu formali, quo subjectum evadit formaliter sanctum &c. ubi verò separari potest (ut sunt benedictiones vestium, unctiones vasorum sacrorum) non esse materiam simoniæ juris divini, sed tantùm Ecclesiastici, seclusâ dispensatione in tali jure. Sic qui venderet gratiam sanctificantem, vel potestatem conficiendi sacramenta, sumpta in abstracto; vel hominem baptizatum in concreto, in quantum baptizatus est; vel beneficium Ecclesiasticum, in quantum dicit ordinem ad sacrum ministerium sacrificandi, sacramenta conficiendi, ministrandi &c. committeret simoniam juris naturalis, & divini. Nam hæc propriè sunt materia talis simoniæ juxta n. 354. Similiter qui emeret, aut venderet calicem consecratum, vel vestem benedictam, *quâ talem*, committeret verè simoniam juris naturalis, & divini ex eadem ratione: Si autem venderet calicem consecratum, solùm *materialiter* sumptum, titulo consecrationis non auctâ rei æstimatione, adhuc retinentem consecrationem, committeret simoniam juris duntaxat Ecclesiastici, seclusâ dispensatione legis Ecclesiasticæ talem emptionem, aut venditionem prohibentis. Econtra emens, vel vendens *hostiam consecratam*, cùm ab ea, quàm diu manet sensibilis apparentia panis, consecratio (consequenter præsentia Christi sub iis speciebus) inseparabilis sit, atque adeo naturaliter illarum emptio trahat id, quod necessariò annexum est, verè committeret simoniam juris naturalis, & divini, ex n. 349. his prænotatis:

§. 1.

An sit Simonia dare temporale pro spirituali, non tanquam pretium, sed tantùm tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale?

REsp. hanc propositionem (*dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tanquam pretium; sed duntaxat tanquam motivum conferendi vel efficiendi spirituale*) esse quadragesimam quintam inter eas, quæ tanquam *scandalosæ* ab Innocentio XI. damnatæ sunt. Ex qua damnatione videtur inferri, simoniam posse committi, permutatione rei spiritualis pro temporali, licet hoc non habeat rationem *pretii*, hoc est, licet *hoc* non comparetur *illi* tanquam aliqua ejus compensatio, consequenter nullâ interveniente appretiatione rei spiritualis cum temporali. 356

Pro resolutione not. *pretium* hic accipi, ut diximus n. 335. pro qualibet re temporali, cujus commodum, consequenter æstimabilitas potest nummismate, hoc est pecuniâ mensurari, ut ait D. Thom. in 4. Dist. 25. q. 3. a. 3. in corp. Not. 2. definitionem simoniæ traditam n. 331. non limitari ad solam simoniam juris naturalis, aut divini, sed etiam humani, quæ scilicet jure humano inducta est; cùm & hæc dicatur simonia, ut colligitur ex c. *Quæsitum*, de rerum permutat. ibi: *præsertim pactione præmissâ, quæ circa spiritualia, vel annexa spiritualibus, labem semper continet simoniæ.* Et ideo propriè simoniacum est, jure tamen solùm Ecclesiastico, non divino, dare & accipere pretium temporale, pro eo, quod est spirituali annexum, licet illud *spirituale solùm per annexionem*, in se sit aliquid merè temporale, ut est beneficium Ecclesiasticum, seu jus percipiendi annuos reditus, annexum officio spirituali. Unde etiam permutatio unius beneficii cum alio facta, sine authoritate Episcopi, verificat prædictam definitionem; nam in eo casu dans beneficium A. pro B. dat spirituale pro temporali; nam beneficium A. est quid *extrinsecè*, seu *annexivè* spirituale; & beneficium B. est *in se* intrinsecè, ac formaliter quid temporale; quod dicitur vicissim. Sic Cardenas cit. n. 12. 357

Not. 3. dupliciter fieri posse, quòd detur alicui aliquid temporale, *ut motivum* conferendi, vel efficiendi aliquid spirituale; vel econtra. 1. si homo, qui ambit aliquod beneficium, ei, qui potest præsentare, instituere, conferre, det aliquid temporale, *eo fine*, ut hic ex eo dato allectus, moveatur ad præsentandum, instituendum, conferendum, quin intercedat pactum aliquod expressum, vel tacitum, cujus sit *aliud* aliquod 358

signum

signum externum. 2. si quis beneficium, quod habet, resignet alteri eo fine, ut iste inducatur, & moveatur ad reciprocè dandum resignanti aliquid temporale, pecuniam, vel pretio æstimabile, nullo similiter pacto, externè ullo alio signo, expresso. Not. 4. in casu, quo alter dat spirituale, motus ex illo dato temporali (eò quòd sibi persuadeat, eam rei temporalis dationem fieri eo fine) *ex parte utriusq; esse simoniam mentalem*; si autem alter illi, qui offert munus temporale, det spirituale, sed non motus ex illo munere temporali, ex *parte offerentis temporale* fore simoniam mentalem, non ex parte dantis spirituale; quibus positis:

359 R. dare temporale pro spirituali, tanquam *motivum* conferendi, vel efficiendi spirituale, omnino simoniacum esse. Nam in isto casu datur temporale cum interna intentione, ac eo fine, ut inde obtineat aliquid spirituale, vel econtra; sed hæc datio est simonia mentalis ex n. 346. Simoniam autem mentalem esse veram simoniam, tenent non tantùm canonistæ, ut mox dicemus; sed etiam communiter Theologi, ut videri potest apud Suarez tom. 1. de Relig. tr. 3. l. 4. c. 41. ergo.

360 Sed dices 1. temporale, quod habet solùm rationem *motivi* dandi spirituale, non habet rationem *pretii*; sed sine hoc non stat vera simonia; ergo. 2. esto dans temporale cum interna intentione obtinendi spirituale ab altero accipiente, habeat pravum affectum; quia tamen nullum dat ejus externum signum, ut ponit casus, *nullum intervenit pactum*, non tantùm quando alter ex eo dono temporali non movetur ad conferendum illud spirituale; sed etiam quando movetur, quin detur hujus signum aliquod externum; sed sine aliquo pacto, saltem implicito, non datur vera simonia; ergo.

361 Ante resolut. not. 1. ex communi hominum sensu, & judicio censeri, quòd Judex *saltem æquivalenter* tunc *vendat justitiam, quando muneribus inducitur, ac movetur ad dicendum sententiam pro eo, qui munera dedit.* Sicut enim (quando motus *ex merito causæ* contra alterum prævalente, dicit sententiam pro parte, quæ in causa pro. posita prævalet in merito sententiandi) dicitur *formaliter* ministrare justitiam; sic si *ex muneribus acceptis* inclinatur ad idem, dicitur pretio æquivalenti dare, & ideo communi hominum æstimatione, in tali casu, ejusmodi munera censentur *æquivalenter pretium*, præsertim, ubi constat ejusmodi donis Judicis animum facilè flecti; id, quod in multis nunc obtinet.

Not. 2. ad mentalem simoniam suffi- 362
cere internam *intentionem* (quantum est ex parte unius) dandi aliquod temporale, quæ transit in opus, seu promissionem, vel dationem *externam*, animo spirituale aliquid obtinendi. 1. quia Simonia non dicitur *contractus*, *sed studiosa voluntas*, quod habetur affectu unius. 2. quia Simon Magus sui muneris oblatione commisit veram simoniam; quin D. Petrus ex eo motus illi ullum spirituale donum dederit, aut promiserit. 3. quia simonia committi potest *promissione*, ut liquet ex Rubrica hujus tituli; quod confirmatur ex pluribus sacris canonibus. Nam 1. in c. *Etsi quæstiones.* 18. §. *quod autem* h. t. ubi dans aliquid temporale illi, à quo accipit spirituale, & dans, & accipiens excusatur à peccato (nimirum Simoniæ) si datum sit *modici pretii*, nec *debet* inclinare, vel *movere* voluntatem recipientis; ergo secùs est ubi datum est tale, quod *deberet* (hoc est) datur ex fine, ut inclinet, & moveat voluntatem recipientis, ut conferat spirituale. Sic Barbosa in cit. c. n. 2. & 3. cum pluribus aliis. Nam ex parvis istis muneribus non præsumitur pravus animus dantis ad pervertendam voluntatem recipientis; secùs est in posito, consideratis tamen circumstantiis dantis, & accipientis. Ut colligi potest ex c. 18. de Simon. de quo supr. n. 342.

Deinde in c. *Tua nos* 34. h. t. simonia- 363
cus declaratur, qui etiam secluso pacto, bona sua offert Ecclesiæ in præbendam exinde constituendam, *ut per hæc temporalia, quæ offert, spiritualia valeat adipisci* v. g. ut in numerum Clericorum ejus Ecclesiæ recipiatur, & illa ipse in præbendam deinde habeat; quod etiam colligitur ex c. *Mandato*, fin h. t. ubi dicitur, *spiritualia, & temporalia data, & accepta sine pacto præcedente, sed solo affectu animi* (nimirùm acquirendi spirituale pro temporali, vel econtra) *non quidem esse restituenda; sed satis esse, si eos pœniteat, & Creatori satisfaciant*, hoc autem *peccatum* nequit esse alio titulo *peccatum*, nisi *ex solo pravo affectu* acquirendi spirituale pro temporali, tanquam motivo ad id inducente, vel econtra: quo tandem conficitur, in hoc casu, præsumi conventionem dantis temporale cum reddente spirituale,

qui hoc facit motus ex tali dono: quibus prænotatis:

364 Ad primam object. in n. 360. ℟. cum distinctione, & concedo, temporale, quod habet solam rationem *motivi* non habere rationem *pretii formaliter*; secùs *æquivalenter* 361. pretium *formaliter*, est pecunia, : datur, vel promittitur, in vicem rei vendibilis, ut venditori stet loco rei, quam dat emptori; *æquivalenter*, quod habet vim inducendi animum accipientis, ut ejus intuitu præstet aliquid danti. Et ideo etiam Theologi *merita* comparant *pretio*; *satisfactionem*, *solutioni debiti*; hæc enim extinguit debitum, etiam invito creditore; secùs illa; cùm creditor possit non velle vendere, seu remunerari.

365 Ad 2. arg. in eodem num. ℟. ad simoniam saltem juris Ecclesiastici sufficere *pactum* præsumptum, seu *attentatum*, nimirum *voluntatem*, *quantum est ex parte dantis*, *titulo doni temporalis movendi animum accipientis ad obtinendum spirituale*. Ratio est n. 361. Nam sicut in casu, quo, dum quis datis muneribus corrumpit, & pervertit animum Judicis, dicitur *æquivalenter emere* justitiam, hoc est judicis sententiam in sui favorem trahere; & *æquivalenter dare pretium*: sic dicitur dare *ex pacto æquivalenter*. Ut ergo in casu dictæ objectionis verum sit, *nullum* intervenire *pactum*, requiritur, quòd nec *formaliter*, nec *virtualiter* interveniat. Hæc responsio confirmatur ex S. Thoma qui 2. 2. q. 10. a. 2. ad 5. Simoniam esse dicit, *per pecuniam parare sibi viam ad spirituale obtinendum*; ut si ambiens beneficium, ejus collatori (præsertim cupido pecuniæ) offert summam pecuniæ, revera parat sibi viam ad spirituale, nimirum tale beneficium; esto non paciscatur *formaliter* cum eo, ergo.

§. 2.

An sit Simoniacum, dare temporale pro spirituali, vel econtra, tanquam gratuitam compensationem?

366 NE *donatio stricte*, prout explicat meram liberalitatem, immunem ab omni debito, & *gratuita compensatio* confundantur, supponendum, *donationem merè gratuitam* esse, quæ fit citra debitum, verum, vel æstimatum, & sine onere, consequenter merè liberaliter, atque adeo prout contradistinguitur etiam à donatione *remuneratoria*; & excludit etiam *debitum solius gratitudinis*; in qua fundatur *compensatio gratuita*, prout hic accipitur in propositione damnata. Nam omnis compensatio est vel ex *justitia*, vel ex *gratitudine*; sed hic non est sermo de compensatione ex justitia, cùm talis non sit *gratuita*; ergo de compensatione *ex gratitudine*, sic Cardenas in tractatu ad propositiones damnatas ab Innocentio XI. dissert. 27. c. 3. a. 1. n. 37. his præmissis:

Quæstio est, an pactum *dandi ex gratitudine aliquid spirituale pro temporali, vel econtra, sit simoniacum?* v. g. an liceat dare aliquid spirituali annexum, cum pacto, *ut recipiens illud, ex solâ gratitudine obligetur* ad dandum vicissim aliquid temporale, vel econtra? hæc quæstio frequentem usum habet in praxi. Nam non pauci, cum alteri resignant, vel conferunt beneficium, aut alio modo de spiritualibus provident, *præsentando*, *instituendo præsentatum*, *confirmando electum*, *mittendo in beneficii possessionem*, ut fugiant nomen Simoniæ (quod non egerint ex pacto justitiæ) vel animo compensandi spirituale per temporale; rem titulo *pacti solius gratitudinis* palliantes, Simoniacorum pœnas se subterfugere credunt, quòd oblata, vel data pro ejusmodi functionibus acceperint *solâ gratuitâ compensatione*, quod non præstat materiam Simoniæ. Hac enim ratione vitari simoniam, complures censuerunt, cum, & apud Dianam p. 2. tr. 2. miscell. resol. 39. & p. 3. Unde quidam asserebant, quòd non committat simoniam, qui resignat alteri suum beneficium sub conditione, quòd Resignatarius se obliget, Resignanti donum aliquod *antidorale*, seu gratitudinis præstandi, atque adeo implendi obligationem gratitudinis, resignatione cæteroquin non valiturâ, conditione non impletâ. 367

Verùm omnino affirmandum est, tale pactum esse simoniacum. Ita Suarez tom. 1. de Relig. l. 4. de Simon. c. 5. n. 11. Gibalinus de Simon. q. 18. consectar. 3. n. 5. & complures alii. Nam qui pro spirituali recipit ex pacto aliquid temporale, *ultra debitum gratitudinis*, est simoniacus; nec enim ullus alius titulus, quàm compensationis eo casu suffragari potest; sed qui resignat v. g. alteri beneficium, eâ conditione, vel pacto, ut Resignatorius sit obligatus Resignanti, *implere obligationem antidoralem*, 368

ralem, seu debitum gratitudinis dando aliquid temporale pro spirituali, recipit ex pacto aliquid spirituale, *ultra debitum gratitudinis*; ergo. major exinde constat, quia in eandem cadit tota definitio simoniæ propriè dictæ. Id enim, quod est *ultra debitum gratitudinis* nequit habere rationem *compensationis gratuitæ*. 1. quia aliàs non esset *ultra*, sed intra illam. 2. quia sic non esset debitum strictè, nimirum ex pacto naturaliter, & ex justitia obligante. Minor etiam probatur 1. Nam obligatio, seu *debitum*, *immediatè nascens ex beneficio accepto*, distinguitur adæquatè ab obligatione, *non immediatè nascente ex beneficio accepto*, sed ex pacto superaddito: at obligatio, seu debitum gratitudinis immediatè nascitur ex beneficio accepto; obligatio ex pacto implendi debitum gratitudinis non immediatè nascitur ex beneficio accepto, sed ex pacto superaddito; ergo debitum gratitudinis adæquatè distinguitur ab obligatione ex pacto implendi debitum gratitudinis; ergo hæc non continetur in illo (aliàs aliquid contentum in toto esset adæquatè distinctũ ab illo) ergo est aliquid ultra debitum gratitudinis.

369 Deinde obligatio naturalis, quæ in hoc casu imponitur, & nascitur ex pacto implendi debitum gratitudinis, non continetur in debito gratitudinis; ergo, qui eam in dato casu imponit alteri, & exigit ab illo, exigit, ac recipit aliquid *ultra* debitum gratitudinis. Ante. prob. Nam obligatio, seu debitum gratitudinis, eum, qui ab altero accepit beneficium, ex vi gratitudinis *non determinat* in conscientia ad dandum reciprocè benefactori *aliquid temporale determinatè*, sed beneficiario relinquit liberum id, quo velit, & præstet se gratum benefactori, modo reciprocum obsequium sit decens; obligatio autem illa nascens ex pacto, *determinat* in conscientia ad dandum reciprocè benefactori determinatè aliquid temporale, ergo hæc non continetur in illa. Confirmatur quia post pactum est duplex obligatio *gratitudinis*, & *pacti*: sed in debito gratitudinis non est hæc duplex obligatio; ergo post pactum est plùs, quàm in solo debito gratitudinis; ergo, qui exigit, & recipit hanc duplicem obligationem, seu debitum, exigit, & recipit plùs, quàm solum debitum gratitudinis, ergo aliquid *ultrà*.

370 Dices: quod de jure inest receptioni beneficii, exigere, & recipere ex pacto, non est simoniacum; sed obligatio gratitudinis de jure inest receptioni beneficii; ergo illam ex pacto exigere, ac recipere ab accipiente beneficium non est simoniacum. Min. ex se patet; ma. autem prob. quia non committit ullam simoniam collator beneficii, qui à recipiente petit, ac ex pacto recipit, ut se obliget ad solvendos annuos reditus, ex censu, aliàs imposito beneficii fundo; cujus ratio est, quia hæc obligatio jure inest receptioni talis beneficii, cui annexum est hoc onus reale. R. majorem esse veram, quando pactum cadit in obligationem, *quæ jure inest, eo modo, quo inest*; non autem, *si eo modo non inest*; quia tunc jam exigit aliquid ultra id, quod est sub obligatione, supra quam pactum cadit. Et ideo licitè, ac sine omni simonia collator exigit, ac à collatario recipit obligationem ex pacto, quòd solvet annuos reditus ex censu aliàs incumbente fundo talis beneficii. Nam hoc onus determinatè inest receptioni beneficii priùs realiter gravati: at obligationi gratitudinis ex beneficio accepto non inest obligatio *determinatè* petens temporale in recognitionem beneficii accepti, ut constat ex dictis: ergo pactum non cadit in obligationem gratitudinis, secundùm id, quod illi de jure inest.

Pro reliquis in contrarium not. 1. sicut 371
ad simoniam sufficit quilibet contractus onerosus super spirituali pro temporali, vel econtra, licet non sit formaliter contractus emptionis; sic sufficere, quòd detur quodvis donum recipienti spirituale onerosum, & illud danti commodum, licet non sit formaliter pretium; hoc autem intervenit in casu, quo temporale recipitur pro spirituali *ex pacto* compensationis gratuitæ, ut ostensum est. Not. 2. secundùm aliquos posse tramitti, quòd, quando collatarius collatori promittit, *quòd velit recognoscere beneficium, seu favorem sibi collatum*, per hoc præcisè non committat simoniam; esto collator eam promissionem acceptet, & collatarius inde obligetur ad exhibendum se gratum; quia sic solùm se obligat ex pacto ad præstandum id, quod petit obligatio gratitudinis, non autem si promittat, quòd velit recognoscere *per tale determinatè obsequium*; quia obligatio gratitudinis non petit hoc determinatè, & hoc sensu dicunt, quòd recipiendo talem obligationem, recipiat aliquid ultra debitum gratitudinis: sed rectius negatur; quia sic adest obligatio *gratitudinis*, & *promissionis*.

Not. 3.

372 Not. 3. dupliciter posse intelligi, quòd Clericus recipiens beneficium à Collatore; vel præsentationem ad illud à Patrono, illi dicat: *assecuro, quòd ero gratus*, 1. si hoc dicat animo, significandi, se fore in effectu memorem obligationis antidoralis, hoc est gratitudinis. 2. si dicat ea verba taliter, quo attentis circumstantiis significet, se temporale daturum, pro collato eo beneficio spirituali; quo posito, ꝟ. in primo casu non intervenire simoniam; secùs, in secundo. Ratio primi est, quia ibi titulus nascens, ex illo dicto tendit ad præstandum, quod petit debitum antidorale, seu gratitudinis, non restringens determinatè ad certum aliquid; in secundo autem casu, obligatio nascens ex illis verbis cadit in aliquid, quod determinatè non exigit debitum antidorale; cùm particula *pro spirituali*, determinatè significet dationem *compensativam*; ergo hæc obligatio est ultra debitum gratitudinis, ut dixi num. præcedentibus. Melius; quia illud dictum non parit titulum distinctum à titulo gratitudinis; secùs, alterùm, in injur. *promissi.*

373 Instabis, saltem in hoc secundo casu non erit simonia *conventionalis*; sed ad summum tantùm *mentalis*; adeoque, cum simonia mentalis non subjaceat pœnis à jure statutis in simoniacos; dans, & recipiens temporale pro spirituali in hoc casu, saltem liber erit ab illis pœnis. Sed revera, negari non potest in hoc casu fore simoniam conventionalem. Nam Collatarius, ut ponit casus, attentis circumstantiis significat, se gratitudinem exerciturum dando temporale; & sic Collator ejus promissionem acceptat; at hoc est formalissimè pactum, seu conventio duorum in idem; ergo.

§. 3.

An dare temporale pro spirituali tanquam motivum, vel compensationem gratuitam, sit simonia juris naturalis & divini, vel tantùm Ecclesiastici?

374 UT ex præsentis quæstionis resolutione pro reliquis quoque regula statuatur, not. 1. simoniam ex natura rei non committi per contractum etiam onerosum emptionis, & venditionis, sive talis contineat emptionem formaliter, ubi pro re seu merce datur pecunia; sive virtualiter, & æquivalenter, ubi aliquid æquivalens pecuniæ, ut constat à n. 335. *nisi interveniat datum spirituale, & acceptum temporale, vel econtra.* Ex hoc sequitur in eo casu, ut per emptionem, vel venditionem, sive formaliter, sive virtualiter talem, committatur simonia strictè sumpta (nimirum juris naturalis, & divini) materiam illius contractûs necessariò esse debere aliquid *spirituale ex una*; & *pretium*, vel formaliter, vel æquivalenter tale *ex altera parte*; nam aliàs non salvatur definitio simoniæ in n. 331.

Not. 2. non committi simoniam juris 375
naturalis, vel divini, *nisi id, quod venit* in *appretiationem*, seu *vicissim datur pro temporali, sit spirituale* juxta dicta à n. 343. & seqq. nimirum vel de se ac entitativè, vel saltem moraliter aliquid supernaturale, aut ad illud naturâ suâ ordinatum, vel etiam inseparabiliter annexum, ac eo titulo appretiatum, ut diximus ibidem. Not. 3. nec committi simoniam juris naturalis, & divini, nisi id, quod datur pro spirituali, habeat *rationem pretii* vel *formaliter*, vel *æquivalenter talis.* Dico *æquivalenter talis*, quia (esto non sit *pretium formaliter seu pecunia*) sufficit quodvis temporale, pecuniæ æquivalens, seu pecuniâ mensurabile, ut ait S. Thomas, n. 365. à nobis relatus; aliàs non committeretur vera simonia per munus à manu, ab obsequio, à lingua, contra expressos canones c. *Sunt nonnulli*, c. *Ordinationes.* 1. q. 1. c. *Salvator*, ead. q. 3.

Not. 4. sub munere *à manu*, in quan- 376
tum constituit pretium æquivalenter, quòd datum pro spirituali, sit materia sufficiens ad simoniam juris naturalis, & divini, plura contineri, seu comprehendi. 1. remissionem debiti, vel promissionem id remittendi. 2. mutuationem pecuniæ. 3. dilationem debiti aliàs hoc tempore solvendi. 4. promissionem solvendæ alicujus pensionis, seu pecuniæ alio titulo, determinatè non debitæ &c. Nam hæc omnia naturâ suâ afferre apta sunt temporale commodum, illa recipienti, ergo per n. 335. sunt sufficiens materia simoniæ juris naturalis, & divini. Similiter sub munere *ab obsequio*, in quantum contradistinguitur à munere *à manu*, ac est æquivalenter pretium, & materia simoniæ propriè dictæ, atque adeo juris naturalis, & divini, venit quodvis obsequium præstitum per propriam personam; & in hac acceptione, est quodvis servitium quod quis alteri præstat in commutationem pro spirituali v. g. tractando illius negotia; gerere curam

curam ejus loco in aliis functionibus &c. Cùm enim hæc aliàs compensari soleant, reverâ pretium sunt non formaliter, sed æquivalenter. Deniqúe etiam munus *à lingua* (ut sunt commendationes, intercessiones, procuratio favoris apud tertium, à quo redundat in alterum temporale commodum &c.) ubi venit in commutationem rei spiritualis, est *pretium æquivalenter*, & materia sufficiens ad simoniam propriè dictam, consequenter jure naturali, ac divino, & non merè Ecclesiastico prohibitam.

377 Not. 5. ut actio aliqua ex natura rei sit propriè simoniaca, requiri, quod datio, & receptio, rei temporalis pro spirituali, aut econtra, sit datio, & receptio *onerosa*, & *danti*, & recipienti. Nam si quis suo Patrono, à quo promotus est ad aliquod beneficium, aut dignitatem Ecclesiasticam purè liberaliter, & nullo prorsus debito inductus aliquid offerat, à simonia juris naturalis, & divini immunis est, ut docet Castropalaus cit. P. 3. de simon. D. 3. p. 4. à n. 1. Unde talis donatio spontanea, & purè liberalis non tam est pro spirituali (nam hoc significat quandam quasi appretiationem rei spiritualis) quàm mera datio rei temporalis, præcedente datione rei spiritualis, ut in dante duntaxat denotet, animi sui honestatem, in eo relucentem, quòd quis non animo mercenario, sed nobili, ac sine respectu ad aliam utilitatem ex facto suo nascentem, alteri largitur; quibus positis:

378 Ad quæstionem initio §. propositam 2. in casu quo dare temporale pro spirituali, vel econtra, non tanquam pretium, sed tanquam motivum, aut compensationem gratuitam, simonia est, ut diximus à n. 368. eam esse simoniam juris naturalis, & divini. Nam prohibitio hujus permutationis non est inducta solo jure Ecclesiastico; ergo non est juris tantùm Ecclesiastici; ant. prob. quia talis simonia continet dationem rei spiritualis, quod temporali compensetur; vel econtra temporale, quod compensetur spirituali, ut probatum est à n. 356. & 366.

Ex dictis colliges. 1. quòd si Episcopus aliquem ordinans sine titulo, ab ordinando exigat promissionem, quòd nihil petet ab illo in debitam sui sustentationem (quam alias ordinando præstare teneretur eum *ordinans sine titulo*, ut habetur c. *Cùm secundùm*, de præbend.) committat veram, ac propriè dictam simoniam; nam hæc remissio debiti, *cum* cæteroquin *alendi*, est munus à manu ex n. 376. consequenter pretium æquivalenter (est enim pretio æstimabilis) petitur in commutationem rei spiritualis, nimirum ordinationis, quæ est actus jurisdictionis spiritualis. Colliges 2. qui alicui in bonis suis constituit *titulum mensæ* ad suscipiendos ordines, cum pacto, ut tamen nihil exigat de illo, non committere simoniam propriè dictam; nam constituere alicui *jus alimentorum* in suis bonis, & *obligare se, ad non utendum eo jure*, non est permutatio *rei spiritualis cum temporali*, vel econtra. sic. Cardin. Toletus in summa l. 1. c. 48. n. 10. Colliges 3. omnem *pactionem*, quæ jure non ineſt, dandi spirituale pro temporali, vel econtra, verè simoniacam esse. c. *fin.* de Pact. & ita tenet communis cum Navarr. c. 23. n. 101. Less. l. 2. c. 20. d. 9. Suarez. l. 4. de Simon. c. 38. n. 7. Molin. de Just. tr. 2. D. 310. & aliis. Nam in largitione rerum spiritualium adesse debet maxima puritas, immunis ab omnigeno turpi lucro; ergo intervenire non possunt temporalia in permutationem, utpote omnino indigna, quibus illa quodammodo appretientur. Dixi *omnem pactionem, quæ jure non ineſt*, Nam pactio præstandi alimenta, & decentem sustentationem ei, qui ex officio ministrare debet spiritualia, ex natura rei, & jure etiam divino, tacitè ineſt impositioni, ac receptioni talis officii. Dignus enim est operarius mercede suâ. Ex quo vides, receptionem fructuum ex beneficiis Ecclesiasticis propter officium spirituale datis, immunem esse ab omni labe simoniæ; quia talis pactio, ut jam dictum est, tacitè ineſt jure naturali, & divino, impositioni, ac receptioni beneficiorum. Colliges 4. si Episcopus conferat beneficium, aliàs non collaturus, nisi collatarius promittat, quòd admittat imponi beneficio pensionem aliquam ipsi Episcopo, vel alteri solvendam; collationem fore simoniacam. Nam sic confertur spirituale, temporali ex pacto compensandum; quod tamen intellige, si beneficium nec ante habuit onus dictæ pensionis; c. *fin.* Ut Eccles. benefic. sine dimin. Nam successor in beneficium, aliàs legitimè gravatum, nondum extincto titulo talis oneris, licitè obstringi potest, ad illud fideliter implendum.

Dices: Episcopis licet ex causa justa, & 379 necessaria beneficiis Ecclesiasticis pensionem imponere ad tempus. c. *si propter* de

Reſcript. in 6. Clem. 2. de reb. Eccleſ. non alienandis; ergo Collatarium ad eam ritè perſolvendam obligare in ipſa collatione beneficii, non continet ſimoniam. R. ant. verum eſſe, quando *non in ipſa collatione beneficii* onus imponitur, *& à Collatario exigitur conſenſus* de admittenda penſione, quando beneficium priùs gravatum non erat; aliàs enim præſumitur pactio injuſta; cùm, ubi adeſt juſta, & neceſſaria cauſa beneficium gravandi aliquâ penſione, non requiratur conſenſus beneficiarii, ſic gloſſ. in cit. Clement. 2. V. *defenſor*. Suarez cit. l. 4. c. 38. n. 10. Flamin. de reſignat. l. 6. q. 2. n. 3. Not. tamen, in eo caſu, quo talis penſionis nova impoſitio fieret ex juſta, & neceſſaria cauſa, conſequenter non in commutationem pro collatione beneficii, non fore ſimoniam *ex natura rei*, adeoque nec juris naturalis, & divini; an autem foret juris Eccleſiaſtici, conſtabit ex dicendis.

380 Colliges 5. juxta Navarrum apud Caſtropalaum cit. p. 3. D. 3. p. 3. n. 4. §. *Huc*, ſimoniacum eſſe, dando temporale ad conſequendum ſibi beneficium Eccleſiaſticum parare viam, per actionem aliquam ab altero in eum finem ex pacto præſtandam; ut ſi quis obtinere volens beneficium, convenit cum aliquo Curiali de conſtituenda illi penſione, ſi præſtet auxilium ad illud obtinendum; vel de vacantibus beneficiis ſtatim notitiam faciat. Sed contrarium videtur dicendum, quoad allata exempla de ſimonia *ex natura rei*, ſeu juris naturalis. Nam quòd dem alicui pecuniam, ex hoc fine, ut per ejus interceſſionem, qui apud Collatorem eſt potens, impetrem beneficium Eccleſiaſticum, non cupio, nec quæro *ex natura rei*, etiam æquivalenter, compenſare aliquid *ſpirituale*; ejus enim *interceſſio* quâ talis præcisè, vel *facta mihi notitia* de vacaturo beneficio, reverâ eſt quid merè temporale; ergo ſolùm eſt permutatio temporalis, pro temporali. An autem propter periculum, vel juſtam ſuſpicionem avaritiæ, ac turpis quæſtûs, adſit ſimonia juris tantùm Eccleſiaſtici? conſtabit ex dicendis.

381 Aliud eſt, ſi Epiſcopus Vicario, vel alteri ſuo in ſpiritualibus miniſteriis ſubſtituto, vel etiam Procuratori ſuorum negotiorum, cui aliàs teneretur dare annuum ſtipendium, hujus loco conferat beneficium Eccleſiaſticum, per hoc compenſans totum ejus laborem, ac ſe liberans ab omni debito. Nam talis collatio beneficii omnino eſſet ex natura rei ſimoniaca; cùm daretur ſpirituale, quo temporale, ſeu actio & obſequium alterius pretio æſtimabile, deberet compenſari. Similis caſus ſimoniæ condemnatus habetur c. *Cùm eſſent* de ſimonia. Et ideo, ſi preces, ac ejusmodi obſequia, vel interceſſiones non expetantur, tanquam *compenſandæ dono ſpirituali*, ſeu in commutationem ſpiritualium, ſed potiùs ad inflectendum animum ejus, qui conferre poteſt, carent labe ſimoniæ, ut ſatis clarè colligitur ex c. *Tua nos*, de ſimon. Quia quoties non reſolvitur collatio ſpiritualium in commodum temporale, quo illud conferens hoc compenſet, aut ex illo inducatur tanquam pretio ſaltem æquivalenter tali, non eſt vera *ex natura rei* ſimonia, ſic D. Thom. 22. q. 100. a. 5. ad 3. & complures alii. Nec obſtat c. *Nemo* 14. de ſimonia, ubi dicitur: utrumque ſimoniacum eſſe, & pœnitentem ad reconciliationem adducere, & ab illa removere, ſi fiat gratiâ, & favore. Nam hoc intelligitur, ubi gratia, & favor, aut quid ſimile (v. g. *ſi duxeris ſororem, ſi hunc receperis ad religionem*) expetitur in quandam recompenſationem alicujus ſpiritualis dati, aut dandi. Sic D. Thom. cit. a. 5. ad 3. & multi alii.

Hinc colliges 6. non quodcunque 382
munus *à manu, obſequio*, vel linguâ, etiam eo animo datum, ut concilietur, & inclinetur animus ejus, in cujus poteſtate eſt, obtinere aliquod beneficium Eccleſiaſticum, aut præſtare aliquod ſpirituale, hoc ipſo ſtatim eſſe ſimoniam ex natura rei. Nam 1. ubi accipitur temporale in alimenta, & præſtatur ſpirituale citra animum hoc per illud appretiandi, compenſandi &c. Simonia non eſt ex natura rei, ut rectè notat Caſtropal. cit. p. 3. D. 3. p. 4. modò per hoc non intendas collatorem obligare aliâ obligatione, quàm merè antidorali ſeu puræ gratitudinis, nec temporale des cum intentione illud commenſurandi cum re ſpirituali; nam ſine hoc non ſtat ſimonia, quæ quà talis ſit ex natura rei. Sic Caſtropal. cit. à n. 4. & complures alii.

Quæres, an, ſi quis ad quæſtionem initio n. 380. propoſitam, contra Navarrum diceret, in illis caſibus *non fore ſimoniam, ſaltem ex natura rei*, eo ipſo *negaret* eſſe ſimoniam non tantùm *juris naturalis*, ſed etiam *Eccleſiaſtici*? affirmativam ſic probavit quidam Theologus: particula *ſaltem*, eſt implicativa apud Barboſ. dictione 355. atque

adeo

adeo sicut, si allata propositio esset *affirmativa*, præter expressam simoniam juris naturalis, includeret simoniam juris positivi; ita *negativa* præter expressè exclusam simoniam juris naturalis, implicitè excluderet simoniam juris positivi, contra ferè omnes DD. teste Castropal. p. 3. tr. 17. D. 3. punct. 11. n. 4. ad mentem D. Thom. 22. q. 100. art. 2. ad 5.

Verùm hoc non sequitur; dato enim, quòd hic locus esset particulæ implicativæ; non tamen rectè infertur, quòd *negativa* excluderet utramque simoniam, licet daretur, quòd *affirmativa* includeret utramque; si enim negativa ponitur, contradictoria affirmativæ, non debet negare *utrumque* copulativè, sed *vel hoc, vel illud*, ut docet dialectica. Aliàs enim duæ contradictoriæ essent falsæ, quod implicat; nam dicenti: *Petrus, & Paulus currit*, non contradicit hæc negativa, *nec Petrus, nec Paulus currit*: (sic enim *currente solo Petro*, ambæ essent falsæ) sed *per negativam disjunctivam*, vel Petrus, vel Paulus non currit; aut vel non est simonia juris naturalis, vel non est simonia juris positivi, ergo non excludit utramque.

§. 4.

An, & quæ actiones propter speciem simoniæ prohibitæ sint?

383 CUm non rarò contingat in praxi, dationes, & receptiones *reverâ* simoniacas, *vestiri*, ac *palliari* speciosо quodam nomine (v.g. *donationis merè liberalis*, compensationis, seu *recognitionis* purè gratuitæ &c.) consequenter ad declinandas simoniacorum pœnas coram homine (nam Deus, qui intuetur cor, falli non potest) prætendantur, ejusdem tituli, nullam simoniæ speciem præseferentes, ideo ad *palliatam* ejusmodi simoniam penitus abolendam, Ecclesiastico jure plura constituta sunt. Pro quo not. 1. quæri posse, *an Ecclesia possit prohibere donationes rerum temporalium merè gratuitas, & parè liberales, faciendas illi, qui dat, vel dedit aliquid spirituale, aut illi annexum?* Posse fieri ab Ecclesia hanc prohibitionem, tenet Suarez tom. 1. de Relig. l. 4. c. 49. à n. 1. & certum esse affirmat Castropal. cit. p. 5. à n. 1. Gibalin. de simon. q. 18. consect. 2. n. 2. & alii. Ratio est, quia reverâ quilibet Legislator (consequenter etiam Ecclesia) justissimè prohibere potest non tantùm ea, quæ in se mala sunt; sed ea etiam, quæ, recto ejus judicio, mali periculum, aut speciem afferunt. Nam ad rempublicam Christianam rectè gubernandam ad animæ salutem, atque adeo ad vitam præsertim hominis Christiani, maximè pertinet, ab omni specie mali abstinere, ut ait D. Paul. 1. ad Thessalonic. 5. ibi: *ab omni specie mali abstinete*: quòd autem donationes etiam liberales, & compensationes gratuitæ, quæ fiunt sub nomine liberalitatis, vel gratitudinis in collationibus beneficiorum, & aliis spiritualibus, reverâ frequenter habeant periculum, & speciem simoniæ; imò sæpius vera *simonia* sint, ac *donationes solo pallio nominis*, perquam certum est, ergo.

Not. 2. quando Ecclesia prohibet aliquem actum *titulo simoniæ*, seu irreverentiæ, quam continet permutatio temporalium cum spiritualibus, vel econtra, transgressionem continere malitiam simoniæ. Nam quando Ecclesia prohibet aliquem actum ex fine alicujus virtutis, tam observantia, quàm transgressio talis prohibitionis ponitur sub specie talis virtutis, vel vitii ei oppositi, ergo quando Ecclesia prohibet aliquem actum ex fine Religionis, in quantum ea inclinat, ac præcipit præstandam reverentiam rebus spiritualibus, seu naturâ suâ, vel alio legitimo titulo ad finem supernaturalem ordinatis; atque adeo consequenter prohibet horum appretiationem cum temporalibus; tam observantia, quàm transgressio talis prohibitionis ponitur sub specie Religionis, quæ prohibet talem irreverentiam; in hoc enim est malitia simoniæ; ergo talis transgressio continet malitiam simoniæ. 384

Ex hoc inferes donationes temporalium merè liberales, compensationes merè gratuitas factas, vel faciendas illi, qui præstat spiritualia (*quæ prohibitæ sunt ab Ecclesia propter periculum, vel speciem simoniæ*) continere malitiam simoniæ. Nam transgressio legis prohibentis alicujus actûs commissionem propter irreverentiam, quæ relucet in appretiatione rei spiritualis facta cum temporali, continet malitiam simoniæ, ex num. præced. sed illæ donationes tales sunt, ut ponit casus; ergo. Ita Suarez supra relatus cum Castropal. cit. p. 5. n. 1. & alii. 385

Dices 1. lex, quæ fundatur in præsumptione, non obligat in casu, quo præsumptio est falsa. Nam præsumptio cedit veritati; sed lex Ecclesiæ, prohibens illas 386

donationes merè liberales, procedit ex sola præsumptione, *quòd secum ferant periculum, & speciem mali simoniaci*; ergo ubi ea præsumptio falsa est, ea lex non habet locum; sed sæpius contingere potest, quòd ea præsumptio in donationibus merè liberalibus falsa sit: ergo. R. majorem sic indefinitè probatam, non videri admittendam. Nam constitutio annullans professionem religiosam, emissam ante completum decimum sextum annum ætatis, fundatur in præsumptione nondum sufficientis maturitatis, & judicii ante illam ætatem, ad perpetuò se obligandum pro tali statu, ut dicunt multi: & tamen, esto in professo ante illam fuisset sufficiens maturitas, & judicium ad perpetuò se obligandum pro tali statu, professio non tenet, & sic, in multis aliis. Hinc

387 Respondent alii, disting. ma. lex, quæ fundatur in *præsumptione solius facti*, non obligat, in casu, quo præsumptio falsa est; C. *in præsumptione probabilis periculi*. N. ma. Hinc volunt, legem Ecclesiæ prohibentis ejusmodi donationes, & remunerationes, in certis casibus, non fundari in præsumptione facti, sed probabilis periculi, pactionis simoniacæ, scandali &c. alii dicunt, dari quasdam leges, quæ de certis actibus, propter bonum commune, ad cavendam indecentiam in illis casibus, vel saltem periculum, aut ejus speciem, fictione juris intervenientè, quoad effectus juris, disponunt perinde, quàm si re ipsâ facti essent, ut exposuimus alibi; nec eas, licet in aliquo casu particulari re ipsâ non interveniant, ob id deficere, aut cessare. Huc respexisse videtur Cardenas, quando in tractatu ad propositiones ab Innoc. XI. prohibitas, dissert. 27. c. 4. a. 1. n. 76. ad object. in n. 386. respondet dicens: *legem fundatam in præsumptione, etiam falsa, non cessare, quando intuitu indecentiæ, nocumenti, aut alterius gravis inconvenientis, condita est.* Nam commune bonum, in eo casu legislatorem obligat, ad id per leges suas præcavendum; at hîc est ille casus: ergo.

388 Dices 2. ejusmodi donationibus, ex hoc, quòd præsumantur fieri animo simoniaco, aut saltem afferant ejus speciem, aut periculum, non convenit definitio simoniæ; ergo non sunt simoniacæ. R. solùm sequi, dictis donationibus non convenire definitionem *simoniæ ex natura rei talis formaliter*; non autem *talis ex indecentia*, quam affert species mali, & periculum, quod regulariter annexum habet. Alia igitur est definitio simoniæ *sumptæ solùm naturaliter*; alia *sumptæ Ecclesiasticè*. In moralibus autem, definitiones rerum, accipiendæ sunt secundùm eam rationem, quam important res non tantùm ex rei natura, sed etiam ex Ecclesiæ dispositione. Aliàs *facere peccatum grave*, ac *voluntariè se conjicere* in proximum *morale periculum talis peccati*, non haberent eandem moralitatem formalem, seu malitiam ad culpam imputabilem. Simonia autem Ecclesiasticè definita non tantùm est voluntas studiosa *emendi in re pro temporali spirituale*; sed etiam, studiosa voluntas, *transiens in externum opus, quæ refert speciem talis* mali. Sic respondere Patrem Suarez tenet Cardenas cit. n. 78. Et quamvis verum sit, quòd Ecclesia non possit *mutare naturas rerum*, consequenter, ut *sit simonia, quod simonia non est*; ex hoc tamen duntaxat sequitur, fieri non posse, ut Ecclesiæ constitutione sit *simonia juris naturalis, & divini*, quod in se simonia non est; non autem quod non sit simonia *juris humani seu Ecclesiastici*; aliàs enim, quæ antecedenter non erant naturaliter prohibita propter reverentiam SS. Eucharistiæ (v.g. non sumere Eucharistiam non jejunum extra casum necessitatis, & plura similia) consequenter ante prohibitionem Ecclesiæ non habebant *malitiam sacrilegii*, nec haberent post ejusmodi prohibitionem, quæ sequela nullatenus concedi potest; idem est de omissione adhibendi modicum aquæ pro materia consecrationis; & plurimis rebus, jure humano præceptis, & vetitis, ut patet consideranti.

§. 5.

An quælibet donatio, mere liberalis, titulo simoniæ, ab Ecclesia sit prohibita?

389 CArdenas cit. a. 2. n. 81. censet donationes merè liberales, non tantùm *in provisionibus beneficiorum*, sed etiam *pro susceptione ordinis, ab Ecclesia* prohiberi tanquam simoniacas. In prima parte consentiunt ei plures, ut dicemus n. 390. in secunda videtur, quoad aliquas solùm ejusmodi donationes, pro illo stare Suarez tom. 1. de Relig. l. 4. de simon. c. 49. Secundam autem partem probat Cardenas 1. ex Trid. sess. 21. c. 1. de Reform. ibi: *Pro collatione quorumcunque ordinum, etiam Clericalis tonsuræ, nec pro literis dimissoriis, aut testimonialibus, nec pro sigillo, nec alia quacunque de causa, etiam*

sponte

ſponte oblatum, Epiſcopi, & alii ordinum collatores, aut eorum miniſtri quovis prætextu accipiant; circa quod decretum CC. obſervat, eam donationem quantumvis liberalem, in miniſtratione, vel ſuſceptione ordinum, prohiberi à Concilio; quia continet, ſeu facit *ſuſpicionem ſimoniæ*, nimirum *contractûs oneroſi* (ut temporale detur pro ſpirituali) quem ſacris ordinibus ipſum Concilium judicat *indecentem*, & *irreverentem*; & ideo prohibet, ut liquet ex proœmio, ibi: *quoniam ab Eccleſiaſtico ordine omnis avaritiæ ſuſpicio abeſſe debet.* Ex quo colligitur talem donationem ob indecentiam, & irreverentiam annexam, *cenſeri æquivalenter contractum oneroſum*, quo temporali menſuretur ſpirituale. Deinde idem Concilium ſeſſ. 24. de Reform. c. 18. De his, qui examinant aſpirantes ad beneficium Parochiale, ſic loquitur: *caveant, ne quicquam prorſus, occaſione hujus examinis, nec antè nec poſt, accipiant. Alioqui ſimoniæ vitium, tam ipſi, quàm alii dantes dicuntur incurriſſe.* Ubi not. quòd non dicat Concilium, nihil accipiant *pro examine*, ſed *occaſione examinis*; ubi apertè excludit acceptionem non tantùm *pro labore* (quod videtur importare acceptionem oneroſam) ſed *omnem*, conſequenter etiam merè liberalem *occaſione examinis.*

390 Caſtropalaus autem p. 3. D. 3. p. 5. n. 6. docet *extra materiam beneficiorum*, nullam donationem *merè liberalem*, & gratuitam, in recipiendo ſacramento, vel aliis ſpiritualibus, tanquam ſimoniacam, ſeu ex fine Religionis, eſſe ab Eccleſia prohibitam, prohibitione ſtringente conſcientiam, eſto concedat in foro externo, ex præſumptione habendam pro tali. Sententiam ſuam firmat diſſolutione contrariorum textuum, qui afferri ſolent, citans pro ſe P. Suarez tom. 5. in 3. p. D. 31. ſect. 4. n. 23. Leſſ. tr. 2. c. 35. d. 10. n. 61. &c. Ad textum n. 389. deſumptum ex Trid. Seſſ. 21. c. reſpondet, ſi ea munera *ſponte dentur, & non in commutationem*, nullam eſſe ſimoniam etiam jure Eccleſiaſtico; quia finis, ob quem hæc omnia prohibet Concilium, non eſt *ſimonia*, ſed *affectus avaritiæ*; quem eâ prohibitione caveri vult Tridentinum. Ad alterum ex eadem ſeſſ. 24. c. 18. reſpondet, ibi nullum verbum eſſe, quod prohibeat *donationem liberalem*, imò neque illam, quæ daretur in ſtipendium. Et quoniam ſumus in re tam gravi, qualis eſt vitium ſimoniæ, pœnis graviſſimis ſubjectum, conſequenter odioſa, quoad fieri poteſt, mitius interpretandum eſt decretum in hoc caſu, præſertim, cùm textus (ut patet in margine) ſe referat ad alium canonem, in quo *ſola receptio pecuniæ*, propter ordinis examinationem, tanquam pro ipſius commutatione, & pretio prohibetur.

Antequam mentem noſtram in hoc 391
puncto dicamus, not. 1. in c. 1. de ſimonia expreſsè prohibitum eſſe, pro ordinatione, datione pallii, chartis, vel paſtellis ab ordinando, vel ordinato, dari aliquid temporale; quod ſecundùm omnes procedit, *ſi hoc fiat ad exactionem*, & non omnino ſpontè; ex quo ſequitur ab ordinandis, vel ordinatis aliquid *commodi appellatione*, *exigere*, omnino ab Eccleſia prohibitum eſſe. Ubi adverte 1. in textu clarè exprimi *dationem pallii*, quod conferturArchiepiſcopis, de quo plura vide apud Gonzal. in c. 1. h. t. n. 2. Adverte 2. per *chartas*, ſeu *traditionem chartarũ*, ibid. intelligi expeditionem literarum ordinationis, quas ordinati à ſuis ordinatoribus accipiunt. Adverte 3. Poſtquam temporibus GregoriiMagni, & antè, & ab ipſo etiam, tot legibus cautum eſſet, ne aliquid pro ordinibus conferendis ab ordinante acciperetur, fuiſſe inductam conſuetudinem, ut nomine paſtûs, ſeu paſtelli aliquid exigerent; & hanc conſuetudinem in eodem c. 1. exprimi, ac denuo prohiberi. Et quamvis in cit. c. 1. ſermo ſit de ordinatione *Epiſcopi*, univerſim tamen id jam procedere de quavis ordinatione, imò & collatione primæ tonſuræ, conſtat ex n. 389. Neque dubium eſt, omnem dationem, vel acceptionem rei, quæ affert temporale commodum, factam *ad exactionem*, vel *petitionem ordinantis, aut Miniſtrorum ejus, occaſione ordinationis*, prohibitam eſſe ab Eccleſia, ut liquet ex innumeris juris textibus apud Gonzalez citat.

Dixi *factam ad exactionem, ſeu petitio-* 392
nem; nam de hoc expreſsè loquitur cit. c. 1. de quo ſupra, & paſſim in aliis canonibus c. 1. & ſeq. 1. q. 1. Difficultas autem eſt *de donatione merè liberali*, an ea reverâ prohibita ſit *ab Eccleſia*, ſi fiat *occaſione ſacrorum ordinum* ſive ab ipſis Ordinantibus, ſive ab eorum Miniſtris? hanc prohibitionem non negat Caſtropalaus, ut conſtat ex ejus reſponſionibus, cùm concedat in iis decretis *avaritiam* in ejusmodi datorum acceptionibus reſpici, tanquam id, quod ſpecialiter in

iis circumstantiis indignum sit. Id ergo, quod in præsenti negat, est, *eas donationes merè liberales ab Ecclesia prohiberi tanquam simoniacas.*

393 Probabilius tamen videtur, donationes etiam *merè liberales*, occasione ordinum ab ordinandis, vel ordinatis faciendas, vel factas, ordinanti aut ejus Ministris, *titulo simoniæ* prohibitas esse ab Ecclesia. Et 1. per textum Tridentini de quo n. 389. prohiberi tales donationes apertè constat, ibi: *etiam sponte oblatum*; deinde textus ejusdem Concilii in n. 591. dum ait. (*nec quicquam occasione hujus examinis*) omne datum, & acceptum excludit; igitur etiam datum, & acceptum *titulo merè gratuito*, cùm de dato, & accepto *indefinitè* loquatur, & quidem in re concernente materiam Religionis, quæ omnem turpem quæstum, imo, & speciem ejus excludit. Nec obstat, quòd pro causa prohibendi allegetur *avaritia*, non *simonia*, nam hoc ipso talis *avaritia* in ejusmodi circumstantiis (ubi in collatione, vel occasione ordinum datur temporale, datione, & receptione, quam Concilium vocat *indecentem*, & *irreverentem* etiam *sacris ordinibus*, ut constat ex n. 389.) denotat *speciem mali simoniaci, seu simoniacæ pravitati faventem.* Cùm enim ea datio, & acceptio reverâ perquam frequenter fiat turpis lucri gratiâ, & ex hoc satis clarè referat speciem animi simoniaci, hoc est cujusdam *compensationis*, saltem *æquivalenter talis*, consequenter *quasi contractûs non gratuiti*; vix enim unquam nisi temporale commodum speraretur, aut quæreretur, fierent illæ, & ista (nimirum collatio spiritualium, saltem eo modo, quo fiunt) nisi fiat textui violentia, explicari debitè non poterit, nisi prout notat ipsum Tridentinum in n. 389. in fine, prohiberi scilicet, *propter vitium simoniæ, cæteroquin incurrendum.*

394 Hinc quando dicitur, *quod prohibetur titulo avaritiæ, non prohibetur ab Ecclesia titulo simoniæ*, distinguendum est, quod prohibetur titulo avaritiæ (in quantum non explicat *specialem indecentiam, ac irreverentiam, quæ fit sacramento Ordinis* in donatione rei temporalis occasione spiritualium) non prohibetur ab Ecclesia titulo simoniæ C. secùs, N. at, *etiam sponte oblatum, occasione ordinum, accipere*, prohibetur ab Ecclesia *titulo avaritiæ*, non utcunque, sed *in quantum explicat specialem indecentiam, ac irreverentiam sacramento Ordinis*, quæ fit etiam sponte oblato temporali pro, vel occasione illius sacramenti, ut constat ex n. 389. ergo. Et ex hoc patet ad rationem in contrarium. n. 390. Ad alteram ibidem (qua dicitur cit. loco *non esse verbum in eo decreto de donatione merè liberali*) similiter distinguitur: non est ullum verbum *explicitè, vel implicitè, vel etiam illativè.* N. *explicitè*, trans. Nam ut ex eo textu rectè inferatur, datam inibi prohibitionem loqui de donatione etiam *merè liberali*, sufficit ibidem indefinitè prohiberi, *quidquid datur vel accipitur occasione ordinum* collatorum, vel conferendorum, & receptorum, vel recipiendorum, etiam sponte oblatum; at sic est ex n. 389. ergo.

Præter hæc not. 1. etiam donationes 395
merè liberales, in materia beneficiorum, tanquam simoniacas, vel pravitati simoniacæ faventes, ab Ecclesia prohibitas esse, ut dicemus à n. 397. Not. 2. prædictam prohibitionem de donatione merè liberali occasione ordinum, extendi etiam *ad Ministros Ordinantium*; quod tamen intelligendum venit juxta dicenda n. 534. Not. 3. cùm diximus prohiberi omnem donationem occasione Ordinum exactam, vel petitam debere intelligi secundùm n. 338. Ex dictis tandem concluditur, omnem dationem temporalium, *occasione Ordinum*, non tantùm onerosam, sed etiam merè liberalem, jure Ecclesiastico interdictam esse titulo simoniæ, non tantùm ordinatis, & ordinantibus, sed etiam horum Ministris.

§. 6.

An Simonia juris tantùm Ecclesiastici sit verè, ac propriè Simonia?

DAtionem, & acceptionem tempora- 396
lium pro spiritualibus, vel occasione illorum, solo jure Ecclesiastico prohibitam, esse verè, ac propriè simoniam, affirmat Suarez de Relig. tom. 1. l. 4. c. 7. & c. 29. propterea, quia illi convenit definitio simoniæ; negat Layman L. 4. tr. 10. c. ult. n. 66. Tannerus tom. 3. D. 5. de Relig. q. 8. dub. 2. n. 30. quia reverâ in dato casu non intervenit *commutatio* rei spiritualis pro temporali: prohibetur tamen ab Ecclesia, tanquam simonia, nimirum ob reverentiam rebus spiritualibus, & ad hæc pertinentibus debitam, ratione cujus reducuntur ad simoniæ pravitatem. Ita Pirhing de simon. n. 6.

sed

sed ad horum rationem facilè respondetur, dicendo secundum dicta n. 388. ad simoniam, cui verè conveniat ejus definitio, sufficere, quod ea datio, vel acceptio temporalium *in*, vel *occasione spiritualium* contineat commutationem, & pretium *æquivalenter tale*; sed hoc verificatur in omni ejusmodi datione, & acceptione per Ecclesiam prohibita, ut ostensum est in præcedentibus, præsertim n. cit. ergo.

Cæterùm rectè dici potest 1. illas dationes, & acceptiones rerum temporalium, seu pretio æstimabilium, quæ fiunt *in*, vel *occasione spiritualium*, *aut annexorum* (quæ prohibitæ sunt jure tantùm Ecclesiastico) non esse simoniam verè, ac propriè ex *natura rei*, seu ex se, & secluso omni jure humano; esse tamen verè, ac propriè simoniam, *quoad malitiam* ad culpam imputabilem, & in quantum ejusmodi actus subjiciuntur pœnis in simoniacos jure humano constitutis ab Ecclesia. Neque novum est, aliquem actum ex natura rei, & ex se non malum, evadere formaliter malum, & ad culpám imputabilem, si fiat liberè à sciente, illum esse prohibitum lege solius Ecclesiæ ex fine certæ virtutis, ut passim tradunt Theologi in tract. de actibus humanis, & patet ex plurimis legibus jure solùm Ecclesiastico inductis, de jejunio, horis canonicis, audiendo sacro &c. Cùm ergo rebus sacris, & spiritualibus magna fiat irreverentia per *appretiationem seu commutationem earum, vel formaliter, vel æquivalenter talem cum temporalibus*, atque adeo talis commutatio habeat specialem malitiam, nequit non illam contrahere actus liberè factus à sciente prohibitionem Ecclesiæ titulo reverentiæ specialis in hoc debitæ spiritualibus.

397 Cùm autem certum sit, pro dispensationibus matrimonialibus, & aliis; item pro collationibus beneficiorum; propter uniones Ecclesiarum, & similia, exigi à Curia Romana annatas, quindennia, & similes quandoque valdè amplas pecunias; multis hæc dubitatio movetur, qualiter hæc fieri possint sine simonia? Sed respondet Prosper Fagnanus mox citandus, in Curia Romana non committi simoniam in his, quæ simoniaca, seu mala sunt, *quia prohibita* tanquam simoniaca, seu quando simonia est juris tantùm Ecclesiastici, si fiant sciente, & authorizante Pontifice; secùs in his, quæ sunt prohibita, *quia mala*, seu quæ continent simoniam juris naturalis, & divini; quia in jure Ecclesiastico dispensare potest Pontifex; ita ille in c. *Cùm pridem*, de pactis à n. 63. & in c. *Præterea*, ne Prælati vices suas à n. 97. Hoc verum judico, quando non exceditur quantitas pretii, ad quam se extendit dispensatio, non autem si plus exigitur, quàm dispensatio Papæ concedat.

ARTICULUS III.

De Simonia, quæ committitur in venditione rerum spiritualium in particulari.

SUpponendum, nos hìc loquí de vendi- 398
tione, vel emptione rerum spiritualium, quales sunt *sacramenta*, *res consecratæ*, benedictæ, vel aliqua ratione spiritualibus, naturâ suâ, institutione, vel Ecclesiæ ordinatione ad finem supernaturalem, ac animæ salutem ordinatæ, sumendo emptionem, & venditionem pro quolibet contractu, seu quasi contractu, *non gratuito* saltem æquivalenter, & favente simoniacæ pravitati, in quantum subjicitur pœnis ab Ecclesia in simoniacos statutis. Hinc

Quæstio est 1. An, & qualem simo- 399
niam committat emens, & vendens sacramenta? g. vendere Eucharistiam, seu hostiam consecratam, *quà talem*, esse simoniam juris divini, & naturalis, seu intrinsecè malam. c. *nullus Episcopus*. 1. q. 1. quod intellige non tantùm si vendantur species consecratæ; sed etiam actus consecrandi, vel ipsum signum sacramentale, & significatum. Ratio est ex dictis, quia verè est *imitator simoniacæ fraudis*, ut dicitur cit. c. *nullus*. Et hoc procedit etiam *de aliis sacramentis* à Christo institutis, eorumque *collationibus*, ut dicitur in c. *Cùm in Ecclesiæ*. 9. h.t. ubi districtius prohibetur *dare, vel accipere aliquod pretium exactum, pro personis Ecclesiasticis deducendis in sedem, vel sacerdotibus instituendis, aut sepeliendis mortuis, seu benedicendis nubentibus, seu aliis sacramentis conferendis, seu collatis*; & additur: si quis autem contra hoc venire præsumpserit; *portionem cum Giezi se noverit habiturum*, ubi notat Gloss. V. *Giezi* hunc primò in veteri testamento *simoniam* inveniisse, ac propterea leprâ percussum 1. q. 1. c. *Qui studet*; & c. *Citò turpem*. In particulari autem de sacramento ordinis idem procedere constat. 1. ex dictis. & 1. q. 1. c. *quicunq;* 2. c. *quisquis* 5. c. *si quis*. 8. & seq. de Sacramento Baptismi. 1. q. 1. c. *Baptizandis* 99. c. *Placuit* 102. & 103.

item

item c. *dictum* est. 105. ubi prohibetur pro perceptione Chrismatis numos dari; similiter pro Baptismo, & communione, ordinatione, balsamo, aut sepultura quicquam exigi; eò quòd sacra Synodus tanquam *semen simoniaca hæresis* id detestetur. Ex quo colligitur idem ibidem statui de Sacramento Confirmationis, de sacræ communionis, seu Eucharistiæ distributione; & iterum 1. q. 1. c. *Nullus Episcopus* 100. de Sacramento Pœnitentiæ, in c. *Nemo* 14. h. t. de extrema Unctione c. *fin* 1. q. 3. Circa matrimonium aliqui Canonistæ dubitârunt; sed si vendatur matrimonium, *in quantum est sacramentum*, non dubium est, committi simoniam intrinsecè malam, ut constat ex c. *quidquid* 1. q. 1. ubi hoc generaliter, de omnibus sacramentis definitur. Secùs est, si detur aliquid pro illo præcisè, in quantum est contractus civilis. Ita Suarez cit. c. 10.

400 Contra primam partem hujus resolutionis de matrimonio adducitur 1. c. *Connubia* 32. q. 2. & c. *Honorentur*, ead. in quibus videtur contrarium definiri; sed in primo solùm est sermo de *usu* matrimonii, non de vinculo; & in secundo solum de conjugio Rebeccæ, quod non fuit Sacramentum. Not. tamen; cùm in præmissis dicimus committi simoniam *juris naturalis, & divini*, debere intelligi. 1. cùm intervenit saltem æquivalenter *appretiatio*, seu commutatio Spiritualium cum re temporali; nam sine hac non stat simonia *juris naturalis*, & *divini*; præsertim, cùm etiam sacri canones allati ad prædictos casus, loquantur de casu, quo *pecunia*, vel *pretium* intervenit saltem æquivalenter tale. Not. 2. debere intelligi, si prædicta spiritualia, vel illis annexa veniant in commutationem, *in quantum talia sunt*, consequenter sumpta reduplicativè, ut exposuimus à n. 352. Nam in casu, quo spirituale, vel illi annexum, sumptum solùm materialiter, ac specificativè in commutationem venit, dicemus quæst. seq.

401 Quæstio est 2. an sit simonia juris Divini vendere materiam rerum spiritualium? in hac quæstione distinguendum est, an materia illarum vendatur, dum est conjuncta formæ, à qua formaliter habet *esse spirituale*, hoc est annexum spirituali, vel ordinatum ad illud? an, cùm est separata ac nondum Sacramentalis? Secundò, an *titulo spiritualitatis* vendatur carius, vel solum eo pretio, quod res habet eo titulo secluso. Et quidem si materia Sacramentorum, aut aliorum spiritualium appretietur amplius, titulo Spiritualitatis, consecrationis, benedictionis, vel annexionis ad Spiritualia, non est dubium, committi simoniam juris naturalis & divini. Sic enim fit appretiatio rei spiritualis cum temporali, quà spiritualis est, quod formaliter continet irreverentiam, in qua sita est ratio simoniæ ex natura rei, quâ talis, ut dictum est n. 330. his positis:

Dubitatur 1, an sit simonia juris divini, 402
vendere materiam Sacramentorum? Communis responsio est negativa, loquendo de materia remota Sacramenti, cujusmodi est *panis, vinum, aqua, oleum* &c. Nam hæc secundùm se, est quid merè materiale; secùs de materiâ proxima, nimirum actionibus concomitanter annexis spirituali, cujusmodi sunt *ablutio, unctio, prolatio verborum* &c. Nam hæ, qua tales, formaliter spirituales sunt, nimirum ordinatæ ad finem supernaturalem; ergo si quà tales venirent in appretiationem cum materiali, earum emptio, & venditio propriè, ac ex natura rei foret simoniaca per n. 330.

Dubitatur 2. an sit simonia *juris divini* 403
vendere rem consecratam, ratione materiæ illo pretio, quo veniret non consecrata? Negativè respondet Zoësius h. t. n. 10. ubi dicit, ejusmodi materiam, secundùm se spectatam, non esse materiam simoniæ juris naturalis, quia, ut talis considerata, est quid merè temporale; sic usus habet, inquit ille, cereas imagines benedictas (*agnos Dei* vocant) sine piaculo vendi. Est tamen prohibitum ejusmodi materiam ad usus profanos adhibere, propter ejus reverentiam, nec sine labe simoniæ pretium ejus augeri posse ratione consecrationis. Ita ille loco cit. ubi etiam textus contrarios rectè exponit.

Dubitatio est 3. an sit simonia *juris Di-* 404
vini vendere Sacramentalia? Per hæc intellige sacras cæremonias, seu ritus ab Ecclesia institutos pro sacrificio Missæ, & administratione Sacramentorum, ex quibus aliqui consistunt in actione habente effectum *transeuntem* (ut benedictio nuptiarum) quidam *permanentem*, ut consecratio calicis, benedictio aquæ, olei &c. quibus positis: R. vendere ipsos actus (v. g. *benedicendi, consecrandi* &c.) esse simoniam juris divini, cùm sint actus annexi ordini; quod etiam intelligitur de rebus consecratis, benedictis in

concre-

concreto juxta n. 352. si autem sermo sit solùm de rei consecratæ materia secundùm se constat ex n. 403.

405 Dubitatio est 4. an sit simonia *juris Divini* aliquem pretio inducere ad ministranda Sacramenta ? R. si minister tibi in extrema, vel gravi necessitate nolit ministrare Sacramentum v. g. *Baptismum*, nisi pro pecunia, non esse illicitum dare pecuniam, non quidem, *ut pretium actionis* præstandæ; sed, ut medium consequendi, tanquam finem, debitum ministerium à Ministro Sacramenti, vel removendi obicem, seu ipsius injustam reluctantiam. Ita Suarez de simon. l. 4. c. 12. n. 13. extendens hoc etiam ad casum, quo quis indigeret sacro viatico. Nam sic in re intervenit pretium duntaxat pro remotione impedimenti, quæ non est quid spirituale. Hoc confirmari potest ex doctrina Toleti, qui l. 5. c. 98. n. 8. cum Suarez l. 8. c. 12. n. 19. docet licitum esse, obligatum ministrare Sacramenta, moveri, ac incitari justis minis, & terroribus (v. g. comminando denuntiationem apud legitimum Superiorem) ad hoc, ut ministret petenti Sacramentum; ergo pariter licebit movere, ac inclinare bonis, & muneribus; cujus ratio est; quia in neutro casu intervenit commutatio rei spiritualis, cum temporali. Sed not. hoc limitari communiter ad casum necessitatis, ubi scilicet urget necessitas recipiendi Sacramentum; non autem, ubi solùm foret utilitas; eò quòd præsumeretur in tali casu intervenire *permutatio*; saltem ex parte Ministri, contumaciter negantis Sacramenti ministrationem, oblato pretio contumaciam deponentis, prout reverâ sæpe contingit, ubi visâ pecuniâ statim condescendit Judex vel Minister in ea, quæ cæteroquin negâsset.

406 R. tamen, si dans temporale in illo casu, intuitu solius utilitatis spiritualis, quam perciperet, si sibi ministraretur tunc Sacramentum, externè manifestaret hanc ipsam suam bonam intentionem, se dare solùm animo, ut flectat ministrum ad deponendam illam voluntatis contumaciam, non fore actionem simoniacam, etiam præsumptam; nec illicitam. Sic Castropal. cit. p. 3. de simonia D. 3. p. 7. n. 4. Non enim esset actio simoniaca *jure*; quia reverâ non daretur pretium pro spirituali, sed tantùm pro depositione contumaciæ in Ministro. Non esset etiam simonia *præsumptione*; nam, cùm hæc nitatur solùm in facto pravæ intentionis in dante; in præsenti verò constet de veritate oppositi; cùm exterè sufficienter manifestet suum rectum animum, præsumptio cedit veritati. Nec etiam petendo Sacramentum, & dando pretium, quod iniquo animo alter accipit, illius pravitati cooperatur; cùm possit actionem petitam exercere sine tali pravo animo, & pretium recipere non animo illo pravo, sed recto. v. g. tanquam medium sustentationis.

Dubitatio est 5. qualiter Sacramentalia, 407
quæ habent effectum permanentem, sine simonia vendi possint? cùm enim certum sit, quandoq; calicem consecratum emi, & vendi, item sepulturas, Capellas, Ecclesias, etiam benedictas, vel consecratas: econtra in sacris canonibus, præsertim c. *Si quis objecerit* 1. q. 3. tam spirituale, quàm corporale in ejusmodi Sacramentalibus prohibeatur vendi: *quia quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit*; meritò dubitatur, qualiter hæc à simonia excusari possint. Ante resolut. not. distinguendum esse, ad quem usum ejusmodi res sacræ, seu sacramentalia vendantur? an ad usum similiter sacrum apud mentem? an ad usum profanum? secundò, an res istæ antecedant benedictionem, vel consecrationem sic, ut ratio spiritualitatis solùm consequenter illis annectatur? vel an illæ rationem spiritualitatis subsequantur? Nam in calice consecrato materia calicis habet se antecedenter ad consecrationem; & hæc ad illam consequenter; econtra beneficium, seu jus percipiendi reditus propter officium spirituale, habet se consequenter ad hoc, & istud antecedenter ad illud; quibus positis:

R. 1. si ejusmodi res corporales, vel quæ 408
antecedunt benedictionem, vel consecrationem, titulo benedictionis, consecrationis, vel annexionis, quam habent cum spiritualibus, vendantur, & emantur *carius*, quàm valeant secundùm se committi simoniam juris divini, ut est extra dubium, & constat ex n. 401. R. 2. nō esse simoniā juris naturalis & divini, vendere res spirituales solùm annexivè tales, quæ se antecedenter habent ad annexionem, v. g. benedictionem, vel consecrationem, si titulo spiritualitatis non vendantur *carius*, quàm valeat illa materia antecedens annexionem ad spiritualia. Ita D. Th. in 4. dist. 25. q. 3. a. 3. ad quæstiunc. 3. Suarez lib. 4. hic c. 14. n. 6. & alii communiter. Ratio est, quia in tali casu spiritualitas illi rei nullo modo venit in appretiationem cum temporali. Not. tamen quando ejusmodi res annexivè spirituales (v. g. *calix consecratus*) ven-

duntur ad usum denuò sacrum, pretio non excedente solùm valorem materiæ secundùm se, integrè vendi posse; si autem ad usum profanum, non licere venditionem *vasis integri*, hoc est, in ea qualitate, quâ stante adhuc retinet benedictionem, vel consecrationem. Nam res semel Deo dicatæ ad usus profanos (hoc est usus *seculares*, seu *secularium personarum*) redire non debent, ut dicitur c. *Semel.* 51. de Regul. Jur. in 6. junct. gloss. V. *humanos*; de quo pluribus agitur in Tit. 48. l. 3. de Eccles. ædif. vel reparand.

409 Nec obstat c. *si quis objecerit*, de quo n. 407. Nam ibi non agitur de rebus, quæ antecedunt annexionem ad spiritualia, seu benedictionem, vel consecrationem, à qua formaliter evadunt spiritualibus annexa; sed de his, quæ consequuntur ad ipsa spiritualia, ut est *beneficium Ecclesiasticum*, quod datur propter officium, seu ministerium spirituale. Nam, cùm illud nullus obtinere possit *canonice*, nisi electione, collatione, vel institutione; vel simili modo; & hæc inseparabiliter annexum habeat officium spirituale, sic, ut illud in nullo esse possit, nisi illud antecedat, rectè dicitur, vendito corporali, saltem consequenter vendi spirituale. Exponi etiam potest cum Valentia 2. 2. D. 6. q. 16. p. 2. per illud c. nihil aliud intendi, quàm illicitum esse, vendere rem annexivè spiritualem, etiam secundùm esse corporale solùm, quando id secundùm se, & independenter ab eo spirituali, nullam habet æstimabilitatem; nam tunc necessariò in appretiationem venire deberet ipsa ratio spiritualitatis, & consequenter vendito corporali, nec spirituale invenditum remaneret.

410 Quæstio est 3. an aliquid temporale pro sepultura exigi, vel recipi possit? Videtur negandum ex c. *questa est* cum tribus seq. 13. q. 2. & c. *Abolendæ*, de sepulturis, ubi cavetur, *ne quid pro sepultura recipiatur*. Ante resolut. not. 1. nec emi, nec vendi posse res, quæ non sunt in commercio humano, hoc est, quæ ab hominibus, tanquam propriæ, possideri non possunt; cùm emptio tendat ad acquirendum dominium empti, quod non acquiritur à non valente possidere; hinc est, quod Laici nihil sacrum, quà tale, emere possint; quia nec rem sacram, nec locum sacrum, *qua talem* possidere possunt. L. *Qui universas* 30. §. *Possessionem*, ff. de acquirend. possess. Not. 2. *sepulturam* tripliciter sumi posse. 1. pro *loco*, in quo quis sepeliendus est. 2. pro *jure*, quod quis habet in tali loco pro sui cadaveris inhumatione. 3. pro *actu*, seu ritu sepeliendi. Quamvis autem jam egerimus de his lib. 3. t. 28. de sepulturis; tamen breviter etiam hic pauca dicemus de emptione, & venditione *sepulturæ*, prout supponit pro loco, & jure, ut in tali loco sepeliri possit, vel ipse positivè, vel etiam privativè ad alios. Nam pro *sepultura* in quantum explicat actiones cum Ecclesiastico ritu sepeliendi, alio titulo, quàm sustentationis debitæ Ministris Ecclesiæ, in quantum sacræ sunt, aliquid exigere, vel recipere, simoniacum esse constat ex dictis: quibus præmissis: R. Eum, qui habet Ecclesiam propriam, etiam consecratam, absque simonia posse exigere, ac recipere pretium pro fundo, vel materiali loco in tali Ecclesia, quantum valet talis fundus secundùm se, & seclusâ consecratione. Quia sic datur pretium pro materiali, non spirituali. Ita Suarez lib. 4. de simon. c. 14. à. num. 18. Sylvest. V. *simonia* qu. 12. §. Tertiò.

Dubium tamen est. 1. an possint acci- 411
pere pretium non tantùm pro *loco materiali*, ut solvens in eo sepeliri possit; sed etiam ne alius sine suo, vel familiæ consensu ibidem sepeliatur? R. posse. Nam obligatio, quam in se recipiunt habentes talem Ecclesiam, ut non admittatur alius in eum feudum, est pretio æstimabilis; nec est quid spirituale, nec spirituali annexum. Nam dominium illius fundi materialiter accepti secundùm se, non supponit jus, aut jurisdictionem spiritualem.

Dubium est 2. an etiam Patronus Ec- 412
clesiæ utroque vel alterutro ex prioribus titulo, possit exigere, ac recipere pretium, ut aliquem extraneum permittat ibi sepeliri? R. negativè. Patronus enim nullum jus habet in Ecclesiæ fundum; nec jure Patronatûs habet, posse admittere, vel excludere cadavera mortuorum à tali fundo. Nam ad hoc nec jus Patronatus, nec jus advocatiæ porrigitur, ut diximus l. 3. de Jure Patronatûs.

Dubium est 3. an idem dicendum 413
pro sepultura extra Ecclesiam, in cæmiterio, seu loco communi, & destinato sepulturis fidelium? R. pro sepultura in tali loco nihil licitè tanquam *pretium*

posse

posse exigi ab his, quibus ex officio incumbit præstandi defunctorum cadaveribus officium Ecclesiasticæ Sepulturæ. Nam id *non possunt concedendo fundum*; hic enim ponitur aliunde deputatus in eum finem; non etiam ratione sui ministerii, hoc enim est spirituale: *non ratione usus sepulturæ*; nam hic pertinet ad officia Ecclesiastica: ergo. Dixi tanquam *pretium*, seu compensationem. Nam aliud est, si quid recipiatur, vel exigatur non tanquam pretium, sed tanquam aliquid, quod ministris Ecclesiasticis debitum est *ad* eorum *sustentationem*; de quo infra à n. 417.

414 Dubium est 4. an possit recipi pretium si petatur locus dignior in Ecclesia v. g. prope altare? R. esse distinguendum. Nam de materiali loco secundùm se jam constat; unde solùm quæri potest, quo titulo pretium *amplius*, de quo est quæstio in hoc casu, exigatur, vel solvatur? an titulo majoris dignitatis? an consuetudinis? an sustentationis eorum, quorum est Ecclesia? Respondet Castropal. cit. p. 3. de simon. D. 3. p. 8. n. 4. in fine, fieri licitum, *titulo sustentationis*.

415 Circa præsentem, & similes casus not. 1. constare jam ex praxi, & usu recepto, quod funerales expensæ in sepulturis fiant, aliquâ illarum parte etiam Ministris Ecclesiasticis eo casu intervenientibus cedente, & titulo sustentationis, consuetudine jam receptâ. Not. 2. non quamlibet *consuetudinem* sufficere, ut præbeat jus exigendi aliquid ex sepulturis, quantumvis prætendatur titulus *stolæ*, ac sustentationis, nisi sit consuetudo approbata, & legitima, ut dicemus à n. 423. Nam sub hoc titulo *consuetudinis*, ab Ecclesiasticis gravissimi quandoq; excessus fiunt, & enormes exactiones in funeralibus, non sine gravi scandalo fidelium. Potissima difficultas est *de quanto*. Nam in hoc perquam frequenter contingunt graves Curatorum excessus, ut patebit ex seq. unde etiam colligenda erit resolutio hujus quæstionis *de quanto*.

416 Dices tamen 1. in c. *questa* sup. cit. refertur, quòd ubi Gregorio Papæ contra Januarium Episcopum questa est quædam Mater (dicta Nereida) *illum Episcopum centum solidos pro filiæ suæ sepultura exigere*, Pontifex reprobaverit ejusmodi exactionem, tanquam *vitium avaritiæ*; & ita statuerit: *si quando aliquem in Ecclesia vestra sepeliri concedetis (siquidem parentes ipsius, proximi, vel hæredes, pro luminaribus sponte quid offerre voluerint) accipi non vetamus. Peti verò aliquid, vel exigi omnino prohibemus: ne (quod valde irreligiosum est) dicatur Ecclesiæ, aut vos de hominis videamini mortibus gratulari: si ex eorum cadaveribus studeatis quærere quolibet modo compendium.* Secundò, idem repetitur in c. *Postquam*. 13. q. 2. c. *In Ecclesiastico* immediatè sequenti ibi: Si *terram vendis, invasione alienæ rei, Reus teneberis. Quare interdictum sit omnibus omnino Christianis, terram mortuis vendere*: & c. *Præcipiendum*, ibidem: *præcipiendum est omnibus secundùm canonum auctoritatem, ut de sepulchris, & hominibus sepeliendis nihil muneris exigant; nisi fortè, qui sepelitur, vivens jusserit Ecclesiæ, in cujus atrio sepelitur, aliquid de suis rebus tribuere; aut etiam post mortem ipsius, illi, quibus commissum est ejus eleemosynam facere, de rebus illius aliquid sponte dare voluerint.*

R. præfatos textus posse considerari, vel 417
solùm in quantum sunt contra superius dicta; vel in quantum prohibent ea, quæ ultrò concedimus illicita, & prohibita, ut patebit ex seq. Igitur ad c. *questa* R. omnino concedi, esse irreligiosum, illicitum, ac omnino prohibitum Curatis Ecclesiasticis, aliquid *petere*, vel *exigere* pro sepultura in Ecclesia, vel loco ad sepulturam Ecclesiasticam deputato, nisi, quod per Ordinarium, seu diœcesanum, ex conventione cum Domino terrestri, statutum est, vel legitimâ consuetudine (de qua n. 423.) inductum, tanquam deputatum in *sustentationem* decentem Ministrorũ, qui fidelibus, vel ex officio, vel ex privilegio, spiritualia, & his annexa ministrant. Res apertè constat ex cit. c. *questa*, & seq. in n. 416. Dixi. 1. *nisi quòd per diœcesanum, ex conventione cum Domino terrestri, statutum est.* Cùm enim Parochiani in *purè temporalibus*, subsint Domino terrestri; *in spiritualibus, & annexis* diœcesano, qui per se, vel suos sibi subordinatos, iisdem spiritualia ministrat, consequenter his naturali justitiâ decens debeatur sustentatio, Ecclesiis, ac eorũ Ministris conveniens conservatio; necessarium omnino est, ut occasione talium functionum ii, quibus hæc ministeria præstantur, in Ecclesiarum conservationem, & ministrorum sustentationem, temporalium subministrationem conferant, & eorum contributione graventur, mutuâ nimirùm conventione Dominorum temporalium, ne ipsorũ subditi ultra modũ graventur; & Ordinariorum, ne ministri Ecclesiæ justo suo stipendio defraudentur; cùm incomparabiliter majora sint spiritualia, quæ ministrantur, quàm temporalia, quæ recipiuntur.

418 Dixi 2. nisi *legitimâ consuetudine inductum sit*, ut aliquid petatur, vel exigatur, non ut *pretium operis*; (cùm sit actus potestatis spiritualis) nec loci *formaliter*, nimirum in quantum benedicti (sic enim fieret permutatio rei spiritualis pro temporali) sed ut portionem ministri *sustentationi* ac Ecclesiæ *conservationi* destinatam, *eorum potestate*, qui taxam jure suo & definire possunt; & debent. Unde omnino illicitum est, ut *ipsi curati* taxam, seu stolam, ab Ordinario præscriptam egrediantur; aut ipsi definiant, tantum, & tantum sibi tribuendum esse, non exspectatâ largitione spontaneâ, quàm requirunt relati canones; sed rigidâ exactione, quandoque etiam præviâ operi, secùs cadavera inhumata relicturi, quod sanè irreligiosum est, ut ait Gregorius Pontifex in cit. c. *Questa* V. dicta à n. 333. Non licere talibus Curatis *taxam stolæ augere, aut suo arbitratu definire*, ex se clarum est; tum quia ipsi nullum jus temporale habent in bona Parochianorum, nec jurisdictionem temporalem; tum quia statuere de beneficio, & proventibus in sustentationem Curatorum, est jurisdictionis Ordinariorum, quibus incumbit, ut Ecclesiarum Ministri, qui tenentur ministrare spiritualia, ab his, quibus serviunt, temporalia recipiant in alimenta. Unde sicut nihil possunt ipsi, *authoritate suâ* de jure beneficii Curati remittere; ita non possunt *authoritate suâ* jus novum sibi, & Parochianis onus imponere; uti apertè colligitur ex decreto Serenissimi, ac Reverendissimi Principis Leopoldi Guilielmi, Episcopi Passavienſis, edito anno 1638. 11. Aug. quo exactè Curatis omnibus suæ diœcesis in Austria supra Anasum de consensu Augustissimi Cæsaris Ferdinandi III. p. m. præscribit taxam Parochialis stolæ, ibi: **daß dannenhero / und zumahlen dergleichen Pfarrlicher** stolæ **Satz / oder** Limitirung **einigen Pfarrer / Seelsorger / und Kirchendiener / viel weniger denen Pfarrkindern für sich selber / oder eigenes Gewalts nit / sondern vielmehr / und alleinig denen** Ordinariis, **und** Diœcesanis **zuordnen / zusetzen / und zu** limitiren **gebühret; sonderlich / damit nicht etwan hieraus noch mehrer Ubel / und Aergernuß bey denen untergebenen Seelen anwachse.**

419 Ad textus in n. 416. in quantum prohibent, *ne terra mortuis vendatur*, Bz. posse dupliciter intelligi, 1. de terra, solùm *materialiter* sumpta, quæ scilicet præsupponitur ad benedictionem, quâ fit locus idoneus Ecclesiasticæ Sepulturæ, & de hoc jam constat ex n. 410. & seq. deinde de terra formaliter, & in quantum est locus sacer; & de hac procedit prohibitio illa, ut constat ex n. 418. sic enim ipsum spirituale veniret in appretiationem rei temporalis.

Duo tamen sunt adhuc quærenda, 1. 420
qualiter sine simonia fieri possit, quod communiter plus solvi debeat pro terra sepulturæ, etiam materialiter sumpta, præsertim, quando ea fit in ipsa Ecclesia, vel crypta Ecclesiæ? 2. cui, quod tali occasione datur pro terra materialiter sumpta, sit applicandum? Ad. 1. Bz. datum, secundùm quod excedit valorem terræ materialiter sumptæ, non posse recipi *ut pretium* (aliàs res pluris veniret, quàm valeat, quod est iniquum) sed solùm ut onus debitum à fidelibus ibi humandis, conservationi Ecclesiæ, vel cryptæ. Nam valor loci materialiter sumpti, considerari quidem debet præcisâ ratione *rei sacræ*, sed non præcisis *expensis in ædificationem*, *loci ad talem usum deputati conservationem* &c. Nam ex his locus materialiter, & secundùm se minus valens, evadit æstimabilior, & pretiosior; quo attento rarò fit, quòd datum excedat valorem terræ, prout sic acceptæ. Dixi *rarò fit*, si scilicet æstimatio loci justè fiat, secundùm quod augescit ex illis circumstantiis. Si enim secùs, non invenio, qualiter excessus dati, habeat rationem justi pretii ad 2. Bz. applicandum Ecclesiæ, cujus est locus, qui venditur. Res enim fructificat Domino suo. Unde illud non possunt sibi applicare Curati, quia nihil dant de suo; & huc pertinere videtur, quod de Curatis dicitur in super. n. 416. cit. c. *In Ecclesiastico: si terram vendis* (nimirum tibi non Ecclesiæ, pretium applicando) *invasione alienæ rei*, *Reus teneberis*, quod etiam verum est, ubi vendunt actiones suas spiritualis potestatis; nam & illæ non sunt suæ, ut constat ex n. 330.

Quæstio est 4. an sit simoniacum ven- 421
dere aliquod virtutis exercitium? Bz. actus virtutum, de quibus hic sermo est, considerari posse, vel in quantum afferunt utilitatem illos exercenti; vel ut alteri ab exercente distincto. Unde dubitatur 1. an Clericus non obligatus ex officio divina ministrare fidelibus, possit aliquid temporale recipere, & de illo pacisci, pro ministrandis divinis, seu præstandis actibus virtutum cedentium in aliorum utilitatem? 2. an

idem

idem possit Curatus, ex officio ad ea præstanda obligatus? Antequam respondeam, not. tanquam certum pro nullo virtutis actu, cedente in alterius utilitatem, posse aliquid dari, vel recipi *tanquam pretium ejus*, ut expressè habetur c. *Cùm in Ecclesiæ.* 9. c. *Non satis* 8. c. *ad Apostolicam.* 42. c. *Suam.* 29. de Simonia; cùm enim sint reverâ quid spirituale, venirent in appretiationem rei temporalis, quod est propriè simoniacum.

Alexander III. in c. *Cùm in Ecclesiæ*, sic loquitur: *Horribile nimis est, quòd in quibusdam Ecclesiis locum venalitas perhibetur habere*, ita, ut pro Episcopis, vel Abbatibus, seu quibuscunque personis Ecclesiasticis *ponendis in sedem*, sive *introducendis Presbyteris in Ecclesiam*, nec non & *pro sepulturis*, & *exequiis mortuorum*, & *benedictionibus nubentium*, seu *alias Sacramentis aliquid requiratur.* Putant autem plures ex hoc licere, *quia legem mortis de longa invaluisse consuetudine arbitrantur*, non attendentes, quòd tantò graviora sint crimina, quantò diutiùs infelicem animam tenuerunt alligatam. Ne igitur hæc de cætero fiant, vel pro personis Ecclesiasticis deducendis in sedem, vel sacerdotibus instituendis, aut sepeliendis mortuis, seu benedicendis nubentibus, seu aliis Sacramentis conferendis, seu collatis *aliquid exigatur*, districtiùs prohibemus. Si quis autem contra hoc venire præsumpserit, *portionem cum Giezi se noverit habiturum.*

Innocentius III. in c. *suam*, ita: Suam nobis Parochiani de villa Franca querimoniam destinârunt, quòd Capellanus eorum pro exequiis mortuorum, & benedictionibus nubentium minùs licitè pecuniam ab eis exigat, & extorqueat; quòd, si fortè cupiditati ejus non fuerit satisfactum, *ne possint mortuorum corpora sepeliri*, *vel benedictio nubentium celebrari*, *fictitia ejus impedimenta fraudulenter opponit*; quia igitur exactiones hujusmodi sacrorum Canonum obviant institutis, discretioni vestræ mandamus, quatenus dictum Capellanum, ut à tanta præsumptione desistat, & etiam pro excessu satisfaciat, competenter moneatis: sibi (si obedire noluerit) pœnam Canonicam infligentes. Idem habetur in cit. c. *Ad Apostolicam*, de quo vide n. 423.

422 Not. 2. pro divinis officiis, & obsequiis spiritualibus in utilitatem recipientium, licitè dari, ac recipi, imò & pacisci temporalia in debitam sustentationem ea ministrantium. Nam nemo tenetur ea ministrare adeo gratis, ut etiam stipendium debitæ sustentationis excludatur. Dignus enim est operarius mercede suâ; Et nemo tenetur propriis stipendiis militare; *sed si altari servit, de altari vivere potest*, juxta Apostolum relatum in c. *Cùm secundùm*, de præbendis. Laborem enim sine mercede esse, nec jus, nec natura patitur. Unde meritò Apostolus Paulus. 1. ad Cor. 9. *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si carnalia vestra metamus?* quasi diceret, non debere reputari tantùm, quod Ecclesiæ Ministris debeant præstare temporalia in stipendium sustentationis, qui ab illis recipiunt incomparabiliter majora bona, præstare non valituris, nisi vicissim reciperent, unde decenter vivant? ita Suarez l. 4. c. 15. n. 5. quod saltem procedit de Clerico, aliàs non obligato ad ea præstanda. Nam de obligato dicemus à n. 423. Ex hoc colliges 1. Regulares licitè recipere aliquid temporale in suam sustentationem ex hoc, quòd comitentur funera, 2. licitè dari temporale (v. g. fundationem aliquam censûs annui) tum in conservationem Ecclesiæ, tum in stipendium sustentationis Parochi cum onere celebrandi certis temporibus Missas pro defunctis, anniversarium &c. Nam in his consideratur titulus temporalis, congrua nimirum sustentatio Ministrorum Ecclesiæ, & hujus conservatio.

Quæstio est de illis Clericis, qui aliun- 423
dè obligati sunt ad exercenda divina. Nam de his quæritur, an, *si aliquid ultra id, quod est legitimè, vel statutum, vel usu approbato receptum, exigant, etiam in stipendium suæ sustentationis, committant simoniam?* dupliciter autem hoc quæri potest. 1. si illis jam aliunde de sustentatione decenti ab Ecclesia sit provisum? 2. si non sit illis de sustentatione, quæ statum eorum decet, provisum? Si jam sit illis decenter provisum, committi ab illis in dato casu simoniam, valde probabiliter affirmat Suarez supr. cit. Sylvest. V. *Simonia* n. 9. & alii; quia tunc non suppetit illis titulus exigendi temporale ex pacto, *nisi largitio spiritualium*; cùm cessaret sustentationis insufficientis titulus, & aliunde in jure tales exactiones, tanquam simoniacæ reprobentur, secluso titulo sustentationis. Nam in c. *Ad Apostolicam.* 41. h. t. Innocentius Papa, cùm ad ipsum *frequenti*

quenti relatione perveniſſet, quoſdam Clericos pro exequiis mortuorum, benedictione nubentium, & ſimilibus pecuniam *exigere*, & *extorquere*; & ſi fortè eorum *Cupiditati* non fuerit ſatisfactum, impedimenta fictitia fraudulenter opponere: illas exactiones, *pravas* compellavit, & prohibuit ſtatuens, ut liberè (nimirum ſine exactionibus ab ea recipiente) conferantur Eccleſiaſtica Sacramenta, ſervatâ tamen *laudabili conſuetudine* erga Sanctam Eccleſiam, *piâ fidelium devotione introductâ*, quâ quondam Laici, ejuſmodi obſequia divina recipientes, Eccleſiæ Miniſtris largitionem aliquam reciprocam faciebant.

424 Ex hoc textu clarè patet, propter miniſtrationem divinorum, & ſpiritualium, etiam pro exequiis mortuorum, & ſimilibus, *nequidem titulo ullius conſuetudinis, niſi piâ fidelium devotione introductæ*, quicquam poſſe exigi ab his, qui ea fidelibus miniſtrant, ſaltem in caſu, quo ipſis per beneficium, quod habent, de ſufficienti ſuſtentatione proviſum eſt. Et ideo Alexander III. c. *Cùm in Eccleſiæ.* 9. h. t. *horribile nimis eſſe ait, quod in quibusdam Eccleſiis venalitas locum habere perhibeatur, ut pro ſepulturis, Exequiis mortuorum, & aliis functionibus aliquid exigatur.* quod fuſius retulimus ſupr. atque ut communi ejusmodi exactionum excuſationi obviaret, ſubjungit: *putant autem plures, ex hoc ſibi licere, quia legem mortis* (nimirum dandi aliquid pro ſepulturis, exequiis &c.) *de longa invaluiſſe conſuetudine arbitrantur, non ſatis* (quia cupiditate cæcati ſunt) *attendentes, quòd tantò graviora ſunt crimina, quantò diutius animam tenuerint infelicem*; quo poſito, concludit: *ne igitur hoc de cætero fiat, diſtrictius inhibemus; ſi quis autem contra hoc venire præſumpſerit, portionem cum Giezi ſe noverit habiturum, cujus factum, exactione turpis muneris, imitatur.* Ex hoc perſpicuum eſt, ejusmodi exactiones prætensâ conſuetudine à vitio non purgari.

425 Dices: conſuetudinis tanta eſt vis, ut legitimè præſcripta juri Scripto deroget, prout diximus lib. 1. in tit. 4. de conſuetudine; cùm ergo jam paſſim habeat conſuetudo, quòd aliquid propter ejuſmodi functiones recipiatur, prohibitionibus iſtis, quæ habentur in ſacris canonibus, dictâ conſuetudine derogatum jam eſt; & conſequenter ſublata prohibitio ejusmodi receptionum; præſertim cùm in c. *Ad Apoſtolicam*, 41. h. t. conſuetudo dandi, & recipiendi aliquid, occaſione Eccleſiaſticarum functionum, dicatur *laudabilis*; imò per Epiſcopum loci dicantur *compeſcendi*, *qui malitiosè nituntur, laudabilem illam conſuetudinem immutare.* Pro reſolut. not. *conſuetudinem* aliquid exigendi pro rebus ſpiritualibus, dupliciter conſiderari poſſe *quoad initium* ex quo cœpit. Nam alia eſt, quæ initium duxit à gratuitis fidelium oblationibus, ex mera eorũ liberalitate, vel etiam juſtitiæ obligatione, fundata in debito Miniſtris Eccleſiæ ſtipendio decentis ſuſtentationis; alia ex ipſorum Miniſtrorum exactione, quâ tanquam pretio compenſari voluerunt labores officii ſui, non obſtante ſufficienti proviſione ipſis factâ in decentem ſuſtentationem, quo poſito:

R. conſuetudinem, aliquid ſolvendi 426
Miniſtris Eccleſiæ propter functiones ſpirituales, & Eccleſiaſticas, *piâ fidelium devotione introductam*, omnino eſſe laudabilem, & nunc etiam ex obligatione obſervandam, ut rectè probat objectio ex cit. c. *ad Apoſtolicam*, 41. h. t. nam de iſta expreſsè loquitur, & obſervandam præcipit. Idem dicendum venit de illa conſuetudine, quæ initium duxit ab exactione eorum, quæ à recipientibus ex naturali juſtitia pendi debent in ſtipendium ſuſtentationis debitæ Miniſtris Eccleſiæ, quod dupliciter fieri poteſt. 1. ſi intelligantur illa, quæ reſpondent beneficio, ut ſunt certæ præſtationes, decimæ &c. 2. ſi intelligantur etiam cætera, quæ judicio ordinariorum *pro ſtola*, ut vocant, ex conventione cum Domino temporali; cui Parochiani ſubſunt, conſtituta ſunt. Et hæc quoque conſuetudo laudabilis eſt, atque exactiones ſecundùm illam omnino licitæ; cùm fundentur in æquitate naturali, & juſta mercede Operariorum in vinea Domini. Conſuetudo, quæ manat ex pravo initio, ubi ſcilicet Curati aliunde proviſi ſunt decenti ſuſtentatione, & nihilominus, *ultra id*, quod ipſis jure Ordinariorum, conſuetudine fundata in pia fidelium devotione, vel in ſuſtentationem authoritate legitimâ, introductum eſt, reverâ jus nullum tribuit, nec legitima eſſe poteſt, cùm non fundetur in ullo juſto titulo; & tales exactiones facere, non obſtante tali conſuetudine, fundatâ in eo vitioſo initio, verè corruptela eſt, cupiditatis & avaritiæ tecta pallio, venalitas horribilis nimis, & ſi non ſimoniaca, in re, certè valdè propinqua, & omnino gravis injuſtitia eſt, loquuntur paſſim ſacri canones. Et

de

de hac consuetudine procedit nostra responsio in n. 424.

427 Dixi: *si jam ei provisum sit de sufficienti sustentatione, iniquam omnino, & injustam esse consuetudinem, aliquid exigendi ultra id, quod præscriptum est; imò corruptelam*, & nullius juris inductivam; cùm semper maneat vitiosa ex objecto, quod est *exactio non debiti*, nec quidem titulo sustentationis, qui ejusmodi exactiones temporalium propter functiones Ecclesiasticas à labe simoniæ purget. Hinc si propter difficultatem temporum, & caristiam rerum, stipendium debitæ sustentationis, aliàs præscriptum, ac ex legitima consuetudine (ut dictum est) debitum, ante sufficiens, insufficiens redderetur; cùm jure naturali ministris Ecclesiæ debeatur decens sustentatio; omnino ultra id, quod mitiori tempore sufficit, & præscriptum erat, cum moderatione statum Clericalem decente, quàm diu necessitas id exegerit, præsertim, si ii, quorum interest, non prospexerint, aliquid exigere, licitum erit, quin continuationem intendant, inductâ velut consuetudine, idem prosequendi, *necessitate cessante*; nam tali casu non nisi cupiditatis, & avaritiæ vitio excæcati procederent, ut dicitur in c. *Cùm in Ecclesia* cit. n. 424.

428 Dices: ex hoc, quòd consuetudo aliqua laboret *initio vitioso*, non sequitur, non posse per illam induci jus novum, aut abrogari jus præexistens, ut ipsi concedimus in. tit. 4. de consuetud. & manifestum est ex eo, quia omnis consuetudo, quæ abrogat jus humanum, incipit ab actu contra talem legem, quam tandem, multiplicatis actibus, per tempus jure requisitum continuatis, tollit vel ex toto, vel ex parte. R. antecedens *verum esse de consuetudine, quæ lapsu temporis purgat vitium sui initii*, quod fit quando actus, à quibus incipit, præcisè vitiantur ex eo, quòd *contrarientur humanæ legi adhuc existenti*, at quando actus, à quibus incipit, vitiantur ex eo; quòd contrarientur legi naturali, & divinæ, nullo temporis lapsu purgatur vitium initii, sed continuatur, (ut rectè dixit Alexander III. in c. *Cùm in Ecclesia*) relato in n. 424. at consuetudo procedens ex tali initio, per omnes etiam subsequentes actus manet eodem vitio infecta, adeoque & ipsa est vitiosa, consequenter verè, ac propriè corruptela, & inepta ad inducendum jus, vel abrogandam legem. Certum autem est, quod exactio pecuniæ, *ex cupiditate, ac avaritia*, laboret vitio, quod contrariatur juri naturali, ac divino; ergo consuetudo inde nascens pariter laborat vitio, quod contrariatur juri naturali, & divino; hoc autem vitium nascens ex oppositione actûs cum jure naturali, & divino, nullo quantumvis usu longo purgari potest; ergo consuetudo inde nascens nullo temporis lapsu purgare potest vitium sui initii; cùm lex naturalis, & divina nullâ consuetudine humanâ tollatur.

Quòd autem exactiones pecuniarum, 429
quæ à Curatis, quibus de sufficienti stipendio sustentationis jam provisum est, propriâ ipsorum authoritate fiunt ultra id, quod vel præscriptâ stolâ, vel piâ fidelium devotione introductum est, sit actus laborans vitio *cupiditatis, avaritiæ*, imò (ut vult Suarez & alii in n. 423.) etiam *simoniæ*, ex dictis constat; quia ubi Curatis per beneficium, & ea, quæ illis legitimè constituta sunt, respondet sufficiens stipendium sustentationis decentis (*non ipsorum, sed Ordinariorum judicio, & authoritate definiendæ*, juxta n. 418.) nullus suppetit justus titulus aliquid ultra exigendi propter spiritualium, & Ecclesiasticarum functionum ministrationem, quam præstant fidelibus; nisi vel ratio pretii pro illis ministeriis, vel pallium cupiditatis, & avaritiæ, sub nomine consuetudinis; ergo manifestam committunt injustitiam (ut magis patebit ex sequentibus) per tales exactiones, quæ aliunde nasci non potest, nisi vitio nimiæ cupiditatis, & avaritiæ, id quod apertè declarant sacri canones. Nam in c. *Cùm in Ecclesiæ* 9. h. t. expressè dicuntur *cupiditate cæcati*, sequentes *longâ consuetudine* aliquid exigendi pro sepulturis, & exequiis mortuorum; c. *Ea quæ* 15. eod. dicitur, nummos pro chrismate ab Ecclesiis extorquere, *ab avaritiæ, & cupiditatis radice provenire* c. *Suam.* 28. eod. *vitiosæ cupiditati* tribuitur factum Dalmasii Capellani, quòd pro exequiis mortuorum à Parochianis pecuniam exegerit, ac extorserit, c. *Ad Apostolicam* 41. eod. rursum ejusmodi exactiones *cupiditati* tribuuntur; & c. *Ne Dei Ecclesiam* 42. eod. dicuntur tales Ecclesiam Dei, *cupiditatis spurcitia*, quasi *rugâ, consuetudinis prætextu*, deformare; & licet quidam turpitudinem, & pravitatem ejusmodi exactionum nitantur defendere per *consuetudinem longo tempore observatam*, ut notat Pontifex in c. *Sicut pro certo* 38. eod. hæc tamen, & omnes ejusmodi consuetudines (ut liquet

ex

ex plurimis capitulis hujus tituli) tanquam corruptela, ac filia cupiditatis, & avaritiæ, atq; simoniacæ pravitatis constanter reprobatur; quod sanè nō facerent, nec ex ejusmodi vitio eas nasci summi Pontifices tam constanter asseverarent, nisi vitio juri naturali, ac divino contrariarentur illæ exactiones pro ministeriis spiritualibus, quæ fiunt ab his, quibus de sufficienti sustentatione jam provisum est; & ex hoc patet responsio ad 1. q. in n. 423. Nam ad 2. patet ex n. 427.

430 Supereſt, ut resolvamus quæstionem, an ejusmodi pecuniarum exactiones, quas provisi de sufficienti sustentatione ex beneficio; & stola per Ordinarios legitimè præscripta, ultra id faciunt, sint simoniacæ? qua in re jam supra n. 423. dictum affirmativam valde probabiliter teneri à P. Suarez, & aliis; si tamen illæ pecuniæ ultra debitum exactæ non recipiantur tanquam pretium officii, & functionum spiritualium (tunc enim citra dubium simonia committeretur) sed solùm ut stipendium sustentationis superabundantis, licet non debitæ, non committi quidem simoniam juris naturalis; sed veram injustitiam. sic Castropal. p. 3. tr. 7. de vitiis Relig. oppositi. D. 3. p. 9. n. 2. & apud eum Less. l. 2. c. 35. d. 8. n. 51. & alii. Ratio primi est; quia temporale datum in eo casu foret solùm ex falso titulo sustentationis; qui non est quid spirituale. Quia tamen adeo constanter ejusmodi exactiones, etiam non obstante quacunque consuetudine, præter illam, quæ fundatur in bono initio, ut jam dictum est, tam graviter, & tanquam simoniacæ in plurimis sacris canonibus reprobantur, ut ostensum est: non est dubium continere simoniam, saltem præsumptam. Ratio secundi est; quia cùm ille excessus sustentationis non debitæ non fundetur in ullo jure, & tamen exigatur; nequit non esse injusta talis exactio; quia sic illa spiritualis functio, duplici quasi pretio venderetur; uno recepto in stipendium sustentationis *debitæ*; altero in stipendium sustentationis *non debitæ*; ut ponit casus. Nam Curatis, ultra stipendium sufficientis sustentationis pro functionibus ex officio, vel obligatione debitis, nihil jure debetur.

431 Quæstio est 5. an sit simoniacum, exigere aliquid temporale pro admissione ad Religionem? R. in c. *Nullus*, 1. q. 2. ibi: *nullus Abbas pretium sumere, vel exigere ab eis, qui ad conversionem veniunt, aliquâ pacti occasione præsumat.* & c. *Non satis*, 8. h. t. ibi: *prohibemus, ne ab his, qui ad Religionem transire volunt, aliqua pecunia requiratur*, omnino definitum esse, Abbates, & Majores de conventu (idem est de Abbatissis, & aliis Superioribus) ex conventione, seu pacto pecuniam, vel aliquid temporale recipientes pro receptione alicujus ad statum Religiosum, Simoniam committere. Hinc illi jubentur suspendi ab executione officii; & pecunia restitui danti, sic autem ingressus cum habitu ad aliud monasterium transire. c. *Veniens*. 19. & c. *De Regularibus* 25. h. t. Textus in c. 19. sic habet: Veniens ad nos F. Presbyter proposuit, *quòd Abbas, & fratres sancti R. noluerunt eum in monachum recipere, quousq; triginta solidos dare convenerit*; conventione autem factâ, sequenti die cùm monasticum habitum induxerunt: & iidem monachi triginta solidos, Abbas verò decem, & familia duodecim pro pastu (asserentes hoc esse de consuetudine monasterii) postulârunt. *Quoniam ergo factum hujusmodi perniciosum videtur: mandamus, quatenus, si ita esse inveneris, Abbatem, & monachos ad restituendam pecuniam præfato F., tam indigne acceptam, compellas, & Abbatem, & majores personas monasterii pro tanta pravitatis excessu ab officii executione suspendens*, præcipias dicto F. *ut in alio monasterio, in habitu monastico, Domino studeat deservire.* Et in c. 25. ibi: De Regularibus, Canonicis, seu Monachis, nos consulere voluistis, *qui per simoniam ingressum, ipsis scientibus habuerunt.* Unde, cùm super hoc auctoritates multæ reperiantur expressæ; non aliud, quàm statutum est, respondemus: ut *locum, quem taliter adepti sunt, omnino dimittant, & solitudines, seu alia monasteria districtiora adeant, in quibus tam execrabilem excessum sine intermissione deplorent.* Si autem ignorantibus illis pecunia data fuerit, cogas ad renuntiandum loco eidem, & postmodum in ipsum reducere, si ibi absque scandalo potuerint remanere; vel in alio, qui sit de ordine ipso, ad serviendum Deo poteris collocare.

Ex hoc colliges 1. datum causâ simo- 432
niæ restituendum esse danti. Barbos. in cit. c. *Veniens* n. 2. licet in aliis non sit locus repetitioni, quando turpitudo versatur etiam ex parte dantis L. *si ob turpem*. V. *porrò*, ff. illo tit. Less. l. 2. Just. c. 14. n. 58. Ex hoc autem, quod in cit. c. 25. dicatur: *de Regularibus Canonicis, seu Monachis*, non rectè

quis

quis colligeret, illos *esse Monachos propriè dictos*; sed solùm ex eadem ratione, tam de illis Canonicis, quàm de Monachis propriè dictis, quæ inibi dicta sunt, de simoniacè ingresso Religionem tam Canonicorum Regularium, quàm Monachorum, intelligenda esse.

433 Colliges 2. hanc simoniam consistere in venditione ingressûs ad monasterium, vel receptionis conventione, aut pacto prævio de temporali dando pro ejusmodi receptione. Barbosa in cit. c. 25. de Regular. n. 2. & receptionem sic factam, esse simoniam juris divini, & naturalis; quia sic esset venditio rei verè spiritualis. Pirhing h. t. n. 58. nimirum, si ejusmodi receptio rei temporalis fiat *pro admissione* ad professionem, sive ad suscipiendum habitum. Ratio est eadem, & constat ex c. *Quoniam*, 40. h. t. ubi dicitur: Quoniam simoniaca labes adeo plerasque moniales infecit, *ut vix aliquas sine pretio recipiant in sorores, paupertatis prætextu, volentes hujusmodi vitium palliare*, ne id de cætero fiat, penitus prohibemus: statuentes, ut *quæcunque de cætero talem commiserint pravitatem, tam recipientes, quàm recepta, sive sit subdita, sive Prælata, sine spe restitutionis de suo monasterio expellatur, in locum arctioris regulæ ad agendum perpetuam pœnitentiam retrudenda.* De his autem, quæ ante hoc Synodale statutum taliter sunt receptæ, ita duximus providendum, ut remotæ de monasteriis, quæ perperam sunt ingressæ, in aliis locis ejusdem Ordinis collocentur. Quòd si fortè propter nimiam multitudinem alibi nequiverint commodè collocari: ne damnabiliter in seculo evagentur, recipiantur in eisdem monasteriis dispensativè de novo, mutatis prioribus locis, & inferioribus assignatis. Hoc etiam *circa Monachos, vel alios regulares* decernimus observandum. Verùm, ne per simplicitatem, vel ignorantiam se valeant excusare, præcipimus, ut diœcesani Episcopi singulis annis hoc faciant per suas diœceses publicari.

Idem subjungitur in c. *Audivimus* 41. eod. ubi Pontifex ait: Audivimus dequibusdam Episcopis, quòd decedentibus Ecclesiarum Rectoribus, ipsas interdicto subjiciunt, nec patiuntur alios in eisdem institui, *donec ipsis certa summa pecuniæ persolvatur.* Præterea, cum miles, aut Clericus domum Religionis ingreditur, vel apud Religiosos eligit sepulturam: etiamsi nihil loco religioso reliquerit, difficultates ingerunt, & malitias, *donec aliquid muneris manus contingat eorum*, & subjungit: *cùm igitur non solùm à malo, sed ab omni specie mali sit secundùm Apostolum abstinendum, exactiones hujusmodi penitus inhibemus.* Quòd, si quis transgressor extiterit, exacta duplicata restituat in utilitatem locorum, in quorum fuerit soluta dispendium, fideliter convertenda.

Colliges 3. professionem simoniacè 434
factam esse validam: aliàs taliter professus non deberet ad aliud monasterium transire. Barbos. in cit. c. *Quoniam* n. 4. Et Ratio est, quia si foret irrita, esset ex solo jure Ecclesiastico; at hoc in nullo loco talem professionem irritam decernit, imò potius validam agnoscit: ergo.

Limitari tamen debent dicta in n. 431. ut non procedant si monasterium sit inops, & egenum, ut reditus, seu bona non sufficiant ad alendos ibi religiosos; eo enim casu Monasterium posse tunc pacisci cum eo, qui petit ingressum, ut aliquid det, unde commodè sustentetur, docet Suarez tom. 1. de Relig. l. 4. c. 17. n. 14. & Zoësius, hic n. 17. secùs est, ubi cessat hæc ratio, ut si monasterium sit dives. Ita ille, & ratio est, quia pactum eo casu non caderet in ipsum actum admissionis, qui supponit potestatem spiritualem, compensandum temporali; sed in præstationem alimentorum.

Dices: in cit. c. *Quoniam*, speciali- 435
ter prohibetur Monialibus, nec pecuniam pro earum ingressu exigant *paupertatis prætextu.* R. verum esse, quòd illicitum sit aliquid accipere titulo paupertatis, *falsò prætensæ* (nam *prætextus* dicitur, *quando res verè non subest*, ut notat Zoësius, hic n. 18.) secùs *titulo paupertatis verè.* Ex hoc colliges, pro sustentatione personæ ingredientis Religionem, vel etiam in ea profitentis, aliquid temporale exigere, vel accipere, non esse ex natura rei simoniacum, si monasterium sit inops, & regula Ordinis id permittat. Ita S. Thom. 2. 2. q. 100. a. 3. ad 4. quia sic solùm exigitur temporale pro temporali; si autem monasterium sit dives, & sufficienter dotatum, communis censet esse simoniam juris humani, & constat ex c. *Non satis*, c. *Veniens*, & *dilectus*, ubi dicitur: *multi pretio recepti, qui potius gratis recipi debuissent.*

Not. tamen quòd huic constitutioni juris humani (in quantum tali) consuetudo contraria (præsertim apud moniales , ubi communiter exigunt , ut dotem pro necessaria sustentatione secum afferat , ne monasterium accessu novarum personarum gravetur) plurimum derogaverit. Ita Suar. Less. Laym. quos citat, & sequitur Pirhing hic n. 59.

436 Difficultas est , de aliis, quæ frequenter ab ingredientibus Religionem, exiguntur, ut sunt *pastus, prandia, certus ornatus vestium postea applicandarum ad usum Ecclesiasticum, honoraria danda Investitori, ministrantibus, Senioribus in conventu* &c. Certum est , quòd in his exactionibus quandoque sit ingens abusus & ideo multi, & multæ ab ingressu Religionis (tantis excessibus sumptuum) vel impediantur, vel terreantur magno sæpe damno Religionis , solùm divites, (*communiter* inhabiles) intra se cumulantis; & ideo hæc omnia (seclusâ necessitate sustentationis, (ut expositum est) gravissimè prohibentur in Extravag. *sanè* , inter communes h. t. ubi consuetudo contraria , tanquam corruptela reprobatur, & præcipitur, ut Prælati , & Abbatissæ , ingredientes Religionem, potius cum omni pietate recipiant, ac in victu, & vestitu sicut alias personas suarum Ecclesiarum, & Monasteriorum , sincerâ charitate tractent. Notant tamen communiter Doctores , hanc prohibitionem intelligi, si talia dona cum *exactione*, vel *pacto expresso*, aut *tacito*, *quasi extorqueantur* à Regularibus; non autem , si purè , & sponte , ac merè liberaliter , omnique pactione cessante dentur, vel accipiantur, ut patet ex textu.

Movent hìc aliqui quæstionem , an sumptus facti à parentibus in convivio pro die professionis, vel primitiarum filii , sint computandi in ejus legitimam? sed negativè respondet Molina de Just. tr. 2. D. 238. Vers. de Expensis. Bonacin. de Contract. D. 3. q. 6. p. 6. §. *Unico*, n. 11. Barbosa in c. *Veniens* 19. h. t. n. 5. Quod intellige si liberaliter fiant à parentibus , præsertim citra præjudicium liberorum aliorum in his, quæ illis debita sunt jure. Unde Not. 1. licitum esse pro victu , & vestitu Novitii , tempore quo in probatione est, aliquid ex bonis ejusdem dare , vel accipere, ut habet Trid. sess. 25. de Regularibus c. 16. intellige etiam ex conventione , & pacto ; saltem ubi Religio est pauper. Pirhing hic n. 60. §. *Denique*. Not. 2. in illis spiritualibus, quæ tantùm per liberalem donationem conferri possunt, non esse licitam sed prohibitam *taxationem* ; quia taxatio est quædam venditio , & quasi pactio; secùs in his, quæ ex debito dantur, si de quantitate stipendii, lege, vel consuetudine non constat. Barbos. in c. *Dilectus*. 3. h. t. n. 4. Pirhing. eod. n. 66. §. *Not.* 2. Not. 3. etiam committi simoniam , quando aliquid datur, ut quis Religionem ingrediatur , c. *quàm pio*. 1. q. 2. Ubi Bonifacius Urbis Romæ Episcopus, Calaritanæ Ecclesiæ Cænobitis scribens , super hac quæstione rogatus, ait: *Nullo pretio aliquem ad conversionem esse invitandum*, quòd intellige, *si intercedat pactio, vel conventio*, ut expressè habet textus , & notat. Gloss. V. *Negabantur* , dicens: *Non removetur , nisi pactio inhonesta* ; & ideo in c. *Sicut Episcopum* 4. ead. causâ, & quæst. notat , ingredientes Religionem, laudabiliter Ecclesiastica dispensare , qui sua relinquunt , & vel pauperibus distribuunt, vel Ecclesiæ rebus adjungunt, ut habetur c. *Sacerdos* 9. ead. causâ, & quæstion. intellige, *si sponte*; non autem *aliàs non recipiendi* ; hoc enim importat pactionem inhonestam, nisi fortè monasterium sit egens juxta dicta n. 435.

Dices: in cit. c. *Quàm pio* , ideo pro- 437
hibitam fuisse dationem munerum ; quia Monasterium carens Prælato , & eum exigens ab alio monasterio, non daturo, nisi illud daret pecuniam, vel munera , debebat facere dationem cedentem in utilitatem dantis , per emolumentum spirituale, quod habebat accepto exinde Prælato ; non verò , quòd cedebat in utilitatem recipientis pecuniam ; & ideo ex parte dantis, non recipientis, futuram esse simoniam. Ita Sanch. l. 1. de Sponsal. D. 39. n. 4. Verùm, cùm c. *Quàm pio* , non distinguat inter dantem, & recipientem ; & c. *fin.* de pactis , generaliter , & absque distinctione prohibeantur pacta pro spiritualibus (seclusò stipendio sustentationis) quin differentia fiat inter dantem, & recipientem temporale pro spirituali , si pactio, vel conventio imponens obligationem interveniat, sive ut quis ingrediatur Religionem , vel aliud opus spirituale suscipiat ; sive ut alter det, utrumque illicitum erit; ita Suarez l. 4. de simon. c. 16. n. 17. Abbas c. *Cùm in Ecclesiæ*, de sim. 7. V. quæ dicam infra.

ARTI-

ARTICULUS IV.

An, & qualiter venditio actuum Jurisdictionis Spiritualis fori tam interni, quàm externi simoniaca sit?

439 COmmunis regula est, ex pacto dare temporale, pro actu Jurisdictionis spiritualis, simoniacum esse; sic enim propriè intervenit permutatio, & appretiatio rei spiritualis cum temporali, & econtra; ita communis ex c. *Ad nostram*; c. *Non satis*; c. *Cùm in Ecclesiæ*; c. *Suam*; c. *Cùm sit Romana* de simonia; de quibus supr.

§. 1.

De actibus Jurisdictionis Ecclesiasticæ pertinentis ad forum internum.

440 EX pacto, & conventione, vel tanquam pretium dare, aut accipere aliquid temporale pro actu Jurisdictionis pertinentis ad forum internum, simoniacum esse, constat ex c. *Nemo.* 14. §. *Ne quemquam* h.t. Textus in hoc c. clarus est. *Nemo*, inquit, *Presbyterorum xenium, vel emolumentum quodlibet temporale, imò spirituale detrimentum à quocunque publicè peccante accipiat, ut Episcopo, vel ministris ejus peccatum illius celet*: nec pro respectu cujusque personæ, consanguinitatis, aut familiaritatis alienis communicans peccatis, hoc Episcopo innotescere detrectet, nec quemquam pœnitentem, vel minus digne pœnitentem, gratiâ, vel favore, ad reconciliationem, & testimonium reconciliationis ferat eidem, vel quocunque livore dignè pœnitentem à reconciliatione removeat: *quia simoniacum est utrumque.* Et ratio est, quia isti actus sunt actus jurisdictionis, & potestatis *spiritualis*, consequenter spirituales tam ex principio, quàm ex fine. Quare simoniacum est, accipere, vel exigere aliquid temporale pro auditione confessionum, pro absolutione à peccatis, ab irregularitate, pro concessione indulgentiarum, pro dispensationibus, pro assistentia matrimonii, annexâ officio Parochi &c. Et hæc procedunt, sive actus illi sint potestatis, & jurisdictionis ordinariæ sive delegatæ. Excipe illa, quæ ministris Ecclesiæ danda, vel pia, & laudabilis fidelium consuetudo; vel Ordinariorum justa constitutio in eorum decentem sustentationem ordinavit juxta superius dicta.

Ex dictis coll. Parochos, & Curatos 441
licitè retinere, quod peractâ apud illos confessione sacramentali fideles sponte offerunt, *citra exactionem*; si enim exactio fiat, & quasi taxatio rei dandæ, non caret vitio simoniæ, cùm deficiat omnis justus titulus aliquid exigendi, adeoque titulus in re non sit, nisi actus absolvendi, pœnitentibus impensus; nec in hoc consuetudo sublevat, ubi aliunde sustentationi sufficienter provisum est, ut notavimus n. 426. Colliges 2. esto Curati possint pœnitentibus pœnitentiam imponere in satisfactionem peccatorum, etiam eleemosynas pro missis curandis, si ad bonum animæ ipsarum videbitur; simoniacum tamen fore, si pœnitentes cogant, & quasi obligent, ut *ab ipsis legendas* curent. Nam intentio revera lucrum temporale quærit in ea satisfactione per ministerium spirituale. Ita Suarez, l. 4. hic c. 4. n. 4.

§. 2.

De Actibus jurisdictionis Ecclesiasticæ pertinentis ad forum externum.

COmmunis doctrina est simoniacum es- 442
se, vendere actum jurisdictioni contentiosæ Ecclesiasticæ, ut est excommunicare, à censuris absolvere &c. c. *Vendentes.* 1. q. 3. c. *Cùm ab omni*, 10. de vita & honest. Clericor. & c. *ad aures*, 24. h. t. vel actum jurisdictionis voluntariæ, ut est, dispensare in voto, in impedimentis matrimonii, quia sunt actus jurisdictionis spiritualis. Quod objici posset de Curia Romana, dictum est à n. 397. Et ideo etiam simoniacum est, pro pretio constituere aliquem Vicarium Episcopi, vel Vicarium alicujus Ecclesiæ, vel Capellanum &c. c. *Ad nostram*, 21. h. t. ibi: *mandamus, quatenus pro ministerio Ecclesiastico exercendo, sivè pro Vicariis assignandis, nullatenus pecuniam exigatis.* De absolutione autem à censuris, & quidem de suspensione, & interdicto, citant aliqui c. *Nullus*, 24. q. 1. de absolutione ab excommunicatione, c. *Ad aures* h. t. & constat ex generali regula in dict. supr. In c. *Vendentes*, sic loquitur Gregorius Pontifex: Vendentes, & ementes templo eliminat Christus, quia vel eos, qui pro munere impositionem manuum tribuunt, vel eos qui donum spiritus emere nituntur, damnat. Vendentes in templo sunt, qui hoc, quod quibusdam jure

competit, ad præmium largiuntur. Justitiam enim vendere, est hanc pro præmii acceptione servare. *Ementes verò in templo sunt, qui, dum hoc persolvere proximo, quod justum est nolunt, dumque rem jure debitam facere contemnunt, dato patronis pretio emunt peccatum.*

Ita c. *Cùm ab omni*, Innocentius III. scribit ad Prælatos, & Clericos Lombardiæ: ad audientiam sedis Apostolicæ venisse, *quòd, cùm ex delegatione Pontificia causas suscipiunt pertractandas, more secularium super decima litis, vel parte alia pro diversa terrarum consuetudine, præter expensas victualium, cum litigantibus receptis pignoribus pro salario conveniant.*

Subjungit porrò Pontifex: *Nos attendentes, quòd ad hoc vobis, & aliis Clericis sint Ecclesiastici reditus deputati, ut ex ipsis honestè vivere debeatis*: ideoque mandamus, quatenus ab hujusmodi exactionibus de cætero abstinentes vigorem judiciarium gratis studeatis litigantibus impertiri, non obstante, quòd in fraudem à quibusdam proponitur, quòd id exigatur nomine assensorum, cùm nec justum judicium judici vendere liceat, & venales sententiæ ab ipsis etiam secularibus legibus reprobentur.

443 Ex dictis coll. simoniacum esse pretium accipere pro functionibus Ecclesiasticis, cùm hæc officia sint spiritualia, quæ fiunt nomine Ecclesiæ per potestatem ministerialem ab ea delegatam. Colligitur ex c. *Ad nostram*, 21. h. t. ubi in Rubrica dicitur: *si ordinandus Præsentatori suo aliquid dedit ex pacto, simoniacum esse; nam tamen deponi, si est occultum.* Unde fit, quòd omnes actus procedentes à potestate ordinis sint materia simoniæ. Barbos. ibid. n. 2. Exempla talium actionum sunt, functiones in publicis processionibus, & Lytaniis, vel in choro. Unde cùm datur aliquid pauperibus, vel Religiosis, ut orent pro dante, vel celebrent, non potest sine simonia dari, *ut precium operis*, sed vel eleemosynæ, vel etiam stipendii ad sustentationem necessarii pro obligatione, quam subeunt.

444 Colliges 2. cum D. Thoma, 22. q. 100. a. 3. simoniacum esse, accipere temporale ut pretium, seu compensationem pro officio prædicationis, vel exhortationis spiritualis; quia Verbum Dei est maximè spirituale medium ad salutem animarum ordinatum. Possunt tamen prædicatores ad necessariam sustentationem aliquid accipere. c. *Cum voluntate* 54. §. *Prædicatores* de sent. excom. ibi: *eleemosynas ab illis possunt licitè recipere; præsertim, si aliàs non valeant in illo loco sustentationem habere.* Idem est de tradente doctrinam Christianam modo exhortatorio; secus ad exercendam puerorum memoriam, qualiter fit à ludimagistris.

Coll. 3. Ecclesiam sine simonia emi 445
non posse, nec etiam redimendo. c. *Querelam*, 15. h. t. junct. Gloss. V. *Emi*. intelligе, *directè*. Nam indirectè (puta cum universitate bonorum) bene potest aliquid spirituale dari pro temporali, ut diximus de Jure Patronat. in l. 3. decret. Textus in cit. c. Querelam sic habet, *Scituri, quòd sicut dicta Ecclesia emi non potuit, ita nec redimi.*

Coll. 4. Simoniacum esse, tempora- 446
le dare, vel accipere pro Episcopo, Abbatibus, vel aliis personis Ecclesiasticis ponendis in sede, c. *Cùm in Ecclesiæ*, 9. h. t. & not. quòd in ejusmodi casibus non tantùm dans, sed etiam recipiens committat simoniam. Et responsio extenditur etiam ad casum, quo aliquid temporale accipitur pro sacerdotibus instituendis in Ecclesiis. Pirhing. h. t. n. 32. Textum cit. c. 9. dedimus supr. n. 424. Et ideo etiam c. *in tantam* 36. h. t. sub finem mandat Pontifex, tolli consuetudinem, secundùm quam Archidiaconi *marcham argenti* pro investitura Ecclesiarum, sive immissione in corporalem earum possessionem exigebant; alii vero minores, ut Decani rurales, *vaccam* sibi dari postulabant, vel certam quantitatem pecuniæ pro vacca. Verba canonis citati sunt, *pravam etiam illam consuetudinem, de tua provincia studeas abolere, per quam pro Ecclesiarum investitura Archidiaconi, marcham argenti; minores verò Decani, vaccam albam sibi dari postulant, vel certam solvi pecuniæ quantitatem.* Ratio prohibitionis est, quia investitura Ecclesiarum est aliquid spirituali annexum, cùm nulli competat, nisi habenti officium clericale. S. Thom. 2. 2. q. 100. a. 4. Nam de annexis est idem judicium, c. 1. de Instit. Nec excusat consuetudo; quia pravæ consuetudines tempore non firmantur. Authent. *Ut nulli judic.* §. 1. vers. *Neque verò*, Collat. 9.

Coll. 5. Simoniacum esse accipere 447
pretium pro benedicendis nubentibus, c. *Cùm in Ecclesiæ*, h. t. Nec excusat consuetudo contraria, ut notavi in præmissis: idem confir-

confirmatur ex c. *Suam.* 29. eod. quod retulimus in præmiss. Et quidem hi Clerici, qui ex officio tenentur ad hos actus, ne quidem titulo etiam stipendii aliquid accipere possunt. Pirhing h. t. n. 40. intellige, si eis de decenti stipendio sui officii jam provisum sit. Barbos. in c. *Suam* n. 4. V. dicta n. 442. in fin.

448 Coll. 6. Simoniacum esse, accipere pretium pro consecranda Ecclesia; cùm actus consecrandi procedat à potestate ordinis, c. *Cum sit*, 10. h. t. ibi: *&. quòd nihil pro Ecclesiarum consecratione, potes, vel debes, (præter procurationem) exigere.* Ex quo vides, quòd hoc corollarium de procurationibus non procedat, ut constat ex textu cit. si autem Ecclesia foret inops, Episcopus suis sumptibus procurationes faciet, & consecrabit, Gloss. in cit. c. *Cùm sit*, h. t. V. *Procurationes*, quibus alimenta intelliguntur, ut notat Barbos. in c. cit. n. 3. ad finem. Donaria tamen sponte oblata, licitè non respui, docuerunt P. P. Concilii Brachar. 2. & Cabilon. relati in c. *Constituimus*, 1. q. 1. c. *Placuit.* 1. q. 2. apud Gonzalez in cit. c. *Cùm sit*, n. 2. V. supr. n. 338.

449 Coll. 7. Simoniacum esse, pretium exigere pro chrismate, c. *Ea, quæ* 16. h. t. quod intellige non tantùm de ipso actu, quo quis confirmatur, sed etiam de ipso liquore chrismatis, sive balsamo, & oleo consecrato. Pecuniam illam, seu nummos olim pro chrismate exactos ab Ecclesiis inferioribus, ad tegendum simoniæ vitium, tales exactores, specioso nomine vocabant *Cathedraticum*; aliquando *præstationem paschalem*, interdum *Episcopalem consuetudinem:* sed quia reverà simoniaca erat, citatis locis prohibita est; ut etiam constat ex c. *In tantum*, 36. h. t. ubi rursum alia hujus exactionis nomina ponuntur, à quibusdam inventa, ad tegendum simoniæ vitium; denarios, quos prius *chrismales* vocabant, post appellantes, *Paschales* seu *consuetudinem mediæ quadragesimæ.*

450 Coll. 8. Accipere aliquid temporale ex pacto, ut omittatur actus jurisdictionis spiritualis (v. g. ne feratur Censura; ne talis confirmetur in electione &c.) simoniacum esse, c. *Nemo*, 14. h. t. relato superius n. 440. Hoc autem procedit, si quis omittat actum jurisdictionis Ecclesiasticæ, ex officio exercendum, qui post se relinquat effectum aliquem spiritualem moraliter: v. g. si omittatur institutio digni vel dignioris, unde indignus, vel minus dignus succedat.

Coll. 9. Simoniacum esse, Ecclesiæ 451 offerre sua bona, eo pacto, ut in Canonicum offerens admittatur, & ea pro præbenda retineat; constat ex c. *Tua nos*, 34. h. t. intellige ex intentione principali; non autem, si offerat purè, sine pacto, & solùm roget admitti. Dixi, modo non faciat *ex intentione principali* per hoc Canonicatum obtinendi. Secùs enim, licet externè dissimulet, committit simoniam mentalem. Textus cit. c. sic habet: Devotioni tuæ taliter respondemus, *quòd si quis clericus cum conditione, vel pacto largiatur, aut offerat bona sua, ut illa postmodum pro præbenda retineat, & in Canonicum admittatur: hujusmodi oblatio, vel receptio fieri non poterit sine vitio simoniæ: cùm in talibus omnis pactio, aut conventio cessare debeat, juxta canonicas Sanctiones.* Si verò purè, ac sine pacto, vel conditione qualibet offerat, rogans humiliter, ut in Canonicum admittatur, & bona sua retinere sibi liceat pro præbenda, & Clerici ejusdem Ecclesiæ purè consentiant: *hujusmodi receptio fieri potuit absque scrupulo simoniacæ pravitatis.*

Et subjungit: Licet autem taliter duximus respondendum, quia nobis datum est de manifestis tantummodo judicare: Si tamen is, qui talem donationem facit, eâ intentione ducatur, *ut per temporalia bona, quæ offert, spiritualia valeat adipisci: & Clerici, qui eum in fratrem admittunt, non essent eum, nisi commoda temporalia perciperent, admissuri:* sine dubio tam ille, quàm isti apud districtum judicem (qui scrutator est cordium, & cognitor secretorum) culpabiles judicantur.

Præter hoc not. 1. quòd *sola promis-* 452 *sio* de dando temporali pro spiritualibus inducat simoniam, sic Barb. in cit. c. *Tua nos*, n. 4. ut liquet ex ipsa rubrica hujus tituli, ibi: vel *promittatur*; intellige tamen de promissione acceptata saltem ex præsumptione. Nam sola actuum correspectivitas (nimirum datio, & acceptio) non inducit simoniam, nisi præcedat pactio, & conventio expressa, vel implicita. Sic Barbos. cit. n. 5. Not. 2. Simoniacum esse, à recepto in Canonicum exigere prandium, vel epulas, aut aliud temporale in commodum recipientium alioquin non recepturorum, vel provisurorum de præ-

benda, vel saltem moram tracturorum, c. *Jacobus.* 44. h. t. & Barbos. ibid.

453 Not. 3. tale statutum (de quo not. præced.) si quod sit in Ecclesiis Cathedralibus, vel Collegiatis, non excusari à vitio simoniæ, quòd in iis recepta jam sit consuetudo, nisi tribus concurrentibus. 1. ut in tali actu recipientes instituentem, vel confirmanem honorario temporali donare, sit justâ consuetudine, vel constitutione receptum. 2. ut ejusmodi datum in pios usus convertatur. 3. ut non exigatur prius per subtractionem, aut moram spiritualium v. g. negando, vel differendo confirmationem. sic Barbos. in cit. c. *Jacobus.* n. 9. Azor cit. p. 3. l. 12. c. 11. q. 6. Castropal. tr. 17. D. 3. p. 12. n. 9.

454 Not. 4. si alicubi consuetudo invaluit, ut confirmati, instituti, vel recepti, ad Canonicatus, & beneficia, Concanonicos, aut similes convivio excipiant gratanter, & ex liberalitate, non committi simoniam. Less. l. 2. c. 25. n. 111. Pirhing. hic n. 91. not. 2. Similiter simoniacum non esse, si vacanti beneficio onus aliquod temporale sit impositum (v. g.) ut certa pars fructuum, aut pecuniæ quantitas in pios usus reservetur, vel ad sustentationem Ministrorum, nullâ facta conventione. Sic Barbos. cit. n. 4.

455 Dices: Jus Patronatus indirectè, seu accessoriè vendi potest sine simonia, licet sit annexum spirituali, ut diximus in lib. 3. decret. de Jure Patronatûs; ergo similiter jus percipiendi reditus Ecclesiasticos vendi potest sine simonia, licet sit annexum spirituali officio. Confirmatur, quia vestes sacræ, & similia licitè venduntur, licet annectantur spiritualibus. Sed &. esse discrimen. Nam jus percipiendi reditus Ecclesiasticos consequitur ad officium spirituale; jus autem Patronatûs solùm ad aliquid temporale, nimirum ad ædificationem, & dotationem Ecclesiæ; quam Ecclesia eâ gratiâ, & beneficio recognoscit. Vestes autem sacræ non pendent à sacramentis, & actionibus spiritualibus, quibus deserviunt, sed secundùm materiam ad eas præsupponuntur.

§. 3.

An sit simoniacum pretio constituere Judicem Ecclesiasticum?

456 QUæstio procedit de Judice tam ordinario, quàm delegato, & quidem, sive pretium detur ex parte accipientis jurisdictionem, sive dantis? Affirmativa decisa est c. *Ad nostram*, de simon. ibi: mandamus, quatenus *pro ministerio Ecclesiastico exercendo, sive pro vicariis assignandis, nullatenus pecuniam exigatis.* Idem habetur c. *Consulere*, eod. & ratio est ex n. 442. quia est actus potestatis spiritualis, quibus præmissis:

Quæres 1. An sit simoniacum, acci- 457
pere pretium, ut iste potius, quàm ille assumatur in Judicem Ecclesiasticum? Vicarium Ecclesiæ, vel Capellanum? Affirmativè respondet Suarez l. 4. de Simon. c. 26. n. 21. quia reverâ temporale datum pro tali assumptione (quæ est actus potestatis spiritualis) reipsa datur pro concessa potestate spirituali; ratione cujus illa unius præ altero assumptio evadit æstimabilis, & appetitur. Unde non relevat, quod communiter dicitur, non recipi tale temporale, *ut pretium*, sed tanquam stipendium sustentationis, vel tanquam debitum jure consuetudinis jam inductæ, nam, etsi animus constet soli Deo (qui decipi non potest, quidquid externè fingant ejusmodi pecuniarum sectatores) externè tamen jus præsumit pravum animum, quoties illæ pecuniarum exactiones, & receptiones fiunt in circumstantiis, quibus prudenter judicari debet, reipsâ fieri permutationem. Tales circumstantiæ sunt, quando fiunt ultra taxam stolæ ab Ordinario præscriptæ, & in iis functionibus, quas gratis debere fieri præcipiunt, præsertim, ubi alias habent sufficiens stipendium decentis sustentationis, ut in superioribus jam probatum est. 2. si ipsi authoritate suâ stolam augeant, & taxam constituant. 3. si non apparet ullus justus titulus exigendi, nisi quatenus res æstimabilis fit ab eo, quod spiritualis sit, aut spirituali annexum. Nam in his juris præsumptione tales acceptiones reverâ simoniacæ sunt, ut patet ex tot juribus jam relatis, & tametsi abesset vitium simoniæ, ab injustitia certè excusari non posset, ut diximus n. 430. quia petere non debitum, contra justitiam est.

Consuetudo porro jam *inducta*, non 458
præstat excusationem, nisi fundata sit in laudabili initio, cui pia fidelium devotio, & necessaria Ministrorum Ecclesiæ sustentatio cunas dedit, ut notavimus à n. 426. ea enim, quæ cupiditatis, & avaritiæ vitio inducta est, sicut nata pravo initio, sic continua-

tinuata, non consuetudo legitima est, sed corruptela, cùm semper vitiosa maneat ex objecto, consequenter opposita juri naturali, & divino.

459 Ex dictis colliges. 1. dare licentias, vel quasi dispensationes, quas possunt dare Parochi suis in ordine ad præceptorum observantiam, vel excusationem (v. g. *laborandi die festo, vel die jejunii edendi cibos aliàs prohibitos*) esse actus potestatis, & officii spiritualis, sive per propriam jurisdictionem, sive per authenicam approbationem causæ excusantis; consequenter per n. 442. simoniam committi pro illis exigendo aliquid temporale. Et quoniam recipientes ejusmodi licentiam, vel quasi dispensationem, communiter eam in scriptis recipere debent, quæstio est, an licitum sit, à recipientibus pecuniam exigere pro tali scheda, vel scriptura? R. vel exigitur pecunia pro ea scriptura præcisè secundùm se considerata, vel in quantum habet æstimabilitatem à testificatione facultatis indultæ per potestatem spiritualem? non primum, nam sic sæpè nec nummum valet; non secundum; quia æstimabilitas, quam accipit à potestate spirituali concedentis, est à spirituali, adeoque ipsa spiritualitas venit in appretiationem.

460 Dices: Exigi solùm vel tanquam taxam jam consuetam, vel tanquam mercedem scribæ pro labore; R. si ab Ordinario ea taxa constituta est, licere: si à Parocho, vel ipso Parochi scriba, continere injustitiam; cùm penes eos non sit, vel nova onera imponere; vel antiqua justè constituta authoritate suâ augere Parochianis, cùm in temporalibus eis non subjaceant, nisi per ordinem ad ea, quæ jure, vel piâ fidelium devotione introductâ consuetudine in stipendium sustentationis decentis debita sunt, ut ostensum est suprà; aliàs consuetudo erit corruptela, nimirum semper vitiosa, ex objecto seu re exigita, quæ non debetur. Quod dicitur de labore scribæ, non relevat. Nam vel habet aliunde sufficiens stipendium, vel non? si sic? eundem laborem, duplici pretio, nimirum stipendio, & pecuniâ pro illo exactâ, consequenter eundem actum, bis vendit; si non? Parochus (cui de sufficienti, ac decenti sustentatione provisum est) ex beneficio, & aliis proventibus jure ipsi obvenientibus supplere tenetur. Nam ubi talis homo necessarius est Parocho ad obsequia in commodum Parochianorum, ad quæ aliàs ipse vi officii tenetur, pertinet ad ea, quæ decenti sustentatione debentur; cùm in hac non consideretur solus victus, & vestitus, sed etiam reliqua necessaria.

Coll. 2. Assistentiam, quam Paro- 461
chus in matrimonio suis præstat, esse actum ex institutione Ecclesiæ annexum officio Parochi, quia contractus ille conjugalis sanctus est, & sacramentum; consequenter, esse actum ministerii Ecclesiastici; adeoque si pro illo aliquod pretium accipiatur, ex n. 442. committi simoniam juris divini, ut rectè docet Suarez hîc l. 4. c. 19. Et ideo negandum est, quòd assistat, sicut *quilibet alius testis*; licet enim hæc assistentia nec sit actus ordinis, nec jurisdictionis; est tamen actus officii Ecclesiastici, speciali Ecclesiæ constitutione.

Coll. 3. Simoniacum esse, pretium 462
accipere pro confirmatione electi, institutione præsentati, collatione beneficii, aut missione in possessionem juris spiritualis; nam actus isti tam ex principio, quàm fine suo sunt spirituales. Hæc tamen omnia intellige, ut non comprehendant ea, quæ vel ex taxa diœcesana, vel ex piâ fidelium devotione introductâ consuetudine, tanquam stipendium sustentationis deputata sunt, vel ex ipsâ mera liberalitate offeruntur. Et quamvis Concilium Trid. sess. 24. de reform. c. 14. declaraverit, simoniacum esse, si Capitulum, vel alii Prælati, aliquid exigant, pro collatione, electione, institutione, vel possessione concedenda, *non solùm in pretium, sed etiam in sustentationem* (exceptâ consuetudine, de qua n. 423.) & Sacra Congreg. apud Farinacium Volum. 4. p. 87. Column. 2. imò & Pius V. in Bulla: *Durum nimis*, public. Calend. Junii 1570. Episcopum, qui aliquid exigit in receptione alicujus in Canonicum, esse suspensum à Pontificialibus; Capitulum autem subjectum interdicto: seculares excommunicationi sententiæ latæ, & reservatæ; ipsumque acceptum restitutioni obnoxium esse: Advertit tamen Lessius l. 2. c. 35. d. 18. n. III. passim non observari, & omnino ignorari, esto concilium Episcopis mandet, ut in executionem deducant.

Circa hanc P. Lessii observationem 463
not. 1. si loquatur de receptione *pretii* pro ejusmodi actibus ex principio, & fine spiritualibus, per dictam inobservantiam etiam longæ consuetudinis, illis constitutio-

tionibus non derogari; quia recipere pretium pro illis actibus, est simonia juris naturalis, & divini, cujus vitium nullâ consuetudine purgari potest. Not. 2. si autem loquatur de receptione *sustentationis*, distinguendum esse; & affirmandum per contrariam, quam allegant consuetudinem, illis quoad hoc constitutionibus derogatum esse, in casu, ubi aliunde non est illis per Ecclesiam provisum de sufficienti stipendio sustentationis; quia tunc ejusmodi exactio foret solùm contra jus Ecclesiasticum; secùs, si jam aliunde per Ecclesiam ejusmodi Ministris decenti sustentatione provisum foret; quia tunc consuetudo contraria contineret injustitiam, consequenter foret iniqua ex objecto, ut dictum est à n. 426. quo casu nihil potest consuetudo. Not. 3. tametsi lex Ecclesiastica sit de materia, aliunde jure naturali, & divino vetita, si tamen illa *pœnalis* sit, ut sunt illæ constitutiones, de quibus in n. 462. per consuetudinem contrariam, quæ non est vitiosa ex objecto, vitio juris naturalis, & divini, legem illam Ecclesiasticam abrogari posse in quantum est juris Ecclesiastici obligantis ad culpam, & huic annexam pœnam, ut constat ex lib. 1. decret. tit. de consuetud.

464 Dices: In Curia Romana venduntur quædam officia (ut Clericatus, vel Auditoratus Cameræ) quæ constituta sunt ad exercendam jurisdictionem Ecclesiasticam vice Pontificis. Respondet Castropalaus cit. D. 3. de simonia p. 12. n. 7. In his officiis considerari duo, sicut in quolibet beneficio. 1. *jurisdictionem spiritualem*; 2. *emolumentum temporale exinde proveniens.* Primum vendi non posse, certum est ex dictis n. 456. Vendere autem secundum, *prout conjunctum primo*, ait, *jure solùm Ecclesiastico* prohibitum, c. *si quis objecerit.* 1. q. 3. consequenter, in illis casibus licitum fieri Pontificis dispensatione, adeoque venditionem illam secundum temporale, simoniacam non esse per c. *fin.* Ne Prælati vices suas. Sed, cùm temporale totam in hoc casu æstimabilitatem habeat, à jurisdictione spirituali (aliàs pauci emerent munus ejusmodi) ægrè ostenditur, spirituale non venire in appretiationem.

§. 4.

An, & qualiter committatur simonia exigendo temporale pro dispensationibus?

HÆc materia frequens est; nec exemplo caret; cùm certum sit à Romana Curia pecuniam exigi, quando petuntur dispensationes, & conceduntur: & quo gravior est dispensatio, eò majorem quantitatem expostulari; sic pro dispensatione in 2. gradu, magis, quàm in 4. & pro impedimento consanguinitatis, quàm affinitatis, vel justitiæ publicæ, augetur taxa. Pro ipso actu *dispensandi* dare, exigere, vel accipere pretium, esse simoniacum, etiam in stipendium sustentationis, esse certum ait Castropalaus p. 3. tr. 17. D. 3. p. 12. n. 10. cum D. Thoma, Suarez, Lessio, & aliis ibidem relatis, ex Trid. sess. 21. c. 5. Cujus ratio est, quia talis actus ex principio, & fine spiritualis est. 465

Potissima difficultas est, an Ordinarii, & eorum Officiales, quibus à sede Apostolica dispensationes matrimonii committuntur, *saltem pro labore* (testium v. g. receptione, & examinatione) possint aliquid exigere? Posse, quod consuetudine inductum est, affirmat Sanchez l. 8. de Matr. D. 35. n. 11. Salas de legibus. D. 20. s. 101. quia Tridentinum prohibet solùm receptionem *præmii*, ac *muneris*. Negativam tamen sequitur Castropalaus cit. n. 12. Cum Navarr. L. 1. Consil. in 2. edit. de Rescript. Consil. ult. Zerola in praxi Episc. p. 2. V. *Delegatus*, §. 2. & V. *dispensatio.* §. 1. aliisque ibidem relatis, id quod etiam esse decisum à Sacra Congregatione refert Barbosa in Collectaneis decision. Apostolic. V. *dispensationes matrimoniales.* n. 5. explicante illud ly *muneris*, ut intelligatur, *nec quidem pro mercede laboris* aliquid exigi posse, ex quo constat ad rationem contrariæ opinionis; quæ tamen accipe juxta dicenda in seqq. 466

Not. tamen 1. Garciam, & Genuensem, apud Castropal. cit. n. 13. probabiliter docere, posse aliquid exigi in casu, quo dispensans domicilio suo egredi deberet pro examinandis testibus, aut verificandis narratis, aut cùm partes peterent transumptum instrumenti dispensationum. Not. 2. cùm dicimus à dispensantibus in causis matrimonialibus non posse licitè aliquid exigi pro *labore*, *etiam titulo sustentationis*, probabilius esse, non committi simoniam, secùs agendo (nam eo casu venderetur solum labor *temporalis*) sed fore turpe lucrum; cùm iniquum sit exigere indebitum, ac jure prohibitum, quando sufficienter provi- 467

sum

sum est de decenti sustentatione; & dispensatio, quæ committitur est juris tantùm delegati. Quod dicitur de dispensationibus Curiæ Romanæ, solvi potest ex dictis n. 397. nam pecunia, quæ in dictis casibus exigitur à dispensandis, non exigitur, nec licitè potest exigi *in commutationem dispensationis, & gratiæ per hanc collatæ* (sic enim foret simonia juris divini) sed solùm *in sustentationem* Papæ, Officialium, aliaque onera Ecclesiæ incumbentia in subsidiis contra infideles præstandis, in hoc dispensante Pontifice; cùm stipendium laboris in eo casu exigere, *in sustentationem* jure solùm humano prohibitum sit, quod utique relaxare potest Papa, quando illud occasione talium functionum exigitur ab his, qui sunt delegati, extra Curiam Romanam.

ARTICULUS V.

De Simonia, quæ committitur collatione, & receptione Ordinum.

468 COmmunis regula est, omnes illos actûs, seu actiones, supponentes potestatem ordinis, pro quibus in æstimationem, seu compensationem exigitur, vel datur aliquid temporale, simoniam esse juris divini, & naturalis; quia sunt actus tam ex principio, quàm ex fine spirituales, & supernaturales. Suarez l. 4. c. 13. à n. 1. quod etiam intelligitur de minoribus 4. Ordinibus, quia saltem characterem sacerdotalem supponunt. Intellige tamen de illis actionibus non materialiter sumptis (prout etiam possunt exerceri à Laico) sed exercitis *potestativè* seu formaliter. Quod dictum est, *committi simoniam*, si quid temporale accipiatur pro *collatione Ordinum*, extenditur etiam ad collationem primæ tonsuræ; quia & hæc supponit potestatem spiritualem ordinis in conferente. sic Suarez cit. c. 13.

469 Quæstio est, an Ministri, servientes Episcopo ordinanti, committant simoniam, si pro suis functionibus aliquid exigant, vel accipiant? Communis doctrina est, quando principalis actio (ut est *collatio ordinum*) debet fieri *gratis* (*ne fiat simoniace*) etiam actiones eorum, qui ministri sunt accessorii, debere similiter gratis fieri. Ne scilicet indirectè fiat, quod directè non licet. Ex hoc infert Azor p. 3. l. 11. c. 5. q. 1. aliquid exigere pro concedendis *formatis*, simoniacum esse: idem asserit, si quid quam accipiatur pro *literis dimissoriis*. Per *formatas* intelliguntur literæ testimoniales; quibus fit publica fides aliquem *Clericum ordinatum esse*. Sic Azor cit. Per *dimissorias*, quibus alicui datur facultas, ut possit ab alieno Episcopo ordinari. Utrumque tamen casum præcedentem intellige (*spectato jure communi*) si quid datur, vel exigitur *principaliter* pro spirituali. Nam si tali casu quid detur Episcopo, vel ejus Ministris, *sponte, & gratuitò* non eo fine, eodem jure licitè datur, & accipitur. Colligitur ex c. *Etsi quæstiones*, & c. *dilectus* h. t. quibus adde c. *quidquid*. 1. q. 1. ibi: *nisi voluntariè oblata*. Hanc tamen limitationem accipe, si quod offertur sit modicum, & non detur *in ipso actu ordinationis*, sed ex intervallo, sicut colligitur ex c. *sicut*. §. is autem 1. q. 2. & hoc spectato jure communi. Dixi *spectato jure communi*. Nam Tridentinum sessione 21. de Reform. c. 1. statuit, *ut Episcopi, & alii Ordinum Collatores, aut eorum Ministri, ad tollendam omnem avaritiæ suspicionem ab ordine Ecclesiastico, nihil, quovis prætextu, accipiant, pro collatione quorumcunque ordinum, etiam Clericalis tonsuræ; nec pro literis dimissoriis, aut testimonialibus; nec pro sigillo, nec pro quacunque alia causa, etiam sponte oblatum*. Rationem dat Lessius L. 2. c. 35. n. 61. quia non censetur *tunc* facilè *sponte dari* (maximè ante ordinationem) & cupidi homines facilè sibi persuaderent, *spontè dari*, quod *coactè* offertur. Si tamen revera quid omnino spontè daretur, &, ut tale acciperetur, simonia non foret, quia tunc cessaret pactio, & ratio debiti, quæ requiritur ad simoniam. Ita Lessius loc. cit.

Excipit tamen Concilium ab hoc suo 470
decreto Notarios, qui aliàs *nullum habent salarium*, & degunt in locis, ubi non viget consuetudo, *nihil accipiendi pro dimissoriis, aut testimonialibus*. V. Barbos. in c. 1. h. t. n. 3. His ergo concedit, posse accipere, decimam tantùm partem unius aurei, hoc est, ut exponit Pirhing hic n. 18. unum Julium, sed eâ lege, ut ex hoc nec indirectè in Episcopum redundet ullum commodum. Secùs facientes subjicit pœnis à Jure inflictis ipso facto incurrendis, interdicendo simul taxas, statuta, & consuetudines contrarias, etiam immemoriales. Per *aureum* autem hîc intelligi *ducatum*, declaravit S. Congregatio Concilii apud Zerol. in praxi Episcopali. p. 1. V. *Dimissoria*. §. ad 7. Pœnæ

autem à jure decretæ in accipientes aliquid ab ordinatis sunt excommunicatio, & suspensio ab officio, & executione ordinum, ut dicitur c. 1. *placuit* 1. q. 1. intellige *quo ad ordinatos*, ut vult Turrecremata in c. *Reperiuntur*. 1. q. 1. Tridentinum autem, eas pœnas extendit ad *dantes*, & *accipientes*, etiam sponte oblata.

471 Præterea not. hanc Tridentini prohibitionem expressè prohibere illas dationes, & exactiones *intuitu simoniæ*; ac omnino reprobare contrarias taxas, statuta, consuetudines etiam immemoriales quorumcunque locorum, dicens, quòd potius abusus, & corruptelæ, *simoniacæ pravitati* faventes, nuncupari possint. Not. 2. ut Notarius gaudeat eâ exceptione, quam retulimus supra, ex mente Concilii, requiri tres conditiones. 1. ut solùm ei liceat *ibi*, ubi non viget laudabilis consuetudo, *nihil accipiendi*. 2. ut non habeat ullum stipendium pro officio exercendo. 3. ut nihil ex illo lucro ad Episcopum etiam indirectè pervenire possit.

472 Not. 3. Ordinandum committere simoniam, si aliquid temporale promittat, vel det pro sui præsentatione ad suscipiendos ordines. c. 1. de simonia, etiam si sit modicum, ut colligitur ex c. *Ex tua* 20. eod. & Barbos. ibidem. n. 3. Not. 4. quòd etiam ille, qui cum alio Clerico convenit, ut ipsum præsentet Episcopo, ordinandum ad titulum sui beneficii, committat simoniam, si simul pacisciter, quòd nihil ab illo petere velit ex illo beneficio. c. *pertuas* 37. h. t. elige 3. An autem sit simonia juris naturalis, & divini? vel tantùm Ecclesiastici? resolvi potest ex regulis traditis in supra dictis.

ARTICULUS VI.

De Simonia, quæ committitur in provisionibus beneficiorum.

473 NOn est dubium, in provisione beneficiorum Ecclesiasticorum plures actus, tanquam simoniacos, jure Ecclesiastico interdictos esse; sic prohibetur, accipere aliquid temporale pro *collatione* beneficii, c. *Præterea*, ne Prælati vices suas. 2. si quid detur, vel accipiatur pro immissione, seu *inductione* in *possessionem* beneficii jam collati. c. *Cùm in Ecclesiæ*, 9. h. t. Tertiò si quid temporale exigatur *pro institutione* præsentati in beneficio, vel consensu præstando in ejus institutionem, c. *Audivimus*. 41. h. t. Et hoc procedit, sive institutio hic accipiatur prout est quid juris, sive prout est quid facti, nempe introductione in corporalem possessionem beneficii.

Ratio primi est; quia sive sumatur pro ea institutione, quâ electus confirmatur, vel præsentatus instituitur, sive pro ea, quâ alicui liberè beneficium confertur, eo ipso emitur, & venditur actus potestatis spiritualis. Ratio secundi est, quia institutio sumpta pro immissione in corporalem possessionem beneficii (cùm talis possessio sit saltem quid annexum juri spirituali) eo ipso temporale permutatur cum spirituali; temporale enim pro annexis rei spirituali solvi non potest absque simonia, ut sæpe dictum est; ergo. 474

Et quamvis aliàs *simoniacè datum*, & *acceptum*, communi consensu, tam dantis, quàm accipientis simpliciter restitui debeat c. *de hoc* 11. h. t. in hoc tamen casu specialiter constitutum est, ut is, qui aliquid simoniacè accepit *pro beneficio*, duplum ejus restituat in utilitatem locorum, in quorum dispendium acceptum fuit. cit. c. *audivimus* 41. h. t. ubi Pontifex sic loquitur: Audivimus de quibusdam Episcopis, quòd decedentibus Ecclesiarum Rectoribus, ipsas interdicto subjiciunt, nec patiuntur alios in eisdem instituì, *donec ipsis certa summa pecuniæ persolvatur*. Præterea, cùm miles, aut Clericus domum Religionis ingreditur, vel apud Religiosos eligit sepulturam: etiamsi nihil loco religioso reliquerit, difficultates ingerunt, & malitias, *donec aliquid muneris manus contingat eorum*. Cùm igitur non solùm à malo, sed ab omni specie mali sit secundùm Apostolum abstinendum, *exactiones hujusmodi penitus inhibemus. Quod si quis transgressor extiterit, exacta duplicata restituat in utilitatem locorum, in quorum fuerint soluta dispendium, fideliter convertenda.* 475

Similiter, tanquam simoniacum prohibetur 1. ab electo Abbate pro benedictione, installatione, vel recipienda professione (quâ intelligitur solemnitas, qua Electus Ordinario suo promittit reverentiam, & obedientiam salvâ ordinis regulâ) sub cujusdam consuetudinis prætextu *palefredum* (h. e. *insignem equum*) velaliud temporale exigere, vel extorquere c. *Ne Dei*. 43. h. t. Idem est, si pro beneficio obtinendo præstetur homagium. c. *ex diligenti*. 17. h. t. 476

sed

sed hoc intellige, non de *homagio latè sumpto*, pro fidelitate, & obedientia; sed *strictè sumpto*, pro subjectione ad certa servitia; sic enim continet aliquid temporale. Secundò si pro temporali promittitur præsentatio ad Ecclesiam, seu beneficium, c. *cùm essent* 12. h. t. ubi etiam dicitur, quòd promissum temporale præstans, eo ipso non consequatur beneficium Azor. p. 3. l. 12. c. 15. Tertiò si quid temporale promittatur, vel ex pacto detur, vel pro electione certæ personæ, etiam dignissimæ. Less. l. 2. c. 25. n. 112. vel si quis alteri promittat suum suffragium, ut vicissim ille promittenti det suum. sic Azor p. 3. l. 13. c. 3. q. 2. vel si pro suffragio in electione dando promittitur beneficium c. *de hoc* 11. h. t. Azor cit. c. 7. q. 1. aut si temporale promittatur, ne huic certæ personæ quis det suum suffragium. Gl. in c. *Nemo* h. t. V. *celet*. Ubi Barbosa ibid. n. 3. addit, simoniacam fore collationem beneficii, factam alicui prætextu consanguinitatis; sic etiam Azor cit. c. 11. q. 1. intellige, si conferens inde percipiat temporale commodum, ac ejus intuitu principaliter agat; his præmissis:

§. 1.

An Simonia, quæ committitur in provisionibus beneficiorum sit juris tantùm Ecclesiastici?

477 ANte resolut. not. triplicem esse in hoc sententiam. Prima simpliciter affirmat, esse contra jus divinum; ita communiter Theologi cum Azor p. 3. l. 12. c. 11. q. 3. Layman. l. 4. tr. 10. c. ult. §. 5. n. 44. Secunda tenet esse tantùm contra jus Ecclesiasticum; ita plerumque Canonistæ apud Jul. Clar. §. *Simonia*, n. 5. & Less. L. 2. c. 35. n. 26. Tertia docet, vendere beneficium curatum, & habens annexam jurisdictionem, esse contra jus divinum; non autem vendere beneficium simplex; ita nonnulli apud P. Suarez tom. 1. de Relig. l. 4. c. 24. n. 20. & hanc cæteris probabiliorem censet Pirhing. hic n. 75.

478 Not. 2. Beneficium rectè definiri, *jus percipiendi reditus, seu fructus annuos ex bonis Ecclesiasticis propter officium, seu ministerium Ecclesiasticum.* Sic sumptum importat duplex *jus*; unum ministrandi spiritualia; alterum, percipiendi eos reditus: hoc dupliciter considerari potest; nimirum vel secundùm quod expliçat illud jus percipiendi reditus illos temporales, acceptum præcisè, & secundùm se; vel in quantum tale jus obtingit propter, ac per officium, seu ministerium Ecclesiasticum. Primo modo *beneficium* sumitur *materialiter*; secundo *formaliter*; his positis:

R. primo, propriâ authoritate vendere, vel emere beneficium Ecclesiasticum 479
sumptum formaliter, seu quâ importat jus ministrandi spiritualia, esse simoniam juris naturalis, & divini, nam hoc jus est verè spirituale, juxta n. præced. & sacrum, & à Christo institutum; ergo si pretio daretur, vel acciperetur, esset vera simonia juris naturalis, & divini per jam dicta: *pretium* enim propriè importat animum commensurandi datum cum illo. R. 2. Vendere, vel emere beneficium Ecclesiasticum, *sumptum materialiter*, seu quà importat jus percipiendi, seu obtinendi reditus annuos ex bonis Ecclesiasticis, non esse simoniam juris naturalis, & divini, sed juris tantùm Ecclesiastici. Ratio primi est, quia *sumptum naturaliter*, & quà dicit jus obtinendi eos fructus secundùm se præcisè, est quid merè temporale, & authoritate Pontificis separari potest à titulo illo speciali, seu ministerio, propter quòd aliàs obtinetur, assignando ex illo beneficio alicui pensionem annuam, vel etiam sibi applicando, & aliunde providendo de sustentatione habenti officium spirituale. Ratio secundi est; quia vendere alicui jus obtinendi fructus annuos ex bonis Ecclesiasticis est prohibitum jure Ecclesiastico in c. *fin.* de Pactis (ubi habetur *omnes pactiones* & conventiones in spiritualibus nullius esse momenti) c. *super eo* 7. de Transact. ibi: *transigi super re sacra non potest* (pactione nimirum onerosâ, ut notat textus) *quia res sacræ, ut possideantur aliquo dato, vel retento, seu promisso, speciem credimus habere simoniæ.*

Ex hoc coll. 1. quando dicitur *beneficium dari propter officium*, aliud non intelligi, quàm quòd non possit in alium transferri, quin simul onus ad officium transferatur; excipe nisi dispensèt Papa, conferens alicui beneficium, duntaxat acceptum *materialiter*, ut dictum est. Coll. 2. hic sub ista voce *beneficium Ecclesiasticum* comprehendi Episcopatus, Abbatias, Prioratus, Archidiaconatus, & alias dignitates Ecclesiasticas, atque canonicatus, Vicarias perpetuas, & alia hujusmodi; quæ si sumpta *formaliter* pretio commutentur, incidunt

in simoniam juris divini; si sumpta *materialiter*, in simoniam juris tantùm Ecclesiastici, ut jam præmissum est, quibus positis:

§. 7.

An absque simonia beneficiatus locare, aut vendere possit fructus sui beneficii?

480 Resp. posse, si locationem non extendat ultra dies vitæ suæ, ita Panormit. c. *Querelam*, Ne Prælati vices suas. Et ratio est; quia pactio, & commutatio, in præsenti casu, contingit inter merè temporalia. Nec obstat Extravag. *Ambitiosæ*, de reb. Eccles. non alienand. ubi cavetur sub pœna excommunicationis, & privationis beneficii, *ne ultra triennium locentur*; ex quo videtur inferri posse, quòd licet ea locatio ad dies vitæ locantis non sit simoniaca, erit tamen graviter illicita. R. illam extravagantem nullibi receptam esse, doceri expresè à Navarra, Cajetano, & Toleto, quos cit. & sequitur Castropal. p. 3. tr. 17. D. 3. p. 13. Cæterùm ad hoc jam responsum est in lib. 3. decret. tit. de reb. Eccles. non alien. V. dicenda in seqq. a n. 599.

§. 3.

An absque simonia emi, & vendi possint pensiones?

481 PEnsio, alia est *merè laicalis*, quæ non fundatur in titulo ministerii, aut officii spiritualis; cujusmodi est illa, quæ datur alicui v. g. ad pulsandum organum, Campanas &c. & hæc citra omnem simoniæ labem emi, vendi, vel redimi potest; cùm in hac commutatione non interveniat quidquam spirituale, ne quidem in ratione, propter quam talis pensio, seu portio, ex fructibus beneficii alicujus detracta, pensionario assignatur. Alia est *clericalis*, quæ soli Clerico concedi potest, & vel assignatur determinatione personæ, nimirum habenti tale officium. v. g. Concionatoris, Visitatoris, Coadjutoris Episcopi, &c. vel datur solùm alio titulo; ad sustentationem Clerico pauperi; 2. seni Parocho non valenti servire amplius, ejus beneficio alteri dato, cum onere pensionis illi tribuendæ; 3. quæ datur renuntianti beneficio pacificè possesso. 4. quæ ad litem in beneficio componendam; quibus positis:

482 Quæstio est, an emptio, & venditio pensionum *Clericalium* sit simoniaca? ante resolut. nota, ejusmodi pensionarios perceptionem illorum fructuum non habere, nisi titulo spirituali, & obligatione recitandi officium parvum B. V. M. ut pat. ex Constit. Pii V. incip. *Ex proximo*; & est 138. in ordine Bullar. edita 1571. quam esse receptam, & observari; docet Castropal. cit. n. 8. §. *de omnibus*; quo posito. R. ad quæst. qualiter diximus beneficium Ecclesiasticum emi, & vendi propriâ authoritate posse, aut non posse, adhibitâ distinct. datâ in n. 479. & seq. taliter etiam dicendum de pensione *Clericali*, sumptâ sive *formaliter*, sivè *materialiter*; ratio enim utrobique est eadem. Quia pensio Clericalis nihil aliud est, quàm jus percipiendi fructûs, medio spirituali officio, vel simili titulo; consequenter, æquè considerari potest *formaliter*, & *materialiter*; & sub hac diversa consideratione venire sub datis responsionibus à n. 479. Quod diximus de beneficiis, & pensionibus Clericalibus, dicendum quoque venit de præstimoniis, de commendis spiritualibus, Capellaniis, & Hospitalibus Ecclesiasticis, seu authoritate Ordinarii institutis, & secum ferentibus administrationem spiritualem. Ratio eadem est; Cùm fundentur in titulo spirituali; de quibus plura Castropalaus cit. n. 12.

§. 4.

An absque simonia emi, & vendi possit jus Patronatûs?

JUs patronatus, est jus præsentandi ad be- 483
neficia, concessum alicui ab Ecclesia ex gratitudine, propter aliquod obsequium ab illo acceptum; consequenter est aliquid spirituale, *non in se*, & formaliter; sed *annexivè*, ut diximus lib. 3. tit. 38. Tripliciter hoc jus ab habente in alium transferri potest: 1. jure hæreditario. 2. donatione liberâ. 3. pretio seu translatione onerosâ accipienti, de prioribus duobus modis egimus lib. 3. loco cit. de posteriori in præsenti procedit quæstio. Not. autem dupliciter fieri posse, quod vis patronatûs pretio seu venditione in alterum transferatur; primò *ratione sui*, *& directè* quandoscilicet ipsum jus patronatus ratione sui venit in appretiationem, vel res cui annexa est, ratione ipsius majoris venditur. 2. *solùm indirectè*, *& accessoriè*, ut cùm directè venditur villa, castrum, fundus, cui jus patronatus annexum est, quin ullo modo jus patro-

tronatus veniat in appretiationem, seu res, cui annectitur, ejus intuitu, carius vendatur; qualiter, cùm venditur calix, sola ejus materiâ veniente in appretiationem, nullatenus pretium ejus augetur ratione consecrationis annexæ, quibus positis:

484 ℟. Translationem juris patronatûs directè, factam pretio, simoniacam esse *de jure Ecclesiastico*, ut dicitur c. *dejicere*. 10. de jure patron. ibi: de jure verò patronatus &c. *Mandamus, quatenus si R. illud comparavit, (cùm inconveniens sit, vendi jus patronatûs, quod est spirituali annexum) contractum illum irritum decernas*; ubi rubrica notat, si *per se* vendatur, & ratione sui; quia sic spirituale daretur pretio. Idem habetur in c. *præterea* 23. eod. In quæstione autem an jus patronatus sit *ex jure divino* invendibile? Negativam sequitur Abbas, & alii in Rubric. de Jure patron. & in c. *Quantò* 3. de Judic. Soto, Navarr. Sylvest. & alii apud P. Suarez l. 4. de simon. c. 28. n. 6. Ratio eorum est; quia non est jus ad actum spiritualem; nam *præsentatio* (ad quam dicitur) non est actus spiritualis, utpote nullum præsentato tribuens jus in beneficium, ante præsentati institutionem in illo, factam à Prælato. 2. quia jus patronatûs *in se* non est quid spirituale, sed tantùm spiritualibus annexum; cùm transeat ad hæredes, etiam extraneos.

485 Probabilior tamen videtur affirmativa, quam tenet Suarez tom. 1. de Relig. lib. 4. c. 28. n. 7. Lessius l. 2. de Just. c. 35. d. 11. n. 128. Gloss. in c. *Pia mentis* 16. q. 7. & in c. *Præterea*. 1. de Transact. quos citat, & sequitur Castropalaus p. 14. n. 3. quod tamen intellige, *si vendatur directè*, juxta expositionem in n. 483. Nam quando *pretio* datur, & accipitur spirituale, licet solùm annexivè tale, committitur simonia juris Divini ex dictis: sed si jus patronatûs *directè* venditur, *pretio* datur, & accipitur spirituale annexivè late, ut constat ex cit. num. ergo. Ad primam rationem in contrarium in n. 484. ℟. N. ma. Præsentatio enim ex *principio*, & *fine*, actus spiritualis est, ut exposuimus supr. *Ex principio*; quia est actus juris, quod ab Ecclesia in sui institutione pendet, & non nisi per potestatem Ecclesiæ concedi potest; *ex fine*; cùm ordinetur ad institutionem in beneficio personæ Clericalis, quæ in eodem fungatur divino ministerio. Ad id, quod additur ibid. ℟. cum distinctione: præsentatus ex præsentatione non consequitur jus *proximum* ad beneficium. C. *remotum*. N. nam *ex vi præsentationis habet*, quòd, si idoneus sit, institui *debeat ipse*, per c. *significasti*, 18. & c. *suggestum*, de jure patron. quin eo rejecto possit alius, ex c. *illud prætereundum*, 8. eodem.

Ad secundam rationem in eodem n. 486
484. Concedo, jus patronatus *in se* non esse quid spirituale, nimirum intrinsecè, ut diximus loc. cit. quia tamen *extrinsecè*, ac annexivè est aliquid spirituale; jam est materia simoniæ juris divini, si veniat in appretiationem rei temporalis, ut sæpius jam ostensum est; sic qui hominem *in sacris* constitutum, *ratione ordinis sacri*; vel species panis, & vini, *ratione consecrationis carius venderet*, ex communi Doctorum consensu committeret simoniam juris divini; licet nec homo, nec illæ species, seu accidentiæ, in se sint quid spirituale; sed solùm annexivè. Ex hoc autem, quòd jus patronatus hæreditate, donatione, vel etiam alienatione rei, cui annectitur, *solùm accessoriè* transferatur in Laicos, nec sequitur, quòd non sit aliquid *annexivè spirituale*, nec, quòd *non sit materia simoniæ juris divini*, quando *directè* alienatur pretio. Nam jus eligendi ad beneficia, & dignitates Ecclesiasticas, non minùs, ac jus patronatûs, ex gratia concedi posset Laicis ab Ecclesia, & tamen pretio acquiri non potest, si *directè* veniat in appretiationem, sine simonia juris divini.

Ex dictis Coll. 1. jus patronatus jure 487
hæreditario transmitti posse in hæredes, etiam extraneos, ut absolutè, ac indefinitè dicitur in c. *considerandum*; c. *si plures*. 16. q. 7. sic gloss. in Clem. 2. de jure patronat. & Joan. Andr. c. *Cùm seculum*; eodem. Coll. 2. habentes jus patronatûs, posse illud transferre in alterum donatione merè liberali, & quidem sine consensu Ordinarii, si donatio fiat loco religioso; non autem, si aliis. Ratio primæ partis est, quia quilibet potest, jus, quod habet, transferre in alium talis juris capacem, nullâ lege translationem annullante prohibitum. Ratio secundæ partis est, ex c. *unic.* de jure patron. in 6. ibi: *hujusmodi collatio (quamvis absque assensu Episcopi facta fuerit) efficax est censenda*; ubi cùm specialis favor sit propter *locum religiosum*; per oppositum sequitur, si donatio fiat alteri, non valere, & videtur colligi ex c. *suggestum*. 20. h. t. ex

quo pat. ratio 3. partis. Coll. 3. jus patronatûs valide licitèque vendi posse *solùm indirectè* juxta expositionem in n. 483. quia sic ipsum nullatenus venit in appretiationem; consequenter non est venditio simoniaca; & definitum est in c. *Ex literis.* 7. h.t. ubi dicitur, quod *si jus patronatûs consistat in aliqua universitate temporalium, transeat cum ipsa, etiamsi universitas transeat tantùm, quoad utile dominium, nisi jus patronatûs specifice sit exceptum.*

§. 5.

An absque simonia emi, & vendi possint temporalia Ecclesiæ officia?

488 SErmo est de officiis, quæ habent administrationem rerum solùm temporalium pertinentium ad Ecclesiam, cujusmodi sunt *œconomi*, qui res Ecclesiæ, & Canonicorum gubernant; *Vicedomini*, qui curam rerum Episcopi gerit; *Advocati*, seu *Syndici*, qui ab Ecclesia constitutus, *ex officio* ejus causas defendit: *Judicis*, qui loco Episcopi, vel Prælati, qui præest, jurisdictionem in temporalibus exercet &c. de his igitur præsens quæstio procedit. In qua communior sententia tenet, venditionem, ac emptionem talium officiorum, simoniacam esse de jure solùm Ecclesiastico. Nam, qui officium Oeconomi, Vicedomini, Advocati, Sacristæ, Castaldi, & Judicis vendit, dicitur *participare cum Simone.* c. 8. *si quis Episcopus.* 1. q. 1. & c. *Salvator*, 1. q. 3. & in c. *Consulere.* 38. de simonia, ementes, ac vendentes Vicedominatum, vel aliam rerum Ecclesiasticarum administrationem, *cum Simone percelluntur*; in quem locum Castropalaus cit. p. 3. tr. 17. D. 3. p. 14. n. 9. *percelluntur autem*, inquit, *quia committunt simoniam*; & ut not. Barbos. in cit. c. *Consulere*, n. 1. excluduntur ab illa Ecclesia, cui facta est contumelia per ejusmodi actum simoniacum; n. 2. & Suarez tom. 1. de Religion. l. 4. de simonia c. 20. n. 8. & seq. dicente: *omnes actus jurisdictionis voluntariæ, quatenus ad effectum spiritualem ordinantur, materiam esse simoniæ.*

ARTICULUS VII.

De simonia, quæ committitur in permutatione spiritualium.

489 LOquimur de permutatione alicujus *spiritualis pro spirituali.* v. g. beneficii pro beneficio; calicis pro calice &c. Hinc esto in c. *Quam pio* 1. q. 2. c. *super eo*, de transact. item c. *Cùm pridem*, & c. *fin.* de pactis, generaliter prohibita sit omnis pactio, quæ fit *pro consequendis spiritualibus*, intelligendum tamen venit, quando pactum fit *de dando temporali*, pro consequendo spirituali; vel econtra; his positis:

Quæres 1. quæ permutatio spiritualium prohibita sit? R. nullam permutationem 490
spiritualium *inter se*, prohibitam esse, nisi beneficiorum, & cujusvis juris, beneficia concernentis, si fiat authoritate propriâ. Ita Rebuff. in pract. 3. p. tit. de permut. n. 52. Suarez cit. l. 4. c. 31. n. 8. & communis contra gloss. & Innocent. in c. *Quæsitum*, de rerum permut. pro quo not. quædam esse *purè* spiritualia, ut sunt *sacramenta*, *oratio*, *sacrificium*, *consecratio* &c. Quædam *mixta*, quibus scilicet annexum est aliud corporale, ut liquet in *vestibus sacris*, *calicib*° &c. quibus positis ratio est, quia nulla in toto jure exstat prohibitio de spirituali sive puro, sive mixto, cum spirituali permutando, nisi permutatio versetur circa beneficia, & jus aliquod ea concernentia, si fiat propriâ authoritate. Prima pars probatur 1. ex c. *Non satis.* 8. *Cùm in Ecclesiæ* 9. c. *Ad nostram* 2. de simonia, ubi agitur de *purè spiritualibus*, & solùm cavetur, *ne pretio vendantur* in c. *Non satis*, dicitur: *prohibemus, ne à volentibus ad Religionem transire aliqua pecuniarequiratur; & ne Prioratus, vel Capellaniæ qualibet annuâ distractione vendantur*; & paulò post, *ne ab eo cui regimen ipsarum committitur, ullum pretium exigatur*; & sic de aliis. Deinde ubi fit in jure mentio *de spiritualibus mixtis*, non tantùm non extat prohibitio *permutationis*; sed potius approbatur, ut liquet ex c. *Ad quæstiones*, de rerum permutationibus. Ibi enim approbata reperitur *Unius Ecclesiæ pro alia facta permutatio.*

Probatur etiam secunda pars 1. ex c. 491
Quæsitum. 5. de rerum permut. ubi Urbanus III. sic loquitur: *generaliter itaque teneas, quòd commutationes præbendarum de jure fieri non possint, præsertim cum pactione præmissâ; quæ circa spiritualia, vel connexa spiritualibus, labem continent semper simoniæ*; & c. *Cùm olim*, 7. eod. ubi secundum Rubricam, ex rescripto Innoc. III. ad Senon. Archiepisc. habetur, *quod sua beneficia perdant, qui ea propriâ permutant authoritate* ex quo coll. 1. cùm citati canones indefinitè loquantur de

per-

permutationibus præbendarum, non posse admitti exceptionem gloss. in cit. c. *Quæsitum*, volentis, præbendas *ejusdem Ecclesiæ, ac ejusdem rationis*, posse *privatim* permutari. Hanc enim exceptionem jus non admittit; cùm ejus prohibitio sit generalis. Et ratio ulterior est. 1. quia si antiquos Ecclesiæ canones inspicimus, non inveniemus olim licuisse beneficiariis, beneficium Ecclesiasticum habentibus, propriam Ecclesiam deserere, & ad aliam se transferre, aut Ecclesiæ, cui mancipati fuerant per Ordinationem, renuntiare irrequisito proprio Episcopo 1. quia renuntiatio suæ Ecclesiæ per c. *Admonet*, de Renunt. fieri nequit inconsulto Ordinario; ergo nec permutatio, quæ non potest sine renuntiatione fieri. 2. quia aliàs beneficium novum sine canonica institutione ambo ingrederentur contra c. 1. de regul. juris in 6. nam ipsi nequeunt sibi invicem institutionem facere. 3. quia sic fieri posset permutatio rei alienæ, quæ nulla est L. 1. §. *ult.* ff. de rerum permut. beneficiarii enim non sunt domini beneficiorum.

492 Coll. 2. Commutationem beneficiorum, & jurium ea concernentium illicitam, jure Ecclesiastico *simoniacam esse*, ut constat. ex cit. 2. *Quæsitum*, ibi: *labem continent semper simoniæ*; pro quo rectè intelligendo, recolenda sunt, quæ jam diximus in præmissis, qualiter etiam ejusmodi pacta, labem simoniæ contineant? Coll. 3. cum cit. textus ex c. *Quæsitum*, & c. *cùm olim*, solùm loquantur de *præbendarum* permutatione; *prævia* verò *tractatio partium de facienda permutatione*, etiam sub onere pensionis, & obligatio ad permutandum sub conditione, si *Superior consenserit*, non sit *permutatio*, sed solùm quædam dispositio, & via ad illam, *talem tractationem præviam, & obligationem sub conditione, licet factam ante consensum superioris*, nec simoniacam, nec illicitam esse; nam sic non comprehenditur sub ulla prohibitione. Coll. 4. permutationem beneficiorum, *authoritate Superioris licitam esse* c. *inter cætera*, de præbendis; c. *Quæsitum*; c. *Universorum*. c. *cùm* olim, c. *ad quæstiones*, de rerum permut. c. *Unico* eodem in 6. & Clement. *unicâ*, eod. Cujus ratio est, quia sic, & non aliter, prohibetur permutatio beneficiorum, in quantum opponitur virtuti Religionis, secundùm quod hæc intenditur à lege permutationem, authoritate privatâ factam, prohibente.

Dices in c. *Quæsitum* de quo n. 491. 493
expressè dicitur, *generaliter tenendum, quòd commutationes Præbendarum de jure fieri non possint*; ergo non tantùm privatâ, sed etiam Superioris authoritate. R. N. conseq. Nam consuetudo est optima legis interpres; hæc autem dictum textum non accipit aliter, quàm de permutatione facta *propriâ permutantium*, non Superioris *voluntate*, id quod etiam apertè declarat c. *Cùm olim*, in eodem n. 491. citatum. Ibi enim expressè agitur de permutatione cujusdam Archidiaconatûs cum certa Præpositura, quæ facta est inter S. & B. nullius Superioris authoritate interveniente, & ideo, ubi hoc constitit Innocentio III. rescripsit dicens: *& hunc Præpositurâ, & illum Archidiaconatu, curavimus spoliare, super hoc definitivam contra eos sententiam proferentes.*

Quæres 2. an in permutationibus be- 494
neficiorum, absque simonia possit fieri compensatio fructuum per pecuniam, vel pensionem? Casus esse potest, quando permutantur beneficia *inæqualia in proventibus*; unde quæstio est, an si Titius beneficium suum, quod fert trecentos, permutet pro beneficio Caji, quod fert quingentos, Titius possit, quod in suo deficit, compensare Cajo, dando illi certam pecuniam; vel constituendo illi pensionem annuam ex beneficio, quod Cajus cedit Titio? Id non posse ipsos *permutantes authoritate suâ*, certum videtur, ut tenet Lessius l. 2. de Just. c. 35. de 17. n. 104. Suarez l. 4. c. 34. n. 10. Gloss. in c. *Cùm pridem*, de pactis sic enim jus fructuum excedentium, fundatum in titulo spirituali, non transiret in alterum, *nisi pecuniâ*, vel, constitutâ pensione, separato jure proventuum, à titulo spirituali; at hoc secundum fieri non potest, nisi à summo Pontifice; ut mox dicemus; & primum est manifestè simoniacum; ergo.

Dices: c. *Ad Quæstiones*, de rer. per- 495
mutationibus, Clemens III. approbavit permutationem, factam unius Ecclesiæ Parochialis, ac possessionum ejus, cum alia Ecclesia, & possessionibus ejus, possessionum inæqualitate per pecuniam compensatâ, sic tamen, ut illi contractus nequaquam sibi invicem miscerentur. Sed hoc non obstat; quia possessiones illæ inæqua-

æquales non erant penes possessores *titulo spirituali*, sed *merè temporali*; Unde meritò concedi, vel approbari potuit, ut dans possessionem suam, quam habebat sub dominio suo temporali, ac recipiens alias, sed minores in valore, defectum reciperet oblatâ pecuniâ; ita Suarez supra cit. n. 13. & videtur colligi ex ipso textu, ibi: *Respondemus, cùm de dictis præcialibus Ecclesiis per se*, nimirum ex natura rei, *imò & jure Ecclesiastico queat commutatio celebrari & in permutatione possessionum per se non sit inhibitum, si altera ratione possessionum præponderet*; modò id fiat non authoritate permutantium, sed Superioris, ut colligitur ex c. 5. 6. & 7. de rerum permutatione, ex quibus Gonzalez ad cit. c. 7. n. 5. sequentem deducit decisionem: *permutationem præbendæ, seu beneficii factam, irrequisito proprio Prælato, nullam esse; imò, qui permutavit propria authoritate, privari beneficio ita permutato*; ex quo per oppositum sequitur, licitè valideque illam fieri, si procedat cum proprii Prælati consensu.

496 Difficultas est, an, quando jus fructuum, fundatum in titulo spirituali unius beneficii, plus infert, quàm alterum, permutatio fieri possit cum compensatione inæqualitatis saltem Superioris authoritate? De summo Pontifice non est dubium. Nam ipse potest jus fructuum temporale separare à titulo spirituali. De Ordinario, authores dubitant; eum tamen posse concedere, ut sic fiat permutatio, affirmat Zerola in praxi Epis. p. 2. V. *Pensio* n. 1. & plures alii apud Castropal. p. 3. tract. 17. D. 3. p. 16. n. 2. Ratio est. Quia Ordinarius ex justa causa potest pensionem imponere; sed in tali casu propter inæqualitatem fructuum compensandam, est justa causa: Ergo.

497 Contrarium tamen probabilius est, nimirum non posse authoritate Ordinarii in permutatione beneficiorum imponi pensionem beneficio pingui. Nam Episcopus tenetur conferre beneficia sine diminutione juxta titul. *Ut beneficia sine diminutione conferantur*; quod non fieret, si conferret impositâ pensione. Deinde Valentia D. 6. q. 16. p. 3. testatur, consuetudine hanc facultatem Ordinariis negari, & confirmari potest ex mox dicendis; ita Suarez l. 4. c. 34. n. 16. Garcia p. 1. de benefic. c. 5. à n. 341. & complures alii cum Castropal. cit. n. 3. Nam in c. *Unico*, Ut beneficiâ Ecclesiastica sine diminutione conferantur, Innocentius III. rescribens Mediolan. Archiepiscopo, expressè ait. 1. *ipsi non licuisse* cum pactione, vel conventione quacunque, sub modo, vel tenore præscripto *concedere nudum officium*, & sibi retinere proventus; cùm in Lateranensi Concilio prohibitum sit, *ne quis, conferendo Ecclesiasticum beneficium partem proventuum suis usibus retinere præsumat; & alibi cautum sit, ut beneficia Ecclesiastica sine diminutione conferantur.* 2. Si quis ante donationem, vel collationem beneficii percepit fructus, & antè constituit ex causa necessaria, ut retineat fructus, id licitum esse; non autem, si convenit cum eo, qui accipit beneficium; vel cum mediatore, ut retineat proventus, & concedat sic beneficium; hoc enim est illicitum, & esse Simoniam palliatam, recte observat Barbos. in cit. c. *Unic.* n. 1.

Ad rationem in contrar. in n. 496. & 498 majorem veram esse de beneficio *vacante*, ut rectè notat Barbos. cit. in c. *Unic.* n. 10. ibi: *Dummodo id faciat vacante beneficio*; at in dicto casu permutationis factæ, ut inæqualitas compensetur pensione impositâ beneficio pingui, non imponitur *vacanti*, sed *vacaturo sub conditione impositæ pensionis*: Ergo; Accedit, quòd sic Episcopus concederet *nudum officium* successori in beneficio, saltem in parte separatum â jure fructuum, quod attribuitur alteri cedenti beneficium pingue, retentâ pensione, Episcopi authoritate. Hinc Pius V. in constitutione 58. eas tantùm permutationes permittit, admitti posse ab Ordinariis, quæ juri consonæ sunt. Ibi: *adhuc beneficiorum, & officiorum permutationes admittere, quæ canonicis sanctionibus, & Apostolicis constitutionibus permittuntur*, id est, quæ authoritate Episcopi ex justa causa celebrantur.

Præter hoc not. 1. cùm dicimus per- 499 mutationes beneficiorum Episcopi auctoritate celebrari posse, appellatione *Episcopi* comprehendi quemcunque habentem jurisdictionem Episcopalem pro suo territorio. Quotiescunque enim aliquid competit Episcopo *ratione jurisdictionis*, non autem *ratione Ordinis*, id peragi potest ab aliis, qui eandem jurisdictionem exercent, ita Suarez l. 4. de simonia, c. 32. n. 14. Gibalinus de Simon. q. 14. Consectar. 8. n. 5. & alii.

Not. 2.

500 Not. 2. Etiamsi institutio pertineat ad alium, v. g. Archidiaconum, in beneficio permutato, adhuc tamen debere intervenire auctoritatem Episcopi, & coram hoc permutationem celebrari; nam auctoritas Episcopi non requiritur in casu talium permutationum *titulo institutionis ab ipso faciendæ in novo beneficio*; *sed ut cognoscat, an in permutatione justa causa subsit? vel labes simoniæ interveniat?* intervenire autem præterea debet consensus Collatorum, ac eorum, quorum interest collationem fieri, vel non fieri, sic Gibalin. cit.

501 Not. 3. Licet juxta veriorem sententiam, quando beneficium permutatur cum beneficio purè, & absolutè, non interveniat simonia, ut docet Emanuel, Gonzalez in cit. c. 7. De rerum permutat. n. 9. cùm non fiat inter spirituale, ac temporale; quia tamen propter inæqualitatem fructuum facilè simonia intervenire potest, similesque actiones illicitæ, ac periculosæ judicantur; requiri Episcopi auctoritatem, & secùs titulo simoniæ prohiberi ab Ecclesia.

ARTICULUS VIII.

De Simonia, quæ contingit in beneficii renuntiatione.

502 Ante resolut. not. 1. renuntiationem beneficii, esse liberam ejus cessionem, factam cum consensu Superioris, renuntiationem acceptantis, ut constat ex c. *Admonet*; c. *quod in dubiis*; c. *nisi cùm pridem*; & c. *fin.* de Renuntiat. c. denique 6. q. 3. & c. 1. 17. q. 2. Et ideo seclusâ tali Superioris admissione, beneficium quamvis renuntiatum, nec quoad renuntiantem vacat juxta sententiam probabiliorem, ut docet gloss. in c. *Quod DEI timorem*, de statu Monachorum; asserens id tenere omnes ferè Doctores; quamvis Superior taliter renuntiantem, ob commissum delictum beneficio privare possit, ac illud alteri conferre Not. 2. Hanc quæstionem de beneficiorum resignatione, cujus valori necessarius sit consensus Superioris, resignationem acceptantis, non debere intelligi de renuntiatione beneficii, *nisi pacificè acquisiti, licet nondum possessi*, qualia non sunt beneficia *litigiosa*, vel *nondum acquisita*, esto sit jus ad illud. Nam in his non requiritur, ut in eorum renuntiatione interveniat authoritas Superioris c. 2. *De in integrum restitut.* c. *ad audientiam* 2. de rescript. c. *si electo*, de elect. in 6. Et ideo nominatus, præsentatus, vel electus ad aliquod beneficium potest sine Superioris authoritate tali nominationi, præsentationi, vel electioni de se factæ, purè renuntiare, his præmissis:

§. 1.

An resignatio sub conditione, coram Ordinario facta, contineat simoniam?

NOt. resignationem beneficii sub con- 503
ditione factam, *ut alteri detur*, à nullo Superiore admitti, vel acceptari posse, nisi à summo Pontifice, sivè beneficio imponatur pensio, sive non; quia nullus, Papâ inferior, conferre potest beneficia, nisi prius vacent, ut constat ex c. *Unic.* de rer. permutat. in 6. Ex quo sequitur, si fiat coram inferiore Prælato, renuntiationem talem esse irritam, ac nullam, defectu admissionis à Superiore legitimo, pertinentis ad valorem talis renuntiationis.

Hanc resignationem sub dicta conditione coram Ordinario factam, continere simoniam juris Ecclesiastici, præsertim post constit. 58. Pii. V. incip. *Quanta Ecclesiæ DEI*, docet Flamin. de resignat. l. 5. q. 6. & l. 14. q. 3. n. 12. Garcia p. 9. c. 3. §. 2. à n. 152. Nam in tali casu coram Ordinario fit pactio de beneficio alteri conferendo; omnis autem pactio in spiritualibus est prohibita propter vitandam simoniam c. *fin.* de Pactis. Verùm in dato casu non intervenit pactio rei temporalis pro spirituali consequendo; igitur talis renuntiatio simoniaca non est. Ant. prob. quia ex hoc, quòd beneficiatus coram Ordinario resignet beneficium sub conditione, ut alteri conferatur, Ordinarius non adstringitur illam admittere; imò, si constaret, quod renuntians, *scienter* fecerit talem resignationem, Ordinarius taliter resignantem posset beneficio privare in pœnam delicti, in renuntiatione commissi. Sic Lessius L. 2. de just. c. 35. d. 14. n. 86, & eo casu poterit alteri conferre tanquam *vacans ex privatione pœnali*. Et ideo illam renuntiationem esse simoniacam meritò negant Covarr. l. 1. Variar. c. 5. n. 5. Zerola in praxi Episcopali p. 1. *V. Renuntiatio*, §. 2. & 3. quos citat, & sequitur Castropal. cit. D. 3. p. 17. n. 5.

504 Dixi, *tanquam vacans ex privatione pœnali.* Nam si Ordinarius rejiciat conditionem, non poterit beneficium conditionatè renuntiatum conferre alteri, *tanquam vacans ex renuntiatione*, ut tenet Rebuff. de Resignat. Condit. n. 7. Less. l. 2. c. 35. n. 68. & alii. Nam renuntiatio conditionata, non admissâ conditione, nulla est, consequenter nullum effectum producit; adeoque sic beneficium renuntiatum non vacat; præsertim, cùm actus sub una conditione, vel modo factus indivisibiliter, non possit admitti quoad unam tantùm partem, sed debeat admitti, vel rejici, totus, juxta L. *Aurelius* 28. §. *idem quæsiit*, ff. de liberat. legata. Quod attinet cit. constitutionem. 58. Pius V. de qua supra, respondetur; in ea talem renuntiationem non prohiberi *ut simoniacam*; sed ibi solùm aufferri facultatem Ordinariis admittendi *quaslibet resignationes conditionatas*, imò & simplices, nisi illorum, qui senio, vel corporis vitio, aut alio titulo vel non possunt, vel etiam non debent Ecclesiæ, vel beneficio inservire.

505 Quæstio est, an, cùm quis titulo senii, vel simili causâ, propter quam non potest, aut debet amplius inservire suæ Ecclesiæ, resignat suum beneficium coram Ordinario, & vel illi supplicat, vel eâ intentione resignat, ut certæ personæ beneficium conferat, talis renuntiatio simoniam, saltem juris Ecclesiastici, contineat? R. probabiliorem esse negativam, licet facta sit ea intentione, spe, ac supplicatione, ut detur certæ personæ, *si non deducatur in pactum*, Sic Navarrus in summa, c. 23. n. 107. Azor. l. 7. c. 21. q. 31. & c. 27. q. 6. nam sine pactione consequendi spirituale, pro temporali, non est simonia; secùs intercedente pacto, saltem æquivalenter, ut dictum est supr. Verum quidem est, in cit. constit. 58. Pii V. prohiberi *quamlibet resignationem, & intentionem inter conferentem, & resignantem de dando beneficio certæ personæ*; etiamsi pactum non intercedat, si talis intentio manifestetur Ordinario, ut notat P. Suarez l. 4. c. 35. n. 17. non tamen prohiberi, *ut Simoniacam*, nisi deducta sit in tacitam, vel expressam conventionem dandi beneficium personæ designatæ, cùm in eam redundet commodum temporale. Sic Navarr. Flamin. & Garcia, cum & apud Castropalaum cit. n. 10.

§. 2.

An, & qualem simoniam contineat beneficiorum resignationes reciprocæ?

SUpponendum resignationes factas *in favorem certæ personæ* de jure Ordinariis, & Resignantibus esse omnino prohibitas, ut constat ex cit. constitut. 58. Pii V. & ex n. 502. Resignationes autem *reciprocæ* sunt, ac dicuntur, quando v. g. Titius resignat suum beneficium in favorem nepotis, vel consanguinei Caji v. g. & Cajus suum in favorem Titii. Hæ, & similes resignationes reciprocæ fieri non possunt coram Ordinariis; & sic factæ *tanquam simoniacæ* puniuntur; Sic Castropalaus cit. p. 17. n. 11. cum Lessio l. 2. de just. c. 25. D. 14. n. 87. Suarez lib. 4. c. 35. n. 18. &c. Ratio autem est ex c. *Tua nos.* De Simon. & c. *fin.* de Pact. ubi prohibetur, tanquam simoniaca, omnis pactio temporalium, pro spirituali consequendo, quæ de jure non inest beneficii renuntiationi; sed in beneficii resignatione de jure non inest ea reciprocationis pactio, quæ tamen continet temporale commodum saltem regulariter; ergo 506

Dices: *Permutationi* beneficii cum beneficio de jure inest pactio in favorem alterius, & tamen non prohibetur tanquam simoniaca; ergo cum etiam *renuntiationi* reciprocæ insit permutatio, etiam ei de jure inerit pactio in favorem alterius, consequenter non prohibetur tanquam simoniaca. R. N. conseq. quia *permutationi*, quæ contingit in renuntiatione *reciproca*, *inest etiam resignatio in favorem tertii*; hinc non est permutatio *pura*, sicut in antecedenti; sed *mixta*, nimirum, resignatione in favorem tertii, prohibitâ. Eodem modo prohibita est resignatio *triangularis*, quæ contingit, si Titius resignet suum beneficium in favorem Caji, & Cajus renuntiet suum in favorem Titii; sic enim primus obligat secundum; iste tertium, ut secundus resignet in favorem tertii, & tertius in favorem primi. Ratio est ead. 507

Præterea not. Probabilius non valere, imò simoniacam esse, renuntiationem factam coram Ordinario de beneficio cum reservatione pensionis ex beneficio resignato, eamq; Ordinarium non posse admittere *cum tali reservatione*; ita Suarez. cit. l. 4. c. 35. n. 21. Ratio primæ partis est, quia renuntia- 508

nuntiatio facta coram eo, qui admittere illam non potest, non valet; sed resignationem beneficii cum reservatione pensionis Ordinarius admittere non potest à n. 497. & dictum est lib. 3. tit. 12. Ratio secundæ partis, quia tali casu dans beneficium cum pacto pensionis, dat spirituale pro temporali, & constabit amplius ex n. 513. infra.

509 Nota 2. Simoniacam esse renuntiationem beneficii (seclusâ summi Pontificis auctoritate) cum reservatione pensionis, obligando Resignatarium, ut vel anticipatò solvat; vel Resignanti hypothecam, vel fidejussorem Laicum constituat; sic enim imponit ei, *ex vi resignationis*, onus pretio æstimabile, quod illi de jure non inest; & pro Spirituali acquirendo, temporale exigitur. Ita Lessius l. 2. de Just. c. 35. D. 15. n. 93. Suarez cit. n. 23.

510 Not. 3. Simoniacam esse renuntiationem beneficii, simul obligando Resignatarium, ut solvat expensas *factas in acquirendo beneficio*. Nam hoc onus pretio æstimabile de jure non inest resignationi beneficii, cùm ipsa secum non ferat eas expensas, utpote jam antè, cùm beneficium acquisitum est, factas; ita Less. cit. n. 94. Suarez cit. n. 26. Flaminius de Resignat. q. 7. n. 1. &c. *Excipe* tamen expensas factas *in ipsius beneficii, vel Ecclesiæ commodum*, ut si *nomine Ecclesiæ*, suis sumptibus, recuperavit ab hæreticis, vel laicis. Tunc enim suum, quod in Ecclesiæ commodum expendit, repetit, tanquam sibi debitum justitiæ titulo. Sic Azor. p. 2. l. 7. c. 27. q. 8.

511 Præter hæc not. renuntiationem beneficii, factam in favorem alterius cum clausula: *Non aliter, non aliàs*, id est, sub ea conditione, ut beneficium resignatum conferatur certæ personæ, sic, ut resignatio non censeatur facta, nisi tali personæ conferatur, non continere simoniam contra jus divinum; aliàs enim nec à Papa admitti posset, modò gratis fiat; ita Suarez l. 4. de Simon. c. 35. n. 2. nec esse contra jus Ecclesiasticum docet Pirhing. de Renunt. n. 89. modò non præcedat pactum cum Episcopo, quo hic promittat, se beneficium illi collaturum, in cujus favorem hæc resignatio conditionalis fit; an autem admitti possit ab Ordinario? colligi potest ex n. 502.

§. 3.

Quæ resignatio confidentialis sit Simoniaca?

PRo resolut. not. 1. ex dictis à n. 348. 512
resignationem confidentiæ contingere, si quis resignat beneficium conferenti, procuranti, eligenti, vel præsentanti, ex pacto cum eo, ut illud ipsum deinde resignet conferenti, procuranti &c. vel alteri (puta ejus nepoti, fratri &c.) cum fructibus, vel eorum portione. Not. 2. circa ejusmodi resignationes communiter assignari triplicem modum, quo contingunt ejusmodi resignationes confidentiæ; nimirum si quis resignet cum pacto accessûs, vel regressûs, aut ingressûs in beneficium. Per *accessum* fit resignatio, cùm quis cedit alteri beneficium sibi datum à collatore, præsentatore &c. eo pacto, ut illud ipsum alteri v. g. Collatoris nepoti (quia hìc & nunc propter canonicum impedimentum (ætatem v. g. non sufficientem) ejus capax non est) cessante impedimento cedat; & is propriâ authoritate possit illud accipere. Renuntiatio *per regressum* fit, cùm quis alteri cedit beneficium eo pacto, ut cessionario præmortuo, vel beneficium deserente, ipsi cedenti ad illud reverti detur, recuperato jure pristino. *Per ingressum*, cùm quis alteri cedit beneficium sibi collatum, sed nondum possessum, eo pacto, ut cessionario præmortuo, vel ulterius promoto, ipse cedens possessionem capere possit.

Not. 3. Circa ejusmodi resignationes 513
extare constitutionem Pii IV. 109. ordine, in Bullario, datam. 17. Calend. Novembris 1564. incip. *Romanum*. ac aliam Pii V. datam Calend. Junii 1569. in ordine 87. & incipiente *Intolerabilis*. In his autem constitutionibus prohibitæ sunt, *intuitu simoniacæ pravitatis*, omnes beneficiorum Ecclesiasticorum resignationes *cum accessu, regressu, vel ingressu* ad beneficium, ac quælibet aliæ resignationes beneficiorum dictorum cum reservatione pensionis, vel fructus, factæ alteri, vel aliis.

Ut hæ constitutiones debitè intelli- 514
gantur Not. 1. quòd loquantur *de sotis beneficiis Ecclesiasticis*. Quare hæc simonia, licet procedat in illis cujuscunque ordinis sint, sive simplicia, sive curata, majora, vel minora, secularia, vel regularia, ut not. Laym. l. 4. n. 10. c. ult. §. 8. n. 74. &

alii, locum tamen non habet *in pensionibus*, & aliis actibus spiritualibus, licet illicita quædam fiducia, seu pactum interveniat. Not. 2. renuntiationem confidentiæ, dictis constitutionibus prohibitam, tanquam simoniacâ pravitate infectam, committi *in renuntiationibus*, & quibuscunque aliis provisionibus beneficiorum, si fiant cum expresso, vel tacito pacto inincludente dictam confidentiam; secus *in permutationibus*, esto ejusmodi confidentiam includant. Quia Bullæ loquuntur de *renuntiatione* includente illam; non de permutatione simpliciter: Unde illa permutatio continebit simoniam solùm *communem*; non *confidentialem*; Pirhing hic n. 113.

515 Not. 3. Ut hæc confidentialis simonia in renuntiationibus committatur, non satis esse, dari, vel promitti *aliquid temporale utcunq;*, sed requiri hic, ut datum, vel promissum sit, vel *ipsa rursum cessio beneficii* renuntiati, vel collati; vel *fructus ejus*, aut omnes, aut pars eorum. V. Laym. cit. n. 75. Not. 4. sub hac prohibitione probabilius non venire *permutationem* beneficii cum beneficio; quia dictæ constitutiones (quæ pœnales sunt) loquuntur solùm de beneficiis *acceptis* ex *resignatione*, aut cessione; *permutatio* autem non propriè dicitur *resignatio*, vel cessio. Unde, licet in dato casu permutantes beneficia (si paciscerentur de dissolvenda *permutatione*, & regressu ad propria beneficia, vel resignando alteri, vel solvendis fructibus alii, vel aliis,) committerent simoniam communem; non tamen Simoniam confidentiæ; quia pactum hoc non interveniret *in renuntiatione*; ita Suarez cit. l. 4. c. 43. n. 11.

516 Dices: Ergo nec *collatores beneficiorum* committent simoniam *confidentiæ*, licet beneficia conferant sub ejusmodi confidentiis, & pactis etiam ex causa permutationis. R. N. illatum. Nam Pius V. *quoad collatores* sub ejusmodi confidentia ex pacto, magis *universaliter* loquitur, quàm *quoade Rnuntiantes*, & *Renuntiatarios*: Verba enim ejus sunt: Si *Ordinarius, aut Collator contulerit ante hac, aut conferat in futurum beneficium Ecclesiasticum quovis modo vacans*; at beneficium *vacat* etiam ex causa *permutationis*, sic, ut Renuntians non possit redire ad idem beneficium renuntiatum, sine nova collatione, esto renuntiatio non haberet effectum; ita Castropalaus cit. p. 18. n. 2. & apud eum Garcia de benefic. p. 11. c. 4. à n. 1.

Quæstio tamen est 1. an resignatio be- 517
neficii, facta *cum intentione*, ut Resignatarius iterum beneficium resignet (v.g. nepotiResignantis) cadat sub prohibitionem Constitutionum Pii IV. & V. de quibus n. 513. etiamsi non intercedat pactum, sed sola intentio resignantis manifestetur Resignatario? R. probabilius affirmari. Sic Garcia p. 11. de benefic. c. 3. à n. 184. Flamin. de Confident. q. 26. à n. 39. Suarez. tom. 5. d. 22. l. 11. de Censur. s. 6. n. 15. Ratio est ex verbis Pii V. ibi: Si quis, quacunque authoritate, Ecclesiam, vel Monasterium, aut aliud beneficium Ecclesiasticum qualecunque *ex resignatione*, vel *cessione* cujuscunque personæ *simpliciter*, aut *cum circuitu* retrocessionis, cum regressu, vel accessu, etiam *solâ dimittentis intentione* receperit &c. *hæc confidentia censeatur*; & subditur, *in quovis horum casuum, confidentiæ pravitas sit contracta, licet ipsum confidentiæ crimen alterius tantùm* partis conscientiâ *sit admissum*; ergo intentio Resignantis, licet ex parte Resignatarii non sit acceptata, sufficit ad incurrendam simoniam confidentiæ.

Dices cum Lessio l. 2. de Just. c. 35. à 518
n. 95. Suarez tom. 1. deRelig. l. 4. c. 43. n. 12. Azor. p. 2. l. 7. c. 27. q. 6. Navarro c. 23. n. 100. (qui negant in dicto casu prohibitionem cadere supra talem resignationem) Simonia conventionalis (consequenter nec Simonia confidentiæ dictis constitutionibus prohibita) non committitur, ubi nec expressa, nec tacita conventio, seu pactio intercedit; at hoc in dato casu non contingit; verba autem Pii V. intelligenda veniunt solum de præsumptione, vi cujus, si probetur in foro externo, Resignantem habuisse talem intentionem obligandi Resignatarium, etiam hic in eodem foro præsumendum, tanquam reum Simoniæ confidentialis. R. dictam negantium opinionem, ut rectè observat Castropalaus cit. p. 18. n. 3. §. *In hac*, omninò esse probabilem; probabilius tamen negari majorem, de *Simonia confidentiæ*; quæ est *juris* tantum *Ecclesiastici*; cùm contrarium expresse constet ex Verbis Pii V. etsi omnino requiratur ad Simoniam juris *naturalis*, & *divini*, juxta dicta. Illa Porrò expositio dictorum verborum, quòd solùm intelligi debeant

debeant *de crimine Resignatarii*, quando in foro externo probaretur, Resignantem cessisse beneficium, *animo illum obligandi*, videtur non consonare verbis. Nam ibi non agitur de tali probatione, sed solùm de *crimine* Simoniæ, & dicitur *in quovis eorum casuum Simoniæ pravitatem*, si contingat talis casus, *esse contractam*; & omnes hujusmodi casus in supradictis literis, *esse comprehensos*, ac si speciatim expressi essent, *licet crimen confidentiæ unius tantum conscientiâ* sit admissum; sed iste casus est unus ex illis; ergo in supra dictis literis prohibitivis est comprehensus.

519 Quæstio est 2. an committat Simoniam confidentiæ, resignans alteri beneficium, *ut sibi exinde pensio solvatur?* R. probabilius affirmari cum Suarez l. 4. c. 43. n. 7. Garcia cit. c. 3. n. 194. Ratio est primò; nam resignatio beneficii, ut Resignatarius, seu provisus, fructus illius, vel partem eorum relinquat in utilitatem, vel libitum conferentis, vel resignantis, aut alterius, continet simoniam confidentiæ; *pensio* autem est *pars fructuum*. 2. Quia in Bulla Pii IV. damnatur tanquam confidentialiter simoniaca, resignatio cum onere solvendi pensionem, vel fructus resignandi. 3. Quia si beneficium cedatur Titio, ut recipiens *alii*, *vel aliis* solvat fructus, vel partem eorum, committitur simonia confidentiæ; sed Resignans est *alius* à recipiente; ergo si is Resignanti debet solvere fructus, vel partem eorum, committitur simonia confidentiæ.

520 Dices: Pius V. confirmans constitutionem Pii IV. & loquens de resignatione beneficii, dicit ad incurrendam in hoc casu simoniam confidentiæ sufficere, si resignans *sibi*, *vel alteri reservet jus recuperandi beneficium*, loquens autem de resignatione beneficii, dicit incurri simoniam confidentiæ, *si alii*, *vel aliis* ex eod. fructus, vel pars eorum solvatur; ergo non committitur hæc simonia confidentiæ, si fructus, vel pars eorum solvantur ipsi *resignanti*. Nam aliter loquitur in 2. casu pensionis, ac in primo, ubi reservatio fit *Resignanti*; ergo sub ly *alii*, *vel aliis* non venit ipse *Resignans*. Sic Navarrus, Ugolinus, Menoch. & alii apud Castropal. cit. p. 18. n. 5. R. illam locutionem, quam contrarii volunt, esse quandam mutationem *quoad eos*, quibus fit reservatio, non probare intentum, mutatio enim est in hoc, quòd in primo loquatur de casu, quo jus *recuperandi beneficium*, in 2. *jus fructuum reservatur resignanti, vel alii, aut aliis*, ut clarè patet ex ipso textu. Quare dato anteced. N. conseq.

§. 4.

An, & qualem simoniam contineat resignatio beneficii litigiosi, cum onere solvendi certam pecuniam collitiganti?

CAsus esse potest, si pro componenda 521
lite, quæ circa beneficium versatur, v. g. inter Titium, & Cajum, Titius jus suum, quod habet, aut habere se credit, cedit Cajo, eo pacto, ut Cajus Titio solvat aliquam pensionem ex beneficio cesso. In hac quæstione committi simoniam, communis tenet, *si fiat propriâ litigantium authoritate* ex c. *Præterea* 9. de Transl. ubi expresse habetur, quòd, *sicut transactio super jure præsentandi; ita super annexo, ut recedatur à lite, interveniente aliquâ temporalitate, simoniaca sit, & de jure non teneat.* Item c. *Præterea.* 10. eod. quòd *transactio super spirituali subjectione, invicem ejus alteri, constituto censu annuo, iniquitatem simoniacam continere putetur.* c. *Cùm pridem*, de Pactis, ibi: *Non valet pactum, quod beneficium Ecclesiasticum debeat pecuniâ resignari.* Idem habetur c. 2. de Arbitris; c. *fin.* de rerum permut. Dixi *si fiat propriâ litigantium authoritate.* Nam secùs est si fiat authoritate legitimi Superioris, ex c. 2. de Transact. Quis autem in hoc casu censeatur *legitimus* Superior, ex dictis resolvi potest. Nam permutatio beneficiorum ab Episcopo approbari non potest, nisi beneficia illa *pacifice* possideantur, quod non contingit, ubi sunt litigiosa; excipe (juxta probabilem sententiam, quam tenet Castropalaus cit. d. 3. de Simonia p. 19. n. 3.) illum casum, quo Episcopus uni collitigantium applicaret beneficium sub onere solvendi pensionem alteri collitiganti. Talem enim compositionem litis fieri posse ab Episcopo, constat ex c. *nisi*, 21. de præbend.

Dices 1. supra resolutum est, tanquam 522
probabilius, non posse Episcopum pensionem in beneficio imponere. R. Id verum esse, nisi id fiat *ex causa litis, & concordiæ*, ex cit. c. *Nisi*, ubi dicitur: Si duo electi ad aliquam dignitatem compromittant in Judices, poterit Judex alterum confirmare,

& alteri pro bono pacis de proventibus provisionem facere. Verba canonis sunt: Quia igitur hæc ordinatio (de qua diximus) ab omnibus est recepta, possuntque licite Prior & Capitulum de proventibus suis propter causas prædictas *non* quidem *ex pactione partium*, *sed ex jussione Judicum* provisionem hujusmodi inhibere: Nos eam hoc adhibito moderamine toleramus, ut ad præstationem quadraginta librarum non dignitas Prioratus, sed persona Prioris maneat ordinata, ne fortè circa proventus aliqua videatur facta sectio Prioratus, ita quod ipso Priore defuncto, successor ipsius ad præstationem quadraginta librarum minimè teneatur.

523 Probabilius autem est *pensionem illam esse onus reale, & transire ad successores, & durare pro vita pensionarii*, ex c. *de Cætero*, de Transact. ubi dicitur pensionem impositam per juridicam transactionem sinè authoritate Episcopi, non excedere vitam solventis, ergo secùs est, quando imposita Episcopi authoritate. Et hoc supponi videtur in c. *Audivimus.* De Collusion. ubi pensio beneficiis imposita irrita decernitur, & possidentes eâdem spoliantur *pro fraude commissa in admittenda pensione*; at ubi fit authoritate Episcopi causâ litis, & concordiæ, non est fraus; ergo.

524 Dices 2. in c. *Nisi* de præbend. Pontifex non vult tolerare, ut pensio imposita *ex causa pacis, & concordiæ*, transeat ad successores, ne forte circa proventus videatur facta aliqua sectio Prioratus; & in c. *Veniens* de Transact. dicitur, *transactio facta de Rebus Ecclesiæ sine Pontificis consensu, non obligare successorem.* Sic Azor p. 1. l. 8. c. 6. q. 1. Garcia de benefic. p. 1. c. 4. n. 334. R. ad primum, ex c. *Nisi*, dictam pensionem ibi non fuisse impositam *authoritate Episcopi*, sed arbitrariâ potestate Judicum aliorum, quibus non erat facultas imponendi pensionem beneficio transitoriam ad successores, ut constat ex textu paulò antè relato. Ad 2. ex c. *Veniens* R. ibi non agi de pensione imposita beneficio *propter illius cessionem*; sed de Transactione super obligatione decimandi, & perpetuò duraturâ remissione, quæ sine consensu Papæ fieri non potest.

525 Ex dictis coll. Si inter collitigantes super beneficio, aliqua conventio præcessit de cedendo beneficio, & vicissim reddendâ temporali pensione alteri, non posse hanc pensionem imponi beneficiario à Prælato inferiore Papâ, sic enim ortum duceret ex conventione partium, dandi *spirituale* pro *temporali*, contra c. *cùm pridem*, de Pactis. Ita Zerola in Praxi Episc. p. 1. V. *Simonia.* Hoc tamen limita, ut non procedat, si conventio illa præcedens, fiat in *ordine ad consensum, & providentiam Episcopi, & de pensione Spirituali*; ita Suarez. l. 4. de Simon. c. 51. à n. 20. Si autem quæras, an arbitri, à litigantibus constituti, possint litem decidere, uni adjudicando beneficium impositâ beneficario pensione? R. negativè, loquendo de illorum facto absque consensu Ordinarii; hæc enim potestas, solùm penes illum est in ejusmodi casu, ut dictum est: Onus tamen aliquod temporale possent imponere, juxta c. 2. de Arbitris, ubi dicitur, *si arbitrum videris æquitate subnixum, ad observantiam illius utramq; partem compellas.*

§. 5.

An citra Simoniam pecuniâ redimi possit vexatio in beneficio?

SEnsus est, an citra Simoniam dari pos- 526
sit pecunia, vel aliud temporale alicui, ut desistat, vel intermittat alterum injustè vexare, vel traducere, aut impedire in beneficio? Quid in sacramentis, quoad ejusmodi tollendam vexationem, fieri possit, jam supra diximus à n. 405. * Prima nunc quæstio est, an id liceat in materia beneficiorum, quando *jus jam acquisitum* est in beneficio. R. Si quis injustè alterum vexaturus esset in jure beneficii jam acquisito, licitè pecuniâ redimi talem vexationem, seu, quod idem est, ut desistat, vel à cœpta, vel non incipiat ejusmodi injuriam. Sic enim non daretur pecunia pro acquirendo jure Spirituali, sed solùm pro injuria vel non inferenda, vel revocanda. Colligitur ex c. *dilectus*, 1. de Simonia, & cum communi tenet. Suarez. l. 4. de Simonia c. 5. & concordat c. *Quæsitum.* 1. q. 3. Et quamvis in c. *Matthæus*, 23. de Simonia, dicatur, Simoniacus electus à majori parte Electorum, *si dederit pecuniam alteri, nomine aliorum contradicenti*, ut à contradictione cesset: Id tamen *non erat ad redimendam vexam in jure jam quæsito, ex electione*; *sed acquirendo ex electionis confirmatione*, ut vult Suarez. cit. vel certè, quod dederit pecuniam impugnaturo electionem,

nem, vel titulo contemptus, vel alio. Cujus ratio est, quia *litem justè intentatam* contra jus in, vel erga beneficium, non licet removere datâ pecuniâ; sic enim ageretur de jure Spirituali *acquirendo*, vel *firmando* per temporale; sic Glossa in c. *Cùm pridem*, de pactis; & Abbas ibid. n. 9. sic enim finis esset per temporale jus spirituale acquirere; vel jam acquisitum, sed nec dum firmum, firmare, ac conservare; nam litis intentatio *si justa est*, pretio removeri non potest, nisi consideratione juris Spiritualis, quod simoniacum est.

527 Quæstio est 2. an liceat dare pecuniam uni competitorum pro beneficio, ut desistat à prætensione justa? R. quòd non. Ratio est ex cit. c. *Matthæus*. ubi præsens casus habetur. Nam cùm Matthæus Cardinalis secretâ Pontifici insinuatione monstravit, quòd, cùm fuisset ad Ecclesiæ regimen de voluntate majoris partis fratrum electus, paucis contradicentibus: quidam amicus electi de conscientia illius, & voluntate turbatâ, ei, qui Magister discordiæ videbatur, certæ quantitatis munus exsolvit, & sic contradictio conquievit: Nunc autem, quia dubitabat electus; quòd non sit à labe Simoniæ prorsus immunis, donec in administratione voluerit remanere. Respondet illi Pontifex (*quia igitur consilium requisisti, quid tibi sit faciendum?*) Quòd multum sibi consulat, si administrationem celeriter, ac sponte dimittat, illius verbi memor existens: *Nihil prodest homini, si universum mundum lucretur! Animæ verò suæ detrimentum patiatur.* Et ita tenet D. Thomas 2. 2. q. 100. a. 2. Barbosa. p. 3. de Potestate Episc. allegat. 60. n. 52. Nam illius pecuniæ datio tenderet ad *acquirendum*, vel *stabiliendum*, nec dum stabile, jus spirituale in beneficio, per alterius renuntiationem.

528 Quæstio est 3. an Clericus, qui certam, ac indubitatam institutionem obtinuit in beneficio, licitè det pecuniam ei, à quo aliàs in acquirenda possessione talis beneficii impediretur, & sic vexationem possit impedire? Negant plures apud Suarez cit. l. 4. c. 50. n. 31. Sed rectius affirmatur; Quia quamvis possessio beneficii, post legitimè, ac indubitatè jus acquisitum, sit quidem illi Spirituali annexa; datio tamen pecuniæ tendit solùm ad removendum impedimentum, & factum alterius obnitens certo illius juri, jam acquisito, quod est quid merè temporale; nec tendit ad jus illud acquirendum, vel firmandum; sic Lessius, l. 2. de Just. c. 35. d. 18. n. 100.

Quæstio est 4. an, si post titulum ple- 529
nè acquisitum negarentur decimæ, citra Simoniam dari possit pecunia pro illis recuperandis? R. decimas sumptas, *secundum se* esse quid merè temporale; & sic licitè in dato casu recuperari pecuniâ; non autem *titulum*, ratione cujus sunt spirituales. Nam in 1. pecunia sic daretur pro temporali; in secundo, pro spirituali. *Titulus* enim est officium spirituale, propter quod beneficiato debetur jus decimarum, in debitam Ecclesiæ Ministris sustentationem.

Quæstio est 5. an, cùm agitur de be- 530
neficio acquirendo, citra Simoniam dari possit pecunia iis, qui beneficium conferre debent (v. g. præsentando, instituendo, eligendo &c.) ne *injustè* te impediant in ejus consecutione? Communis negat, ut videri potest apud Castropalaum p. 20. n. 4. sed probabilius affirmatur, si per illam pecuniam non intendatur aliud, *quàm iniquum eorum factum removere.* Et idem à fortiori dicendum venit, si pecuniâ redimatur iniqua vexatio eorum, qui ad electionem, præsentationem, vel collationem beneficii non concurrunt. Nam hâc redemptione solum removentur impedimenta iniquè opposita; quod quisque jure naturali potest; cùm quilibet habeat jus quæsitum ne sibi fiat injuria. Sic Castropalaus cit. à n. 4.

ARTICULUS IX.

De pœnis in Simoniacos statutis.

NOt. sermonem esse posse de pœnis, vel à jure statutis, vel Judicis arbitrio infligendis; quo casu, certa de his postremis regula statui non potest; cùm tales esse debeant, quæ pro criminis gravitate, ac qualitate infligi debeant. Quædam tamen, per Judicem imponendæ, ipso jure decretæ sunt. Nam 1. in c. *de hoc*, de Simon. & in c. *cùm super* de confess. Simoniacus in beneficio, deponi debet ex officio, & beneficio, crimine in judicio ritè probato. Deinde quilibet Simoniacus ab Ecclesia DEI debet eliminari atque repelli c. *sicut*, de Simon; & c. *Erga Simoniacos* 10. q. 1. his præmissis:

§. 1.

§. 1.

An pro qualibet Simonia veniat Reo imponenda pœna depositionis?

531 REsp. negativè. Nam si delictum sit secretum, & occultum, Judex, etsi sciat crimen esse admissum, non debet Reum deponere, sed secretam pœnitentiam injungere, per c. *Ex tuæ*, 20. de Simonia, ibi: *Unde tibi sic duximus respondendum, ut si hoc non est publicum, sed secretum, eundem sacerdotem* (qui scilicet confessus fuerat, se præsentatori suo ad Ordines aliquid dedisse ex pacto) *secretò convenias, & invitum non deponas, sed secretam pœnitentiam injungas.* Si autem *propter accusationem* de tali crimine infamis sit, pendente accusatione à ministerio Altaris aceri debet. c. *Accusatum.* 4. & c. *Quoties.* 5. De Simon. ubi primum loquitur de infamia *ex accusatione*; alterum *ex inquisitione.* Porro *pœnam infamiæ* imponi posse, pro quacunque gravi Simonia, docet Gloss. in c. *Ex diligenti.* 17. de Simonia V. *Infamia*; & alii. Videtur tamen intelligendum duntaxat in casu, quo *per viam accusationis* proceditur; quia quamvis c. *Fin.* 1. q. 3. de Simoniacis dicatur, *notâ infamiæ percellantur*, & c. sanè, 15. q. 3. *perpetuò quoque infamiæ damnari decernimus*, expresse tamen hoc loquitur *de accusatione.*

§. 2.

An, & quæ pœnæ ipso jure impositæ sint Simoniacis?

532 REsp. nullam pœnam juris *ipso facto* incurri propter Simoniam *realem*, seu utrinque completam, illâ exceptâ, quæ committitur in *Ordine*, in *beneficiis*, ac ex *ingressu Religionis*; quia canones pœnales, in hac materia, decernentes pœnam ejusmodi simoniacis, extra illas materias, non utuntur his verbis: *Ipso facto, vel ipso jure.* De illis autem tribus constabit ex dicendis. Si dicas: In Extravag. 2. *cùm detestabile*, de Simonia, inter communes, dicitur: *Et contra quemlibet tam manifestam, quàm occultum, quos ipso facto eas incurrere volumus &c.* Ex quo aliqui volunt, quòd omnes juris pœnæ, quæ olim erant sententiæ ferendæ, nunc ipso facto incurrantur. Verum illa verba non continent aliud, quàm pœnarum, *contra simoniacos publicos* latarum, extensionem etiam *ad occultos*, sic, ut si quæ latæ fuerant contra illos, qui eas ipso facto incurrebant, easdem & hi ipso facto incurraut. Sic Castropalaus cit. p. 21. n. 3. & alii. Similiter limitatur pœna ipso jure decreta in cit. Extravag. §. *Statuentes præterea.* Nam hæc constitutio solùm loquitur de Simonia commissa in *Ordine*, & *beneficio*, ut pluribus ostendit Pirhing. h. t. n. 154.

Quæstio est, an pœnæ juris, decretæ 533
in Simoniacos, comprehendant etiam Simoniam, *so um jure Ecclesiastico prohibitam?* Ratio affirmandi est 1. quia jure Ecclesiastico simpliciter prohibentur pactiones onerosæ sine Superioris authoritate in spiritualibus, ut constat ex c. *quæsitum* 5. & c. *cùm olim* 7. de Rerum permut. Secundò, quia pœna depositionis infligitur ei, qui, pro obtinendo suffragio in electione ad Episcopatum, promisit beneficium; ut constat ex c. *de homine* 11. de Simon. & tamen hæc promissio continet Simoniam solo jure Ecclesiastico prohibitam. Tertiò quia in Extravag. supr. cit. sermo est de Simonia non tantùm juris divini, sed etiam Ecclesiastici, ibi: Cùm detestabile scelus Simoniæ, tam divinorum, quàm *sacrorum Canonum* authoritas damnet, quo posito confirmantur ibidem omnes pœnæ, prius à summis Pontificibus quomodolibet latæ in simoniacos. Certum autem est, ab illis latas esse pœnas in Simoniam etiam juris tantum Ecclesiastici, ut constat ex dictis. Nec obstat, quod Simonia juris Ecclesiastici, secundum aliquos, non sit propriè Simonia, pœnæ autem comprehendant actus solum proprie tales. Nam hoc verum est, quoties lex pœnalis non damnat actum *minus propriè talem*, iisdem verbis, quibus damnat actum *proprie talem.* Secundò, quando finis pœnæ non est curare utrumque, imò alterum, propter suam frequentiam, magis; Canones autem de utraque Simonia iisdem verbis loquuntur, ut constat; & Simonia juris Ecclesiastici præsertim in beneficiis valde frequens est.

Nihilominus responsio data limitanda 534
est, ut non procedat, quoties ex verbis ipsius legis colligitur, nomine *Simoniæ*, quam ejusmodi lex *punit* non venire Simoniam juris tantùm Ecclesiastici. Sic lex puniens Simoniam *in beneficiis*, non extenditur ad Simoniam in *pensionibus. Pensiones* enim non veniunt nomine *beneficii*, propriè

propriè dicti. In hoc tamen puncto, sicut etiam in aliis circa Simoniam juris tantum humani, universim id apponendum duxi, quod circa literas dimissorias monet Gobat. in Theol. experiment. tr. 8. n. 590. non esse in Germania receptam sanctionem Trid. Sess. 21. de Reform. c. 1. ferientem anathemate, tam dantes, quam accipientes aliquid *pro dimissoriis*, vel *sigillo &c.* ubi ait: *Si alicubi mos iste invaluit, ut exigatur etiam aureus, in conscientia excusatos esse imprimis dantes*, quia communiter nequeunt aliter impetrare; deinde etiam ipsos *accipientes*, si, *ut fieri potest, & solet, nitantur vero jure*, hoc est, *si legitimâ consuetudine inductum, vel authoritate, constitutum sit, aut justitiâ naturali exigente fiat*, scilicet pro sustentatione; ut si accipienti aliunde non responderet sufficiens stipendium pro sustentatione decente.

§. 3.

An pœna ipso jure Simoniacis decretæ requirant Simoniam completam?

535 ANte resolut. not. Simoniam purè mentalem non puniri ab Ecclesia. Nam *omnino occulta divino judicio reservantur*; Simoniæ autem conventionali ex neutra parte completæ jure positivo nulla pœna decreta est, incurrenda ipso facto. Canones enim pœnales loquuntur *de dantibus, & accipientibus.* Suarez. lib. 4. c. 55. n. 10. & habetur in c. *Ex omnibus ferè capitibus.* 1. q. 1. Idem etiam est, si solum sit completa ex parte *dantis pretium*; imò etiamsi solùm sit completa ex parte dantis spiritualia, ut notat Pirhing à n. 153. quia in materia pœnali, termini strictè accipiendi sunt, pro venditione, completâ *opere ementis*, & *vendentis.*

536 Aliqui tamen censent, sufficere, quòd conventio simoniaca completa sit ex *parte dantis spiritualia* v. g. *beneficium sub sola promissione solvendi*, esto nec dum soluti pretii; sic Garcia de benefic. p. 8. c. 1. n. 28. Cajetanus, Soto, Valentia, & alii: Quos cit. & sequitur Castropalaus p. 22. n. 5. licet contrarium sentiant ibid. n. 4. Zerola in praxi Episc. p. 1. V. *Simonia* §. 9. Covar. in regul. *Peccatum.* p. 2. §. 8. n. 7. & alii. Quo posito. 1. probabilius videri, ad pœnas requiri, Simoniam conventionalem esse opere completam ex parte recipientis spirituale, & dantis temporale, modò aliquid de hoc persolutum sit. Nam sic *in re* jam intervenit appretiatio rei spiritualis cum temporali, in quo formaliter consistit vitium Simoniæ. ita Suarez l. 4. de Simonia c. 56. n. 17. dicens, *id omnes Doctores affirmare.* Licet autem negari non possit esse quoque probabile, quòd ad pœnas sufficiat pactum simoniacum completum esse *ex parte dantis beneficium sub promissione*, non dum soluti. *sed solvendi pretii*; cujus ratio est n. 535. videri tamen probabilius, non sufficere; ratio sumitur ex jure satis aperto. Nam pœnalis irritatio actûs decreta est omnibus, quæ vel in sacris Ordinibus, vel in Ecclesiasticis rebus, datâ, vel promissâ pecuniâ acquisita sunt, c. *ea, qua*, 1. q. 3. ubi Gregorius VII. aperte decernit, *quidquid taliter acquisitum est, irritum esse, & nullas unquam vires habere.* Ad rationes autem contra sententiam, quam dicimus probabilem, respondetur juxta dicta in n. 535. nimirum, intervenire quidem appretiationem aliquam, sed non strictè sumptam, quam exigit dispositio pœnalis, & odiosa.

§. 4.

De pœnis Simoniæ commissæ in egressu & receptione ad Religionem.

537 DE his potissimum agitur in Extravag. 1. de Simonia, inter communes, ubi Urbanus IV. statuit in omnes omnino etiam exemptas personas regulares (*quæ* tam à maribus, quàm fœminis, volentibus ingredi eorum Religionem, in earundem personarum receptione, aut ante, vel post illam, *directe*; vel *indirecte* aliquid petere, vel exigere quoquo modo præsumunt) sequentes pœnas. 1. Excomunicationem ipso jure adversus singulares personas, tam dantes, quàm exigentes, eamque reservatam Papæ. Si autem sit tota communitas (nempe Capitulum, vel Conventus) & in hanc Simoniam consenserit, statuit suspensionem ab officio Capitulari quoad administrationem, & jurisdictionem Ecclesiasticam; 2. statuit in simoniacè admissos, ut teneantur de Monasterio, in quod sic recepti sunt, exire, & in alio arctiori remanere, nisi dispensentur ab Episcopo. Plura de his dicta sunt à n. 431.

538 Circa dictas pœnas not. 1. eas non procedere in casu, quo ingrediens Religionem aliquam, *sponte, vel in sui sustentationem*

tationem dat aliquid monasterio, ut expresse dicitur in Extravag. cit. 2. si Monasterium sit inops, & egenum, adeo, ut alias non sufficiat ad alendos inibi Religiosos, ut diximus à n. 435. 3. Si quid exigatur, & detur pro victu, & vestitu Novitii, dum est in probatione per n. 437. Not. 2. Pœnam, *quòd simoniacè admissus ad Religionem debeat in alio strictiori Monasterio vivere*, intelligi, postquam de Simonia *convictus*, & *condemnatus* est, nisi dispenset Episcopus. Nam non extat textus, illum clare prius condemnans ad eam pœnam ita Lessius l. 2. de Just. c. 35. d. 23. Suarez cit. c. 57. n. 8.

539 Not. 3. Jus ad sustentationem in Monasterio acquisitum ex professione facta simoniacè (hoc enim eam non invalidat ex n. 423.) *non esse propriè*, sed lato solùm modo *beneficium Ecclesiasticum*. Hinc licet collatio beneficii facta Simoniaco, nulla sit ipso jure, etiam quoad jus cæteroquin ex collatione nascens; non tamen recte infertur idem de jure nato ex professione simoniacè facta, quia jus ex collatione beneficii, est *propriè beneficium*; ex quo in pœnalibus non rectè fit extensio ad *beneficium impropriè*, & solùm latè.

540 Not. 4. Sub illis pœnis non venire Religiosum exigentem à Monasterio aliquid pro suo ingressu; ita Suarez cit. l. 4. c. 56. n. 7. quia licet committat Simoniam; non tamen talem, de *qua* loquitur illa Extravagans Urbani IV: Not. 5. Simoniam, de qua in Extravg. cit. commissam in ingressu, & receptione ad Religionem, probabiliter non cadere, nisi in ingressum *consummatum*, *professione factâ*. Nam lex pœnalis (nisi exprimat, quòd intendat punire actum etiam *inchoatum*) intelligitur, de actu *consummato*; ut diximus l. 1. tit. 2. de Leg. pœnal. V. dicta supr. n. 435. quibus accedit Castropalaus cit. p. 23. n. 3. censens pariter illam Extravag. (saltem quoad excommunicationem) non esse usu receptam.

§. 5.

De pœnis contra Simoniacè Ordinatos, & Ordinantes.

541 DE Simonia quæ committitur in collatione & receptione Ordinum, egimus superius à n. 468. Quæstio nunc est primò, quæ pœnæ constitutæ sint contra Simoniacè Ordinatos? R. primam esse *excommunicationem latæ sententiæ*, *reservatam Papæ*, ut habetur in Extravag. 2. §. *Nos enim*, h. t. inter commun. Notand. autem 1. hanc pœnam probabilius procedere solum de Simonia *reali*, ac utrinque completa, juxta n. 535. Not. 2. Huic pœnæ locum esse contra Simoniacè Ordinantem etiam duntaxat in minoribus; nam talis verè ordinat. Not. 3. Hanc pœnam juxta Pirhing hic n. 150. extendi etiam ad Simoniacè conferentes *primam tonsuram*; sed hoc rectius negat Lessius l. 2. de Just. c. 35. dub. 23. quia non est verus Ordo; & aliunde odia, & pœnæ restringendæ sunt.

Not. 4. Eandem pœnam, juxta Layman. cit. apud Pirhing supr. extendi ad Notarios, & Ministros, qui pro testimonialibus, vel reverendis, seu dimissoriis, aut etiam formatis aliquid exigunt; Sed rectius negatur. Nam licet hi omnes peccent, & Simoniaci sint juxta Trid. sess. 21. de Refor. c. 1. seclusâ legitimâ consuetudine, de qua n. 534. non tamen incidunt in hanc excommunicationem, neque in aliam pœnam ipso facto; quia illa verba Tridentini, *dantes & accipientes* (ultra divinam ultionem) *pœnas à jure inflictas ipso facto incurrant*, referri debent ad eos solùm, qui Ordines Simoniacè *dant*, & *accipiunt*; aut eorum *Mediatores*, ut sunt Patroni, qui ad eos præsentant, amici, Procuratores, & omnes qui operam suam interponunt, ut Ordo Simoniacè conferatur, & accipiatur, ut habetur in cit. Extravag. 2. §. *Statuentes*; ita Lessius cit. d. 24. n. 133. Suarez. cit. l. 4. c. 56. n. 5. In eod. §. dictæ pœnæ extenduntur non tantùm ad *manifestos*, sed etiam *occultos* Ordinum collatores, & receptores Simoniacos; non tamen ad Episcopum, si post Ordinem, *gratis* collatum, aliquid postea reciperet. 542

Altera pœna Simoniacè Ordinanti à jure statuta est suspensio ipso jure, à collatione quorumcunque Ordinum, ac etiam primæ tonsuræ, & executione omnium munerum pontificialium; ita Sixtus V. in quadam Bulla contra malè promotos, incip. *Sanctum, & Salutare*. Et quamvis hanc constitutionem Sixtinam Clemens VIII. An. 1595. revocaverit, & ad jus commune reduxerit; hoc tamen non procedit *quoad pœnas* Simoniacorum à Sixto statutas; cùm Clemens expresse dicat, *se velle in suo robore* 543

robore

bore perſiſtere eas omnes, quæ ſunt latæ contra ſimoniacè Ordinantes, & Ordinatos.

544 Tertia pœna in ſimoniacè Ordinantes jure ſtatuta eſt *interdictum* ab ingreſſu Eccleſiæ, ut habetur in ſupra dicta Conſtitut. Sixti V. & quarta, *ſuſpenſio* à Regimine, ac adminiſtratione ſuæ Eccleſiæ, atque perceptione fructuum omnium ſuorum beneficiorum, ſi prædictas cenſuras, ſeu pœnas interdicti, & ſuſpenſionis violet, de quibus videri poteſt Caſtropal. cit. de Simonia d. 3. p. 33. n. 2. Circa has pœnas not. 1. pœnas hactenus relatas eſſe latæ ſententiæ; ſed iis non comprehendi Mediatores, ac Præſentatores ad Simoniacam Ordinationem; niſi quoad excommunicationem; & quamvis quoad ſuſpenſionem per triennium, ab executione ſuorum Ordinum videatur idem dicendum juxta c. *fin.* de Simonia; limitatur tamen, ut non procedat, niſi re ipſa collato ſimoniacè Ordine; quamvis Leſſius cit. dub. 24. n. 134. cenſeat, hanc pœnam, jure antiquo non eſſe latam in futurum, quoad Ordinantes, & Mediatores; & id, quod in c. *fin.* cit. dicitur, eſſe *caſum ſpecialem.*

545 Quæſtio eſt 2. quæ pœnæ conſtitutæ ſint contra ſimoniacè Ordinatos? R. eſſe ſequentes. Prima eſt excommunicatio, de qua diximus n. 541. cum comprehendat Simoniacè Ordinantes, & *Ordinatos*, ut conſtat ex 542. Secunda eſt ſuſpenſio ab executione ſuorum Ordinum, ut conſtat in cit. Extravag. Tertia inhabilitas aſcendendi ad Ordinem altiorem. Difficultas autem eſt, an ſuſpendantur, *vi hujus pœnæ*, ab executione *omnium* ſuorum Ordinum, quos aliàs, etiam licitè, ſuſceperunt; an tantùm eorum, *quos Simoniacè ſuſceperunt?* Primum tenet communis cum Suarez tom. 5. de cenſur. d. 31. S. 4. n. 33. quia locutio juris eſt in plurali, & de *Omnibus.* Sed omnino probabile eſt, intelligi duntaxat ſecundum; ſic Caſtropalaus cit. p. 24. n. 3. Nam illa locutio pluralis reſpondet locutioni plurali præcedenti, quæ loquebatur de omnibus Simoniacè Ordinatis, & de his ait, ſuſpendi ab executione *omnium Ordinum ſuorum*, nimirum Simoniacè *ſuſceptorum.* Ratio explicationis ſumitur ex Bulla Pii V. contra malè Ordinatos, incip. *Cum primum*; ubi dicitur quicunque deteſtabile vitium Simoniacæ pravitatis convictus fuerit commiſiſſe in conſequendis ſacris Ordinibus; eo ipſo ab *illorum executione* ſine ſpe diſpenſationis ſuſpenſus ſit per decennium &c. ubi nota, ly *ab illorum.*

Quæſtio eſt 3. an huic pœnæ locus 546
ſit in Ordinato, quando ipſe ignoravit *Ordinantem* Simoniacum eſſe in conferendo Ordine? Affirmativam ſequitur Felinus in c. *Per tuas*, de Simonia n. 3. Sylveſt. V. *ſuſpenſio* n. 7. Sed cum in dato caſu, *vitioſè operante ſolo Ordinante*, Ordinatus, citra culpam Simoniacæ Ordinationis ponatur ignarus, conſequenter expers culpæ, probabilior eſt negativa. Ita Leſſius cit. l. 2. c. 35. d. 24. n. 136. & alii.

Quæſtio eſt 4. an à prædictis pœnis, 547
& inhabilitatibus poſſit abſolvere alius Papâ inferior? Videtur, quòd non, cum illæ pœnæ reſerventur Papæ in Bulla Sixti V. verſ. *abſolutio*, ac revocentur ſimul facultates tum Religioſis alias, tum Epiſcopis conceſſæ in Trident. ſeſſ. 24. de Refor. c. 6. Caſtropalaus tamen cit. puncto 24. n. 4. cenſet dictam Bullam *hac in parte* non eſſe uſu receptam; & Leſſius cit. d. 24. n. 134. in plerisque locis eam ignorari; quo ex principiis l. 1. tit. 2. traditis ſequitur, in iis locis, ubi uſu legitimè recepta non eſt, aut ignoratur, non obligare.

§. 6.

De pœnis contra Simoniacè dantes, & recipientes beneficia Eccleſiaſtica.

QUæſtio procedit de beneficiis *propriè* 548
dictis, qualia non ſunt penſiones, Capellaniæ, ſeu beneficia merè manualia, & ad nutum amovibilia, de quibus agitur l. 3. tit. de Præbendis, & dignitatibus. Nec in hoc attenditur *modus*, *quo* beneficium Eccleſiaſticum *Simoniacè acquiſitum eſt*, an Simoniacâ collatione; præſentatione, & inſtitutione; electione, & confirmatione; poſtulatione, & admiſſione, vel etiâm translatione, ſed tantùm an reverâ, in illa acquiſitione beneficii, Simoniæ vitium interceſſerit, cui jus Eccleſiaſticum pœnas ſtatuit. De Simonia porrò, quæ committitur in proviſionibus beneficiorum, jam tractavimus à n. 473. Nunc de pœnis Simoniæ hujus. Tres autem pœnæ ipſo jure ſtatutæ in ejusmodi Simoniacos, reperiuntur. Prima pœna eſt *excommunicatio* ipſo facto incurrenda. 1. A Simoniacè conferente, vel procurante alteri beneficium, vel officium Eccleſiaſti-

cum mediâ electione, præsentatione, postulatione, institutione, confirmatione, commendatione, admissione &c. 2. à recipiente beneficium, vel officium Ecclesiasticum tali actu Simoniaco adeptum, ut habetur in cit. Extravag. *Cùm detestabile*, ac in motu proprio Pii V. incip. *Cùm Primum* de quâ sup. n. 545. & est 5. in Bullario.

549 Altera pœna Simoniacæ provisionis in beneficiis est, ejus irritatio, & annullatio, ut constat ex cit. Extravag. Ex quo sequitur, quòd taliter provisus nullum jus per ejusmodi provisionem acquirat; adeoque nec fructus faciat suos. Et hoc procedit, esto alius, te sciente, ac non contradicente, Simoniam in tali provisione commiserit, per c. *Nobis fuit*, 27. de Simon. junct. gloss. ibi. *respondemus, quòd nisi constaret illos, qui promissum tale fecerunt, per fraudem in dispendium ejus, qui eligendus erat, id malitiosè fecisse, quamvis ipse promissionis conscius non fuerit; ejus tamen electio, tanquam Simoniaca à pravitate præsumpta, est penitus reprobanda.* & c. *sicut tuis* 33. eodem. Non autem si contradixisti, per cit. c. *sicut tuis.* aut alius id malitiosè fecit, in dispendium eligendi, ut dictum est ex c. *Nobis fuit.*

550 Tertia pœna Simoniæ in provisionib. beneficiorum commissæ, est inhabilitas perpetua ad alia beneficia obtinenda, quæ probabilius ipso jure incurritur juxta constitutionem Pii V. cùm dicat, *illis beneficiis per Simoniam acquisitis, sit ipso jure, privatus, & perpetuo inhabilis ad ea, & quæcunq; alia beneficia Ecclesiastica obtinenda*; ita Suarez l. 4. c. 58. n. 11. quod tamen, quoad inhabilitatem ipso jure *ad alia quæcunq; beneficia obtinenda* limitant Navarrus, Suarez & Lessius apud Castropal. cit. D. 3. p. 25. n. 7. volentes *in eo puncto dictam constitutionem non esse receptam.*

551 Quæres 1. An quis licitè retineat beneficium Simoniacâ provisione acquisitum, non acquirentis, sed alterius tertii vitiosâ procuratione? Non procedit quæstio, si aliùs in eo casu Simoniam malitiosè in acquirentis dispendium commisit. Nam hæc Simonia non vitiat provisionem, si facta sit te ignorante, ac non contradicente (ex n. 549.) quia de malitioso illius facto nullam suspicionem habuisti. Unde, etiam superveniente notitiâ, *quòd alter te ignorante in tuum dispendium, hoc egerit*, non teneris beneficium resignare; quia valide tibi collatum est, per cit. c. *Nobis fuit*; & c. *sicut tuis*, de Simonia.

Si autem petas, an, si amicus clàm, 552
& ignorante te, simoniacè tibi beneficium procuravit, ubi factum hujus resciveris, obligeris & beneficium, & fructum ejus dimittere? R. *quòd sic*, quia talis collatio est ipso jure nulla per n. 549. Nam in dato casu Simonia non intervenit *per tertii malitiam in odium beneficiarii*, propter quod ejusmodi Simoniæ negatur vis inducendi nullitatem provisionis. Et ideo etiam in illo casu Simoniæ commissæ ab amico beneficiarii fit locus inhabilitati, de qua n. 550.

Quæres 2. An valdè, ac licitè reti- 553
neas beneficium acquisitum ex Simoniaca alterius procuratione, cui contradixisti? R. etsi suppositâ tuâ contradictione valida tunc fuerit provisio, ut constat ex c. *sicut tuis* 33. de Simonia cujus summam exhibet Rubrica dicens, *non imputari electo, confirmato, si eo prohibente pro ipsius confirmatione pecunia data fuerit:* Retentionem tamen non fore licitam, si prius, quam provisionem acceptares, scivisti factum alterius Simoniacum non in odium, sed favorem tuum. Nam beneficium simoniacè acceptum, etiam validè, cognitâ provisione Simoniaca, non factâ in odium recipientis, inducit inhabilitatem, ad illud retinendum, ut habetur ex c. *penult.* de Elect. ubi dicitur, quòd, si alicujus *electionem*, propter Simoniam, eo ignorante, ac ratum non habente, commissam contigerit reprobari, *cum eo super prælatione, ad quam taliter fuerat electus, illâ vice non possit Episcopus dispensare; quamvis circa eum, qui ignoranter recipit simplex beneficium per Simoniacam pravitatem, post liberam resignationem, Episcopi dispensatio toleretur.* Idem insinuatur in c. *sicut tuis.* citato ibi. *quamvis autem secundum sacrorum canonum instituta etiam parvuli, qui cupiditate parentum Ecclesias per pecuniam sunt adepti, eas dimittere teneantur &c.* Ita Suarez l. 4. c. 57. n. 28. Lessius lib. 2. c. 35. d. 25. n. 137.

Quæres 3. An Simonia, in beneficio 554
commissa, ipso jure privet beneficiis *prius obtentis?* R. quòd non; quia nullus extat textus statuens hanc pœnam *ipso jure*, 2. quia lex, quæ prohibet provisionem Simoniacam beneficiorum, ac eam annullat, considerari potest vel relatè ad beneficium

ex tali

ex tali provisione acquirendum; vel relatè ad alia prius legitimè acquisita; unde licet rectè dicatur, quòd comprehendat beneficium ex tali provisione acquirendum; secùs tamen est, de prius legitime acquisitis. Nam, cum ea lex prohibens, & annullans, *pœnalis sit*, rectiùs strictè sumitur, & exponitur solùm *de futuris*, & post condemnationem. Ita Suarez l. 4. c. 58. n. 6.

555 Dices in c. *Inquisitionis*, de accusationibus, dicitur, quòd simoniacè *obtinens beneficium, impeditus sit ab illius retentione, etiam post peractam pœnitentiam.* R. quòd, licet Barbosa in cit. c. n. 5. doceat, in nullo occulto crimine, præterquam in homicidio, executionem impediri, etiam post peractam pœnitentiam; rectè tamen textus exponatur *de retentione beneficii*, post sententiam *condemnatoriam*. Tunc enim executionem habere poterit, etiam quoad retentionem. Ex hoc colliges: Fructûs, ante Simoniam perceptos ex beneficiis, non esse ipso jure restituendos; quamvis commissâ deinde Simonia per sententiam illis privari possit Reus. Ratio primi est, quia, qui habet jure beneficium, etiam habet jure fructûs; sed ante commissam Simoniam ponitur habere beneficium jure: Ergo. Ratio secundi est, quia tali Reo imponi potest pœna pecuniaria pro delicto. Colliges 2. per Simoniacam confirmationem non irritari ipso jure electionem prius legitimè factam, licet per electionem Simoniacam ipso jure irrita sit confirmatio, & omnes actus subsequentes. Nam valor confirmationis, & actuum subsequentium supponit valorem electionis; illa enim ante hanc subsistere non potest, electio autem non supponit confirmationem.

§. 7.

De pœnis Simoniæ confidentialis.

556 DE hac Simonia egimus à n. 512. Olim Simoniam confidentialem, nullâ pœnâ punitam, imò potius à Principibus Ecclesiasticis in omni genere personarum toleratam esse, notat Pyrrhus Corradus in praxi dispens. Apost. l. 5. c. 8. n. 2. Quia tamen periculosior; & cùm plerumque occultè fiat, frequentior est, varias, &, sevèriores pœnas statuerunt summi Pontifices. Pius IV. & V. ille in Bulla incip. *ad Romanum Pontificem*; iste in constit. *Intolerabilis*; de illis in præsens quæstio est. Prima, est excommunicatio latæ sententiæ, reservata Papæ, & afficiens tam dantes, quàm accipientes 2. interdictum contra Episcopos, & Collatores 3. nullitas Resignationis, & Collationis. 4. Inhabilitas ad idem, & alia beneficia obtinenda. 5. Sedi Apostolicæ reservatio beneficii, in quo Simonia confidentiæ est commissa 6. fructuum malè perceptorum applicatio Cameræ Apostolicæ. 7. Privatio omnium beneficiorum, & pensionum prius obtentarum cum inhabilitate ad alia.

Circa dictas pœnas not. 1. eas incurri 557
ipso facto excepta privatione beneficiorum, prius legitimè obtentorum (quæ requirit sententiam saltem declaratoriam criminis) ac inhabilitate ad reliqua omnia beneficia. Nam & hæc, ut notat Lessius cit. l. 2. c. 35. d. 26. n. 147. ex usu jam recepto prærequirit criminis declarationem. Not. 2. has pœnas esse statutas in Simoniam confidentiæ, licet nec dum utrinq; completam, atque adeo licet beneficium in confidentiam datum, ab eo, cui sic datum est, non sit renuntiatum ingressuro, accessuro, vel regressuro, modò datum sit eâ conditione, ut dimittenti, vel alteri resignetur, ac eâ intentione recipiatur. Sic enim decretum esse in cit. Constitut. Pii IV. & V. tradit Suarez, & Lessius cit. de aliis Mediatoribus, & intervenientibus nihil in his Bullis constitutum est. Unde in hos cadunt solæ pœnæ Extravag. 2. de Simonia, de qua locuti sumus supra, quæ probabilius requirunt Simoniam realem. Not. 3. quòd dictæ constitutiones, in quantum sunt pœnales, accipiendæ sint de Simonia confidentiæ commissâ *in solis beneficiis Ecclesiasticis*. Quare hæc Simonia, licet procedat in illis cujuscunque Ordinis sint, sive simplicia, sive curata, majora, vel minora, secularia, vel regularia (ut notat Layman. l. 4. n. 10. c. ult. §. 8. n. 74. & alii) locum tamen non habet in pensionibus, & aliis actibus spiritualibus, licet illicita quædam fiducia, seu pactum interveniat. Plura videri possunt supra in dictis à n. 512.

ARTICULUS X.

An, & qualiter acquisita per Simoniam restituenda sint?

PRædictis pœnis annumeratur restitutio 558
pretii simoniacè, seu pro re spirituali

accepti, quia sine causa, seu titulo habili ad transferendum dominium, est penes eum, qui recepit utpote acceptum *pro re inæstimabili*. Et quamvis aliàs de jure civili, in contractu turpi, (quando tam dans, quàm accipiens, turpiter egit, melior dicatur conditio possidentis, L. 2. c. de condict. ob turpem causam) in contractu tamen Simoniaco per sententiam Judicis imperari potest, ut pretium (quod de jure naturali sufficeret, restitui danti, à quo injustè, & sine titulo acceptum est) Ecclesiæ, vel pauperibus, vel aliis locis piis restituatur per. c. *Audivimus*, 41. h. t. ibi: *quòd, si quis transgressor extiterit, exacta duplicata restituat in utilitatem locorum, in quorum fuerint soluta dispendium, fideliter convertenda.* His positis:

559 Quæstio 1. est, an spirituale, Simoniacè acceptum, debeat restitui? Ante resolut. notandum, quæ Simoniacè accipiuntur, alia esse merè temporalia, alia spiritualia. De his censet Castropalaus. p. 3. tr. 17. D. 3. p. 26. n. 1. nullum spirituale, *nisi beneficium*, Simoniacè acceptum, *restitutioni* obnoxium esse, vel jure divino, vel jure Ecclesiastico. Quod de jure naturali, & divino verum judico, si non intervenit injustitia. Nam obligatio *restitutionis propriè dictæ* fundatur unicè in eo, quòd quis, vel accipiendo, vel retinendo rem aliquam, lædat jus strictum alterius; certum autem est, quòd quis aliunde capax (extra materiam *beneficii Ecclesiastici*) non lædat jus strictum alterius recipiendo Simoniacè, v. g. confirmationem, electionem, absolutionem aut alia Spiritualia, valide à dante conferibilia; Simonia enim non opponitur justitiæ strictæ, sed Religioni. Ex hoc infert Castropalaus, eum, qui, pecuniâ datâ recipit sacramenta; consecrationem altaris, vel admissionem ad statum religiosum per professionem Simoniacam, nihil de recepto Spirituali teneri *restituere*; quia in his, dando pecuniam pro illorum acquisitione, non peccatur contra *justitiam*, sed tantùm *Religionem* indebitè tractando res Ecclesiasticas. Et hoc verum judico etiam de jure Ecclesiastico; cùm ejusmodi spiritualia reverâ nec reddi possint, uti semel validè recepta sunt; nec extet ullus textus, præcipiens altare, vel Ecclesiam Simoniacè consecratam, esse execrandam. Infert 2. eum qui pecuniâ *Simoniacè*, sed *non injustè* comparavit reliquias Sanctorum, grana benedicta, jus Patronatûs, jus eligendi Confessarium, *ex justitia* non teneri *ea dimittere*, quia nec in horum comparatione, vel acquisitione peccatum est contra *justitiam*, sed Religionem.

Verùm in hoc casu videtur dicendum 560
redditionem accepti esse debitam alio titulo, qui forte resolvi posset in illum. Etsi enim directè non peccaverit contra justitiam Simoniacè acquirendo; consequenter directè non contraxerit obligationem *restituendi*; quia tamen sine causa, & titulo habet; & nec dominium, vel jus illius rei (secundum quod explicat spiritualitatem, cujus intuitu ea acquisitio Simoniaca est) acquirere potuit, *retineret non suum*, quod consequenter est contra justitiam. Accedit, quod Simoniacè vendens, & emens jus Patronatûs, illud in pœnam amittere, eoque privari debeat per c. *Quia Clerici*, 6. de jure Patronatûs; & Ecclesia, vel beneficium fiat liberæ collationis, sic Jo. Andreas ibid. n. 5. & Barbos. n. 5. Pirhing autem de jure Patronatûs n. 185. docet, quòd sicut ante sententiam Judicis, pretium Simoniacè acceptum non est sub obligatione *restitutionis*; ita nec spirituale (v. g. *jus Patronatûs*) quod Simoniacè, sed non injustè acceptum est. Rationem dat, quia nec jure divino venditio, & acquisitio est irrita, nec etiam extat ullum jus Ecclesiasticum, quo ea decernatur invalida, licet prohibeatur *modus* acquirendi, tanquam Simoniacus; & cùm hic nulla interveniat injustitia, sed solùm turpitudo, nulla etiam potest oriri obligatio *restituendi*; sic ille.

Circa istam doctrinam not. 1. verum esse, 561
nullam esse obligationem *restituendi* propriè loquendo, ubi nulla intercedit injustitia, vel in acceptione rei, vel in ejus retentione, vi cujus alter minus habeat in jure suo, quàm ejus jus exigat; & ille plus, quàm vi juris sui ei competat, ut fusè ostendimus in tract. Theolog. de jure, & justitia. Not. 2. concedi etiam, quando spirituale sive transiens, sive permanens (extra materiam beneficiorum) Simoniacè, sed non injustè, acquisitum est, nullam jure divino, aut naturali esse obligationem *restituendi*. Nam in dato casu ponitur, non interveniisse injustitia, seu injusta læsio alieni juris; unde nasci non potuit obligatio restituendi propriè dicta.

Not. 3.

562 Not. 3. Quando ſpirituale, (quod eſt res permanens) Simoniacè, ſed non injuſtè acquiſitum eſt (v. g. *jus Patronatûs*) videri, non admittendum, quod docet Pirhing ſupr. relatus; nam, etſi verum ſit, cum jus Patronatus Simoniacè emitur, & venditur, ab emente vendenti nullam directè injuriam fieri, conſequenter, *ex hoc capite* non naſci jure naturali, vel divino in emente obligationem reſtituendi jus emptum: Quia tamen (ut ipſe Pirhing de jure Patronatûs, n. 71. ex gloſſa in c. *de jure*, 16. de jure Patron. V. *irritum*, docet) Simoniaca venditio, & emptio juris Patronatûs ipſo jure irrita eſt, rationi, quam affert non poteſt eſſe locus.

563 Concedo tamen, alias res permanentes (ut veſtes ſacras, calices, Sanctorum reliquias &c.) quando earum emptio, & venditio, quantumvis Simoniaca, valida eſt, & non injuſta, retineri poſſe, dum contra non facientem injuriam ſequatur ſententia declaratoria criminis, & impoſitio eas dimittendi, ut conſtabit ex n. ſeqq. Dixi *res alias*. Nam, ut conſtat ex n. 560. jus Patronatûs diſpoſitione juris Eccleſiaſtici, emptori per Judicem auferendum eſt in pœnam delicti.

564 Not. 4. Notabile diſcrimen eſſe inter *ementem*, & *vendentem* Simoniacè. *Emens* enim, dato pretio pro re ſpirituali, venditori nullam facit injuriam dando pretium conventum, & recipiendo ſpirituale: Quia tamen *vendens* exigit, ac recipit pretium temporale, pro ſpirituali, ex ſuppoſitione, quòd dare voluerit, *ex obligatione dandum gratis*, injuriam infert ementi. Et hinc eſt, quòd venditor jure naturali, & divino debeat pretium receptum dimittere. Huic tamen ſatisfieret reddendo emptori, ſi lege Eccleſiaſticâ ſpecialiter conſtitutum non eſſet in pœnam etiam emptori Simoniaco, ut ipſe, & pretium, & jus Patronatûs amittat, de quo l. 3. tit. 38.

565 Not. 5. In ſpiritualibus, *annexivè talibus*, & permanentibus, ubi communiter adjunctum eſt aliquid temporale, antecedenter, conſequenter, vel concomitanter, ut dictum eſt, attendendum eſſe, quid in eo ſit *principale?* Nam Laymàn apud Pirhing de Simonia n. 186. rectè docet, ſi ſpirituale in illis eſt principale (ut *in reliquiis Sanctorum*) venditionem ſimoniacam, ratione ſpiritualitatis, invalidam eſſe. Nequit enim eſſe venditio rei invendibilis; Si autem ſpirituale ſolùm ſit acceſſorium, & res temporalis, *principale* (ut ſunt *calices*, *veſtes ſacræ*) venditionem tenere; & talem rem emptam ab emptore quantumvis Simoniaco, licitè retineri, dum reſtituto pretio per venditorem, rem emptam dimittere cogatur.

566 Quæſtio eſt 2. An beneficium ſimoniacè acceptum reſtitutioni ſit obnoxium? R. ſi loquamur de *reſtitutione* propriè dictâ, beneficium Eccleſiaſticum ſimoniacè, ſed non injuſtè ab emente acquiſitum, non eſſe obnoxium reſtitutioni jure naturali, aut divino juxta n. 559. quia tamen, ubi Simonia realis intervenit, nullum jus recipienti acquiſitum eſt, ipſius beneficii, & fructuum retentio illicita erit, & obligatio non tantùm dimittendi beneficium, ſed etiam fructus inde perceptos, juxta doctrinam in ſuperioribus §. §. traditam, & dicitur in Extrav. *Cùm deteſtabile*, de Simonia.

567 Quæſtio eſt 3. An obligatio dimittendi beneficium cum reali Simonia receptum, & fructus nulliter perceptos reſtituendi, ſit juris divini? Pirhing h. t. n. 185. in fine cenſet, eſſe quidem obligationem dimittendi beneficium, & reſtituendi fructus, etiam ante ſententiam judicis, ſed ex jure tantùm Eccleſiaſtico; quia beneficii Simoniaca collatio eſt ipſo jure irrita. Circa hanc doctrinam Not. 1. collationem & receptionem Simoniacam beneficii Eccleſiaſtici eſſe jure naturali, & divino nullam, quando ea Simonia eſt juris naturalis, & divini; tunc enim interveniret venditio rei nullo jure vendibilis; ſecùs eſt, ſi annulletur jure ſolùm Eccleſiaſtico. Not. 2. Probabilius eſſe, etiam ante ſententiam Judicis *condemnatoriam* jure naturali eſſe reſtituendos fructus perceptos ex beneficio nulliter acquiſito: Nam retinere, quod nullo juſto titulo penes me eſt, jure naturali, & divino illicitum eſt; intellige, ſi ſic ſcienter retineantur. Not. 3. Reſtituto pretio ſimoniacè dato, ſpirituale permanens (quod reſtitui, vel dimitti poteſt) viciſſim eſſe reſtituendum, ſeu contractum reſcindendum, & ſpirituale dimittendum; alias reddens pretium cogeretur contractu reſciſſo damnum pati compenſationis ſibi debitæ, ſic Leſſius l. 2. c. 35. d. 30. n. 168.

568 Quæſtio eſt 4. An, & qualiter pretium ſimoniacè acceptum ſit obnoxium reſtitutioni? In hac quæſtione dubitatur 1. an,

an, qui simoniace accepit pretium pro dando spirituali, aliquo v.g. beneficio, vel alio quocunque, teneatur illud reddere, etiamsi ipse non dum dederit spirituale? Affirmativa communis est. Cùm enim illa acceptio sit illicita, *utpote simoniaca, & cum injuria dantis pretium*, ut diximus n. 564. Spectato jure naturali reddendum danti, cùm ipse læsus sit, ut ostendimus loco cit. Neque quoad hunc casum extat ullum jus, cujus dispositione privandus esset dans, pretio dato, sic, ut alteri, & non ementi, seu ei, qui pretium solvit, reddendum foret; nisi forsan in casu empti simoniacè juris patronatus, quoad primam partem, de quo lib. 3. vel Ecclesiæ læsæ per tale crimen, ut mox dicemus; ita Suarez l. 4. c. 59. n. 2. Lessius l. 2. c. 35. d. 31. n. 170. Censet tamen Covar. ad reg. *peccatum* p. 2. §. 2. n. 7. illud non posse *repeti* à dante propter turpitudinem admissam.

569 Dubitatur 2. An, si quis simoniacè alicui dedit beneficium, vel aliud præsentavit, elegit, confirmavit &c. accepto pretio, teneatur illud restituere ante Judicis sententiam? R. affirmativam quoad primam partem, esse decisam jure Ecclesiastico in c. *De hac*, 11. de Simonia, ibi: *Regem autem, & principes ejus debes inducere, ut si quæ receperint à præfato Episcopo, ut ejus electioni præstarent assensum, Ecclesiæ Exonienſi sine diminutione restituant; cùm ea sine gravi suæ salutis periculo retinere non possint.* Dixi, *quoad primam partem.* Nam ex textu hujus Canonis non deducitur, præcipi restitutionem ante Judicis sententiam, saltem *declaratoriam criminis.* V. dicenda à n. 574.

570 Quæstio est 3. An pretium simoniacè acceptum, extra *materiam beneficiorum*, v.g. propter admissionem ad Religionem &c. sit restituendum? Respondet Castropalaus cit. p. 26. n. 6. pretium receptum pro qualibet alia Simonia (nimirum extra materiam beneficiorum) jure Ecclesiastico non esse restituendum ante Judicis sententiam. Nam in Extravag. *sanè*, de Simon. pretium pro ingressu Religionis acceptum simoniacè, permittitur retineri, modò non in privatum usum Abbatis, vel Abbatissæ; sed communem totius Conventûs convertatur.

571 Dices 1. simoniacè recipiens pretium, pro admissione ad Religionem v. g. danti pretium facit injuriam, & talis receptio continet injustitiam; hæc autem jure naturæ petit restitutionem; ergo non est expectanda Judicis sententia. Ma. patet ex n. 564. Min. etiam constat. Nam fur rem furtivam, non expectatâ judicis sententiâ, tenetur restituere. R. esse verum, nisi jus positivum aliud statuat in pœnam turpitudinis commissæ, etiam à dante simoniacè pretium.

572 Dices 2. in c. *Veniens.* 19. de Simon. compellitur Abbas restituere pretium simoniacè acceptum pro simoniaca receptione ad Monasterium. R. cum distinctione, compellitur pretium restituere, *quando receptus cogitur, eo monasterio deserto, transire ad aliud.* C. sic enim justum est, ut datam pecuniam secum deferat in alimenta, idque non in gratiam ejus, sed Monasterii, ad quod transfertur: *Si non cogitur, eo monasterio deserto, transire ad aliud.* N. in cit. c. id mandari. Nam simoniacè professus (cùm talis professio nihilominus valeat ex n. 423.) non tenetur suum Monasterium deserere, & ad aliud transire *ante Judicis sententiam*, ut docet Suarez cit. l. 4. c. 60. n. 11. ergo nec Abbas receptum simoniacè pretium restituere. Sic Barbosa in cit. c. *Veniens*, n. 4. in fine.

573 Dices 3. in c. *Audivimus*, 41. de Simonia dicitur, quòd Episcopi nihil exigere debeant, ut permittant in Ecclesiis sibi subjectis Clericos instituì, Monachos profiteri, vel mortuos sepeliri, *alioquin exacta in duplum esse restituenda in utilitatem locorum (in quorum fuerint soluta dispendium) convertenda* R. totum hoc verum esse; si ad hoc compellatur accipiens per sententiam, saltem declaratoriam criminis; sed non ante, saltem in foro externo.

574 Quæstio est 4. cui pretium simoniacè acceptum, sit restituendum? De hoc aliquid insinuavimus n. 568. nempe *spectato jure naturali*, restituendum esse illi, à quo acceptum est; in pœnam tamen simoniacè dantis, dispositione juris Ecclesiastici dandum Ecclesiæ, in qua est beneficium, circa quod Simonia interceſſit, ut expresse definitum est in c. *de hoc*, 11. h. t. ibi: *Regem, & principes ejus debes inducere, ut, si quæ receperint à præfato Episcopo, ut ejus electioni præberent assensum, Ecclesiæ Exonienſi sine diminutione restituant.* Dubitatur tamen 1. an hic nomine *Ecclesiæ*, intelligi etiam possint *pauperes?* Si id fiat cum consensu

sensu Superioris, affirmativam tenet D. Thomas, & alii apud Castropalaum cit. n. 5. & posse fieri pauperibus, de consuetudine receptâ, tenent multi relati, à Covarr. in regul. *Peccatum*, p. 2. §. 3. n. 6. quod etiam ait D. Thomas 2. 2. q. 32. art. 7. dicens: *Pretium simoniacum non esse restituendum danti, sed in eleemosynam erogandum.*

575 Dubitatur 2. *An pretium Simoniacum restitui possit danti, ante sententiam Judicis, imponentis, in pœnam dantis, privationem ejus, ac applicationem Ecclesiæ, vel pauperibus?* Affirmativam probabilem censet Castropalaus cit. n. 5. & apud eum Lessius dub. 31. n. 171. Sotus, Valentia, & alii. Nam ejus dominium, ante pœnalem Judicis sententiam, manet penes dantem; cùm ejus datio simoniaca in beneficiis sit ipso jure irrita, consequenter non fecerit ejus translationem in recipientem; & quamvis c. *De hoc*, dicat; *dandum Ecclesiæ*, intelligitur tamen *post sententiam* condemnatoriam; nec extat ullus textus ipso jure privans dantem pretium, hujus dominio.

ARTICULUS XI.

Quæ Simoniæ probatio requiratur, ut quis condemnetur ad pœnam infligendam?

576 REsp. 1. Crimen illud optimè probari *notorietate facti*, c. *de manifesta*, & duobus seq. 2. q. 1. ubi Stephanus Papa V. Leoni Episcopo Theonensi rescribit, *de manifesta, & nota pluribus causa non esse quærendos testes.* Et ideo S. Augustinus Serm. 16. De Verbis Domini, relatus, in c. *si peccaverit*, 2. q. 1. rectè ait, *peccatum, quod tantùm Judici notum est, ab eo condemnari non posse.*

577 Resp. 2. Rectè etiam probari *evidentiâ facti*; ut cùm quis in crimine deprehenditur, ut dicitur in c. *si quis Diaconus.* 29. dist. 50. ibi: *Si quis Diaconus post acceptam benedictionem Leviticam cum Uxore sua incontinens invenitur, ab officio suo dejiciatur.* Et c. *si quis Clericus* 10. dist. 81. ibi: *Si quis Clericus adulterasse, aut confessus fuerit, aut convictus, depositus ab Officio, communione concessa, in Monasterium toto vitæ suæ tempore detrudatur.*

578 Resp. 3. Recte probari *confessione propriâ ipsius Rei*, ut constat ex c. *si quis Clericus*, in præced. num. & c. *Presbyter.* 15. q. 5. ibi; *Nisi suâ sponte scelus ipse confiteatur*; & c. *de hoc*, de Simon. ibi: *Nec tamen inde convicti, vel confessi fuerint*; ubi notat Parisius l. 14. de Resignat. q. 8. & 9. cum seq. resolutionem procedere etiam *de confessione facta in judicio criminali.*

Resp. 4. Recte probari per instru- 579
mentum, in quo adest promissio, vel pactum de dando temporali pro spirituali, vel è contra, de quo V. dicta l. 2. tit. 22. de fide instrumentorum. Volunt aliqui etiam sufficere famam; sed de hoc V. dicta à n. 65. Idem dicendum videtur de correspectivitate, hoc est, quando unus actus fit per alium; ut si quis mihi renuntiet beneficium suum; & ego in continenti, hoc est, eodem die, coram eodem Notario, & testibus, consentio in pensionem, vel aliam renuntiationem in ejus favorem, ut videtur colligi ex c. *Emendari* (quod est 104.) 1. q. 1.

Dices in cit. c. de hoc expresse dicitur, 580
eos, qui pro suffragio in electione dando acceperunt beneficii promissionem ab eo, qui eligi cupiebat, esse perpetuò deponendos, si in jure confessi, vel legitime convicti fuerint; non tamen, *licet manifestum sit, si nec confessi, nec convicti fuerint*; ergo non sufficit quælibet probatio ex prædictis 82. ibi *manifestum* accipi pro *famoso*, seu noto ex mala fama; quæ utique ad depositionem, seu condemnationem criminalem, ut Reus deponatur, non sufficit, ex n. 108. secùs si sumatur *pro notorio*, etiam probata notorietate.

Si autem quæras, an conjecturis, & 581
præsumptionibus sufficienter probetur crimen Simoniæ? De hoc in genere locuti sumus à n. 147. Certum autem est Simoniæ vitium inter graviora numerari; cùm comparetur *homicidio, hæresi, ac idololatriæ.* Et quamvis in his probatio rectè fiat per indicia, conjecturas, & præsumptiones; non sufficiunt tamen *quælibet indicia*, & *conjecturæ*, sed requiruntur *evidentes*, & Reum de crimine *convincentes* juxta glossam in c. *Insinuatum*, de Simonia; ac *plene probatæ*, ut docent omnes teste Alexand. de Nevo consil. 64. n. 2. Jul. Claro §. *Simonia*, in fine; & §. ult. q. 20. Parisio cit. q. 8. à n. 14.

Si quæras 2. qui accusare, & accusari 582
possint super crimine Simoniæ? 82. quòd in hoc crimine *quilibet Catholicus* sit legitimus accusator; per c. *si Dominus.* 3. hoc

tit. ubi Theodatus Papa, ait, *quemlibet Catholicum (ut veritatem asserat) ad propalandam Simoniacam labem, magnis esse precibus exhortandum.* Hinc vi hujus textûs admittuntur Catholici, *etiam criminosi*, si nimirum *ex bono Zelo procedant*, & non ex odio, ut dicemus n. 584. & seqq. & constat ex n. præced. imò etiam *servi contra Dominos suos, & omnis peccator*, etiam *excommunicatus toleratus* per c. *Tanta* eod.

583 *Accusari* autem super hoc crimine possunt, non modò dans temporale pro spirituali, sed etiam è contra, per c. *Non satis*, 8. §. *Unde quisquis.* h. t. ibi: *Tam ille, qui acceperit, quàm ille qui dederit*, & c. 30. eod. ibi: *Tam in dantis, quàm in accipientis* c. 28. ibi: *Tam ementes, quàm vendentes*; quod etiam procedit, si te sciente, & non contradicente alius Simoniam commisit *in tuum commodum.* per c. *Matthæus* 23. & c. *sicut* 33. eod. ibi: *Nisi posteà consenseris*: Secùs, si te ignorante, vel invito; per c. *Nobis* eod. ut jam aliàs dictum est.

584 Si quæras 3. an socius in vitio Simoniæ possit esse testis in judicio de hoc vitio? R. contra testes, qui deponunt de crimine Simoniæ, nullam admitti exceptionem in judicio inquisitionis, nisi capitalis inimicitiæ, & conspirationis. Constat. 1. ex n. 24. Deinde specialiter ex cit. c. *Licet Heli* 31. h. t. ibi: *Papa*, pensatâ æquitate, *ne innocens succumberet*, vel *pravitas Simoniæ effugeret, illas tantum exceptiones probandas admisit* (conspirationem nempe, & inimicitias capitales) *& alias* (nempe adulterii, & furti) *reprobandas.* Hæc tamen responsio in multis limitatur per constitutionem posteriorem in c. *Per tuas.* 32. h. t. Ubi præscribitur, circa testes in crimine Simoniæ, considerandas esse multas circumstantias. 1. *Quoad modum*, an contra Reum agatur civiliter, vel criminaliter? Secundò *circa personam*, an accusatus sit *regularis* an *sæcularis? Et si Regularis*, an *Abbas*, vel *inferioris conditionis*; seu eo inferior? Qui facilius amovetur, an *dignitatis excellentioris?* (ut Episcopus Regularis) contra quem cautius procedendum propter scandalum. Tertio, an ille idem *sit bonæ famæ? an graviter infamatus, & suspectus?* & si hoc? *an sine, vel non nisi cum Scandalo possit puniri?*

585 Similiter mandat, *attendi circumstantias personarum testificantium*, an sint personæ *honestæ?* an criminosæ, & vel à crimine *emendatæ*, vel in eodem *perseverantes*, & an, si testes sint criminosi, nec adhuc emendati, deposituri essent ex charitate, & *Zelo justitiæ*, vel *ex malignitate, & odio?* Tertiò debere attendi *ad crimina*, quæ testibus objiciuntur; an sint eadem cum his, de quibus contra alterum deponunt? an illis majora, vel minora? an eorum testimonia fulciantur aliis adminiculis? an secus? Quartò, debere attendi, an in judicio, ubi producuntur testes contra Simoniacum, agatur *civiliter*, an *criminaliter*, non enim in utroque iidem sunt testes idonei, ut monuimus supra; & quidem si civiliter agatur, utrum secundum juris rigorem, an secundum æquitatem? his propositis, quæ Judices attendere debent:

Respondet Pontifex, in casu, quo 586
in judicio criminali producuntur testes contra Reum Simoniæ, *admitti posse criminosos* concurrentibus his circumstantiis 1. Si sint emendati. 2. Si illis minora crimina objiciuntur per exceptionem. 3. Si deponant ex Zelo justitiæ. 4. Si eorum testimonia juventur, fulcianturve aliis adminiculis. 5. Si Reus sit Regularis inferioris gradus Episcopali, qui sine scandalo possit amoveri, qualis fuit Abbas, de quo agitur in cit. c. *Per tuas.* 6. Si nulla illos infamia comitetur: Si autem non agitur contra illos *criminaliter*, sed tantum *civiliter*, non requiri omnes circumstantias in dato casu; de quo V. Hostiensis, Abbas, & alii in cit. c. *Per tuas* 32. h. t.

Not. autem 1. Non agi contra ali- 587
quem (v. g. Prælatum) eo ipso *criminaliter*, quòd agatur, ut ab administratione *removeatur*, quia perniciosius est Ecclesiæ: Cum non agatur ad ejus pœnam; sed ad avertendum Ecclesiæ detrimentum; aliud est, si *ad depositionem, in pœnam.* Not. 2. Etsi aliàs in criminibus exceptis, ubi criminaliter agitur etiam contra Regularem, sive sit bonæ, sive malæ famæ, admittantur testes etiam criminosi, ac infames, id tamen jure canonico non procedere, quando *criminaliter* agitur, *de crimine Simoniæ*, nisi Simonia sit simul hæretica; sic Doctores communiter, & cum illis Abbas, in c. *licet Heli*; & c. *per tuas.* Not. 3. A sententia, in *crimine Simoniæ*, non dari appellationem. c. *sicut.* 6. h. t. Sic Felinus ibid. à n. 1. Nam appellatio non datur à

senten-

sententia, *quæ statim executioni debet mandari*, cùm boni communis interfit, ea crimina statim puniri L. *constitutiones* 16. ff. de appellat. Simonia verò est crimen, super quo sententia lata statim habere debet executionem ex c. *sicut*, ibi: *Sine dilatione, mox debet de Ecclesia expelli.* Deinde hæresis non admittit appellationem; huic autem æquiparatur Simonia propter magnitudinem delicti. c. *Ut acquisitionis*, 18. de hæres. in 6. l. 1. C. de falsâ monet. Et addit Castropalaus cit. p. 27. n. 4. in iis, in quibus ipso jure imponitur pœna, sententiam declaratoriam facere, transire in rem judicatam.

ARTICULUS ULTIMUS.

Quis possit dispensare cum simoniacis.

588 CUm ex dictis constet, simoniacis varias pœnas esse statutas, vel *latas* ipso jure, vel *ferendas* à Judice, cujusmodi sunt excommunicatio, suspensio, interdictum, inhabilitas retinendi beneficium simoniacè acquisitum, vel aliud deinceps acquirendi; quæstio in præsens est, quis in ejusmodi pœnis, à simoniaco contractis, possit dispensare? & primò quidem, quis possit dispensare in pœnis Simoniæ à Judice ferendis? in his distinguendum est, an sint ex genere suo *perpetuæ*, an solùm *temporales*? quo posito. ℟. Etsi, postquam Judex propter Simoniam, in judicio probatam, Reo imposuit pœnam suspensionis ab officio, & beneficio, ea non possit remitti à tali Judice, *durante tempore*, pro quo imposita est, probabile tamen esse, quòd possit ante transactum tempus; *si tamen sint temporales*. v. g. ad triennium. Nam ejusmodi pœna non est ex genere suo perpetua, sicut infamia, depositio.

589 Si autem quæratur quis possit dispensare in pœnis ipso jure latis contra simoniacos? Not. inter eas primam esse excommunicationem eorum, qui simoniacè ordinant, beneficium conferunt, vel ad Religionem admittunt, ut jam præmissum est. Et quoniam hæc pœna est Pontifici reservata, nemo de jure communi, & secluso privilegio, ac speciali concessione, nisi summus Pontifex ab ea legitimè absolvere potest. Altera est suspensio simoniacè ordinati ab Ordinis simoniacè accepti exercitio; & in hac dispensare similiter potest solus Papa juxta c. *penult.* h. t. Et quoniam ordinans simoniacè præterea punitur suspensione à collatione Ordinum, de illa ex cit. c. idem dicendum venit, & pluribus super hoc agit Suarez l. 4. c. 61. à n. 5.

Circa has suspensiones, & inhabilitates 590
not. 1. suspensum ab exercitio Ordinis simoniacè accepti, non posse legitime ascendere ad altiorem Ordinem; donec ab ea suspensione absolvatur. Est enim lege cautum, ut patet ex Bulla Sixti V. contra male promotos (ibi: *spe dispensationis carent*) confirmata à Clemente VIII. quod Castropalaus cit. d. 3. punct. ult. intelligendum censet, non tantum de suspensione ab exercitio Ordinis simoniacè accepti, à sic ordinato incursa; sed etiam incursa à sic ordinante, & mediatoribus; & suspensione incursa à Capitulo Regulari propter Simoniam commissam in receptione ad Religionem. Not. 2. Pœnam expulsionis à Monasterio per Simoniacam professionem, incursam, post condemnationem, à solo Pontifice relaxari posse, excepto casu ignorantiæ (per c. *De Regularib.* de Simon.) vel necessitatis (per c. *Quoniam* eod.) ante condemnationem autem, cum tunc nondum sit incursa, non indigere relaxatione; ita Suarez. l. 4. de Simon. c. ult. n. 7. Not. 3. Ab interdicto, quo prohibetur ingressus Ecclesiæ simoniacè ordinanti, & Prælatis recipientibus beneficium per Simoniam confidentiæ, solum Papam posse absolvere; cum ei sit reservatum; sic Castrop. cit. n. 2. Not. 4. Quando diximus solùm Papam posse absolvere à prædictis pœnis, & censuris, intelligendum esse, quando sunt *publicæ, ac deductæ ad forum contentiosum*; secùs enim valde probabiliter ab illis (dum multæ sunt) absolvere potest Episcopus virtute CC. Tridentini sess. 24. de Reform. c. 6. ita Suarez cit. l. 4. c. 61. n. 11. Nec obstat Bulla Pii V. prohibens hanc facultatem. Nam eam quoad hoc non esse usu receptam, diximus in superioribus ex Lessio, & aliis.

Si petas quis dispensare possit in pœna 591
inhabilitatis ad beneficia Ecclesiastica? ℟. Episcopum posse pro illa vice dispensare in inhabilitate, ut beneficato iterum conferri possit beneficium, quod prius simoniacè recepit, si concurrant istæ conditiones 1. Si Simonia commissa sit ignorante beneficiato, & ipse illud bonâ fide recepit. 2. Si beneficium sit simplex. 3. Si prius libere illud resignavit; id, quod colligitur ex c. *penult.* de elect. de quo egimus supra n.

553. Ex hoc colligitur, Episcopum nec pro illa vice in ea pœna posse dispensare, si *scienter* commisit Simoniam is, qui beneficium recepit; nec privilegium Episcopis in Trid. loco cit. concessum *pro censuris occultis* extendi ad hunc casum; cùm irregularitas non sit censura; & facultas à Trident. concessa non extendatur ad casus reservatos, quantumvis occultos, si reservati sint novâ lege Pontificis post Tridentinum conditâ. Sic enim dicitur respondisse Gregorius XIII. auditâ relatione S. Congregationis, prout refertur Volum. 4. decision. Rotæ, per Farinacium fol. 77. ita pluribus relatis tenet Barbos. in cit. c. 6. n. 22.

592 Hanc opinionem probabiliorem oppositâ judicat Castropalaus cit. n. 4. licet, quòd Episcopus in ejusmodi inhabilitate (*si occulta sit*) dispensare possit, censeat quoque probabile cum Henriq. l. 13. de Excommunic. c. 56. n. 1. Lessio l. 2. c. 35. dub. 25. n. 140. Suarez. l. 4. c. 61. n. 11. Cùm enim potestas ad dispensandum in irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus sit materia valde favorabilis, ut rectè notat Pyrrhus, Corradus in praxi dispensat. Apostol. l. 1. c. 6. n. 27. consequenter latè interpretanda; sub *irregularitate* autem ex delicto, *latè sumptâ* (ut multis probat Henriquez cit.) intelligi possit *inhabilitas* etiam ad beneficia vel retinenda, vel acquirenda, quæ infligitur in pœnam Simoniæ; potestas etiam in ea dispensandi, si vitium occultum sit, probabiliter concessa dicitur Episcopis.

593 Obstare tamen videntur decisiones Cardinalium; sed respondet Castropalaus cit. P. 3. tr. 17. D. 3. de Simon. p. ult. n. 4. eas non obstare; tum quia illis decisionibus (etsi sint magnæ authoritatis) non est necessariò standum, ut expresse docet Sanchez l. 8. de Matr. D. 2. n. 10. circa finem, ac de stylo Curiæ, & decisionibus Rotæ, docet similiter Vasquez 1. 2. d. 177. c. ult. n. 75. ubi optimè probat, declarationes, vel decisiones Rotæ non habere vim legis: Quia facilem habent explicationem. Nam rectè possunt exponi de casu beneficiorum, quibus talis simoniacus privatus fuit *per sententiam*; non autem, ante sententiam, nec mere arbitraria est hæc explicatio declarationum, de quibus n. 591. Cùm enim ibi dicat Congregatio, *Episcopum posse absolvere sacerdotem sibi subditum à Simonia occulta; & rehabilitare ad Ordines, & beneficia tam obtenta, quàm obtinenda*; & postea subjungat *Sed non ad beneficia, quibus propter Simoniam privatus fuisset, vel ad obtinenda*: Hæc postrema verba, ne prioribus contradicant; intelligenda veniunt de beneficiis, quibus privatus fuit *per sententiam*. Sic Castropal.

Si dicas, declarationes Cardinalium 594
secundùm se præcisè sumptas, non esse quidem *necessariò* sequendas; secùs tamen esse, si factâ relatione ad Pontificem, ab hoc confirmentur: Respondet Bartholomæus Chassaing de Privileg. Regular. tr. 1. c. 1. propos. 3. id non procedere, licet approbentur etiam à Papa *in forma communi*, nam Pontifex per ejusmodi confirmationem novum jus rei, quæ confirmatur, non affert. c. *Cùm dilectæ*, de confirm. util. vel inutil. ergo res manet *in statu quo*, nimirum antiquo, etiam positâ tali confirmatione. Sed de hoc plura lib. 1. Decret. in tit. de Constitut. Ex dictis colliges, Simoniacum, qui simoniacè accepit beneficium, quod habet, dispensatum ab Episcopo (juxta probabilem sententiam in n. 592.) posse sine alia, vel nova collatione retinere illud beneficium, *in foro conscientiæ*, cùm in dato casu Episcopi dispensatio, in dicta inhabilitate pro foro conscientiæ, valdè probabiliter valeat; ita Suarez tom. 5. in 3. p. D. 13. sect. 1. n. 34. Abbas c. *Expostulastis*. De Cleric. excommunic. ministr.

QUÆSTIO

QVÆSTIO IV.

IN TITULUM IV. NE PRÆLATI VICES SUAS, VEL ECCLESIAS, SUB ANNUO CENSU CONCEDANT.

595 DUplex quæstio continetur in hoc titulo. 1. Est, an Prælati licitè, sub annuo censu, vices suas, hoc est, *jurisdictionem suam* alicui concedere possint? Secundò an proventus Ecclesiarum, sub onere censûs annui, locari possint? Subjungitur titulus iste priori, tanquam ejus appendix, utpote continens aliquam etiam speciem Simoniæ.

ARTICULUS. I.

An Prælatus Ecclesiasticus, sub annuo censu, licitè jurisdictionem suam concedere possit?

596 REsponsio est negativa ex c. 2. & 3. h. t. ubi in postremo sic loquitur Alexander III. Quoniam *enormis consuetudo in quibusdam locis, contra SS. Patrum institutiones invaluit, ut sub annuo censu* (seu pretio) *Sacerdotes ad Ecclesiarum Regimen statuantur* (v. g. ut sint Decani, Archipresbyteri, Archidiaconi, vel ut agant vices Episcoporum in terminandis causis Ecclesiasticis) *ne id fiat, omnibus modis prohibemus &c.* Idem etiam habetur in Tridentino. Sess. 25. de Reformation. c. 11. ibi: *non liceat, etiam jurisdictiones Ecclesiasticas, seu facultates nominandi, aut deputandi Vicarios in Spiritualibus, locare; nec conductoribus per se, aut alios exercere &c.*

597 Ex hoc coll. 1. nulli Prælato Ecclesiastico licere, *vices*, hoc est *jurisdictionem suam*, quam habet ab Ecclesia, sub annuo *censu*, seu *pensione*, alteri concedere, ut constat ex c. 1. & 3. h. t. Coll. 2. Simoniacum esse Episcopum, vel Prælatum Ecclesiasticum illum, qui (recepto pretio) alteri suam jurisdictionem committit, Barbos. in c. 1. h. t. n. 2. Sic enim vendit spirituale pro aliquo temporali. Coll. 3. Vicarium non esse Simoniacum, qui ab Episcopo, vel alio Prælato constituitur, & recipit salarium laboris, pro sustentatione. Azor. Instit. moral. p. 3. l. 12. c. 14. q. 1. Nam accipere sustentationem, ex naturali justitia debetur ei, qui servit alteri, ut diximus præcedenti titulo. Ad quæstionem autem cur Episcopus, alteri, pretio accepto, committens vices suas, sit Simoniacus? non autem Vicarius recipiens pretium ab illo? respondet Panormitanus hic, discrimen esse; quia Vicarius constitutus recipit *pretium sui laboris*, cùm Episcopo locet suas operas, & nullo jure cogatur gratis servire. c. *cum ex officii*. De præscript. at verò Episcopus committens alicui suam jurisdictionem accepto pretio, vendit illi suam potestatem spiritualem.

Coll. 4. Eum, qui dedit pecuniam, 598
ut spiritualem jurisdictionem exerceat (v. g. ut *constitueretur* Vicarius) privari suo officio c. 1. h. t. & quidem *ipso jure* juxta Barbos. cit. n. 3. contra Vallensem hic n. 1. & eum, qui ei suam jurisdictionem confert, amplius conferre non posse, & canonicè puniri debere, ut dicitur cit. c. 1. h. t. rectè tamen sustinetur doctrina Vallensis, qui docet Vicarium in dato casu *privandum* Vicariatu sic acquisito, quia c. 2. h. t. expresse dicitur: *removeatur*. Unde ly *amittat* in c. 1. refertur *ad eum, qui taliter confert vicariatum*. Coll. 5. Quod Prælati, jurisdictionem suam, etiam *temporalem*, quam habent ab Ecclesia, pretio concedentes alteri, simoniaci sint; quod universaliter procedit, si aliquid exigant pro illis actibus, quos gratis præstare debent ratione sui officii; ita Suarez l. 4. Simon. c. 20. n. 19. Coll. 6. Vicarios, Decanos, Archidiaconos, & similes, qui dant aliquid temporale, pro acquirenda jurisdictione, ac potestate Ecclesiastica, competente tali officio, vel muneri, non tantùm simoniacos esse, sed etiam officio sic acquisito; locantes autem pro pecunia

ejusmodi officium, potestate illud conferendi, privandos esse, ut expresse dicitur c. 2. h. t.

ARTICULUS II.

An fructus, & obventiones Ecclesiarum licitè locari, & conduci possint pro annuo censu?

599 Resp. posse *ad breve tempus*, ut dicitur c. *querelam* 3. h. t. ubi, qui Ecclesiam sub annuo censu locavit ad septennium; ante lapsum temporis locatorium removens, dictam Ecclesiam eidem restituere jubetur, secundum datam fidem, illud autem *breve tempus*, jure antiquo fuit *septennium*, ut constat ex cit. c. ibi: ad *annuum censum tenendum per septennium*; vel saltem non ultra novennium: Hodie autem hoc tempus restrictum est *ad triennium*, & non ultra, per Extravag. *ambitiosa*, de rebus Eccles. alien. vel non alien. inter commun. ubi ea usu recepta est. Circa præsentem materiam quæstio est 1. an prohibitio per textum cit. Extravagantis, quæ prohibet locationem *ultra triennium*, cadat solum super locationem *rerum Ecclesiæ, aut beneficii* (ut sunt fundi, prædia) vel etiam *fructuum*, & *obventionum merè temporalium?* multi apud Barbos. in cit. c. *querelam*, n. 2. affirmant primum, nimirum, quòd cadat solùm super *locationem rerum*. Verùm juri conformius est, cadere super locationem rerum, bonorum Ecclesiasticorum, & *fructuum*, quâ rei Dominium transfertur; cùm Extravagans cit. postquam nominasset bona immobilia, & mobilia pretiosa, expresse loquatur de locatione *omnium rerum, & bonorum Ecclesiasticorum*, nihil (ne quidem excipiens fructus) nisi quæ pro temporis exigentia servando servari non possint, vel sint bona, quorum alienatio in certis casibus est jure permissa.

600 Alii porrò censent in hac locatione fructuum, & obventionum posse considerari, vel *jus percipiendi fructus*; vel solam *commoditatem*; & primum volunt omnino cadere sub prohibitionem (nam illud jus fundatur in titulo Spirituali) non autem *commoditatem*. In quo autem sita sit hæc commoditas? non explicant. Dici tamen potest, consistere in hoc, quòd, cùm sæpè non nisi molestis expensis pro cultura, & incommodis, ob locorum distantiam, Monasterium, vel beneficiatus possit percipere fructus ex re, vel fundo suo, conveniat cum altero, ut ipse suis expensis fundum colat, & laboret, ac inde fructus non *suo conductoris*, sed *locatoris nomine* percipiat, ac ex illis in tres v. g. partes divisis, unam tertiam pro labore; alteram pro expensis habeat; tertiam verò locatori pendat, in quo apparet commoditas cujusque. Hinc isti dicunt, beneficiarium posse locare fructus sui beneficii, etiam ultra triennium pro censu annuo; imò ad dies vitæ sic, ut in conductorem, seu, locatarium transferatur *sola commoditas* fructuum, non autem jus, seu *utile dominium*; nam Extravagans cit. expresse loquitur de locatione, per quam Dominium transfertur; id quod probabile censet Pirhing. h. t. n. 6. quamquam fateatur oppositum conformius juri; sed contrarium jam in multis provinciis per usum obtinuit.

ARTICULUS III.

An Successor in Ecclesia, vel beneficio teneatur stare locationi ab Antecessore facta?

Affirmativa videtur decisa in c. *querelam* 3. h. t. ubi ad Pontificem querelam detulit quidam Guilielmus, quòd, cùm sibi, quædam Ecclesia, per ejus Rectorem locata esset usque ad septennium pro pensione annua, præstitâ simul fide, ab illo Rectore, quòd illi intra hoc tempus nullam injuriam, vel gravamen super ea Ecclesia illaturus erat, postea tamen ante unius anni spatium, Ecclesiam auferre præsumpserit; ad hanc querelam respondet Alexander III. mandando Episcopo Exoniensi, ut, si ita esse constiterit, Rectorem illum compellat, ut præfatam Ecclesiam, dicto G. restituat, & usque ad tempus constitutum, prout inter eos convenit, ipsam eandem Ecclesiam permittat possidere. Ex hac resolutione quidam, ad quæstionem propositam, respondent *affirmativè*, quod quidem verum est 4. conditionibus concurrentibus, 1. si locatio facta sit nomine Ecclesiæ, 2. si in hujus utilitatem 3. si census locationis in ejusdem commodum convertatur. 4. Quòd locatio facta sit cum debita juris solennitate. Sic Gloss. in cit. c. *querelam* V. *Terminum*; Covarr. l. 2. Variar. c. 15. n. 6. Marta de jurisdict. p. 4. casu 98. n. 8. Quaranta in summa Bullarii V. *Alienatio* n. 19. 601

Ex hoc

602 Ex hoc coll. nec Prælatum, nec alium Beneficiarium Succeſſorem in Eccleſia, vel beneficio teneri ſtare locationi, vel conductioni Prædeceſſoris, ſi hic *nomine proprio* locavit Eccleſiæ, vel beneficii ſui fructus, aut obventiones, *in ſuam locantis utilitatem*; quia per commodum ſuum, eâ locatione quæſitum, non debet præjudicare ſucceſſori: hoc tamen limitatur 1. niſi locaſſet cum licentia Papæ, & clauſula, ne durante tali tempore Conductor moleſtetur etiam à ſucceſſoribus. Sic Quaranta cit. n. 39. deinde, niſi aliud habeat loci conſuetudo. Sic Aloyſ. Riccius in Collect. deciſ. p. 4. collect. 1007. & 1055. Tertio niſi annus locationis jam eſſet cœptus, factaque impenſa neceſſaria, ſaltem magnâ parte, ut ſi terræ jam eſſent ſatæ. Sic Bonacin. de contract. d. 3. q. 7. p. ult. n. 10. Piaſecius in Praxi nova Epiſcop. p. 2. c. 5. n. 32. & Baldus in L. *Emptorem.* C. Locati. n. 7.

603 Si quæras 1. an anno locationis jam cœpto, ubi locator deceſſit, & ſucceſſit alius, *Conductori ſaltem*, liceat recedere à locatione, invito locatore; ut, ſi videret parum utilitatis ſe conſecuturum? Reſpondet Barboſ. in cit. c. *Querelam* n. 6. quòd, quibus caſibus ſucceſſor ſtare tenetur locationi factæ per Anteceſſorem, vel ab ea recedere poteſt; in iisdem etiam Colonus, ſeu Conductor ſtare teneatur, vel recedere poſſit; cùm non minus onera, quàm commoda, debeant eſſe paria. Not. autem, expenſas *dici factas* in *utilitatem Eccleſiæ*, ſi converſæ fuerunt in rem perpetuò duraturam, ut not. Barboſ. cit. n. 5. ex Maſcardo, de Probat. concluſ. 728.

604 Si quæras 2. an Succeſſor de novo poſſit exigere penſionem anticipatò ſolutam Prædeceſſori, ſi locationi ſtare tenetur? Affirmativam tenet Barboſ. p. 3. de officio & poteſtate Epiſcopi, allegat. 94. n. 5. nullam tamen hujus affert rationem, ſed tantùm Auctoritatem Gigantis, Card. Tuſchi, & Surdi; & omnino ſic dicendum, ſi Prædeceſſor convertit eam anticipationem *in commodum ſuum.* Non enim præjudicare potuit ſucceſſori pro tempore, quo iſte talem Eccleſiam, aut beneficium non habet; imo penſionem anticipatò accipere non potuit, niſi verificatâ ſuppoſitione, quòd in ea adminiſtratione Eccleſiæ; vel poſſeſſione tempore locationis maneat. Conductor autem, ne damnum patiatur pro eo, quod anteceſſori ſolvit, regreſſum apud eum, vel ejus hæredes habet; aut, ſi nihil adſit, quod recuperet, imputare ſibi debet, quòd anticipatò penſionem ſolverit. L. *pro hæreditariis.* c. de Hæredibus. Notandum tamen ex Rebuffo de Privilegiis Scholarium, privil. 26. quòd, ſi beneficiatus locavit fructus ſui beneficii, per triennium, vel minus tempus, & illius temporis pecuniam anticipatò accepit, ut in literarum ſtudio vivere, vel gradum ſumere poſſit, etiamſi intra hoc tempus decedat, ſucceſſor in beneficio, locationi ab anteceſſore factæ, ſtare teneatur. Quia talis locatio cenſetur facta in utilitatem Eccleſiæ. Not. 2. Extra caſus à n. 602. exceptos, ſucceſſorem in beneficio non teneri ſtare locationi ab anteceſſore factæ, quando fructus rei locatæ ſemper pertinent ad eorum utilitatem, prout contingit in habentibus ſimplex beneficium, vel Canonicatum Eccleſiæ Cathedralis, vel Collegiatæ. Abbas c. *ex literis* de probationib. n. 7.

605 Si quæras 3. an fructus jurisdictionis Eccleſiaſticæ pro cenſu annuo locari poſſint? R. licet fructus naſcentes ex bonis Eccleſiaſticis, locari poſſint ad tempus jure permiſſum (ut dictum eſt n. 599.) & hoc abſque vitio Simoniæ; cùm obventiones hujusmodi nullam rei ſpiritualis rationem habeant, ut rectè notat Vallenſis h. t. n. 2. ſecùs tamen dicendum eſſe de fructibus, qui naſcuntur *ex ipſa jurisdictione Eccleſiaſtica*, ſi hæc pro pecunia, vel alio temporali quopiam locentur; ſic enim locatio contineret Simoniam, ut dicitur c. 3. h. t. & præberetur occaſio, ut, dum Sacerdotium annuâ mercede venale exponitur, ad æternæ retributionis præmium conſideratio non habeatur, converſis plerumque curis in recuperationem pretii, pro acquiſitione expoſiti, magno ſubditorum gravamine, ac preſſione; ab illis exigendo pretium, pro functionibus ſpiritualibus, quas tamen (ſecluſo debito juſtæ ſuſtentationis) gratis præſtare teneatur, per c. *Non ſanè*, 14. q. 5. & c. *Non ſatis* de Simon.

606 Dices: In Curia Romana pro pecunia quaſi venduntur officia Jurisdictionem, & emolumentum temporale habentia, naſcens ex eorum adminiſtratione v. g. *Auditoratus Cameræ.* 2. Summus Pontifex poſtulat *annatas*, id eſt, integros fructûs primi anni ex Epiſcopatibus, Prælaturis, aliisque beneficiis vacantibus, quorum reditus annui 24. aureorum ſummam non excedunt;

ergo

ergo licitè vendi, ac emi potest jurisdictio Ecclesiastica, habens annexum jus percipiendi fructus temporales. Sed ad 1. solutio constat ex dictis supra: Ad 2. R. annatas non solvi *pro ipso titulo beneficii, aut jure percipiendi fructus.* 1. Quia si beneficium uno anno bis, aut sæpius vacet, & diversis conferatur, annatæ non nisi semel solvuntur. 2. Quia solùm exiguntur tanquam pensio, vel subsidium charitativum, quod etiam Episcopi licitè petunt; ac etiam in veteri testamento Sacerdotes licitè pendebant, Pontifici solvendo decimas decimarum. Denique Pontifex licite imponit beneficiis pensiones solvendas in alterius gratiam, cur non in commoditatem Cameræ suæ Ministrorum, quibus eget ad Ecclesiæ Regimen, ut rectè observat Doctor Philippus Braun, ad Tit. 4. lib. 5. decretal.

QVÆSTIO V.

IN TITULUM V. DE MAGISTRIS, ET NE ALIQUID EXIGATUR PRO LICENTIA DOCENDI.

607 PEr *Magistros* hic intelliguntur ii, quibus incumbit onus docendi, assignato ad hoc aliquo beneficio, loco salarii. Cœterum nomen *Magistri* in jure accipitur pro eo, cui præcipua cura alicujus incumbit, ut dicitur L. *cui præcipua*, ff. de Verborum significat. Sic, qui *militibus* præest, *Magister militum*; qui *Equitibus*, *Magister equitum* vocari solet, de quibus, V. potest Gothofred. ad L. *cui præcipua*. Pro cujus intelligentia notandum, jure antiquo in singulis Ecclesiis Cathedralibus constituendum fuisse Magistrum Grammatices, & in Metropolitana Magistrum Theologiæ; nunc jure Trid. etiam in Ecclesiis Cathedralibus, si civitas sit insignis, vel populosa; & in Collegiatis, existentibus in oppido aliquo insigni, etiam nullius Diœcesis, si ibi Clerus numerosus fuerit, Theologiæ lectorem, eique præbendam deputari debere, quandocunque (exceptâ causâ resignationis, aut cui aliud incompatibile annexum non sit) primò vacabit; aut vacans, ad hunc finem, authoritate Episcopi constitui possit, imposterum dicenda *præbenda Theologalis*: His addidit Tridentinum sess. 7. de reform. c. 1. ut in Monasteriis quoque Monachorum, ubi commodè fieri potest, habeatur lectio Sacræ Scripturæ, & Abbates, in hoc negligentes, Episcopi locorum, tanquam sedis Apostolicæ delegati, opportunis mediis ad id compellant. Officium Theologi, in prædictis Ecclesiis sic constituendi, esse, Sacram Scripturam interpretari, & exponere, declaravit Congreg. Synodi apud Joannem Gallemart. n. 16. Fagnan. in c. 4. h. t. n. 29. ac sufficere, si legatur Theologia Scholastica: Quibus præmissis:

ARTICULUS I.

De Magistris.

608 PRima constitutio in c. *quoniam* 1. h. t. habet, ut jam diximus, in qualibet Ecclesia Cathedrali, vel etiam Collegiata, si ad hoc sufficientes reditus habeat, providendum esse Magistro de una præbenda, *qui Clericos ejusdem Ecclesiæ, & pauperes Scholares*, Grammaticam *gratis* doceat. Sic Alexander III. in cit. c. *quoniam* h. t. ex quo colligitur, quod vi cit. c. 1. talis Magister non teneatur docere *gratis alterius Ecclesiæ Clericos*, nisi sint *pauperes*; hinc à divitibus alterius Ecclesiæ potest exigere Stipendium, qui pro talibus docendis præbendam non habet, ut patet ex textu in cit. c. *Quoniam* ibi, *qui Clericos ejusdem Ecclesiæ*. Sed notandum, quòd ea constitutio Alexandri III. in multis Ecclesiis non observata, denuo sub Innocentio III. (ut dicitur in c. *quia nonnulli*. 4. h. t.) renovata, confirmata, & aucta fuerit, decernendo insuper; ut in Ecclesia Metropolitana etiam Theologiæ Magister constitueretur, qui sacerdotes, *& alios* in sacra pagina doceret, & in his præser-

præsertim instrueret, quæ ad curam animarum pertinent. Additum præterea præceptum, ut curetur ab eo, ad quem pertinet ejusmodi Magistrum constituere, vel eligere, ut illi assignentur proventus unius præbendæ, quin propterea talis Magister electus, efficiatur Canonicus illius Ecclesiæ.

609 Hanc constitutionem decretalem confirmavit Trid. sess. 5. de Reform. c. 1. & sess. 23. c. 18. quibusdam adhuc adjectis. Nam 1. Magister Grammaticæ, de jure antiquo eligendus erat ab Episcopo *cum consensu Capituli* per c. *quia nonnulli* h. t. at juxta Trid. cit. c. 1. *cum consilio Capituli*; hoc autem Episcopus, etsi petere teneatur, non tamen tenetur sequi, juxta declar. Card. apud Fagnan. in c. *quia nonnulli* n. 16. Secundò, illa constitutio præcipit, *Clericos talis Ecclesiæ*, in qua præbendam habet, & *alios* pauperes *gratis* doceri: Tridentinum autem dicit, qui *Clericos aliosq; Scholares pauperes* gratis doceat, indistinctè. Tertiò, constitutio vult in Ecclesiis Cathedr. & Colleg. constitui unum tantùm Magistrum Grammaticæ; in Metropolitanis verò, insuper etiam alium, Theologiæ: Tridentinum autem in qualibet earum exigit Magistrum Theologiæ unum tantùm; & in defectum redituum, vel paucorum discentium, saltem Grammaticum. Quartò, juxta illam constitutionem juris antiqui, assignandi erant reditus unius præbendæ: In Tridentino autem non fit mentio præbendæ; sed solùm, mandatur, ut ei assignentur fructus beneficii simplicis; vel merces persolvatur condigna ex Episcopali, vel Capitulari mensa; vel alio nomine. Præter hæc addit Tridentinum, ut etiam in Monasteriis Monachorum, ubi commodè fieri potest, lectio Sacræ Scripturæ habeatur, & si Prælati negligentes fuerint, Episcopi locorum, *ut delegati sedis Apostolicæ*, ad id compellant; ac eandem lectionem haberi præcipit etiam in Conventibus aliorum Regularium, in quibus studia vigere possunt, ut in Gymnasiis.

610 Not. autem, in illis Ecclesiis, in quibus præbenda, præstimonium, seu aliud quovis nomine nuncupatum beneficium, pro lectoribus Sacræ Theol. deputatum, reperitur, vocari *præbendam Theologalem*, ac ejus provisionem, alteri, quam per se, vel alium idoneum, ad id munus præstandum, irritam, ac nullam esse. Not. 2. Lectorem Theologiæ in dictis Ecclesiis non posse obtinere aliud beneficium, cum lectura incompatibile, ut not. Barbos. in cit. c. 1. Trident. n. 9. Et quamvis præbenda Theologica, secundùm Canones, instituta sit pro Professore *Sacræ Scripturæ*, satis fieri tamen, si legatur *Theologia Scholastica*, juxta Congr. Concilii apud Fagnan. cit. à n. 29. & Barbos. cit. n. 39. Not. 3. Ejusmodi Professorem, vel lectorem præbendarium in dictis Ecclesiis, vocari ab aliis *Scholasticum* (olim etiam solitum appellari *Advocatum*, de quo in c. *de quibusdam*. dist. 37. & Trident. sess. 23. de Reform. c. 10.) cujus lectionis, vel doctrinæ munus erat, Clericos inferiores cantum latino sermone, & alias artes, ac disciplinas docere; sic Pereyra in Elucidar. n. 273. Ejusmodi Professorem, vel lectorem in Cathedralibus, habere *dignitatem*, vel saltem *Personatum*, docet Azor. p. 2. l. 3. c. 23. Et in quibusdam Ecclesiis, etiam esse alium, dignitate inferiorem illo, personatu tamen præditum (qui dicitur *vice Scholasticus*) absentis Scholastici munus & officium exequi solitum. Sic ille.

ARTICULUS II.

De Licentia docendi.

PEr eam hic intelligitur facultas docendi ex jurisdictione, & officio, ut notat Vallensis h. t. n. 1. hæc confertur in collatione Doctoratus. Soli enim Doctores *ex officio docere possunt*. Ejusmodi autem Doctoratus, est *dignitas*, & Doctor dicitur in dignitate constitutus, ut notat Barbos. in c. *quanto*, de Magistris; ubi sub pœna excommunicationis, & privationis officii & *dignitatis* prohibetur, ne pecunia exigatur *pro licentia docendi*, etiamsi hoc habeat consuetudo: Sed, ut hoc rectè intelligatur, not. 1. non esse illicitum, accipere stipendium pro docenda Theologia, sive Scholastica sivè morali (quæ scilicet pertinet ad casus conscientiæ) sive positiva, seu explicativa Sacræ Scripturæ. Nam actus docentis, nec ex se sunt spirituales; nec supponunt potestatem spiritualem. Not. 2. Dare pro pecunia facultatem, seu licentiam docendi, non esse Simoniacum, nec illicitum, ex natura rei, quando talis licentia non est actus jurisdictionis spiritualis; quia tunc nec facultas docendi, nec licentia data ad actum est spiritualis. 611

612 Not. 3. *Dare talem licentiam*, quando est actus jurisdictionis spiritualis (ut *est constituere Theologum pro Ecclesiis supra dictis*, cui assignanda est præbenda Theologalis, à Superiore Ecclesiastico, quâ tali) illicitum esse; cùm hoc prohibeatur in c. *Quantò* 3. h. t. ibi, *dignos animadversione censemus, qui nomen Magistri Scholarum, & dignitatem assumunt, & sine certo pretio Ecclesiasticis viris, docendi alios licentiam non impendunt.* Not. 4. In Clement. 2. & final. h. t. statutum esse, ut ii, ad quos ex officio spectat, *conferre Magisterium*, seu gradum Doctoratûs, prius à promovendo recipiant juramentum, quòd in solemnitate, seu promotione sua, non exponent ultra summam trium millium Turonensium, hoc est, juxta computum gloss. hic, 250. aureorum, nisi sint altioris status, sed circa hoc raro est periculum, nisi forsan in casu, quo pecunia supplere debet *defectum scientiæ*. Cæterum hæc constitutio in pluribus locis, & Academiis est abolita, & usu non recepta.

ARTICULUS III.

De Privilegiis Magistrorum & Discipulorum.

613 LOquimur de privilegiis jure canonico in materia ipsius dispositioni subjecta, utrique docentium, ac discentium parti concessâ; quæ tamen tangunt solos Clericos. Circa hoc Tridentinum sess. 5. de Reform. c. 1. statuit, ac indulsit, ut *Magistri docentes Sacram Scripturam (dum publicè in Scholis docuerint) & Scholares (qui in ipsis student) privilegiis omnibus de perceptione fructuum, præbendarum, & beneficiorum suorum, in absentia, à jure communi concessis, plenè gaudeant, & fruantur.* Hoc privilegio etiam gaudent docentes Theologiam, vel jus Canonicum, ac in eo studentes. Sic Felinus in c. *super specula.* h. t. n. 2. cum communi. Imò etiam jure communi competit hoc privilegium docentibus, & studentibus *Juri Canonico*; cum sit pars scientiæ divinæ, ut dicitur c. *Qualiter* 24. de accusat. & sæpius appellatur *jus divinum*, ut in c. *Nimis.* 30. de jure jurando c. 2. de privileg. in 6.

614 Not. autem 1. docentes, hoc privilegio gaudere, quàm diu docent; studentes autem solo quinquennio, ut dicitur in Trid. cit. ad hoc autem requiritur, ut frequentent in *studio generali*, vel celebri Universitate. Garcia de beneficiis p. 3. c. 2. n. 55. ex declaratione Cardinalium interpret. Trid. Et hoc procedit etiam, si docens non sit membrum talis Universitatis, modò doceat cum hujus, vel Collegii Doctorum licentia. Garcia n. 60.

Not. 2. Illud privilegium *de percipiendis fructibus in absentia studiorum causâ*, non 615
extendi ad distributiones quotidianas, quando hæ distinctæ sunt à fructibus præbendæ. Si autem omnes, vel ferè omnes fructus in distributionibus consistant, illis absentibus duæ earum partes conceduntur; tertia retinet naturam distributionum, & accrescit præsentibus. Sic Fagnan. in c. *fin.* h. t. à n. 2.

His addenda videtur constitutio, seu 616
authentica Friderici Imperatoris, quæ intitulatur *Habita.* C. Ne filius pro Patre, quæ est 5. lib. 4. C. in tit. 13. & concernit omnes bonarum literarum Professores, & Studiosos, de qua Oldendorpius in tract. de Jure Singulari c. 10. Rebuff. l. 1. de privil. Scholasticorum &c. In ea porrò Imperator statim in principio dicit, ea, quæ ibi statuit, habita super hoc diligenti inquisitione Episcoporum, Abbatum, Ducum, omnium Judicum, & aliorum Procerum Sacri sui palatii examinatione, *omnibus*, qui causa studiorum peregrinantur, *Scholaribus*, & maximè divinarum, atque sacrarum legum Professoribus, hoc suæ pietatis beneficium indulgere. Deinde, post insignes omnino laudes Professorum cumprimis, tum etiam Scholarium ait: *Hâc igitur generali, & in perpetuum valiturâ lege decernimus, ut nullus de cætero tam audax inveniatur, qui aliquam Scholaribus injuriam inferre præsumat; nec ob alterius cujuscunq; Provinciæ delictum, sive debitum (quod aliquando ex perversa consuetudine factum audivimus,) aliquod damnum eis inferat.* Secus autem agentibus statuit pœnam his verbis: *Sciturisque hujusmodi sacræ constitutionis temporibus; & etiam ipsis locorum Rectoribus, qui hoc vindicare neglexerint, restitutionem rerum ablatarum ab omnibus exigendam in quadruplum: Notaq; infamiæ eis ipso jure irrogandæ, dignitate sua se carituros in perpetuum.*

Deinde statuit Ordinem, si quid con- 617
tra dictos privilegiatos emergat, his verbis: *Verum tamen, si litem eis quispiam super aliquo negotio movere voluerit, hujus rei optione datâ Scholaribus, eos coram domino, vel Magistro suo, vel ipsius Civitatis Episcopo (quibus hanc jurisdictionem dedimus) conveniat. Qui verò ad alium judicem eos trahere tenta-*

tentaverit (etiamsi causa justissima fuerit) à tali conamine cadat. Hanc autem legem inter imperiales constitutiones, scilicet sub titulo: Ne filius pro Patre, &c. inseri jussimus. Datum apud Roncalias, anno Domini M C LVIII. mense Novemb. Sic Imperator.

618 In hac Authentica plura in considerationem veniunt, 1. ea verba, nec ob alterius *cujuscunq; Provinciæ delictum*, quod scilicet jure municipali aliquam in ea Provincia specialitatem, aut exceptionem habet. 2. *Perversam* vocari *consuetudinem*, quando titulo consuetudinis, quâ passim utuntur quidam Judices civitatum, aut territoriorum, jus jurisdictionis sibi *in Studiosos* arrogant, 3. quòd immunitatem Studiosorum lædentes, in *quadruplum* pro damno eis illato puniantur; *ipso jure infames* fiant, & *suâ dignitate in perpetuum careant*. 4. Quòd *etiamsi alias justissima fuerit*, causâ *cadant*, qui eis litem moverint super aliquo negotio, & *coram alio Judice, quàm competente*, nimirum Academiæ vel Gymnasii, habentis privilegium instar Academiæ, convenerint; quale vi hujus Authenticæ omnes Scholares habent, cùm textus indefinitè loquatur. V. Layman in c. *Cùm olim.* 6. De consuetud. n. 6. Ubi expressè habet, vi hujus Authenticæ etiam in causis criminalibus Studiosos proprium Judicem habere. Et Philippus Braun. l. 2. tit. 2. de foro compet. ob generalem prohibitionem in cit. Authen. *Habita*, expressè docet, quòd Studiosus alterius jurisdictionem in se prorogare non possit; *quia Judex non Academicus jurisdictionis Academicæ non est capax.*

QVÆSTIO VI.

IN TITULUM VI. DE JUDÆIS ET SARACENIS, EORUMQUE SERVIS.

619 HOc Titulo agitur de duplici specie infidelitatis contra veram fidem Christi, quâ, ut notat Vallensis h. t. n. 1. in DEUM peccatur, malè colendo. Per *infidelitatem* hic non intelligimus eam, quæ opponitur *fidei morali*, quâ quis præstat, quæ conformiter muneribus suis, vel promissis præstare debet; sed *Catholicæ*, per quam creditur, quidquid Romana Mater Ecclesia proponit omnibus fidelibus credendum, tanquam à DEO revelatum. Infidelitas sic accepta dividitur in *Paganismum, Judaismum, & Hæresim. Paganismus* est infidelitas, quâ quis neutrum testamentum recognoscit, proindeque neque Judæorum, neque Christianorum scripturis assensum præbet. *Pagani* (qui olim ab Hebræis dicebantur *gentes*, modò à Christianis vocantur *gentiles*, & Ethnici) unde dicantur? multiplex est sententia. Philaster. lib. de hæres. cap. 3. *Paganos* dictos existimat à Pagano quodam hujus nominis, filio Deucalionis, & Pyrrhæ; Isidorus lib. 8. Ethym. cap. 10. dictos tradit ex *Pagis* Athenienſibus, ubi orti, delubra, & idola colebant. Beda hom. in Fer. 3. palm. existimat *Paganos* dictos esse à villis, quas Catini pagos dicunt: Quòd longe distent à cœlesti civitate. *Judaismus* autem est infidelitas, quâ quis affectus, contradicit fidei Christianæ, non sub nomine Christiano, & tanquam Christianus credens Christum venisse, sed sub nomine Judaico, & credens Christum nondum venisse, sed venturum, sicut ex veteri testamento credebatur. *Hæresis* vox græca est, quæ sonat sectionem, & deducitur à Verbo *Hæreone*, id est *eligo*: Eò quòd aliquam opinionem sectandam hæreticus eligat. 24. q. 3. cap. *hæresis.* Et quidem ab initio dicebatur *hæresis*, vel *secta*, quæcunque opinio, sive vera, sive falsa, quam quis in quacunque disciplina sequendam eligebat; imò Judæi Christianam Religionem vocabant *hæresin*, juxta illud Pauli. Act. 24. *Secundùm sectam*, inquit, *quam dicunt hæresim, sic deservio Patri, & DEO meo.* Hodie verò ex usu Ecclesiæ, vox *hæresis* versatur solùm in materia fidei, & solum accipitur in malam partem, pro electione

privatæ doctrinæ cum pertinacia contra Catholicam. Sic jam olim Apost. 1. ad Corint. 11. *Necesse est HÆRESES esse, ut, qui probati sunt, manifesti fiant.* Significat etiam hæresis, teste Sylvestro V. *eod.* n. 1. *divisionem*, & sic in proposito videtur *hæsio intellectus ad falsam sententiam in spectantibus ad fidem, & mores cum obstinatione.* Vide multa de hac re apud Farinac. lib. 1. Variar. tract. de hæresi, q. 178. §. 1. à n. 29. usque ad 41.

ARTICULUS I.

De Judæis.

620 SUpponendum *Judæorum* nomine hic venire illos, qui profitentur Judaismum, seu illos, qui vetus testamentum recipiunt, & illud ad unguem servant circumcidendo se, & alia legalia ad literam faciendo, sic dictorum vel à Juda Duce, vel secundum alios à tribu Juda, quæ inter eos erat Nobilior, & bellicosior, & ex qua creabantur Reges, & Duces populi, sicut ex tribu Levi Sacerdotes. Sic Vallens. h.t. n. 1. Not. autem Christianis interdictam esse communicationem cum infidelibus, etiam in rebus politicis, & ad humanum commercium spectantibus, ut constabit ex dicendis. Hæc autem prohibitio non est *in pœnam* infidelium; cùm enim non subsint Ecclesiæ, ab illa puniri non possunt; unde respicit solos fideles, *ne subversionis periculo* se exponant, quo cessante, cessat etiam dicta prohibitio, ut docet D. Thomas 2.2. q.10. a. 9. Sanch. l.2. moral.c.31. à n. 1, quibus præmissis:

621 Quæres 1. Quæ communicatio cum Judæis interdicta sit Christianis? R. multa esse, in quibus Christianis conversatio, seu communicatio, etiam politica, interdicitur cum Judæis. Primum est, quòd, si alicubi Judæi, & Saraceni permittantur habitare inter Christianos, illi debeant uti habitu distincto à Christianis, c. 15. h. t. Deinde, interdicitur Christianis assidua conversatio, & familiaritas cum Judæis, c. *Nullus*, & c. *Omnes*, 28. q. 1. Et ideo Christianis prohibetur in specie habitare cum Judæis cit. c. *Nullus*, ibi: *Aut cum eis habitet*, & c. *Judæi*, 5. h.t. ubi dicuntur excommunicandi, qui cum Judæis, vel Saracenis præsumpserint habitare, ut notat gloss. ibi V. *Judæi.* Excipe Religiosos, & Clericos, cum eis degentes causa fidei propagandæ, c. *quàm sit* 10. h.t. Si autem contingat, quòd Christianus in servitio suo habeat aliquem ex Judæis (hoc enim licet per c. *etsi* 13. h.t.) non licere illi, ut habeat eum familiarem, seu domesticum, c. *sæpe*, 12. cum seq. 24. q.1. Secùs tamen est, si Christianus Saracenum habeat servum; nam hi non ita sunt obstinati, sicut Judæi.

Tertiò Christianis non licet uti Medico Judæo extra defectum Christiani æquè periti. 622 Sylvest. V. *Judæus*, q.1. qui addit non tamen esse illicitum, à Judæis emere medicinas, si ab eis non præparentur, vel saltem non applicentur. Quartò Christianis non licet cum Judæis simul balneum intrare, ac in eo se lavare, nisi aliud exigat necessitas, ut dicitur in cit. c. *Nullus.* Quintò Christianis prohibetur Judæos invitare, & vicissim eorum convivia accedere, c. *omnes*, 28. q.1. & Azor p. 1. l. 8. c. 22. q.3. aliud est, si contingat Christianum divertere apud Judæum cauponem; vel accidat, in eadem mensa, Judæum hospitem esse; hoc enim non prohibetur in cit. cap. ita Sanchez. l. 2. moral. c. 31. n. 10.

Sextò, Christianis etiam prohibetur, 623 adire Judæorum nuptias, dies festos, ludos, Synagogas; vel cum illis ducere choreas, si sonet aliquam familiaritatem; vel adsit periculum scandali, aut perversionis; nec eis licet vesci azymis Judæorum, nisi fortè cogat necessitas, cit. c. *Nullus.* Septimò Christianis non est licitum Judæorum filios nutrire in eorum domo, ut dicitur in c. *Ad hæc*, h.t. quod munus est nutricum; nec obstetricem agere. Quidam putant, licere extra eorum domum; sed Sanchez, Azor, & alii censent verius esse oppositum; quia sic non cavetur Judæorum familiaritas. Octavò non esse prohibitum Christianis cum Judæis inire contractus, emendo, vendendo; quia id nullo jure prohibetur, & per sensum contrarium colligitur ex c. *post miserabilem*, de Usuris. Prohibetur tamen Christianis aliquid Judæis legare, vel testamento relinquere, L. 1. C. de Judæis & gloss. in c. *Judæi* eod. V. *permittuntur.*

Quæres 2. Quænam Judæis, potesta- 624 ti Principum Christianorum subjectis, interdicta sint? Primum est, ne aliquo officio publico fungantur inter Christianos. c. *cum sit* h.t. & c. *ex speciali.* 18. eod. & L. ult. C.

ult. C. de Judæis. Non est tamen illicitum, reditus regales, vel gabellas locare, vel vendere Judæis, & Paganis, modò Rex caveat, ne ipsi per se, vel alium, ab ipsis deputatum gabellas, aut reditus exigant, sed per fidelem Christianum à se constitutum. Abbas & Barbos. hic. n. 2. Secundum, ne liceat illis novas Synagogas erigere, c. *Judæi* h. t. & c. *Consuluit.* 7. eod. non tamen, antiquas solùm reparare; Pirhing hic n. 14. Unde Christianis non licet in ædificio novæ Synagogæ laborare, illis ad eum finem ligna vendere &c. S. Thomas 2. 2. q. 163. a. 2. ad 4. Si quæras, quomodo dicatur, *non licet Judæis*, si prohibitio sit juris tantùm Ecclesiastici? huic enim Judæi non subsunt? R. nos loqui de Judæis Christianorum Principum potestati, ac imperio subjectis, qui proinde constitutionibus Ecclesiasticis directè ligantur, ne illa Judæis sibi subditis permittant. Cæterùm ritus, & observationes Judæorum Ecclesia tolerat. c. *Consuluit.* 7. h. t. cùm per illas, veritas nostræ fidei, præfigurata sit.

625 Quæres 3. Quæ Judæis inter Christianos permittantur? R. Judæis licere 1. habere bona immobilia, c. *quantò* de usuris, c. *de terris*, de decimis; non tamen in statu Ecclesiastico, ex constitutione Pauli IV. ut notat Barbos. in c. *Judæi*, n. 5. Secundò Judæos conversos ad fidem Christianam, retinere jura successionis erga parentes, & agnatos, sic Abbas in cit. c. *Judæi* n. 2. Tertiò, filios Judæorum conversos ad fidem Christianam non posse propterea exhæredari à parentibus, gloss. in c. *Judæi* V. *fideles*; 1. q. 4. Quartò eosdem susceptò baptismo liberari à patria potestate, fierique sui juris. gloss. in c. *Judæorum* 11. 28. q. 1. V. eodem. Quintò illicitum esse Judæos ad fidem conversos molestare in bonis suis, ut dicitur Extravag. *Dignum*, h. t. inter communes. Sextò Judæis ad fidem conversis remitti omnia, & quæcunque bona etiam ex usuris, & alio illicito quæstu acquisita, si personæ, quibus facienda foret restitutio, sint incertæ; ex constitutione Pauli III. quæ incipit: *Cupientes.*

626 Præter hæc not. 1. illicitum esse, Judæos invitos ad Christianam fidem compellere, c. *sicut*, 9. h. t. imò etiam eorum, aut gentilium infantes, invitis Parentibus, baptizare, priusquam veniant ad usum rationis; tum propter periculum fidei postea contemnendæ; tum, quia tunc sunt sub cura parentum, cui subtrahi non debent illis invitis. Not. 2. Judæos non esse propriè, & strictè *servos* Christianorum, atque adeo ab illis coacta servitia per Christianos exigi non posse, ut dicitur in cit. c. *Sicut.* Not. 3. Judæum à Christiano petentem baptismum, non debere statim, sed postquam ejus voluntas satis explorata est, baptizari, cit. c. *sicut*, & ideo in c. *quod absit*, 98. dist. 4. de consecrat. per quadraginta dies inter Christianos versari debet, antequam baptizetur.

Not. 4. Judæos (idem est de gentibus) 627
ad fidem conversos, non perdere bona sua justè acquisita. c. *Judæi* 5. §. *si qui.* h. t. reliqua verò malè acquisita, sicut quilibet alius malæ fidei possessor, restituere debere, (c. *Cùm tu*, 5. de Usuris) si Dominus sciatur; cùm hoc fundetur in jure naturali. Not. 5. Ex c. *Sicut* h. t. prohiberi, Judæos *sine judicio* punire in bonis, vel corpore; bonas eorum consuetudines immutare; coacta servitia ab eis exigere, mutilare, cœmiteria illorum invadere, vel humana corpora effodere. Sic Barbos. in cit. c. qui, n. 4. docet cum aliis, quòd Christiani Principes non possint eos ex suo territorio expellere sine justa causa. Verùm, in hoc, credo non facile defuturam causam justam, in gente reverâ tam contumaci; servato tamen ordine juris naturalis præceptivi.

Quæres 4. Quæ sit pœna Judæi læ- 628
dentis Christianum? De hoc agitur in c. *Postulasti*, 14. h. t. ubi statuitur, si Judæus percusserit Clericum, Dominum, cui talis Judæus temporaliter subest, debere Judæum punire pœnâ pecuniariâ, vel, si de facto puniri non possit, interdicere illi commercium cum Christianis; &, si Dominus hanc percusso satisfactionem præstare negligat, Episcopum præcipere debere, ne quis Christianorum cum Judæo communicet, donec parti læsæ satisfaciat. Si autem Dominus temporalis, cujus potestati subest Judæus, negligat, hunc punire propter commissum delictum Ecclesiasticum, Judex Ecclesiasticus non eo ipso potest Judæum punire temporaliter, nisi talis Judæus sit de temporali jurisdictione Ecclesiæ. Sic Pirhing cit. n. 29. §. coll. 2. quia non subest Judici Ecclesiastico. Not. Præterea, litem inter Christianos, & Judæos exortam, non à Senioribus Judæorum, sed ab Ordinariis Judicibus dirimendam. L. *si qua* 15. C. de Judæis. Cæterùm, etsi Judæus percutiat Clericum,

excommunicationem tamen latam in c. *si quis* 17. q. 4. non incurrit; quia Judæus jurisdictioni Ecclesiæ non subest; hinc Judex Ecclesiasticus non potest punire Judæum propter delictum Ecclesiasticum, seu in quantum agit aliquid contra jus canonicum, & leges Ecclesiasticas; cùm his non ligetur: Potest tamen ex delegatione Principis Laici, cui temporaliter subest Judæus, si agat aliquid in contemptum Christianæ fidei; in quo, si graviter excedant, ex toto etiam territorio suo illos Princeps relegare potest, ut sæpe factum est, prout ostendit allatis exemplis Barbosa in c. *Sicut Judæi*. 9. h. t. n. 5. & alii.

ARTICULUS II.

De Saracenis.

629 INfidelitas *Saracenorum*, est species paganismi, de quo n. 619. dicti sunt etiam *Agareni* ab Agar ancilla Abrahæ, & alio nomine *Ismaëlitæ* ab Ismaële filio utriusque, à quibus ducunt originem, teste Josepho lib. 1. Antiq. cap. 20. dicti *Saraceni* à Sara, a qua mendaciter finxerunt se genus traxisse, ut ignominiam declinarent. At Stephan Græcus 1. de Urbibus, scribit, *Saracenos* fuisse populos post Nabathæos in Arabia, tales nominatos à *Saraca* Urbe Arabiæ. Hi, Mahometi falsi prophetæ institutis, & documentis imbuti Persas superarunt. Ex quo factum est, ut nomen gentis in nomen sectæ Mahometanæ transierit. Inter Saracenos sunt quidam vocati *Samaritani* à Samaria Civitate, qui receperunt quinque libros Moysis, sed prophetas respuerunt. Unde differunt à Saracenis; quòd hi nec vetus, nec novum testamentum recipiunt. Cæterum sub præsenti titulo sub nomine *Saracenorum* veniunt omnes pagani, qui vel in gentilium cæcitate perdurantes idolis serviunt, vel impia Mahometis dogmata sequuntur, ut notat Zoësius h. t. n. 1.

630 Circa hos, jure communi canonico, Christianis plura interdicta sunt. Nam 1. Christiani Saracenis arma, ferrum, & ligamina (seu lignamina) galearum deferentes, dum ad impugnandos Christianos ea subministrant, excommunicationi, & aliis pœnis subjacent. c. *Ita quorundam* 6. h. t. Idem statuitur in eos Christianos, qui in navibus & piraticis Saracenorum, regimen, & curam gubernationis exercent, ubi additur, *ut tales per Christianos Principes, & Civitatum Consules rerum suarum privatione mulctentur, & Capientium servi fiant.* Deinde in eodem c. statuitur, ut per Ecclesias maritimarum urbium crebra, & solemnis eorum excommunicatio promulgetur. In c. *ad liberandum*, 17. eod. prædicta rursum confirmantur; & quibusdam additis, statuitur, ut talibus ultra prædictas pœnas, gremium S. Ecclesiæ non aperiatur, nisi totum, quod ex tam damnato commercio perceperunt, & tantundem de suo in subsidium terræ S. submiserint; & si solvendo non fuerint, aliis pœnis in aliorum exemplum subdantur. *Armorum* autem nomine hoc loco veniunt ea omnia, quæ ad pugnandum tam defensivè, quàm offensivè deserviunt. Barbosa in c. *Ita querundam*, n. 4. nomine *ferri* in hoc textu intelligitur tam factum, quàm infectum, seu non laboratum; nomine autem *ligaminum* (seu rectius, *lignaminum*) venit lignum, ex quo fieri solent triremes, & aliud quodvis genus navigii oblongi. Sic Barbos. cit.

Ad ulteriorem horum intelligentiam 631
not. 1. prohibitionem de non ferendis armis ad *Saracenos*, intelligi de omnibus inimicis nominis Christiani, qui actu, vel habitu (hoc est frequenter) gerunt bellum contra Christianos, odio Christiani nominis; non autem, si bellum gerant contra alios Paganos. Barbos. cit. n. 8. Not. 2. Prædictam excommunicationem esse latæ sententiæ, ut patet ex verbo *subjectos*; quia participium præteriti temporis, etiam in dubio, est latæ sententiæ, ut notat Barbos. n. 12. ex Tiraquello; & hodie esse de reservatis Bullæ in Cœna Domini; sic Barbosa n. 2. qui num. seq. docet ex Azor. p. 1. l. 8. c. 2. q. 4. in hoc textu cap. *ita quorundam* (quo fertur prædicta excommunicatio) per *Saracenos* non intelligi *Judæos*, & *Paganos*; secus, in Bulla Cœnæ. Not. 3. Licere Christianis, ire ad terras Saracenorum, ut à captivitate suos liberent, etiam lytrum solvendo, c. *significavit*, 11. h. t. probabilius tamen esse pro lytro in dato casu non posse dari arma, & similia prohibita. Sic Barbosa in c. *significavit*. n. 2.

Not. 4. Nec post treugam factam in- 632
ter Christianos, & Saracenos, sine incursu excommunicationis Christiano licere ad Saracenos prædicta prohibita deferre. c. *Significavit* §. *illi quoq;*. Per *treugam* autem intelliguntur *inducia*, seu *securitas* personis,

sonis, ac rebus concessa, ad tempus, ut dicitur c. 1. de treuga, & pace. Unde, qui facit treugam, non faciat pacem, nec desistit à bello, nisi ad tempus; gloss. in cit. c. *significavit.* V. *Post treugam.* Not. 5. Durante bello, inter Christianos, & Saracenos, nullas omnino merces, etiam aliàs non prohibitas; nullumque subsidium hostibus fidei præstare licitum esse sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, c. *quod olim* 12. h. t. Not. 6. Cum prædictis decretalibus concordare Extravagantem 1. de Jud. inter communes, ubi insuper statuitur, ut tales, in diebus dominicis, ac festis publicè denuntientur excommunicati. 2. Ut sint perpetuò infames, incapaces testari, vel succedere ex testamento, aut ab intestato; ab omnibus actibus legitimis excluſi, bonis eorum ad fiscum devolutis: imò etiam jure civili, sub pœna confiscationis omnium bonorum, & ipsius personæ, pœnâ capitali, ejusmodi exportationes armorum prohibentur, ut dicitur L. 2. C. quæ res exportari non debent. Similes prohibitiones extant in Extravag. *Copiosus*, Joannis XXII. & Clement. *Cedit.* eod.

633 Not. 7. Christianis quoque prohibitum esse, habitare simul cum Saracenis. c. *Judæi.* 2. h. t. nec licere quicquam illis vendere, ad eum finem, ut exstruantur, fabricentur, aut muniantur idolorum fana, c. *Consuluit.* 7. eod. licet tamen missis ad conversionem fidelium, servatâ tempo. um qualitate vesci cibis, qui ab illis apponuntur, c. *quam sit* eod. Not. 8. Saracenos (idem est de Judæis) qui habitant in terris Christianorum, debere uti habitu, à Christianis distincto; & in die passionis Domini non debere in publicum progredi, c. *in nonnullis*, 15. eod. nec capaces esse publicorum munerum inter Christianos. Sic Barbos. in c. *Cùm sit*, eod. quomodo autem eis regalia vendi possint, constat ex dict. de Judæis, supr.

ARTICULUS III.

De Servis Judæorum, & Saracenorum.

634 SUpponendum, *Servum* propriè, ac strictè acceptum, esse, qui jure gentium, vel civili, dominio alterius contra naturam subjicitur. Hic autem nomen *Servi* latissimè sumitur, prout dicitur à *Serviendo*, ita, ut eo nomine comprehendantur, famuli, & famulantes alicui pro mercede, seu stipendio. Sic Vallensis hic §. *additur autem*; his præmissis: In c. 1. de Judæis statuitur, ne ullus Christianus Judæo serviat, & cuilibet permittatur, Christianum, servum Judæi, ab hoc, sive ad ingenuitatem, sivè ad servitium, duodecim solidis redimere; quod etiam dicendum est, si servus Judæi desideret fieri Christianus, & à Domino non permittatur, sic. c. *præsenti*, h. t. Hinc deducit Barbosa ex cit. c. 1. quòd Princeps secularis non possit permittere in suo regno, quod Judæi habeant mancipia Christiana. 2. Quòd Episcopi non possint in hoc puncto dispensare. 3. Quòd si Servus asseratur emptus ab infideli, causâ matrimonii, & infra sex menses expositus, emptorem non invenerit, duodecim solidis persolutis liber efficiatur; potest tamen Judæus Christianum habere in adscriptitium, in consequentiam ruris, quod possidet, c. *Multorum.* h. t. Azor. p. 1. l. 8. c. 22. q. 8. An vero Judæis liceat suorum liberorum habere Nutrices Christianas constat ex Artic. 1.

ARTICULUS IV.

Quale peccatum sit transgressio prædictorum Canonum?

REsp. in iis casibus, ubi agentibus contrarium ei, quòd dictis canonibus statutum est, apponitur pœna excommunicationis latæ sententiæ, transgressionem ex genere suo esse peccatum grave. Nam commissio peccati, cui statuitur in pœnam excommunicatio simpliciter, semper est mortalis ex genere suo; hæc enim pœna semper supponit peccatum grave, ut dicemus infrà de sent. excom. In reliquis autem, ubi transgressioni non statuitur pœna, supponens peccatum grave; sed lex procedit præcisè prohibendo communicationem, propter periculum perversionis ad recessum à vera, & amplexum falsæ Religionis, transgressio pariter ex genere suo mortalis erit, ubi periculum est proximum. Nam sine graviter prohibito, graviter quoque prohibitum est, exponere se periculo proximo talis finis. Denique in his, in quibus inimicis crucis Christi, & Christiani nominis hostibus, præsertim constanter talibus, prohibetur subministrare arma, & similia, quibus in bello, & hostilibus invasionibus vehementer juvantur ad eum finem, qui est Christianos invadere, 635

vadere, possessionibus suis spoliare, Christi cultores delere, & sectas suas in terras fidelium, extincto, aut suppresso Christi, ac Cultorum ejus nomine, invehere, transgressio pariter ex genere suo gravis est, utpote medium, ex se aptum, suppeditans in his circumstantiis ad finem divino jure graviter prohibitum.

QVÆSTIO VII.

IN TITULUM VII. DE HÆRETICIS.

636 *Hæresis*, ut notavimus n. 619. dicitur ab electione, per quam homo baptizatus sibi eligit disciplinam, seu doctrinam contra *fidem* ab Ecclesia propositam, cui pertinaciter adhæret. Hinc, qui post professionem *fidei* factam in baptismo, errorem aliquem contra definitionem Ecclesiæ cum pertinacia tuetur, hæreticus est, & quidem tantùm *materialis*, si ignoret, se errare; *formalis* autem, si errare se scit, & nihilominus errorem suum pertinaciter defendit. V. c. *qui in Ecclesia*, cum seq. 24. quæst. 3. his præmissis:

ARTICULUS I.

De Hæreticis.

637 AGimus hic de Hæretico formali, *non utcunq;*, sed *prout subjacet pœnis Ecclesiasticis*. Ex quo inferes, sub nomine *Hæretici*, prout ab Ecclesia punibilis, non venire. 1. Hæreticum *materialem*. Si enim inculpabiliter erret contra fidem, culpâ caret; igitur, & pœnâ. 2. Nec Hæreticum formalem, *pure mentalem*, qui scilicet nullo externo signo prodat latentem in animo hæresim; quia sic non præbet materiam censuræ, vel jurisdictionis Ecclesiæ. Nam de purè internis non judicat Ecclesia. Si quis autem mente retineat veram fidem, licet actu externo sapiat hæresim, saltem in foro poli, seu conscientiæ, hæreticus habendus non est. Sic Azor instit. moral. p. 1. l. 8. c. 9. Julius Clarus in practic. crim. §. *Hæresis*.

638 Præterea not. 1. non esse hæreticum, nisi in eo sit error, seu falsum judicium contra aliquam veritatem fidei, ab Ecclesia propositam. Error enim proprie importat falsum judicium. Not. 2. eum, qui errat circa res fidei, paratus tamen est, corrigi, cùm errorem invenerit, non esse censendum hoc loco hæreticum, quia sic ejus error non est conjunctus cum pertinacia c. *dixit Apostolus* 24. q. 3. Not. 3. Hominem, qui errat involuntariè, ac indeliberatè circa res fidei, aut invitus patitur tentationes circa illas, non esse hæreticum; sic enim non errat voluntariè (consequenter per peccatum hæresis) contra fidem. Not. 4. Ad hæresim non sufficere errorem in fide, nisi conjunctum cum pertinacia (c. *qui in Ecclesia*, ead. causa, & quæst.) quæ in eo stat, quòd quis sciens suam opinionem adversari universalis Ecclesiæ Christi in terris doctrinæ, ac definitioni, nihilominus illum hujus doctrinæ præferat. Ut autem dicatur, *non scire* hanc contrarietatem, sufficere ignorantiam, licet graviter culpabilem, & crassam; docet Sanch. l. 2. moral. c. 7. n. 20. imò & affectatam propter tædium inquirendi veritatem, vel aliam similem causam, juxta Layman. l. 2. tr. 1. c. 13. n. 2. Sanch. cit. n. 23. Nam hæresis non est peccatum *ignorantiæ*, sed *infidelitatis* sitæ in errore contra fidem, quem quis pertinaciter, hoc est *scienter*, defendit contra judicium Ecclesiæ.

639 Dixi superius, ad hæresim requiri, quòd erret contra fidem, *quam in baptismo suscepto professus est*, quod intellige *de Hæresi, ut subjacet pœnis Ecclesiæ*. Cœterùm ut quis sit verè hæreticus non solùm coram DEO, sed etiam Ecclesia, sufficit, quòd erret contra fidem propositam ab Ecclesia Catholica; esto nunquam *fidem infusam* susceperit, vel in baptismo professus sit, modò fide humana novum testamentum receperit, vel Christum confessus sit. Hinc Anabaptistæ sunt simpliciter hæretici, esto primum adulti baptizentur. Sic Pirhing h. t. n. 3. Si enim negaret Christum, seu novum

novum teſtamentum, eſſet Judæus; ſi utrumque, Paganus, ſeu Ethnicus. Quando autem in c. 1. h. t. dicitur, *dubium in fide, infidelem eſſe*, intelligi debet de dubitante poſitivè. Dicitur autem poſitivè dubius de fide, qui articulum ab Eccleſia propoſitum ſub obligatione credendi, judicat, ſeu affirmat; *eſſe dubium, ſeu incertum, cui ſcilicet poſſit ſubeſſe falſum.*

ARTICULUS II.

De pœnis Eccleſiaſticis hæreticorum.

640 HÆ pœnæ non afficiunt, niſi *hæreſim formalem*, ac *externam*, prout articulo præcedenti expoſuimus. De his etiam in jure civili exſtat titulus, ordine quintus in lib. 1. Cod. Inter pœnas Eccleſiaſticas hæreticorum eſt excommunicatio, irregularitas, infamia, &c. de quibus in ſequentibus. Not. tamen, quæ dicturi ſumus de pœnis hæreticorum, intelligenda de jure antiquo; nam plura hodie propter conſuetudinem contrariam, aliter in multis locis obſervantur, ut dicemus in ſeqq.

§. 1.

De Excommunicatione hæreticorum.

641 PRima pœna, quæ ſtatuitur in hæreticos, eſt *excommunicatio latæ ſententiæ*, ut habetur c. 8. 9. 13. & 15. h. t. & poſt bullam cœnæ, reſervata Pontifici, ut notat Pirhing hic n. 15. licet olim fuerit ſententiæ tantùm ferendæ. c. *Si quis* 22. q. 7. Eam incurrunt non tantùm ipſi hæretici, verùm & *receptatores, fautores, defenſores*, ſcilicet *ut tales*, ſeu credentes, eorum doctrinam eſſe veram, c. *Sicut*, 8. eod. & c. 13. §. *credentes*, item corpora eorum ſcienter ſepulturæ mandantes, c. 2. eod. & hinon merentur abſolutionem, niſi ea extumulata publicè abjiciant, ut dicitur cit. c. 2. eò, quod ex illorum tumulatione polluatur Eccleſia.

642 Circa præſentem tamen pœnam not. 1. quòd hæretici hodie, licet ipſo jure excommunicati ſint, non propterea ex obligatione vitandi ſint à Catholicis, niſi nominatim, & expreſsè ſint denuntiati, ut conſtat ex conſtitutione Martini V. quæ incipit *ad evitanda*, edita in Concilio Conſtantienſi. Ex hoc autem, quòd quis nominatim *declaretur* hæreticus, nondum cenſetur *nominatim declaratus excommunicatus*, ut docet Sanchez. cit. n. 4.

643 Not. 2. ſub pœna excommunicationis prohiberi, ne Laici de fide Catholica diſputent cum hæreticis, vel aliis. c. *quicunque* §. *inhibemus*, de hæreticis in 6. Hæc prohibitio (ne liceat diſputare cum hæreticis de fide Catholica) extenditur etiam ad Clericos regulares, c. *cum quibus* 24. q. 3. junct. gloſſ. V. *Certamen*: ſed intellige cum hæreticis, *qui ſunt, vel aliquando fuerunt Magiſtri erroris*. Sanch. cit. n. 12. Limitatur tamen utraque prohibitio, 1. ut non procedat, ſi talis diſputatio fiat coram inſtructis, & firmis in fide ad confutandum errorem alienæ, & defenſionem noſtræ fidei. 2. ſi fiat à viris doctis (ut à Theologis) vel exercitii cauſâ, ut in ſcholis. 3. ſi id exigeret neceſſitas.

644 Not. 3. univerſaliter, ubi Catholici cum hæreticis mixti vivunt, etiam Laicis (ſecluſo periculo perverſionis) licere cum hæreticis diſputare, nec ob id excommunicari; quia conſtitutio illa pœnalis in his terris vel non eſt uſu recepta, vel abolita. Sic Becanus in tract. de fide cap. 15. q. 7. num. 6.

645 Not. præterea. 4. Laicis prohibitum eſſe prædicare, c. *Cùm ex injuncto*, 12. h. t. c. *Sicut*. 14. eod & alibi. Quintò ſuſpectos de hæreſi, niſi debitè ſe purgaverint, excommunicandos eſſe; & ſi per annum in excommunicatione perſtiterint, tanquam hæreticos eſſe condemnandos, c. *Excommunicamus* 13. §. *qui autem* h. t. quod etjam procedit, ſi tanquam ſuſpectus de hæreſi, citatus non compareat, c. *cùm contumacia* eod. in 6.

§. 2.

De irregularitate hæreticorum.

646 ALtera hæreticorum pœna eſt *irregularitas*, quæ etiam poſt hæreſis deteſtationem, & abſolutionem durat, c. *Nos conſuetudinem*, diſt. 12. ubi modis omnibus prohibetur, Donatiſtas, ad *Primatus dignitatem* provehi; & c. *Saluberrimum*. 1. q. 7. ibi: illam canonum conſtitutionem præcipimus cuſtodiri, ut in magno habeant beneficio, *ſi ademptâ ſibi omni ſpe promotionis*, in quo inveniuntur ordine, ſtabilitate perpetuâ maneant, & maximè in c. *Quicunque* 2. §. hæretici. h. t. in 6. & licet hic jus loquatur *de Clericis*, extenditur tamen etiam ad Laicos, quia fundamentum ibi non po-

nitur in Clericatu, sed in crimine hæresis. Hoc Pirhing hîc n. 45. concedit, si sint hæretici notorii, seu publici, vel per evidentiam facti, vel per sententiam Judicis, vel per propriam confessionem in judicio; non autem, si sit externa, sed occulta; sed probabilius est, quod dicemus infra n. 650.

647 Not. autem 1. hanc irregularitatem etiam extendi ad hæreticorum defensores, fautores, & receptatores, qui ubique comparantur hæreticis, c. 2. §. *hæretici*, & c. *statutum* 15. de hæreticis in 6. & sub hac inhabilitate *ad beneficia*, etiam venire inhabilitatem *ad ordines*, qui spectant ad officium Ecclesiæ §. *hæretici*, sic loquitur: *hæretici autem, credentes, receptatores, defensores, & fautores eorum, ipsorumque filii usque ad secundam generationem, ad nullum Ecclesiasticum beneficium, seu officium publicum permittuntur; quod si secùs actum fuerit, decernitur irritum, & inane* & cit. c. statutum idem decernitur, & declaratur, dictam inhabilitatem *extendi ad filios eorum per primum & secundum gradum paternæ lineæ; maternæ verò ad primum duntaxat, si majores eorum in hæresi decessisse probentur.*

648 Not. 2. dictam irregularitatem extendi etiam ad suspectos de hæresi, ratione indecentiæ ortæ ex infamia, quâ dantes causam sinistræ suspicioni, afficiuntur, nisi justa causa suspicionem tollat. c. *Infames* 6. q. 1. ibi: *eos qui Christianæ legis normam abjiciunt, & statuta Ecclesiastica contemnunt.* Cæterùm, qui sunt suspecti, vel diffamati de hæresi, non sunt ipso jure privati beneficiis obtentis; sed juxta criminis qualitatem privandi; ita Sanch. cit. l. 2. c. 26. n. 14.

649 Not. 3. eam irregularitatem extendi ad filios hæreticorum, & fautorum, *quatenus probatur*, eorum parentes tales esse, aut decessisse inemendatos, ut diximus ex c. *statutum* 15. de hæreticis, in 6. Hanc extensionem intellige usque ad secundum gradum in linea paterna; ad primum tantum, in materna; & hoc ideo, ut facilius parentes convertantur ad Ecclesiam, ac deterreantur ab ejus perturbatione per impii dogmatis manifestationem, scientes, etiam in liberis se puniendos. arg. L. 8. ff. quod metus causa. Not. 4. eandem extendi etiam ad illegitimos hæreticorum; cùm textus ubique loquatur simpliciter de *liberis* hæreticorum, præsertim cùm hi æquè sint portio corporis & sanguinis paterni, ac legitimè nati, gloss. in c. *Statutum* V. *Legitimus.*

Not. 5. irregularitatem ex hæresi etiam 650
incurri, si hæresis sit externa, licet occulta per accidens; hoc est, licet nec jure, nec facto probari possit; nam hæc imponitur *crimine externo*, quin exigatur ejus probatio. Sic Azor p. 1. l. 8. c. 11. q. 12. quod intellige de ipsa persona hæresi infecta. Not. 6. quòd hæc irregularitas extensa ad filios hæreticorum, etiam intelligatur de natis, antequam parentes in hæresim laberentur; quia textus imponens hanc pœnam, solùm considerat, & fundat se in eo, *quod parens sit hæreticus, aut in hæresi decesserit.* Sic Covarruvias p. 2. Variar. resolut. c. 8. n. 5. Textus enim in c. 15. & c. *Vergentis* 10. h. t. simpliciter loquitur de liberis, non distinguendo: *nati sint antè, vel pòst.*

Not. 7. ordinatum ante Patris hære- 651
sim non suspendi ab executione Ordinis, nec beneficio privari, quia jus alteri quæsitum, non debet eidem auferri sine facto suo; præsertim cùm aliud sit, *non admitti ad beneficium acquirendum*; aliud, *ab aquisito dejici*; ita Sanch. l. 2. in decalog. c. 28. n. 30. Not. 8. hanc irregularitatem habere locum in filiis relapsorum in hæresim, qui ante mortem sunt reconciliati Ecclesiæ; quia non obstante hac reconciliatione non admittuntur ad pœnitentiam *quoad Ecclesiæ gratiam hujus pœnæ remissivam*, ut exigit textus in cit. c. 15. sed traduntur brachio seculari puniendi, ex qua pœna sequitur infamia non secùs, ac si parentes in hæresi obiissent. Sic Zoësius hic in 12. cum gloss. in dict. c. 15. V. *reincorporatos*, ut dicit, idem tenendum de filiis hæresiarchæ, eò quòd huic reconciliatio non prosit.

Not. 9. eum, qui ante hæresim suscepit Ordinem, & post hoc in eam lapsus, denuo reversus est ad fidem, in suscepto ordine non posse ministrare sine dispensatione; quia hæc irregularitas æquè tangit susceptum, ac suscipiendum Ordinem, ut colligitur ex cit. c. *Saluberrimum* 1. q. 7. sic Zoësius hic n. 5. Not. 10. in his provinciis Septentrionalibus ex recepta jam consuetudine cum Laicis ab hæresi conversis ad Ordines dispensare Episcopos, sicut etiam, ut in prius susceptis ministrent. Ita Sanch. l. 2. moral. c. 25. Laym. l. 1. p. 5. c. 4. Cæterùm, si Sacerdos, vel Episcopus fiat hæreticus potestate Odinis non privatur. Azor. p. 1. l. 8. c. 13. à q. 4. Hinc Episcopi ab hæresi redeun-

deuntes non ordinantur iterum, c. *conveнientibus* 1. q. 7.

653 Et quoniam hæretici sunt irregulares, sunt etiam inhabiles ad acquirenda beneficia, & ad publica officia; cùm sint etiam excommunicati, c. *quicunque*, §. *hæretici*, h. t. in 6. imò beneficiis etiàm prius obtentis priventur, c. *Ut commissi* §. *privandi*, eod. in 6. & quidem ipso jure, ut constat ex c. *Ad abolendam*, ibi: *omni officio, & beneficio Ecclesiastico privatus*, quod verbum significat *executionem*, & c. *cùm secundum*. 19. h. t. in 6. ubi dicitur, *omnia bona hæreticorum esse ipso jure confiscata*; sed hæc intellige post Judicis sententiam declaratoriam criminis; secùs, si prius redeant, vel pœniteant. Nec obstat, quòd in c. *commissi*, §. *ult.* solùm dicantur *privandi*, vel *privati denuntiandi*. Nam particula *vel* sumi debet copulativè, non disjunctivè, ut probatur ex præmissis capitulis, quæ omnia loquuntur de facto, habente annexam executionem.

§. 3.

De infamia hæreticorum.

654 INter alias hæreticorum pœnas est, quòd ipso jure sint infames infamiâ juris, c. *Excommunicamus* 13. §. *Credentes*. h. t. ibi: *ex hinc ipso jure sit infamis*, postquam scilicet talium excommunicatione fuerit notatus, si satisfacere contempserit intra annum, & c. *statutum*, 15. eod. in 6. ubi omnes hæretici, utriusque sexus, *perpetuâ notantur infamiâ*. Hanc infamiam incurrunt ipso jure etiam fautores hæreticorum, si scilicet satisfacere contempserint intra annum, ut patet ex textu. Sic Azor p. 1. l. 8. c. 13. Not. autem, quod hæretici dictam infamiam non incurrant, nisi post sententiam Judicis declaratoriam criminis; cùm sit infamia juris; si autem hæresis sit notoria, sunt infames ipso facto, quæ infamia aboletur per factum contrarium. Porrò infamia juris repellit ab omni honore, dignitate, & actu legitimo. Authent. *Credentes* §. *nullus*, C. h. t. Cùm enim infames sint, officia publica obire non possunt, de quo V. Zoësium h. t. & alios.

§. 4.

An, & qualiter hæretici priventur Sepulturâ Ecclesiasticâ?

655 HÆc pœna statuitur in c. *Sicut*. 8. §. *Si autem* h. t. ibi: *Si quis in peccato hæresis decesserit, oblatio pro eo non fiat, nec inter Christianos sepulturam accipiat, non obstante privilegio quibuscunque indulto*. Nam cui vivo non communicamus, ei nec mortuo communicare licet, per c. *Sacris*. 12. de Sepultur. nisi ante mortem absolutus sit. Idem statuitur c. *quicunque*, 2. de Hæreticis, in 6. ubi excommunicantur omnes, *qui scienter præsumpserint Ecclesiasticæ sepulturæ tradere hæreticos*, eis credentes, eorum fautores, defensores, vel receptatores excommunicatione duraturâ, dum idoneam satisfactionem præstent; nec absolvendâ, nisi propriis manibus publicè eos extumulent, & ejusmodi corpora damnatorum projiciant, si ossa eorum possint ab aliorum ossibus discerni; non autem aliàs, si non; ut dicitur c. *Sacris*, de Sepultur. junctâ gloss. V. *Extumulent*.

Præter hæc not. locum illum sacrum, 656
in quo hæreticus contra prædictos canones tumulatus fuit, ejecto cadavere, ut præmissum est, reddi profanum in perpetuum, ita, ut in eo corpora fidelium sepeliri non possint, ut notat gloss. in casu ad cit. c. *Sacris*. Not. 2. hanc excommunicationem esse latæ sententiæ, ut patet ex illo: *excommunicationi subjaceant*, quæ verba significant censuram ipso jure, ut notat Francus in cit. c. *quicunque* 2. h. t. in 6. nec incurri, nisi quis *sciat*, eum, quem sepelit, decessisse in formali hæresi, & temerè, ac ex malitia id agat. Illud enim denotat ly *Scienter*; istud verbum *præsumpserint*. Et quoniam, quod quis novit solùm per famam, non dicitur *scire* propriè; non satis est ad incurrendam eam pœnam, quòd sepeliverit hæreticum, quem esse talem novit per solam famam; quia ly *Scienter* in hac juris dispositione, quæ pœnalis est, sumi debet propriè, ac strictè. Et ideo etiam verbum *hæreticos* videtur sumendum strictè, pro nominatim denuntiato hæretico, ut vult Navarr. l. 5. consil. 12. n. 6. sed hoc non videtur requiri; cùm reverâ restrictioni, & proprietati ejus *termini* sufficiat, si *hæresis sit formalis, & externa*.

Not. 3. dictam excommunicationem, in 657
sepelientes hæreticum Ecclesiasticâ sepulturâ latam, non esse reservatam in Bulla cœnæ, vel alio jure. Sic Navarr. cit. Consil. 11. n. 6. Unde, licèt in c. *Excommunicamus* 13. §. *sanè* h. t. dicatur, ut Clerici, hæreticis Ecclesiastica Sacramenta exhibentes, vel Christianæ Sepulturæ tradere præsumentes,

aut eleemosynas, vel oblationes eorum percipientes *suo priventur officio, nunquam restituendo sinè indulto speciali sedis Apostolicæ*, nulla tamen mentio fit *excommunicationis*; cùm textus loquatur solùm *de officio*. Not. 4. omnem dispositionem Ecclesiasticam, quæ fit sub terminis universalibus, extendi etiam ad laicos, quando est de *materia Ecclesiastica*, qualis est sepultura Ecclesiastica. Unde pœnalis hæc dispositio *de sepeliente hæreticum Sepulturâ Christianâ*, etiam laicos comprehendit, cum universalis sit, ibi: *quicunque*. Not. 5. non esse sub prohibitione, *simpliciter sepelire hæreticum*, ex causa rationabili v. g. ne cadaver inhumatum jacens fœtore aërem inficiat; vel alio honesto titulo v. g. consanguinitatis, amicitiæ; modò non fiat favore hæresis, & in loco sacro. Nam in hujus vitii odium tendit ea juris dispositio.

§. 5.

An, & qualiter hæreticorum bona cadant sub confiscationem?

658 QUoad hanc pœnam dicemus, quæ jure communi dispositæ sunt; hodie enim multa sunt in alio usu. Quare not. 1. bona hæreticorum, sita in territorio Ecclesiæ dominio temporali subjecto, publicari; si autem sint sub dominio aliorum, Dominos temporales ad idem jure Ecclesiastico faciendum teneri; & si in hoc negligentes sint, debere per censuram Ecclesiasticam ad id compelli appellatione remotâ. Sic Innocentius III. in c. *Vergentis* 10. h. t.

659 Not. 2. bona hæreticorum, quæ subsunt dominio temporali Papæ, applicari Fisco Ecclesiæ; arg. c. 2. de succeff. ab intestat. sic Fagnanus ibid. à n. 4. Si autem subsint Potestati, seu Principi seculari, & dicti hæretici sint *Laici*, applicari Fisco potestatis secularis; si autem Clerici, Fisco Ecclesiarum, à quibus stipendia acceperunt, per. c. *Excommunicamus* 13. §. *Damnati*, h. t. si verò non habebant Ecclesias, Episcopo; ut in pios usus ea convertat, vel distribuat. Sic Abbas in cit. c. 13. id, quod etiam insinuatur in c. *super quibusdam* 26. de Verb. signif. ibi: *quorum bona propria confiscentur.*

660 Circa præsentem pœnam not. 3. bona hæreticorum ipso jure, seu facto esse obnoxia fisco, seu confiscationi à die commissi criminis, ut testatur Sanchez l. 2. moral. c. 14. n. 1. ex gloss. in cit. c. 9. V. *ipso jure*; eorum tamen occupationem fieri non debere per secularem potestatem prius, quàm per loci Episcopum, vel aliam personam Ecclesiasticam, ad id potestate munitam, sententia super eo crimine publicetur; cùm hæresis sit crimen Ecclesiasticum, consequenter de foro solius Judicis Ecclesiastici. Sic Bonifac. VIII. in c. *Cùm secundùm* 19. h. t. in 6. quibus positis:

Quæres 1. an hæreticus ejuratâ hæresi 661
ad fidem Catholicam conversus, bona sua, quæ per fiscum occupata sunt, recuperet? R. *quòd non, de jure*; posse tamen de *misericordia*, si Domini velint, illis reddi; est decisum in c. *Vergentis*, 10. h. t. ibi: *nec ad eos bona eorum ulterius revertantur, nisi eis ad eos revertentibus, & abnegantibus hæreticorum consortium, misereri aliquis voluerit*, ut temporali saltem pœnâ corripiat, quem Spiritualis non corrigit disciplina.

Quæres 2. an in dato casu confiscatio 662
bonorum procedat, etiamsi tales hæretici liberos habeant, etiam Catholicos? R. affirmativè, & ita quidem, ut fiscus etiam possit in his nihil eis relinquere. Ratio est ex cit. c. *Vergentis*. ibi: *nec exhæredatio Catholicorum* (filiorum) *debet impedire censuram hujusmodi severitatis, cùm in multis casibus filii pro Patribus temporaliter puniantur.*

Quæres 3. an bona hæreticorum con- 663
fiscari possint, licet primùm post mortem de hæresi convicti, & condemnati sint? ut si mors contingat pendente accusatione super eo crimine. R. affirmativè, colligitur ex cit. c. 19. cùm indefinitè loquatur de bonis *hæreticorum*; & ideo bonorum occupatio etiam à Laicis (post sententiam declaratoriam criminis) ipso facto fieri potest, jure ipsis hanc potestatem constituente, ex n. 658.

Quæres 4. an hæreticus confiscatione 664
bonorum quam incurrit ipso facto à die commissi criminis, simul amittat proprietatem, & dominium eorum bonorum? R. proprietatem, & administrationem bonorum non amitti ante sententiam declaratoriam criminis; ita Sanch. cit. l. 2. c. 22. a n. 3. Nam hoc non necessariò infert bonorum confiscatio, ut mox patebit. Si dicas: ergo talis confiscatio nullum habebit effectum ante illam sententiam? R. negando illatum; præstat enim hoc, quod bona confiscata ab illo tempore maneant fisco realiter obligata, & tacitè hypothecata; ex quo fit, quòd

ab

ab hæretico eorum bonorum alienatio *voluntaria* (non autem *necessaria*) interim facta, non teneat *firmiter*, ac *irrevocabiliter*; sed secutâ criminis declaratione à fisco revocari possit; & à die criminis commissi, fructus percepti, & omnia inde secuta in præjudicium fisci, rescindi possint: de quo Sanch. cit. à n. 33.

665 Quæres 5. quæ bona veniant sub nomine *bonorum*, quorum confiscatione ipso facto puniuntur hæretici? R. quòd omnia tam mobilia, quam immobilia, quæ *damnati propria* sunt; quin etiam jura, & actiones, quæ jure veniunt sub appellatione bonorum; ita Sanch. cit. l. 2. c. 14. & seq. Nam hæretici cadunt in hanc pœnam jacturæ *omnium bonorum simpliciter, & absolutè*, ut dicitur c. *Cùm secundum* 19. h. t. in 6. L. *Bonorum* 208. ff. de verb. Signif. & L. 4. C. de hæret. Not. tamen, mulieres, hæreticorum uxores, sed Catholicas, propter hæresim mariti non incurrere pœnam confiscationis bonorum dotalium, aut aliorum, quæ sua sunt, nisi *scienter* nupserint hæretico, ut dicitur c. *decrevit* 14. h. t. Nam (ubi jure contrarium non est expressum) leges vetant, uxores inquietari ob maritorum culpam. l. 2. C. Ne uxor pro marito. Neque dicas: ergo etiam vir Catholicus perdet bona propter hæresin uxoris, si *scienter* ducat hæreticam R. n. illatum: Nam uxori scienter nubenti hæretico ea pœna infligitur ratione periculi perversionis, quod ipsa subit *propter imbecillitatem sui sexûs*, & *subjectionis*; quæ non est communis viro.

666 Quæres 6. an omnia bona Clericorum, si sint hæretici, cedant fisco Ecclesiæ post declarationem criminis? R. 1. id intelligi de bonis, quæ perceperunt ex suo beneficio, ut diximus ex c. 13. §. *Damnati* h. t. ibi: *applicentur Ecclesiis, à quibus stipendia acceperunt*. Nam hæc de jure non possunt transmittere ad hæredes extraneos; c. *Quia nos* 9. c. *Relatum*. 12. de Testam. sed apud Ecclesias, sub quibus beneficia sunt, remanere debent; ergo transire non possunt ad fiscum. Si autem quæras, quid dicendum de patrimonialibus, & quasi patrimonialibus, de quibus etiam ad extraneos testari possunt? R. etiam de his dicendum, ea, seclusâ consuetudine contrariâ, de jure applicanda fisco Episcopi, ut ea in pios usûs distribuat; nam bona sequuntur personam, tanquam accessorium, de quo V. Sanchez. l. 2. moral. c. 20.

§. 6.

An, & qualiter hæretici sint inhabiles ad testandum, & succedendum?

QUæstio 1. est, an hæreticus possit facere testamentum? R. non posse *validè* de bonis publicatis post sententiam Judicis declaratoriam criminis; colligitur ex c. *Excommunicamus*, 13. §. *Credentes*, h. t. ubi hâc pœnâ puniuntur hæreticorum fautores, ibi: *sic etiam intestabilis, ut nec testandi liberam habeat facultatem*; ergo à fortiori etiam hæretici; quod etiam dicitur L. *Manichæus* 4. §. *Ergo* C. de hæreticis; nec quidem ad pias causas; cùm bona publicata à die commissi criminis non sint alienabilia, per n. 664. Hæc incapacitas probabilius non incurritur ante dictam sententiam quoad valorem actûs; sed tantum *quoad firmitatem*, propter dicta n. cit. Et ideo testari poterit de bonis post sententiam acquisitis, cùm hæc non sint ex publicatis. Porrò testamenta hæreticorum de bonis publicatis post sententiam condita, ita sunt irrita, ut nec secutâ pœnitentiâ convalescant; ita Farinac. in tr. de hæresi, q. 190. n. 93. 667

Quæstio 2. est, an hæretici sint capaces hæreditariæ successionis ex testamento, vel ab intestato? R. negativè, cit. c. *Excommunicamus*. §. *Credentes*, ibi: *nec ad hæreditatis successionem accedat*; & cit. L. *Manichæus*, §. *quos bonorum*; quod extenditur quòque ad legatum eis relictum, etiam ex testamento militis. L. *fin.* C. de hæret. 668

Quæstio 3. est, an hæretici hanc incapacitatem incurrant ipso jure, & statim à die commissi criminis sic, ut etiam ante sententiam Judicis condemnatoriam, vel declaratoriam, debeant hæredibus defuncti hæreditatem, vel legatum reddere? affirmant plures apud Sanch. l. 2. Moral. c. 14. à n. 31. Sed not. posse quæri de hæreditate acquirenda, vel jam acquisita. In simili quæstione de confiscatione bonorum, respondet Zoësius h. t. n. 15. hæreticum, cujus bona ipso jure publicata (hoc est, ob id delictum in publicum ærarium devoluta) sunt, ante sententiam Judicis posse illa possidere, ac retinere, sed secutâ sententiâ teneri, pati eorum ablationem, quin obligetur ipse deferre ad fiscum, cùm sit nimis durum, quem cogere in se exercere pœnam positivam, ut rebus acquisitis se exuat. Aliud est de pœna, quæ impedit ab acquirendo. Hinc 669

Ad nostrum casum R. probabilius esse, 670

dictam incapacitatem ante sententiam non incurri ipso jure sic, ut hæreticus hæreditatem sibi delatam teneatur ipse restituere hæredibus, vel fisco propter rationem prius insinuatam; post sententiam tamen, teneri eorum omnium ablationem pati, ut dictum est; si autem nondum adita sit, teneri non adire; quia tunc caret omni titulo, etiam possessionis. Ita Sanchez. l. 2. c. 14. à n. 31. Lessius l. 2. Just. c. 10. n. 52. Et ideo hæreditas, vel legatum hæretico relictum confiscari non debet ante Judicis sententiam, sed relinqui hæredibus ab intestato, vel aliàs hæredi scripto, nisi testator, vel legans sciverit, *esse hæreticum*; nam tunc hæreditas, vel legatum hæretico scienter relictum, in pœnam hujus delicti, sed non nisi post sententiam, cedit fisco. Episcopus autem, qui scienter aliquid relinquit etiam consanguineo non Catholico, saltem post mortem excommunicari debet (intelligè declarativè) c. *siquis.* 5. h. t. quia talis reddit se suspectum de hæresi, teste Menoch. l. præsumpt. 6. n. 33. & ideo extenditur ad omnes fideles per c. 6. eod. excipe causam pietatis ad sublevandas eorum necessitates.

§. 7.

De reliquis hæreticorum pœnis.

671 INter alias pœnas, quibus afficiuntur hæretici, est 1. *amissio patriæ potestatis in filios*, ita, ut statim ante omnem sententiam Judicis declaratoriam criminis filii efficiantur sui juris, & eximantur à patria potestate per c. 2. §. *ult* h. t. in 6. ibi: cùm dignum sit, ut propter tanti atrocitatem criminis, filii in parentum hæreticorum desierint esse potestate.

672 Secunda est amissio potestatis dominii in servos, vasallos, & juris, quod habent in alios quocunque vinculo personali obligatos, per c. *Absolutos*, fin. h. t. ibi: *absolutos se noverint à debito fidelitatis, dominii, & totius obsequii, quicunque lapsis manifestè in hæresim, aliquo pacto, quacunque firmitate vallato tenebantur adstricti*; quod etiam procedit de omnibus debitoribus hæretici, eique obligatis, ita, ut contra eos amplius agere, vel debitum exigere non possint, per cit. c. cit. *fin.* & hoc procedit, etsi resipiscant ab hæresi. Nam obligatio semel extincta non reviviscit, per c. *Quæris* 129. dist. 4. de consecr. junct. gloss. V. *Contrahatur*, & L. *Qui res suas* 98. §. *Aream* ff. de solut.

673 Tertia est degradatio, & traditio seculari Judici, si Clericus in hæresi manifestè deprehensus sit, nisi statim, post deprehensionem erroris, ad unitatem fidei Catholicæ spontè redierit; & publicè abjuratâ hæresi, ad arbitrium Episcopi loci satisfecerit; si autem Laicus, secularis Judicis arbitrio relinquatur, c. *Ad abolendam*, 9. §. *præsenti*, h. t. quâ autem formâ realiter degradandus sit, præscribitur in c. *quoniam* 1. eod. in 6.

674 Pœna porrò, quæ redeuntibus ab hæresi imponi potest, est carcer perpetuus, c. *Excommunicamus* 15. §. *Si qui* h. t. vel etiam pœna pecuniaria in pios usus applicanda. gloss. in Clem. 2. h. t. V. *illicitis*; quod tamen intellige, solùm de iis hæreticis, qui hæresim, & errorem suum primum fatentur, postquam vel jam condemnati sunt de tali crimine, vel post publicationem testium; prius enim non dicuntur propriè *manifestè deprehensi* in hæresi. Si autem sint impœnitentes, & in hæresi pertinaciter persistant, statuitur in eos pœna mortis per. L. 5. §. *Manichæus*; & L. 8. C. de hæret. Tales enim sunt perturbatores pacis, & tranquillitatis publicæ; & quidem per ignem, ut vivi comburantur, præsertim, si hæresiarchæ sint, teste Farinac. cit. q. 189. n. 5. Si autem sit Clericus, post degradationem traditur potestati seculari, per c. *ad abolendum* q. 3. §. *præsenti*, & c. *Excommunicamus* 13. §. *damnati* h. t. cum efficaci intercessione, ut Judex secularis citra mortis periculum moderetur sententiam circa illum, ex c. *Ne vivus* 27. de verb. signif. & c. *Reos* 23. q. 5.

§. 8.

Quæ pœnæ statutæ sint filiis hæreticorum.

675 PRima est, quod, etiamsi sint Catholici, propter Patris hæresim priventur hæreditate, & omnibus bonis paternis, per c. *Vergentis* 10. h. t. c. *penult.* eod. in 6. & authent. *Gazaros*, C. eod. sivè sint legitimi, sive illegitimi. Sanchez l. 2. moral. c. 27. ne plus favoris habeant Spurii per luxuriam geniti. Idem tenet propter hæresim Matris, quoad materna; & tangit omnes descendentes per lineam sive paternam, sive maternam; si tamen parentes pœniteant, paterna bona filiis Catholicis *ex misericordia* redduntur, ut dictum est à n. 662. dixi *omnibus bonis paternis*; nam de his loquuntur jura; non autem de bonis ipsis obvenientibus

tibus *ab aliis Catholicis*, ut notat Sanchez cit. c. 29. n. 13.

676 Secunda pœna filiorum (quorum parentes sunt hæretici) est irregularitas, de qua jam dictum est à n. 646. juxta c. 2. §. *hæretici* h. t. in 6. juncto c. *statutum* 15. eod. in 6. Tertia est, quòd Clerici, qui sunt hæreticorum filii, propter paternam hæresin, priventur dignitatibus, beneficiis Ecclesiasticis, si quæ habent, & quibuscunque publicis officiis, ac dignitatibus, per c. *ut commissi* 12. §. *privandi*, eod. in 6. Quarta est, quòd filii hæreticorum per lineam paternam, usque ad secundum; & maternam, ad primum gradum inclusivè ad beneficium Ecclesiasticum, vel officium publicum non admittantur; & admissio irrita sit per cit. c. *Statutum*, intellige, de filiis hæreticorum, qui non sunt emendati, vel denuò relapsi, ut dicitur ibid. §. *hoc sanè*; & de beneficiis obtentis *post*, non autem ante lapsum parentum, ut denotatur ex verbis: *non admittantur*, de quibus V. Sanchez cit. c. 27. & 28.

§. 9.

De relapsis in hæresim, ac eorum pœnis.

677 RElapsi in hæresim, significatione juridicâ, alii sunt tales verè, ac propriè; alii solùm fictè ex juris præsumptione. *Verè relapsi sunt*, qui postquam in judicio hæresim confessi, vel plenè ac legitimè de illa convicti, eam abjurarunt, ac jurejurando damnarunt, & execrati sunt, sic in eam rursum inciderunt, ut de illa legitimè convicti, vel confessi sint in judicio. Sic Azor p. 1. l. 8. c. 14. à q. 1. & ex illo Pereyra in Elucidario à n. 543. *Fictè relapsi* dicuntur tripliciter 1. si, postquam accusati, vel suspecti de hæresi propter vehementem ejus suspicionem, illi in judicio cum juramento penitus renuntiarunt, in eandem sunt relapsi, licet hoc plenè probatum non sit, c. *accusatus* 8. h. t. 2. siquis, postquam convictus est de una specie, vel secta hæresis, hæresim simpliciter & generaliter, seu universaliter abjuravit, rursum in eandem, vel aliam sectam incidit, c. *accusatus*, §. *eum verò*, h. t. in 6. 3. qui hæreticos recipit, deducit, visitat, vel sibi associat, aut favores impendit, postquam de illius lapsu in hæresim constat, ac illam abjuravit, jure præsumitur in eandem relapsus, c. *accusatus*, §. *Ille verò*, h. t. in 6.

678 De his in c. *ad abolendam*, 9. §. *illos quoque* h. t. statutum est, ut ejusmodi relapsi tradantur seculari judicio, sinè ulla penitus audientia, seu nullâ eorum excusatione admissâ. Sic Hostiensis hic V. *Sine ulla audientia*, & V. *recidisse*; quod etiam habetur c. *super eo* 4. eod in 6. quanquam, si verè pœniteant, eis Sacramentum pœnitentiæ, & Eucharistiæ, non negetur.

§. 10.

De credentibus, receptatoribus, defensoribus, & fautoribus hæreticorum.

HI uno vocabulo dicuntur *Complices hæreticorum*, nempe socii in crimine hæresis, ut colligi potest ex c. *quicunque*, de hæret. c. *accusatus*, c. *ut officium*, eod. in 6. Et quatuor nominibus appellantur *Credentes*, *Receptatores*, *Defensores*, *Fautores*, de quibus Sanchez l. 2. in decal. c. 10. Azor cit. p. 1. l. 8. c. 15. Suarez de fide d. 24. sect. 1. &c. quibus positis: 679

Quæres 1. quid intelligatur hic per ejusmodi *Complices* per Ordinem ad pœnas in eos statutas? R. per *Credentes* intelligi eos, ut loquitur Pereyra in Elucidar. n. 545. qui non credunt explicitè, sed confusè: seu nullâ speciali hæresi sunt infecti, sed verbis tamen, vel factis id profitentur, se credere, quod hæretici credunt. Veluti, qui verbo, vel facto declarat, se cum Lutheranis, aut Calvinistis sentire. Hi, ut excommunicationem incurrant, debent fidem habitam hæreticorum erroribus, verbo, aut signo aliquo manifestare. *Receptator*, seu *Receptor* in jure civili appellatur, qui clàm excipit, & celat aliquem, ut manus judicis evadat L. 1. ff. de receptat. & L. *congruit*, ff. de offic. præs. At jus canonicum *receptatores hæreticorum* eos intelligit, qui hæreticos excipiunt alicubi, sive sæpius, sive semel tantùm, sive publicè, sive occultè: dummodo tamen eos *scienter* recipiant. 680

Defensores dicuntur, qui modo aliquo, vel arte tuentur hæreticos quâ tales, sive in judicio, sive extra illud, ut tutò vivant: ac proinde sunt, qui quomodolibet impediunt capturam hæreticorum, condemnationem, animadversionem, supplicium, ac pœnam. Unde debent esse defensores *in causa hæresis*, vel in quacunque alia, dummodo suscipiatur defensio animo favendi hæresi. *Fautores* (teste Sanchez cit. n. 11.) dicuntur, qui quovis modo opem præstant hæreticis, quà talibus in sua hæresi tuenda, & 681

& docenda: quam opem præstare solent omissione, vel commissione. *Omissione* favent, quicunque ministri sive Prælati, vel Inquisitores, sive familiares, qui negligunt facere contra hæreticos, quod jure sui officii debent; inter quos non numerantur, qui favent suspectis in fide, illis nempe, qui in suspicionem suæ fidei per sola indicia veniunt; quales sunt perseverantes in excommunicatione per annum, facientes pactum cum dæmone, & alii. *Commissione* favere dicitur, quæcunque persona, sive publica, sive privata, quæ hæreticum quà talem, excusat, laudat, consilio, aut ope intendit liberare à supplicio, visitat, alit, vel abscondit, aut beneficium aliud in eam confert. Quod intelligitur etiam de eo, qui favet hæretico mortuo.

682 Inter actus, quibus aliqui notantur tanquam *credentes* hæreticis, sunt, si qui in infirmitate consolationem ab hæreticis petierunt, & receperunt per manus impositionem, ut dicitur c. *Flii* h. t. in 6. junct. gloss. V. *in supponendo*; vel si bis, aut ter conciones hæreticorum audiunt, qui saltem in foro externo habentur pro credentibus, saltem in illis locis, ubi Catholici cum hæreticis permixti non vivunt. Sic Azor. cit. Inter receptatores numerantur illi, qui hæreticos recipiunt, ne in manus Judicum veniant. Sic Azor cit. q. 2. modò id *scienter* faciant; & quamvis hæc receptio fiat, non titulo hæresis, sed v.g. consanguinitatis, vel similis conjunctionis, adhuc tales pœnæ subjacent, mitiori tamen, ut observat Farinac. in tract. de hæresi, q. 182. n. 143. In foro externo (consequenter per ordinem ad ejus pœnas) dupliciter quis censetur defensor eorum, 1. si eorum errores argumentis, & rationibus allatis tueatur, & contraria dissolvere laboret verbo, scilicet scripto, c. *qui aliorum*. 24. q. 3. deinde si personas eorum propter hæresim defendat, ne denuntientur, accusentur, ad Judicem deferantur. Sic Azor. q. 6.

683 Quæres 2. quid sit propositio, quæ meretur censuram propositionis *erroneæ*, *hæresi proximæ?* R. hoc explicari à Francisco de Verde in Anacæphaleosi propositionum prohibitarum, qui in procem. n. 7. propositionem *erroneam* vocat illam, quæ opponitur veritati Theologicæ, scilicet deductæ ex præmissis, unâ de fide, alterâ naturali. Et quamvis Thomistæ talem propositionem vocent *non erroneam*, sed *periculosam*, *suspectam*, *& errori proximam*; hæc tamen explicatio, ait Verde, laxissima est. Ex hac definitione propositionis erroneæ deducit Cardenas in Crisi Theol. tr. 1. de Probabil. D. 9. c. 3. à n. 89. *omnem propositionem, quæ est de contrario objecto conclusionis Theologicæ, deductæ legitimè*, ex una de fide, & altera naturali, ac evidenti, *esse erroneam*; quod quidē verū est, si velit eam *esse falsam*; non autem, si eam velit esse *determinatè* oppositam præmissæ de fide. *Falsam*; sive opponatur præmissæ de fide, sive alteri naturali evidenti, quia hoc, cui opponitur, est certum vel certitudine fidei, vel naturali; *non* autem *determinatè oppositam fidei*; quia negans conclusionem legitimè deductam ex duabus præmissis, non eo ipso negat *utramque*; nec ex vi negatæ conclusionis, unam determinatè, sed vel hanc, vel illam. Unde, qui negaret conclusionem Theologicam, *determinatè negando præmissam naturalem evidentem* (quod à fortiori procedit, si esset evidens solùm moraliter) non esset hæreticus in vi sic negatæ conclusionis.

Propositio, *quæ sapit hæresim*, vel *ei* 684
proxima, dicitur, quæ indicat animum infidelem, ut, si quis dicat: *Christum Dominum inutiliter in processionibus cum tanta pompa circumferri.* Sapit enim indicium, quod, eam propositionem proferens, non credat Christum in hostia. Sic Arriaga, Canus, Bannez, Sera, quos citat, & sequitur Verde n. 9. *Suspecta de hæresi* vocatur, quæ continet sensum Catholicum, sed ratione personæ, loci, temporis inducit suspicionem hæresis, ut hæc ab hæretico, vel alio vacillante, dicta: *fides justificat.* Sic ille n. 10. *Errori proxima* dicitur, quæ contradicit conclusioni Theologicæ legitimè deductæ, cum evidentia de bonitate illationis, sic tamen, ut præmissa de fide, vel altera evidens non ab omnibus approbetur ut talis. Sic Cardenas in tract. ad propos. damnatas ab Innocent. XI. dissert. 1. n. 137. ex Card. de Lugo D. 20. de fide, sect. 3. n. 84. *Malè sonans* dicitur, quæ habet sensum æquivocum, continentem scilicet veritatem, & hæresim, sic, ut frequentius secundùm sensum hæreticum accipiatur, ut hæc: *Deus non est in cœlo.* Si enim verbum *est* idem significat, ac *comedit*, verum habet; si idem, ac *existit*, falsum. Ita Suar. & alii apud Verde. n. 10.

Scandalosa vocatur, quæ inducit ad pec- 685
candum, vel ejus occasionem. ita S. Thom. apud eundem n. 11. Hinc etiam talis est, quæ docet aliquid, quod præbet aliis occasionem

casionem ruinæ Spiritualis. Ita Suarez. D. 19. de Fide sect. 2. n. 19. Castropal. p. 1. tr. 4. d. 3. p. 1. n. 8. quos refert, & sequitur Cardenas cit. D. 9. c. 20. n. 358. *Temeraria*, quæ vel caret omni ratione, vel ratione tantùm futili nititur. Cardenas autem cit. n. 87. dicit *temerariam*, quæ est contra sententiam omnium Doctorum, oppositum pro certa affirmantium, & caret prudenti fundamento. *Piarum aurium offensiva*, seu *impia* quæ aliquid indecens in materia pietatis præ se fert, ut hæc: *Christus quotidie peccat. Schismatica*, quæ tollit unitatem Ecclesiæ, avertendo subditos à superiore, vel econtra. Sic Verde cit. à n. 12.

686 Præter hoc nota, esse discrimen inter propositionẽ *damnatam*, & *antiquatam*: illa est, quam expresè damnat Pontifex Romanus per verbum *damnamus*, vel æquivalens; ista, quæ licet non reperiatur damnata expresè, & formaliter; antiquitus tamen probabilis habebatur, nunc autem est incompossibilis cum principio certo denuò invento. Sic Cardenas cit. dissert. 1. n. 264. Sed notandum, ut aliqua propositio in sensu, quo Cardenas propositionem *antiquatam* explicat, dicatur expuncta è numero probabilium, titulo incompossibilitatis cum principio certo noviter invento, requiri, *quòd incompossibilitas certa sit.*

Hujus ratio est; quia cum illa incompossibilitas cum Principio certo non habeatur ex principio nisi quodam universali, aut necessario; si ejus *applicatio ad particulare*, de quo concluditur, *certa non sit*; nec antiquatio certa erit, certitudine principii, cui contraponitur, nisi juxta gradum certitudinis, quem habet complexio terminorum in præmissis, ex qua deducitur conclusio, quam vi ejus principii dicit antiquatam. Sic, etsi certum sit, *omnem currentem moveri*, si incertum sit, *Petrum currere*; incertum erit, *Petrum moveri*; ergo etiam, si unius propositionis oppositio, cum alia certa, sit solùm probabilis, vel incerta, malè dicitur antiquata, hoc est, lapsa de statu probabilitatis prius habitæ.

687 Præter hæc not. 1. ut aliqua propositio sit *hæretica*, requiri, quòd habeat omnimodam contrarietatem cum objecto fidei, hoc est, quòd neget objectum in se, & expresè à Deo *revelatum*, cùm enim propositio fidei niti debeat revelationi divinæ, propositio illi contraria negare hoc fundamentum debet. Ita Suarez de fide D. 19. S. 2. & alii. Not. 2. propositionem, quæ negat aliquid solùm *virtualiter revelatum*, nimirum in causa, vel quasi causa v.g. *Christum esse risibilem*, non esse *hæreticam* formaliter, & immediatè; sed esse *erroneam*, prout hæc differt ab hæretica; quia non præsumeretur negare naturalem evidentem; & ideo dicens, aut tenens eam, puniretur tanquam hæreticus. Not. 3. errorem posse committi etiam in ipsa censura aliarum propositionum. Quare si propositionem aliquam de fide, vel Theologicam, vel passim receptam à Doctoribus, dicas esse *erroneam*, *falsam*, *scandalosam*, *temerariam &c.* tùm talis non sit, *censura* tua *erronea erit*, *scandalosa &c.* Et ideo qui sententiam aliquam, quæ ut probabilis recepta in scholis est, *sine fundamento evidenti* afficeret censurâ, vel notâ *improbabilitatis*, temerarius existeret; ita in terminis Castropalaus p. 1. tr. 4. D. 3. p. 1. n. 9. his præmissis.

ARTICULUS III.

De processu judiciario in crimine hæresis.

NOn agimus hîc de inquisitoribus fidei, & eorum officiis, ac potestate, quibus à Sede Apostolica munus inquirendi, & animadvertendi in hæreticos, est commissum, ac ob id *Sedis Apostolicæ Inquisitores* dicuntur. Nam horum munus hodie præstant Episcopi in Provinciis, in quibus illi Sedis Apostolicæ inquisitores, speciali authoritate Pontificis, non sunt constituti, ut in Germania, Gallia, Polonia, &c. de quibus Azor p. 1. l. 8. c. 18. q. 2. Agemus igitur solùm de aliis Judicibus, & judicio, secundùm quod ab ordinariis exerceri solet contra hæreticos. 688

§. 1.

An quilibet judex Ecclesiasticus sit Judex competens in crimine hæresis?

SUmmum Pontificem esse Judicem competentem in causa hujus criminis, quando quæritur, *an aliquod dogma sit, vel non sit hæresis?* certum est. Idem tenent communiter de Legato à latere, spectato jure communi; de consuetudine tamen, non solet se in ejusmodi causas sine speciali commissione Pontificis, vel supremi Tribunalis S. Inquisitionis ingerere; ita Farinacius tr. de hæresi q. 186. §. 1. n. 4. Post hos, Episcopus est Ordinarius Judex omnium hæretico- 689

rum suæ diœcesis, sive Clerici sint, sive Laici, constat ex Clem. 1. §. *propter quod*, h.t. ibi: *per diœcesanos Episcopos; quia ad ipsos spectat hæreses extirpare, & bonum fidei promovere.* Circa istam juris dispositionem not. 1. hanc potestatem Episcoporum extendi etiam *ad exemptos*, & soli Sedis Apostolicæ potestati subjectos, ut eis isti super hoc tanquam *Sedis Apostolicæ delegatis obsequantur*, ut dicitur in c. *Ad abolendam §. fin.* h.t. ibi: *si qui verò fuerint, qui à lege diœcesanæ jurisdictionis exempti, soli subjaceant Sedis Apostolicæ potestati, nihilominus in his, quæ sunt contra hæreticos instituta, Episcoporum subeant judicium, & eis in hac parte, tanquam Sedis Apostolicæ* Legatis, *non obstantibus suæ libertatis privilegiis, obsequantur*, sic etiam gloss. ibid. in casu; & Farinacius cit. n. 7. Sed

690 Quæres 1. an hæc potestas Ordinariorum, *relatè ad exemptos*, sit ordinaria, vel solùm delegata? R. stando in rigore, ac proprietate *potestatis ordinariæ*, videri potius ordinariam. Nam hæc est quæ competit alicui non ratione personæ, sed muneris, quod gerit; consequenter transit ad successorem in tali munere; illa verò potestas Episcopis competit ratione muneris, & dignitatis Episcopalis, & transit ad successores. Sic Hostiensis in cit. c. *Ad abolendam.* n. 13. Verùm, etsi hæc ratio bene probet, dictam potestatem, *etiam quoad exemptos*, esse *privilegio ordinariam* (cùm non competat ratione personæ, sed dignitatis) non est tamen *purè ordinaria*; sed *absolutè delegata.* Nam *quoad appellationem* sortitur naturam jurisdictionis delegatæ; quia à sententia interlocutoria Episcopi non appellatur ad Archiepiscopum; sed ad Papam delegantem; quod tamen non esset, si omnimodo foret ordinaria. Sic Castropalaus p. 1. tr. 4. D. 8. p. 12. §. 1. n. 2. & alii ibidem relati. Et confirmari potest ex dicendis infra, n. 692.

691 Quæres 2. quem modum procedendi servare debeat Episcopus in causa hæresis? R. in c. *Per hoc. §. fin.* de hæreticis in 6. sive ordinariâ, sive delegatâ potestate procedat, illum in procedendo modum debere observare, quem Inquisitores possunt, & debent, vel per jura communia, vel per speciales Sedis Apostolicæ observationes. Sic Farinac. cit. q. 186. n. 16. & alii. De modo autem procedendi inquisitorum V. cit. c. *Per hoc.* Hinc si quæras 3. an in causa fidei Episcopus possit procedere *absque consilio sui Capituli?* R. spectato jure scripto non posse; nam in cit. c. *ad abolendam* expresè dicitur: *ut faciat cum consilio Clericorum:* de consuetudine tamen, aliud jam esse testatur Farinac. cit. à n. 14. Castropal. cit. n. 4. Pirhing h.t. n. 124. & alii.

Quæres 4. an Capitulum, sede vacan- 692
te, habeat potestatem *ordinariam* in causa hæresis? R. habere *respectu subditorum*; constat ex c. *Ad abolendam*, ibi: vel *Clerici ipsi Sede vacante.* Dixi *respectu subditorum.* Nam, an etiam *respectu exemptorum*? in controversia est inter Doctores; affirmativam sequuntur Marian: Socin. in cit. c. *Ad abolendam*, n. 44. Zabarella in Clem. 1. de hæretic. §. *duro* q. 8. n. 60. Probabilius tamen est oppositum. Nam Capitulum, sede vacante non succedit, nisi in his, quæ *jure ordinario*, non quæ *jure delegationis*, & *privilegio* competunt Episcopo; at jurisdictio in causa fidei *contra exemptos* Episcopo competit, *jure delegationis* & *privilegio*, non ordinario simpliciter, ut docet Abbas in cit. c. *Ad abolendam* n. 17. & alii. Nec obstat, quòd dicatur potestas *ordinaria*, *saltem privilegio*; hoc ipsum enim habet jure delegationis, & extraordinario. Confirmari potest ex Tridentino sess. 24. de reform. c. 6. ubi *Vicariis Episcoporum* negatur potestas cognoscendi causas fidei, nisi ad id *specialiter deputentur*; cùm tamen aliàs in potestate jurisdictionis jure ordinario competentis Episcopo, idem possint, ac idem tribunal sit; id, quod etiam procedit de *Vicario Capituli Sede vacante.* Imola in Clem. 1. de hæret. n. 19. Barbos. p. 3. de potestate Episcopi, allegat. 54. n. 85. Capitulum autem in casu, quo sede vacante exercet jurisdictionem suam contra hæreticos in causa fidei, non debet illam exercere per se, sed per suum Vicarium, ex Clem. 1. §. *propter.* de hæretic. An autem talis Vicarius debeat exigere consilium vicinorum Episcoporum? censet Castropalaus cit. n. 7. non requiri, nec esse in usu; nisi id aliqua specialis ratio in particulari casu exigeret.

§. 2.

An in causa hæresis Judex secularis sit competens?

693 COmmunis doctrina est, quòd Judex secularis in cognitionem hujus criminis nullâ ratione vel directè vel indirecte se intromittere possit. Cōstat ex c. *Ut inquisitionis*, de hæret. in 6. ibi: *prohibemus, ne ipsi* (sc. Laici) *de*

de hoc crimine (cùm merè sit Ecclesiasticum) quoquo modo cognoscant, vel *judicent*. Ea enim verba: *quoquo modo*, excludunt omnem cognitionem etiam incidentem, ut notat gloss. ibid. V. *eodem*, & alii. Et quoniam in eodem c. etiam dicitur, ut Laici Reos, a Judice Ecclesiastico ad exequendam in illis sententiam brachio seculari traditos, *indilatè* recipiant animadversione debitâ puniendos; sequitur, quòd non possint examinare causas, & processum super illis habitum, qui ipsis ad executionem pœnæ traduntur; hoc enim prohibent verba: *ne quoquo modo* eas causas cognoscant, & præcipitur, ut *indilatè* eos recipiant, ac puniant. Sic Molin. tr. 5. de Just. D. 28 n. 16.

694 Ex his sequitur 1. quòd Princeps secularis non possit statuta condere, de modo puniendi crimen hæresis, qui aliquâ ratione contrarius sit legibus Ecclesiasticis; secùs, si augeant, & promoveant modum procedendi Ecclesiæ. Nam talia statuta forent super crimine merè Ecclesiastico, de quo spectat ad solum Judicem Ecclesiasticum; & si legi Ecclesiæ contraria forent, jam *aliquo modo*, agerent contra decretalem in cit. c. *Ut inquisitionis*.

695 Sequitur 2. ex eodem c. Judices seculares, qui aliquid contra constitutionem in dict. c. *Ut inquisitionis* agere præsumpserint, excommunicatione innodari; & si in illa per annum steterint, tanquam hæreticos condemnandos esse. Ea porrò, quæ inibi præcipiuntur, sunt. 1. ne Statutis Canonicis contra hæreticos obsistant; 2. ut in investigatione, & captura hæreticorum pareant; 3. ut à Judice Ecclesiastico sibi traditos, indilatè recipiant, & puniant animadversione debitâ, remotâ quâlibet appellatione, vel proclamatione. 4. Ne Laici super hoc crimine cognoscant, delinquentes à carcere liberent, aut sententiam condemnatoriam retardent.

696 Dices: ergo Judex secularis, etiam sub pœna excommunicationis, tenebitur exequi sententiam mortis contra hæreticum, de hæresi convictum, & condemnatum, etsi evidenter sciat, scientiâ privatâ, illum esse condemnatum falsis testibus; hoc autem dici non potest. Nam directè intentâ morte in pœnam delicti, quo caret, afficere innocentem, cognitum ut talem, est contra jus naturæ. R. dupliciter fieri posse, quòd Executor sententiæ Ecclesiasticæ, in causa hæresis latæ contra aliquem, sciat nullitatem sententiæ. 1. *Per novum examen causæ*; 2. *aliunde*, sine ulla illius causæ judiciali cognitione; quo posito, dicendum, esse probabilius, Executorem debere abstinere ab executione illius sententiæ, quam sine nova judiciali cognitione causæ, aliunde novit esse nullam v. g. quia falsis testibus fundata est. Ita Castropal. cit. p. 1. tr. 4. d. 8. p. 14. n. 7. & alii. Ratio est, quia punire, aut exequi pœnam contra innocentem, evidenter cognitum ut talem, est contra jus naturæ præceptivum.

Dixi: si eum novit innocentem *notitiâ evidenti*, habitâ *aliunde*, quàm ex cognitione judiciali super processu nulliter concluso; secùs enim est, si non aliunde, sed ex examine super delicto Rei, & processu Ecclesiastici Judicis notitiam haberet; cùm enim hâc viâ cognoscere sit Judici Laico graviter interdictum, consequenter notitia inde accepta non sit juridicâ, utpote jure reprobata, nequit quâ sic acquisita prævalere notitiæ Juridicæ, ex qua processit Judex Ecclesiasticus. 697

Illi porrò, qui sentiunt, Judicem secularem, quantumcunque noscat injustitiam, vel nullitatem sententiæ Judicis Ecclesiastici, non posse ab ejus executione abstinere, moventur ex his rationibus. 1. quia Judex Secularis procedens ex scientia, non ex actis, sed aliunde habitâ, procederet ex scientia privata contra publicam. 2. Quia in c. *Pastoralis*, §. *quia verò*, de offic. Judic. delegat. ad quæstionem: *an Judex Ordinarius, cui executio sententiæ delegatur, possit executionem suspendere, si ipsam injustam cognoverit?* Respondit Innocentius III. *nos attendentes, quòd executio tantùm, non cognitio demandetur, & cum ordinarius teneatur obsequi delegato, etsi sciat, sententiam illam injustam, exequi teneatur nihilominus eandem, nisi apud eum efficere possit, ut ab hoc onere ipsum absolvat*, ergo idem dicendum erit in casu nostro, cùm Judici Laico *executio* tantùm, non *cognitio* demandetur. 698

Verùm R. ad objectionem 1. in n. 696. concedendo talem executorem non posse procedere per scientiam *publicam*, cùm apud ipsum acta non fuerint; nego quòd tali casu procedere non possit ex scientia *privata*; si enim hâc non obstante procederet, eo ipso procederet ad executionem rei injustæ, qualis est, *in pœnam privare vitâ innocentem*. Neque factum hoc hone- 699

stari potest ex mandato sententiæ per scientiam publicam habitæ, quia evidenter novit, ut ponit casus, eam sententiam ex scientia publica fundari in errore, ac veritati contrariam esse. Sic Lessius l. 2. de Just. c. 29. d. 10 n. 83.

700 Ad 2. in n. 698. not. dupliciter considerari posse sententiam injustam. 1. *Si solùm sit injusta in iis, quibus condemnatus cedere potest*: ut si est contra jus litigatoris v. g. si contra sententiam non appellavit; vel si in appellatione succubuit. 2. *Si sit contra jus, cui cedi non potest*, ut si sententia vitiosa sit ex objecto, vitio non cedibili per condemnatum, vel jus humanum; ut est, *in pœnam privare vitâ, innocentem.* Nam hoc illicitum est jure naturæ prohibitivo, contra quod nihil potest jus humanum. Hanc distinctionem *sententiæ injustæ*, agnovit gloss. in cit. c. *Pastoralis* V. *etsi sciat*, ubi ait: *nota, non semper obediendum esse Judici, si evidenter iniquum est mandatum ejus, sive contra jus; c quod culpatur.* 23. q. 1. *Secùs, si alias fuerit injustum*, c. *Lex æterna.* c. *Cum Minister.* 23. q. 5. Nam si sententia lata est injusta, quia est contra jus litigatoris, cui hic cedere potest (ut si tempore debito, cùm potuisset, non appellavit) executioni mandanda est; nam spontanea omissio appellationis turpitudinem purgat, quæ inerat sententiæ. *L. si ob turpem* ff. de condict. ob turpem causam; sic gloss. quibus positis:

701 R. ad dictam object. in n. 699. textum illius c. procedere, quando sententia injusta est in iis, quibus cedere potest condemnatus; non autem secùs. In hoc autem casu, de quo in præsenti agimus, ubi sententia in pœnam Reo decernit mortem, quem executor evidenter novit innocentem, non est casus de his, quibus cedere possit condemnatus; hic enim non est dominus vitæ suæ, ergo. Unde quando dicitur. *Executor debet obedire mandato Judicis in exequenda sententia, quam tulit ex scientia publica*, seu secundùm allegata, & probata; R. quando evidenter novit mandatum esse injustum in his, quibus condemnatus cedere potest, transf. in his, quibus cedere non potest N. ratio patet ex dictis. Et ideo etiam, cùm dicitur, *Judex licitè procedit ex sententia publica, etsi privatâ scientiâ evidenter sciat, allegatis subesse falsum*, omnino negandum est; quia sententia publica, & juris humani dispositio, non potest honestare actum laborantem vitio contra jus naturale præceptivum, vel prohibitivum, & procedentem ex errore evidenter cognito. At *scienter punire*, quem quis *evidenter scit innocentem in re, & solummodo nocentem ex allegationibus; quarum falsitas evidenter nota est Judici*, est vitium contra jus naturale prohibitivum, cui nihil contrarium statuere potest jus humanum; ergo.

§. 3.

An, & quibus testibus probetur crimen hæresis?

PRæter probationes, quæ admittuntur 702
in judicio contra alia delicta in probando crimine hæresis, admittuntur in testes omnes, præter inimicos capitales, & hoc in favorem fidei, prout expressè decisum est c. *In fidei favorem*, de hæreticis in 6. consequenter omnes, etiam jure positivo, *alias inhabiles*, ut excommunicati, criminosi, infames, socii criminum, ut habetur cit. c. *In fidei*, deinde perjuri, etiam nondum actâ pœnitentiâ super perjurio, c. *accusatus*, §. *Licet*, de hæret. in 6. Judæi contra Christianos Judaizantes, vel quoquo modo apostatantes à fide c. *Contra Christianos*, eod. in 6. hæreticus contra fidelem in causa fidei; cum in hoc casu contra eosdem admittatur infidelis. Item domestici, familiares, consanguinei, mulieres, &c. c. *Tanta*; c. *per tuas*, de simonia. Quando autem dicimus excludi *capitales inimicos*, intelligendum venit, secundùm dicta à n. 24.

Not. autem 1. cùm dicimus, admitti 703
etiam *perjuros*, solùm intelligi de his, qui perjurium prius comiserunt in celanda veritate circa crimen hæresis; & postea Zelo fidei illam manifestare intendunt. Nam de hoc casu loquitur c. *Accusatus* cit. aliàs enim non levi periculo calumniæ fideles exponerentur, si omnes perjuri sine discrimine admitterentur. Sic Decianus in tract. crim. l. 5. c. 35. n. 14.

Not. 2. quando dicitur, admitti con- 704
tra hoc crimen testes, *alias jure positivo etiam inhabiles*, intelligendum esse *ad probandum contra Reum*; non autem ipsi ad se purgandum. Nam dispositio juris, quæ est in favorem fidei, tendit in odium hæresis, & vitiorum fidei oppositorum; excipe, nisi defensio aliter haberi non posset. Non enim potest Reo negari remedium suæ defensionis. Sic Castropal. p. 1. tr. 4. D. 8. p. 7. §. 2. n. 8. V. infrà n. 707.

Not.

705 Not. 3. hos teſtes admitti ſolùm ad probationem delicti, non autem *circumſtantias, niſi eas, quæ delictum inferunt*; qualis non eſt, *eſſe baptizatum*. 4. Admitti etiam, cùm proceditur *viâ accuſationis*, cùm & hic modus procedendi tendat in favorem fidei; nec obſtat in cit. c. *In fidei*, Pontificem dicere, ut in negotio *inquiſitionis* hæreticæ pravitatis admittantur excommunicati &c. Nam negotium *inquiſitionis* ibi *generaliter* accipitur pro inveſtigatione veritatis per viam procedendi contra delicta *qualemcunque* etiam accuſationis, vel denuntiationis. Sic Caſtropal. p. 1. tr. 4. D. 8. p. 15. §. 7. à num. 1.

706 Not. 5. illos teſtes admitti non ſolùm *in defectu aliarum probationum*; ſed etiam, *cùm adſunt* nam c. *In fidei*, textus dicit, eos admittendos, *præſertim in defectu aliarum probationum*; ergo etiam, *ubi adſunt*; maximè tamen, & ſpecialiùs, cum deſunt. Nam hæ particulæ *præſertim*, *maximè*, denotant in omni caſu admittendos eſſe, maximè in illo; *explicant* enim *caſum minus dubitabilem, & impleant, ſeu ſupponunt magis dubitabilem*. Sic Barboſa de dictionibus V. *Præſertim* n. 4. & complures alii.

707 Not. 6. etiam in Rei favorem hoc caſu admitti poſſe in teſtes, *licet non integros*, Rei familiares, domeſticos, & conſanguineos. Nullus enim textus eſt, eos omnino excludens, licèt, quando pro Reo deponunt, præſumptio favoris, eorum depoſitionem ab integritate fidei diminuat. Nec enim videtur æquum, quemlibet obligatum eſſe probare innocentiam, ſeu cauſam per teſtes omni exceptione majores; & adverſarium illos reprobare poſſe per teſtes diminutæ opinionis. Ita Caſtropal. cit. §. 2. n. 9. & apud illum complures alii; ubi §. 3. ſubjungit modum in examine teſtium obſervandum; & reliqua in judicio criminali contra hæreticos.

708 Not. 7. in cauſa hæreſis Judicem poſſe procedere ſummariè, ſimpliciter, & de plano abſque advocatorum, ac judiciorum ſtrepitu, & figura, ut dicitur c. *ſtatuta* 2. h.t. in 6. ubi notand. ex Sanch. l. 6. Conſil. moral. c. 3. d. 11. quòd iſta verba *ſimpliciter*, & *de plano*, *ſine figura*, & *ſtrepitu judicii*, *abſque ulla juris ſolennitate* aliquando ponantur *ſimul*, aliquando *ſeorſim*. Procedere *ſine figura judicii*, ſeu *ſine juris ſolennitate*, eſt procedere non ſervatâ formâ Judicii inductâ per jus civile, ſed tantùm eâ, quæ requiritur jure naturali, & gentium. *Simpliciter procedere*, eſt procedere removendo doloſas, & malitioſas proteſtationes, & exceptiones, ſervando ſimplicitatem canonicam. *Sine ſtrepitu judicii* eſt procedere ſervatis tantùm ſubſtantialibus, removendo clamoroſam garrulitatem partium, Procuratorum, & Advocatorum, omnes cavillationes, dilationes, exceptiones fruſtratorias, & ſuperfluam multitudinem teſtium, quæ licet debita ſint, ſunt tamen accident alia. *De plano* procedere, dicunt aliqui, eſſe idem, ac procedere ſinè ſtrepitu judicii, ſic, ut non teneatur Judex ſedere pro tribunali, nec in foro, aut loco publico judicare; nec ſervare alia, quæ ſunt de levi ſolemnitate: alii dicunt, eſſe procedere cognoſcendo, ac judicando veritatem ſine ſolennitate juris, nec ſervato ſtylo judiciorum. Ita Sanch. cit. cum D. Antonino 3. p. tit. 9. c. 5.

Not. 8. ex cit. c. *ſtatuta*, colligi, Judi- 709
cem *poſſe* in judicio contra hæreticum procedere dicto modo; non autem *teneri*, conſtat ex textu, ibi: *procedi poſſit ſimpliciter*, &c. item *poſſe excludi* advocatum, vel Procuratorem, ex eod. ibi: *absque advocatorum*; intellige, quando conſtat, Reum eſſe hæreticum; ſecùs enim negaretur illi defenſio jure naturæ debita, cùm ſe defendere non poteſt, ubi delictum in ambiguo eſt.

Not. 9. ſi teſtibus, vel accuſatoribus 710
in cauſa hæreſis intervenientibus impenderet periculum à potentia eorum, quos accuſant, vel contra quos deponunt, ſi publicentur eorum nomina, permitti Eccleſiaſtico Judici, quòd non teneatur eorum nomina publicare, vel oſtendere illis, contra quos depoſuerunt; ſed ſufficere, ſi exhibeat aliis viris honeſtis, providis, & juris peritis eorum depoſitiones, totumque proceſſum, ut dicitur cit. c. *Statuta* §. *Jubemus*.

Not. 10. in Clement. ad noſtrum. 3. 711
h.t. damnari tanquam ſectam *abominabilem*, ſectam Beguardorum, & Beguinarum, commorantium in Allemannia, & octo eorum errores, qui ſunt ſequentes: primò, *quòd homo in vita præſenti, tantum, & talem perfectionis gradum poteſt acquirere, quòd reddetur penitus impeccabilis, & amplius in gratia proficere non valebit: nam* (ut dicunt) *ſi quis ſemper poteſt proficere, poſſet aliquis Chriſto perfectior inveniri*. Secundo, *quod jejunare non oportet hominem, nec orare, poſtquam gradum perfectionis hujusmodi fuerit aſſecutus:*

tus: quia tunc sensualitas est ita perfectè Spiritui, & rationi subjecta, quòd homo potest liberè corpori concedere, quicquid placet.

712 Tertiò, *quòd illi, qui sunt in prædicto gradu perfectionis, & Spiritu libertatis, non sunt humanæ subjecti obedientiæ; nec ad aliqua præcepta Ecclesiæ obligantur, quia*, ut asserunt, *ubi Spiritus Domini, ibi libertas.* Quartò, *quòd homo potest ita finalem beatitudinem, secundùm omnem gradum perfectionis in præsenti assequi, sicut eam in vita obtinebit beata.* Quintò, *quòd quælibet intellectualis natura in se ipsa naturaliter est beata, quòdque anima non indiget lumine gloriæ ipsam elevante ad Deum videndum, & eo beatè fruendum.* Sexto, *quòd se in actibus exercere virtutum, est hominis imperfecti, & perfecta anima licentiat à se virtutes.* Septimò, *mulieris osculum (cùm ad hoc natura non inclinet) est mortale peccatum: actus autē carnalis (cùm ad hoc natura inclinet) peccatum non est, maximè cum tentatur exercens.* Octavò, *quòd in elevatione corporis JESU Christi, non debent assurgere, nec eidem reverentiam exhibere; asserentes, quòd esset imperfectionis ejusdem, si à puritate, & altitudine suæ contemplationis tantùm descenderent, quòd circa ministerium, seu Sacramentum Eucharistiæ, aut circa passionem humanitatis Christi aliqua cogitarent.*

713 Ad extremum nota, in Extravag. *Vas Electionis* 2. h.t. inter communes à Joanne XXII. damnatas esse tres propositiones Joannis de Poliaco, Doctoris Parisiensis, tanquam *falsas*, & *erroneas*, & *à doctrina sacra deviæs.* Sunt autem sequentes: Prima est, *quòd confessi Fratribus* (scilicet Religiosis Mendicantibus) *habentibus licentiam generalem audiendi confessiones, teneantur eadem peccata iterum proprio sacerdoti confiteri.* Secundò, *quòd stante decreto* c. *omnis utriusque sexus.* 12. de pœnit. & remiss. quod est desumptum ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. c. 21. *Papa non potest facere, ut Parochiani non teneantur, omnia peccata sua, semel in anno, proprio sacerdoti, ideſt, Curato Parochiali confiteri.* Tertia, *quòd nec Papa, nec Deus potest dare generalem potestatem, audiendi confessiones alicui, ita, ut confessus non teneatur eadem peccata iterum confiteri proprio Curato, seu Parocho.*

ARTICULUS IV.

De libris hæreticorum.

714 CUm libri hæreticorum, ac infidelium non minus, ac conversatio cum illis commune periculum perversionis afferant legentibus, & eos tractantibus, solicita Mater Ecclesia multis omnino constitutionibus eorum impressionem, venditionem, emptionem, retentionem, lectionem sub gravibus pœnis prohibuit, ut constabit ex sequentibus. Et quoniam certum omnino est, quidquid *commune periculum animarum* secum trahit, & in devium à salutis via ducit, ex natura rei pravum esse; non minus certum esse debet, usum eorum, quæ in hoc contendunt, æquè, ac ipsum ejusmodi finem, vitiosum, pernicioſum, ac omnino pravum esse; consequenter ex natura rei illicitum, saltem comparatione eorum, qui vel sexu, vel fragilitate judicii, & intellectus, eo *communi periculo*, facilius involvuntur; quibus positis:

§. 1.

Sub qua pœna fidelibus hæreticorum libri prohibiti sint in Bulla Cœnæ.

715 REsp. in Bulla Cœnæ Domini, clausulâ primâ sub pœna excommunicationis Pontifici reservatæ, prohibitum esse, omnibus Christi fidelibus, ne hæreticorum libros, *hæresim continentes*, vel de *religione tractantes*, sine authoritate Sedis Apostolicæ *scienter* legant, aut retineant, imprimant, seu quomodolibet defendant ex quavis causa, publicè, vel occultè, quovis ingenio, vel colore. Hanc prohibitionem extendit Sixtus IV. in sua constitutione ordine 21. in Bullar. sub pœna excommunicationis sibi reservatæ ad libros Astrologiæ, seu de divinatione tractantes, quibus intenditur cognitio de futuris contingentibus liberis. Circa præsentem prohibitionem rectiùs intelligendam not. quòd clausula Bullæ Cœnæ comprehendat libros *hæreticorum*, *proprie talium*, quales sunt, qui à fide, per baptismum susceptа defecerunt. Ita Sanch. l. 2. in Decal. c. 10. n. 22. Farinac. de hæresi, q. 180. n. 10. Nam ea prohibitio est in odium, ac detestationem eorum, qui à vera fide semel susceptа defecerunt, etiamsi tales hæretici non sint ex vitandis, modò tales esse sciantur. Ita Sanch. cit. num. 24.

716 Hinc sequitur 1. sub prohibitione Bullæ Cœnæ non comprehendi *libros infidelium*, prout condistincti sunt ab hæreticis propriè dictis. Ita Suarez tom. 5. D. 20. S. 2. n. 11. & sequitur ex priori num. Sequitur 2.

sub

sub prohibitione Bullæ Cœnæ non comprehendi *librum Authoris* Catholici licet comprehendat aliquos errores per ignorantiam Authoris insertos; quia sic absolutè loquendo, non verificatur, quòd sit *liber hæretici*, de quo loquitur Bulla Cœnæ. Ita Coninck. de fide D. 18. d. 11. n. 177. Sed

717 Quæres 1. an quis agat contra Bullam Cœnæ, legendo talem librum Authoris Catholici, cui simul adjuncta sunt *Scholia, & annotationes ab hæretico appositæ?* R. quòd non; quia non verificatur ex hoc, quod legat *librum hæretici*, nisi textus notabiliter esset *minor Scholiis*. Tunc enim à potiori diceretur *liber commentatoris hæretici*. Ita Suar. cit. D. 21. S. 2. n. 11.

718 Quæres 2. an quis peccet contra Bullam Cœnæ, & excommunicationem contrahat, legendo *doctrinam hæretici*, in libro Authoris Catholici contentam de verbo ad verbum? R. negativè; quia sic non verificatur, quod legat *librum hæretici*, Azor. p. 1. l. 8. c. 16. q. 1. Sed quid, si quis talem librum legat, *ex pravo fine* v. g. animo discendi hæresim? R. peccare quidem, propter pravam intentionem, ut per se patet; non tamen fieri Reum pœnæ in ea Bulla decretæ; quia hæc requirit actum externum *legentis librum hæreticum*, quod in præsenti non contingit. Ita Layman. l. 2. Summæ. tr. 1. cap. 15. num. 1.

719 Quæres 3. quid propriè veniat sub hac voce *liber hæretici*, prout cadit sub prohibitionem in Bulla Cœnæ? R. venire *quemlibet librum Authoris hæretici*, qui vel *hæresim continet*, vel *de Religione tractat*. Ita Castropal. p. 1. tr. 4. D. 2. p. 10. §. 1. n. 7. Prima pars quoad authorem constat ex n. 715. quoad *materiam* verò ex eo, quia finis dictæ prohibitionis est, conservare puritatem doctrinæ, fidei Catholicæ, ac præservare fideles à periculo falsorum dogmatum contra illam.

720 Ex hoc coll. 1. *sub ea voce* comprehendi librum Authoris hæretici, qui continet hæresim, vel tractat de Religione, sive impressus sit, sive manuscriptus. Tum quia scriptura non facit, quòminus sit *verè liber*; tum quia secus, facile eludi, ac enervari posset intentio Ecclesiæ. Ita cum communi Suarez cit. D. 20. S. 2. n. 10. Sanch. cit. l. 2. c. 10. n. 28. Coll. 2. etiamsi liber Authoris hæretici contineat *unicam hæresim*, cadere sub dictam prohibitionem, licet totus in reliquis sit de materia profana; quia sic reverà est *liber Authoris hæretici continens hæresim*. Ita Castropal. cit. n. 7. Coll. 3. etiamsi liber Authoris hæretici non tractet ex professo de hæresi, modò contineat *aliquam hæresim*, nihilominus cadere sub prohibitionem Bullæ; quià verum manet, quòd sit *liber Authoris hæretici, continens hæresim*. Sic Bonacin. D. 2. q. 5. p. 4. n. 19. Suarez cit. n. 16. & alii communiter cum Farinac. cit. q. 180. de hæres. n. 22. contra Graffis l. 4. decis. c. 18. n. 40. & 80. secùs est, si tractet de Religione, sed non *ex professo*; nam prohibitio in n. 715. est disjunctiva, ut dicam num. seq. Dicitur autem liber *ex professo tractare de hæresi*, quando ejus argumentum est hæresis, ut notat Castropal. cit n. 7. & *tractare de Religione*, interpretando scripturam, decidendo quæstiones Theologicas, de cultu Dei, & Sanctorum; disputando de statu Clericorum, & Monachorum &c. &c. sic Layman cit. n. 3. §. *altera*.

Coll. 4. librum Authoris hæretici, continentem hæresim, manere sub Bullæ prohibitione pœnali, *licet hæresim ab illo expungas*; quia particularis expunctio non tollit communem prohibitionem. Ita Sanch. cit. c. 10. n. 25. requiritur tamen, quòd liber de *Religione tractet ex professo*, ut vult Castropal. cit. n. 7. §. *Neque*, idque propter periculum, errores inducendi ab Authore hæretico. Coll. 5. non venire sub Bullæ pœnali prohibitione libros hæreticorum, philosophicos, juridicos, medicos, historicos, poëticos, nullam hæresim continentes. Quia sic non verificatur, quòd sit *liber hæretici, continens hæresim*, vel *ex professo tractans de Religione*. Ita Layman cit. n. 3. §. *Altera*. Coll. 6. non venire sub dicta prohibitione librum Authoris hæretici, qui tractat de Religione, *solùm obiter*, & *non ex professo*, modò non contineat hæresim; secus est, si *ex professo tractet* de Religione, licet certum sit, quòd non contineat ullum errorem contra fidem Catholicam; sic Layman loc. cit. 721

Quæres 4. an excommunicationem Bullæ contrahat, qui *brevem scripturam*, v. g. *orationem, concionem, quæstionem*, vel *Epistolam* ab *hæretico scriptam, quæ vel continet hæresim, vel ex professo tractat de Religione, scienter legit, imprimit, vel retinet?* affirmativam sequitur P. Suarez cit. D. 20. s. 2. n. 10. Farinac. cit. n. 30. Ugolin. de Censur. p. 2 n. 2. Barbos. p. 3. de potest. Episcop. allegat. 9. in fine, & alii. Negativam Sanchez cit. 722

cit. c. 10. n. 29. Bonacin. D. 2. de Censur. q. 5. p. 4. n. 18. & alii.

723 Tota difficultas est, an, quando Bulla prohibet *librum hæretici*, sub ea voce *libri*, veniat quælibet scriptura, etiam brevis, continens hæresim, aut ex professo tractans de Religione? pro affirmativa faciunt sequentia 1. quia cum dispositio Bullæ sit in favorem fidei, & Religionis Catholicæ, est favorabilis, consequenter latæ interpretationis. 2. Quia in his est eadem ratio, & periculum perversionis. 3. Quia Congregatio Concilii declarans decretum de librorum editione latum, ait comprehendi eâ prohibitione *omnes annotationes, lectiones, conciones, disputationes, & tractatus ad effectum imprimendi.* 4. Quia quælibet pars libri hæretici cadit sub illam prohibitionem; at ejusmodi scripturæ sunt pars libri. 5. Quia cùm in Bulla non taxetur quantitas ad constituendum librum requisita, quævis scriptura, saltem decem foliorum, *libri* nominè veniet. 6. Quia verbum *liber* ibi non apponitur *taxativè*, sed solùm, quia hæresis frequentibus *libris* spargitur. Hæc sententia omnino videtur valde probabilis, & menti Pontificiæ conformior, quæ fuit omne periculum perversionis, ex quacunque hæretricorum scriptura proveniat, etiam modicâ, tollere; & ideo eam in praxi tenendam docet Castropal. cit. p. 10. §. 1. n. 5. sic tamen, ut & negativam probabilem censeat. Et ideo ad argumenta contraria respondetur.

724 Ad 1. in n. 723. negatur, eam dispositionem *esse favorabilem*, & non pœnalem. Non nego, *quòd ordinetur in favorem fidei; & defensionem fidelium, ex fine* nimirum extrinseco intentum à Legislatore, qui favorem, & defensionem fidelium, mediante illa dispositione intendit; non autem *ex fine intrinseco legis*, seu dictæ dispositionis, quem directè, ac immediatè intendit, qui est, *fideles, etiam in fide firmos, sub gravi pœna, privare lectione librorum hæreticorum.* Lex autem, & dispositio non dicitur *favorabilis*, aut *odiosa*, vel *pœnalis* ab extrinseco fine Legislatoris; sed à fine legis, directè intento, ut, quando hic est favor dicatur *favorabilis*; si onus, & gravamen, *odiosa*, si pœnam, *pœnalis*. Cujus ratio est, ut rectè notat Castropalaus cit. n. 5. Quod si propterea lex esset *favorabilis*, quia ordinatur à suo Conditore in alicujus favorem, quælibet lex, etiam imponens gravamina, onera, contributiones, imò & pœnas latronibus, & hominibus, quantumcunque sceleratis, *esset favorabilis*, & latæ, ac benignæ interpretationis; omnis enim lex à suo conditore, ex natura potestatis legislativæ, ordinari debet in bonum commune, ac favorem Reipublicæ, pro qua conditur; hoc autem nemo concedit; ergo.

Secunda ratio in eod. n. 723. videtur 725
satis efficax pro intentione sententiæ affirmantis; quia revera, etiam per ejusmodi Scripturas, quantumvis modicas, fideles perversionis periculum, satis frequens subeunt; & hæretici degentes inter Catholicos, ubi hæreticorum libri non tolerantur, per absentes, in pervicacia sua roborantur: quamvis negantes dicant, ejusmodi scripturas, non venire sub verbis legis pœnalis, loquentis de *libris*.

Ad 3. in n. 723. R. concedi, quòd Con- 726
gregatio Concilii Tridentini sess. 4. in decreto de editione librorum, juxta mentem Concilii Lateran. declaraverit; nulli licere imprimere librum, vel annotationes, aut expositiones in S. Scripturam, sine recognitione, ac licentia Superiorum Ecclesiasticorum, multò minus sine nomine authoris; aut, alibi impressos temerè habere venales, etiam extensione factâ ad quascunque scripturas: sed solùm eas, *quæ vulgantur sine dicta recognitione, & licentia Superiorum; aut sine nomine Authoris:* at ex hoc non probatur, etiam Bullam Cœnæ de his loqui. Declaratio enim loquitur de libris, etiam bonis, & Catholicorum; non autem Bulla, quæ loquitur solùm de libris hæreticorum.

Ad 4. R. ma. esse veram de partibus 727
librorum, *qui sunt, vel fuerunt*; non autem, secùs. Quare non sufficit, quod sit pars solùm *aptitudine*; quia prohibito toto, prohibentur quidem etiam partes ejus actuales, ut præfatio, dedicatio, quæ de facto cum aliis librum composuit; secùs, quæ nunquam. Ad 5. concedo Scripturam decem foliorum dici librum; sed talis non est Scriptura quælibet; Ad 6. denique ibi *librum* exprimi, non causa frequentioris usus, sed quia *in libris* hæreses magis deducuntur, & quia subinde miscentur aliis lectorem inescantibus, nec ita facilè cognoscuntur, consequenter majus periculum habent.

§. 7.

§. 2.

Quæ actiones prohibitæ sint fidelibus circa libros hæreticorum?

728 LOquimur de actionibus prohibitis tam in Bulla Cœnæ, quàm aliis decretis Pontificum, & Conciliorum. Illæ autem sunt *lectio, retentio, impressio, defensio, venditio, emptio, & asportatio, scienter facta.* Quare censuram non incurrit, qui talem actionem facit, ignorans librum esse hæreticum, vel pœnaliter esse prohibitum; Ita Suarez sæpè cit. D.20. s.2. n.17. Sanch. c. 10. à n.38. etiamsi sit ignorantia crassa, modò non sit conjuncta cum ingenti temeritate. Nam ubi *hoc* fit, præsumitur malitia, & scientia; seclusâ verò temeritate non incurritur ex eo; quia quoties lex pœnalis *scientiam* requirit, excusat ignorantia etiam crassa, ut docet Layman cit. n.4. §. *Tertia*, cum Sanchez cit. c.10. à n.38. & L.9. matr. D.32. à n.36.

729 Dices: si censuram non incurrit *scienter* legens librum hæreticum, sed ignorans ei lectioni annexam esse pœnam censuræ; nec incurret impedimentum criminis, scienter committens tale crimen, sed ignorans ei annexam esse pœnam impedimenti dirimentis; sed hæc sequela non admittitur; tum quia nititur *fundamentis debilibus*; tum quia *Authores optimos* violenter & contra sensum eorum pro societate laxioris sententiæ allegat, ut loquitur P. Jacobus Wex in Opusculo Canonico-Tridentino p. 2. controvers. 5. n.5. ergo. Verùm, hoc non obstante, sequela valde rationabiliter admittitur; & judico sententiam, quæ admittit sequelam, immeritò vocari *laxiorem*, de quo pluribus egi lib.4. decret. Nec rationes, quæ contra illam fiunt, sunt tales, *quæ debilitatem ejus ob oculos ponant*, ut loquitur citatus Author. Principalis enim ratio negandi sequelam, est, quòd juris inhabilitas ad matrimonium *ex delicto*, non sit *unicè* & *principaliter* pœna, seu non sit *pœna præcisè*, quasi non adesset alia principalis ratio ejus impedimenti; quod tamen requiritur, ut pœna delicto, scienter commisso annexa, non incurratur ab ignorante, talem pœnæ annexionem. Sed hæc ratio intentum nullatenus evincit. Fallit enim in multis. Excommunicatio non est *unicè* pœna, non est pœna *præcisè*, non est pœna *principaliter, quasi non adesset alia principalis ratio ejus separationis à communione fidelium*, & reliquis effectibus, quos jure post se trahit; & tamen non incurritur ab ignorante, *illam esse annexam delicto, scienter commisso*; idem est de irregularitate ex delicto, de privatione juris petendi debitum post incestum cum consanguineo alterius conjugis.

730 Respondent. 1. non esse paritatem à censuris. Nam licet hæ non sint *pœnæ præcisè, unicè, ac principaliter* sic, ut non adesset alia principalis ratio separationis à communione fidelium, & inhabilitatum, quas inducunt; habent tamen peculiare, quòd requiratur *singularis contumacia*, & *contemptus*, qui non committitur ab ignorante annexionem talis pœnæ. Sed hæc responsio nihil salvat. Sic enim jam receditur ab assumpto principio in ratione, de qua in num. 729. nimirum, quòd, ut pœna ignorata non incurratur, necesse sit, *quòd sit unicè, ac præcisè pœna sic, ut non adsit alia ratio statuendi absque delicto prævio effectus censuræ.* Nam inhabilitas, quam inducit excommunicatio, statui potest in homicidas, quin fiat in odium delicti; sed solùm ut remedium animæ in medicinam, vel aliis in terrorem; ergo in ejusmodi casu *censurarum* ratio statuendi ejusmodi inhabilitates, non est *unicè* delictum; & tamen non incurritur ab ignorante.

731 Secundò, cùm dicis, *esse singulare in censuris*, quòd delictum debeat esse conjunctum *cum contumacia*, & contemptu, qui non reperitur in ignorante pœnam: quæro, quid significare velis per eam *singularem contumaciam*, & contemptum? an, delictum commissum etiam stante scientia comminationis pœnæ ultra prohibitionem delicti factam à lege? v.g. *monitionis*, vel formaliter, vel æquivalenter *trinæ*? an, cum sola scientia de prohibitione delicti, & annexione pœnæ, qualiter fit, ubi censura incurritur ipso facto, sine ulteriori monitione? sed neutrum relevat. Ratio est, quia negantes, *incurri pœnam ab ignorante, illam esse annexam delicto*, paritatem à censuris desumptam ad alias pœnas, non fundant in eo, quòd peculiare est censuris, quâ talibus, *in quantum censuræ*, seu *tales* pœnæ sunt *speciali* constitutione juris positivi; sed, *in quantum pœnæ sunt*, & statutæ *lege pœnali*, prout *lex pœnalis* communis est cuilibet legi pœnali, cujus natura est, *non statuere pœnam delicto, nisi quatenus est transgressio legis pœnalis, quâ talis*, hoc est, quatenus cum scien-

tia pœnæ annexæ committitur ejus transgressio: at à ratione, communi utrique, validè ducitur argumentum; ergo. Quòd autem hoc sit de ratione *legis pœnalis*, consequenter, quòd nulla lex pœnalis imponat pœnam transgressoribus, nisi transgressio sit *transgressio legis pœnalis, quà talis*, constat ex alibi dictis; quia lex prohibens actum, & simul statuens pœnam, *constituit novum jus, obligans ad pœnam*, quod non explicat, *ut prohibens*, quia, si aliter imponeret pœnam, æquali pœnâ puniret inæqualia delicta, hoc est, delictum quod committereretur *sine omni contemptu comminationis pœnæ, formaliter imputabili*, puniret pœnâ æquè gravi, ac puniret, delictum commissum *cum contemptu commixationis* pœnæ, *formaliter imputabili*, quod omnino repugnat justitiæ legis, quæ est de natura omnis justæ legis. Pœna enim commensurari debet culpæ, ne illam excedat. ant. prob. quia *ignorans comminationem pœnæ*, nullatenus eam contemnit *formaliter*; *sciens autem, & hoc non obstante peccans*, reverà formaliter contemnit eam comminationem; ergo.

732 Ex hoc sequitur, in omni casu ad incurrendam pœnam lege statutam transgressoribus, requiri ex natura rei aliquam contumaciam, & pœnæ comminatæ contemptum formaliter imputabilem, quæ *contumacia generaliter* prærequisita sit ex natura rei ad incursum talis pœnæ; quia secus lex illa pœnalis non foret justa, ut dictum est; & quoniam hæc contumacia *generalis*, communis est censuris cum aliis pœnis, quæ censuræ non sunt; rectè fieri argumentum à censuris ad alias pœnas, *fundatum in ea ratione communi*.

733 Sequitur 2. non ideo præcisè censuras non incurri ab ignorante, censuram esse annexam suo delicto, quia non commisit illud *cum contumacia illa singulari*; quia nec incurreret illam, si abesset contumacia etiam generalis; cùm hoc non possit statuere ulla lex pœnalis, quà talis, salvâ justitiâ, quæ est de natura cujuslibet legis pœnalis; certè nullum hactenus legi, qui afferret tam clara fundamenta, quorum vi, & claritate *ob oculos poneretur*, hoc est, clarè ostenderetur debilitas sententiæ, exigentis ad incursum pœnæ legalis, *transgressionem legis pœnalis*, hoc est, factam cum notitia de comminatione pœnæ transgressoribus statutæ. Sicut enim *ignorantia juris de prohibitione*, se habet ad contrahendam malitiam, quam incurrit actus scienter commissus contra legem *prohibentem*; sic se habet *ignorantia juris de punitione* ad contrahendam pœnam, quam incurrit actus scienter commissus contra legem *punientem*.

Respondent. 2. esse discrimen inter 734
censuras, & alias pœnas, v. g. inhabilitatem ad matrimonium, inductam ex crimine, quòd censuræ sint *principaliter pœnæ*; & reliqua illis adjuncta, v. g. *quòd sint simul medicinales*, *quòd inhabilitent*, &c. habere se solùm *secundariò*; in irritatione matrimonii autem propter crimen, rationem *inhabilitatis*, communem aliis impedimentis dirimentibus, habere se *principaliter*; & rationem *pœnæ* solùm secundariò; adeoque ex eo, quod censuræ non incurrantur ab ignorante, non rectè argui ad alios casus, ubi ratio pœnæ intenditur secundariò, & non principalitet, non valere argumentum. Sed nec ista responsio salvat. 1. qui nullatenus ostendit, cur inhabilitas ad beneficia, quam inducit excommunicatio, *sit principaliter pœna*; & non *inhabilitas ad matrimonium*, quam inducit crimen conjugicidii, vel adulterii, licet utrumque annexum sit delicto jure positivo, non autem jure naturali. Scio quòd inhabilitas, nascens ex crimine, infligatur à jure non tantùm ex fine puniendi delictum; sed etiam in securitatem vitæ conjugum, & fugam adulterii, sed etiam inhabilitas, nascens ab excommunicatione, infligitur à jure non tantùm ex fine puniendi delictum, sed etiam in salutarem medicinam animæ, & fugam delictorum, aliosque fines; sed non ostenditur cur, cùm utraque lex supponat delictum, *inhabilitas ad beneficia*, nascens ab excommunicatione, *principaliter sit ex fine* punitionis, & *non inhabilitas ad matrimonium* nascens ex crimine? hoc sanè rationes allatæ non ponunt ob oculos ita perspicuè, ut fundamenta opposita videantur debilia.

2. In quæstione, an aliqua lex sit *merè*, 735
seu *præcisè*, consequenter *principaliter pœnalis*; vel an id, quod statuit, sit principaliter intentum à lege? communis regula docet, id colligendum ex fine intrinseco, seu per legem directè quæsito, & immediate intento à lege, non à legislatore, ut diximus n. 724. Nam *finis legis intrinsecus* non idem est *cum fine legislatoris*; sicut non idem est finis *artificis*, & *artis*, sumptæ pro actibus regu-

regulantibus; hujus enim finis intrinsecus, *est opus factum* juxta regulam artis; & relatè ad artificem, non habet rationem finis, sed medii, ad lucrum, quod directè intendit artifex; id autem, quod est alicujus finis intrinsecus, respectu illius principaliter intentum est; ergo.

736 Hinc sequitur, quòd, sicut opus non rectè dicitur solùm secundariò, & non principaliter intentum *à lege* seu *arte*, sumptâ pro actibus regulantibus ex eo, quòd artifex illud ulterius ordinet ad alium finem arti extrinsecum: sic non rectè dicatur, *punitionem*, seu *inhabilitationem personæ in odium delicti commissi* (in quo formaliter consistit ratio pœnæ) solùm secundariò, & non principaliter intentam à lege, ex eo, quòd legislator illam ulterius ordinet ad alium finem legi extrinsecum; at valde probabile est, quòd sacri canones, statuentes, in pœnam criminis, inhabilitatem criminosorum ad matrimonium, directè, ac immediatè illam intendant; licet legislatoneam pœnam ulterius ordinet in alios fines legi extrinsecos, ut in securitatem conjugum; aliàs nulla lex foret principaliter pœnalis, aut odiosa, ut constat ex dict. à n. 729. ergo.

737 Ad instantiam de *irregularitate ex delicto*, respondent: inter hanc, & impedimentum criminis, esse discrimen; illa enim est *pura pœna*, vel saltem *principaliter talis*, ut esset discrimen inter irregularitatem ex delicto, & eam, quæ incurritur citra omne delictum: impedimentum autem criminis non est principaliter in pœnam criminis præsuppositi; sed tantùm inhabilitas specialis, cæteris impedimentis matrimonii communis, quæ ut incurrantur, non requirunt sui notitiam. Verùm hoc totum est in quæstione, nec ullo juris textu, aut ratione probatur sic esse, quod dicitur. Tota enim quæstio est: unde habeatur, quòd pœna *inhabilitatis ad beneficia*, inducta per legem in odium delicti, sit *purè*, vel *principaliter pœna*; & non pœna *inhabilitatis ad matrimonium*, inducta per legem in odium criminis; cùm in utroque casu dari possit inhabilitas ad Ordines, & matrimonium, etiam extra delictum, ut manifestum est in irregularitate citra culpam; & contrahentibus matrimonium sinè forma Tridentini, ubi hoc viget. Accedit, quòd lex aliquem præcisè inhabilitans *ad aliquid citra culpam*; & inhabilitans *in odium delicti* ex fine intrinseco inter se differant; sed hic inhabilitas per legem inducta in odium delicti, seu criminis ex fine intrinseco illius legis (consequenter *principaliter*) est pœna; quod enim lex intendit ex fine suo intrinseco, est principaliter intentum.

Et ideo illa *inhabilitas ad matrimonium*, 738
inducta per legem in odium criminis, magis propriè dici potest *principaliter pœna*, quàm *affinitas ex delicto*; nam illa sic inducitur à lege statuente inhabilitatem ad matrimonium in odium criminis, ut secluso crimine, ac eâ pœnali lege, *dicti criminosi* nullatenus essent inhabiles ex alia lege canonica de facto existente: at inhabilitas ad matrimonium, inducta per legem *inter affines* copulæ fornicariæ non est talis, ut *affines*, seclusâ culpâ copulæ fornicariæ, ac lege pœnali, non essent inhabiles ad matrimonium ex alia lege canonicâ de facto existente, ut constat; cum actu detur lex inhabilitans affines ad matrimonium, qui tales sunt ex copula licita, & citra delictum. Idem est de irregularitate ex delicto. Non enim desunt, qui doceant, irregulares fieri ex homicidio v.g. non tantum injusto, sed etiam citra delictum, & quidem etiam extra casum, quo quis causa est mortis alterius, sine eo, quòd authoritate publica exerceat operationem, ex qua sequitur, ut complures tenent, l. 5. decret. tit. 12. de homicidio, secuto ex actione licita, sed cum defectu aliquo diligentiæ ad cavendum adhibendæ.

Pro reliquis nota 1. negandum esse, 739
cùm dicitur: à *censuris* ad *alias pœnas*, quæ censuræ non sunt, nullum esse argumentum in hac quæstione. Ratio est ex n. 731. Nam in hoc casu argumentum à censuris ad alias pœnas fundatur in ratione, quæ communis est utrique, *quòd nulla transgressio legis, quæ pœnalis est, inducat pœnam talis legis, nisi sit transgressio legis pœnalis, quà talis*, nimirum facta cum scientia annexæ pœnæ. Not. 2. cùm dicitur censuras esse *puras pœnas* negandum esse, si attendatur finis *legis*, & *legislatoris*; nam esto darem, esse *puras pœnas*, *attento præcisè fine legis*; quia tamen à legislatore ordinantur in alios fines, in medicinam animæ, in vindictam, & aliis in exemplum, dici hoc sensu possunt, quòd non sint puræ pœnæ; hoc est, quod spectato utriusque fine, non sint *pœnæ tantùm*. Et hac ratione nec impedimentum criminis est pura pœna. At, si attendatur finis intrinsecus legis *præcisè*, impedimentum criminis,

seu criminosorum inhabilitans ad matrimonium, est pura pœna, hoc est, pœna tantum, seu in solam criminis punitionem, licet à legislatore ordinetur ulterius in alios fines, in securitatem vitæ conjugum, aliis in terrorem, &c. Sed hi fines legi sunt extrinseci; adeoque per num. 734. nullatenus principaliter intenti à lege.

740 Not. 3. probabilius dici, censuras esse puras pœnas, etiamsi attendatur præcisè finis legis. Nam esto finis legis imponentis censuram non sit *unicè*, punire, sed etiam *vulnus animæ*, per ejusmodi medicinalem pœnam sanare: quia tamen hic finis quæritur dependenter ab illo, & non nisi per punitionem, qui est finis legis immediatus, recte dicitur punitionem intendi à lege principaliter, & primariò consequenter purè, hoc est, *non ex alio fine independente ab illo*. Et hoc totum longè magis reperitur in impedimento criminis. Not. 4. ex hoc, quod sacri canones in toto titulo, *de eo, qui duxit* &c. loquentes de impedimento criminis, imò nec eorum interpretes, ullam faciant mentionem *de præhabenda notitia pœnæ*, sed toti sint in exponendis aliis conditionibus, non rectè inferri: ergo, *ut incurratur, non prærequiritur notitia talis pœnæ*. 1. Quia meritò poterant id supponere, cùm ex natura rei sit, non incurri pœnam, statutam à lege in pœnam delicti, nisi à transgressioribus *talis legis*, non transgressione qualicunque; sed *transgressionis legis quà pœnalis*; at sic supponit notitiam pœnæ; ergo.

741 Not. 5. non procedere argumentum desumptum ex Gobat tr. 9. n. 97. quo dicitur, *cætera impedimenta matrimonii contrahuntur absque tali notitia, eò, quod sint inhabilitates certæ; ergo idem dicendum de impedimento criminis*. Nam causalis antecedentis, *sic præcisè* prolata, negatur, & solùm conceditur, si sint *inhabilitates* certæ, sed *non pœnales*, nec statutæ in odium delicti; hoc autem sic nihil concludit de consequenti. Id, quod additur, exemptionem impedimenti criminis à cæteris matrimonii impedimentis nec suaderi à jure, nec ratione, nec authoritate sufficiente, gratis dicitur; nam jure sufficienter constat; pœnas ignoratas non incurri, ut habetur c. 2. de constit. in 6. de quo textu Sanchez. eum allegans l. 9. matr. D. 32. n. 13. sic ait: *quòd illud decretum (cùm animabus faveat, generaliterque de ignorantia loquatur) videatur amplè interpretandum non de sola juris ignorantia, sed etiam pœnæ*. Ratio etiam suadet, ut constat ex n. 731. ne dicamus inæqualia delicta æqualiter puniri. Sed nec authoritas Doctorum deficit, ut ostendi l. 4. decret.

Quòd autem impedimentum criminis 742
habeat rationem *pœnæ*, non facilè negari poterit, prout id ipsum agnoscit Sanchez. l. 7. matr. D. 5. n. 7. Haunold. tr. 1. de legibus n. 110. dicens: *hanc autem irritationem matrimonii* (nimirum ob conjugicidium, vel adulterium cum data fide matrimonii futuri,) *esse puram pœnam, videtur mihi certum*. Idem tenet Castropal. & alii à me relati cit. l. 4. Unde non sincerè Haunoldi verba exponuntur, dicendo, ad impedimentum criminis incurrendum, prærequiri veram rationem delicti formalis, secundùm se pœnâ digni; non autem non adesse rationem specialis inhabilitatis, quam incurrat etiam is, qui ignorat tale impedimentum. Non enim video, quî subsistat hæc expositio eorum verborum. Nam non tantùm dicti Authores, sed ipsi etiam adversarii dicunt, *pœnam legis ignoratam, non incurri, si sit pura pœna*; at secundum Haunoldum impedimentum criminis *est pura pœna*; ergo ignoratum juxta doctrinam ejus non incurritur. Nec ex eo, quod Haunoldus loco cit. dicat: *alia instantia esse posset irritatio matrimonii, contracti ab homicida, vel adultero cum complice ex intentione, vel promissione matrimonii, &c. talis enim contraheret impedimentum criminis, non obstante ignorantiâ legis irritantis*, rectè infertur: ergo, dum ait eam irritationem esse *puram pœnam*, non vult prærequiri ejus notitiam. Dato enim antecedente, nego consequentiam. Doctissimus Haunoldus bene novit, ut actus celebratus contra legem *præcisè irritantem*, ex inhabilitate subjecti nulliter fiat, non requiri notitiam irritationis per legem inductæ, *non in odium, & pœnam delicti*; & ideo nec ad impedimentum criminis, *ex hoc præcise titulo* incurrendum, prærequirit ejus notitiam; non autem *ex titulo irritationis pœnalis*, & statutæ in odium, & pœnam delicti.

Nec juvat, quod adducitur ex Sanchez. 743
l. 7. D. 40. n. 7. ubi generatim mentem suam de impedimentis matrimonii exprimens, apertè ait: *ad ea contrahenda non requiri eorum notitiam*. Nam quid sequitur ex hoc dicto? dices: quòd nec ad impedimentum criminis incurrendũ requiratur ejus notitia.

Bz.

R. verissimum esse, non requiri ejus notitiam *ex communi ratione impedimenti dirimentis*; nam hoc intendit Sanchez, sed non propterea esse verum, non requiri ejus notitiam *ex speciali ratione impedimenti pœnalis*, seu statuti directè in odium criminis; ut manifestum fit ex verbis P. Sanchez, quæ supra retulimus n. 741. sed de hoc satis. V. lib. 4.

§. 3.
An qualibet libri hæretici lectio inducat pœnas jure statutas?

744 AGimus hîc solùm de *lectione libri, cujus Author est hæreticus.* An autem omnes, & qui libri, quorum Authores sunt hæretici, veniant hic sub nomine *libri hæretici* constat à n. 719. & seq. Unde potissima quæstio est de ipsa lectione talis libri. Ut igitur lectio talis libri, aut alia actio ex prohibitis inducat pœnas jure statutas in *legentem*, vel *exercentem* unam ex dictis actionibus, not. 1. requiri, quòd talis actio fiat *scienter*. Hinc ignorans librum quem legit, retinet, imprimit, &c. *esse librum Authoris hæretici, qui contineat hæresim, vel ex professo tractet de Religione*, non fit reus earum pœnarum, ut constat ex n. 728. Not. 2. ut incurrantur dictæ pœnæ propter *lectionem* libri hæretici, non sufficere, quòd legat unam, vel alteram lineam; sed requiri, quòd scienter legat materiam notabilem, & sufficientem ad peccatum mortale. Sic Azor p. 1. l. 8. c. 16. q. 3. & alii; & quamvis perfecta hæresis contineri possit etiam unâ vel alterâ solùm lineâ; & ideo doceat Toletus l. 1. de Instruct. Sacerdot. c. 19. n. 9. sufficere ad peccatum mortale: ex hoc tamen non sequitur, in hac materia non dari parvitatem materiæ excusantem à peccato gravi; cùm hoc admittatur in multis aliis, & hæresis in tam modica insinuatione non causet tantum periculum, dignum tantâ pœnâ, qualis est excommunicatio. Ita Layman. l. 2. summæ, tr. 1. c. 15. n. 5.

745 Difficultas est, quæ materia censeatur *notabilis*, & *sufficiens ad mortale?* consequenter, *quæ* materia censeatur *parva?* Aliqui dicunt, censeri adhuc materiam parvam, unam paginam, licet liber sit ex majoribus voluminibus; ita Sanchez, Vivald. Rodriq. & Sà, apud Layman cit. n. 5. alii volunt, hanc extensionem esse nimiam, ut Suarez, & Bonacina apud Castropal. p. 1. tr. 4. D. 2. p. 10. n. 26. §. *hanc autem.* Verùm si consideretur gravitas pœnæ, lectio unius tantùm paginæ, non videtur esse tanti periculi, ut contineat gravitatem culpæ præsuppositam tantæ pœnæ; cùm utrumque commensurari debeat.

Quæstio ulterius est, an incurrat dictam pœnam, in legentes decretam, qui solùm audit alium clarè legentem librum hæreticum? affirmant Suarez tom. 1. de censur. D. 20. s. 2. n. 18. licet audiens legentem ad hoc non induxerit. Alii dicunt, incurri, si legentem audiens induxit mandato, vel consilio; non autem, si secùs; Sic Azor cit. p. 1. l. 8. c. 16. q. 4. Sayrus, Graffis, & alii. Alii demum docent, tunc solùm incurri, quando quis legentem induxit, ut ipse, quod legit, audiat, utique intelligibiliter; ita Layman cit. n. 6. §. *Secunda.* Etsi hæc sententia, quæ docet omnino incurri censuram ab audiente, quando legentem mandato, vel consilio induxit, ut lectis ab eo auscultare possit (quia sic reverà, ipse quasi per alium legit) Castropalaus tamen cit. n. 4. cum Sanchez, Ugolino, & Coninck, ibidem probabilius censet in neutro casu audientem ligari hâc prohibitione inductivâ pœnæ. Cujus ratio est, quòd, cùm simus in quæstione circa materiam *legis pœnalis*, verba extendi non debeant ultra propriam significationem; at *lectionis auditio* sive cum, sive sine mandato, ut legatur (sicut *nec ipsum mandatum*) *non est lectio in significatione propria*; nam *legere*, propriè, est *visu, & mente, scripta percipere*; ergo. 746

Ad rationem in contrarium R. quòd non semper identitas rationis, & periculi faciat comprehendi sub lege pœnali casum non contentum sub propria significatione verborum legis, ut aliàs diximus lib. 1. tit. 2. de lege pœnali, ac etiam superius à n. 137. *audire* autem *legentem*, vel *mandare alteri, ut legat*, etiam auscultandi animo, non est contentum sub propria significatione verbi *legere*, ut diximus num. præced. Deinde nego, rationem prohibendi eam lectionem, esse præcisè *utcunque* periculum percipiendi doctrinam hæreticam, sed percipiendi eam *lectione*, medio nimirum facili, & secreto, ac verbo legis expresso. Unde licet magna pars lectionis sita sit in perceptione verborum, & sensûs eorum; quia tamen lex pœnalis loquitur, non de qualicunque perceptione, sed *per lectionem*, quæ fit visu; non debet extendi ad verborum, & sensûs perceptionem, quæ habetur ex solo auditu. 747

Et ideo etiam censuram evitat famulus, mandato Domini legens librum hæreticum, aut quivis alius, si legat solùm *materialiter*, hoc est, si quidem scripta, vel librum visu percipiat, sed quid verba significent, non percipiat mente, seu non intelligat. Sic Castropal. cit. §. 2. n. 2. contra Bonacin. de Censur. D. 2. q. 5. p. 4. num. 14. contrarium sentientem. Ex hoc colliges, etiam ab illo evitari censuram, qui animo perlegendi, vel totum, vel magnam partem libri hæretici aggressus lectionem, post unam, alteramve lineam, aut partem modicam, desistit. Non nego, etiam eâ lectione modicâ peccasse graviter, ex vitiosa intentione finis graviter mali; sed nego incurrisse censuram; hæc enim non cadit, nisi in actum externum de se, & seclusâ intentione finis graviter mali, graviter malum; id, quod non habet talis lectio modica. Ira Suarez cit. D. 20. s. 2. n. 20. Sanchez l. 2. c. 10. n. 31. & complures alii.

§. 4.

Quid dicendum de retentione libri hæretici?

748 FInis, prohibendi *retentionem* ejusmodi librorum, est, ut penitus exterminentur, seu, *ne sint in rerum natura*; Sic Graffis, Sayrus, Sanchez, & alii communiter apud Layman cit. n. 7. & alios. Quare in dictam legem (quæ *retentionem* illam vetat) peccat) quicunque librum hæreticum (juxta n. 715. & seq.) apud se, & in domo sua; vel apud alium; sive ut suum, sive alienum, sive ut legat, sive ex alio fine retinet; quia talem librum *retinere sine licentia ejus, qui eam dare potest*, Simpliciter prohibitum est; Ita Graffis p. 1. decis. l. 4. c. 18. & alii, quos citat, & sequitur Castropal. cit. n. 7. Huic tamen doctrinæ plures limitationes adhibendæ sunt. 1. ut non procedat, si retineas *modico tempore* solùm eo fine, ut tradas Inquisitori, vel Ordinario, aut Parocho, alteri-ve Theologo, ut illum comburat. Nam sic protius retentio tendit ad procurandum, quàm ad violandum finem legis. Quia tamen quandoque contingit, quòd habens librum hæreticum apud se, etiam animo tradendi aliis, quibus debet, ut aboleatur, id non statim faciat, & subinde ex ejusmodi retentione oriatur justa non raro conscientiæ anxietas, num tali casu peccatum sit, vel etiam incursa censura?

Ideo nota 1. quòd Suarez. d. 20. de fi- 749
de, s. 1. n. 22. teneat, incurri censuram, qui apud se habet librum hæreticum, *animo absolutè retinendi*, licet post unam horam facti pœnitens eum, ut debet, deponat; sed contrarium probabilius est; non nego eam retentionem esse graviter malam ab intentione absolutè illum retinendi; sed nego *illam actionem retentionis externæ*, esse ex se graviter malam, & seclusò fine graviter malo: at censura non cadit in actum malum, nisi externum, non utcunque sed de se, non autem præcisè ex actu interno, malum. Ita Sanchez. l. 2. in Decal. c. 10. n. 55. & complures alii. Not. 2. excusari à censura eum, qui habens librum hæreticum (ut primùm advertit obligationem non retinendi) statuit deponere, esto id non fiat in continenti, si hoc contingat, vel ex oblivione, vel ex defectu occasionis, statim tradendi iis, quibus debet. Nam retentio, prout est objectum legis pœnalis graviter obligantis, includit tempus notabile, quo retinetur; aliàs enim retentio ad momentum (licet conjuncto animo, ut primum commodè fieri poterit, deponendi, vel comburendi) puniretur pœnâ excommunicationis gravissimâ, quod de mente Ecclesiæ præsumi non potest; ita Castropal. cit. p. 10. §. 2. n. 11. & alii.

Quæstio est, an censuram incurrat, 750
absque periculo perversionis retinens librum hæreticum, ad confutandos errores, ac eorum sequaces? Casus semper procedit, si talis retentio fiat, sine licentia illius, qui illam dare potest. Castropalus cit. n. 9. referens ibid. pro se Pegnam, Ugolinum, Toletum, Suarez & Farinacium, absolutè affirmat; tum quia lex absolutè prohibet retentionem, quin attendat intentionem, quâ fiat; tum quia sæpè, qui sibi persuadet se firmum, cadit, & laqueis, quos evasurum sese credidit, facilè involvitur, præsertim ex opere, suâ voluntate, suscepto. Accedit quòd obligatio legis, quæ fundatur *in præsumptione communis periculi*, non cesset, esto id cesset in persona particulari, ut diximus l. 1. t. 2. de Constit. Hanc sententiam (esto contrarium apud eundem Castropalum n. 8. relati teneant Felinus, Mascardus, Decianus, & alii) judico probabiliorem propter rationes, quibus nititur. Aliqua tamen limitatio adhibenda videtur ex Layman l. 2. Summæ tr. 1. c. 15. saltem pro iis provinciis, ubi constitutio Bullæ Cœnæ, & alio-

rum

rum decretorum Papalium, usu firmata non est quoad rigorem omnium in iis contentorum; cum ex dictis l. 1. in tit. de Constit. leges, etiam, postquam debitè promulgatæ sunt, desuetudine legitimâ abrogari possint. Unde cit. Author n. 4. notat, libros hæreticornm, historicos, poëticos, medicos, & juridicos, licet obiter hæresim inspersam habeant, his in regionibus non prohiberi. Nam usus contrarius ab annis plurimis notorius est. Tales enim libri passim retinentur in Bibliothecis Catholicorum in his provinciis septentrionalibus, & leguntur; quod tamen intellige, si ex professo non tractent de Religione; sicut contingit in historia Joannis Aventini, Joannis Sleidani, Sebastiani Munsteri, & similium, quorum nomina in indice librorum prohibitorum expressè posita sunt; horum enim institutum præcipuum est, Romanum Pontificem, & statum Clericorum, ac Monachorum denigrare, deprimere, & in contemptum ducere.

751 Notat 2. non peccaturum, si contingat casus, quo vir *prudens*, ac *doctus in Germania*, locum aliquem contradictionis in hæretico Authore quærit, certò sperans, eo exhibito alterum ad fidem Catholicam perducendum; tum quia tali casu prævalet lex charitatis, quæ est juris naturalis; tum quia in his partibus id usus obtinuit, propter quod Martinus Becanus in 2. 2. c. 15. q. 8. ait. *Ubi Bulla Cœnæ Domini, vel index librorum prohibitorum, receptus non est, Catholicos in Germania non excommunicari, qui legunt libros hæreticos.* Sed observandum, Laymannum loqui de casu, ubi hoc fit *ex causa ad bonum fidei necessaria*, vel ad juvandos errantes, ut errores dedoceantur; non autem ex aliis finibus curiositatis, aut stomachi adhuc hæresim redolentis, prout communiter fit, ubi per reformationem maxima pars hæreticorum proscripta est, posteris adhuc suspirantibus allium, & cepas Ægypti. 2. Eum non loqui *de quolibet*, sed viro *prudenti*, ac *docto*, nimirum in fidei controversiis, ac Theologicis probè instructo: reliqui enim (etiam nonnulli Parochi, ac Clerici minus docti) rectius, & securius juvantur lectione librorum Catholicorum, & tractatuum, sanè plurimorum, ac utilissimorum, qui & hæreticorum errores sincerè proponunt; & veritate Catholicâ convellunt.

752 Quæstio altera in hac materia est, *an habens librum hæreticum, &, ut primùm advertit esse talem, non tradens inquisitori, sed comburens, vel alio modo annihilans eum, excusetur* à censura? R. talem excusari à censura, quam infligit Bulla Cœnæ; non autem ab ea; quam decerunt aliæ Pontificum constitutiones. Ita Suarez cit. d. 20. de Fide. s. 2. n. 23. Sanchez. l. 2. decal. c. 10. n. 56. Barbosa p. 3. de potestate Episcopali, allegat. 90. n. 5. & alii. Ratio primæ partis est, quia finis, qui quæritur in Bulla Cœnæ, est, ut talis liber pereat, & non sit in rerum natura; hoc autem obtinetur, si comburatur. Ratio 2. partis est, quia aliorum Pontificum decreta non intendunt ejusmodi librorum annihilationem utcunque, sed *positivè traditionem Inquisitori faciendam, ut Author libri cognoscatur, & errores in eo contenti rectius emendentur*; ubi secùs facientibus statuitur eadem excommunicatio, & aliæ pœnæ contra hæreticos latæ. Sic habet Julius. 3. In Bulla incip. *Cum meditatio*; quam prohibitionem pœnalem (à nonnullis intellectam solùm *de tunc existentibus*) extendit etiam *ad futura tempora* Pius IV. in Bulla incip. *locum pro munere*, edita 1564. Idem cavetur in regula 2. Indicis librorum prohibitorum, editi authoritate Concilii Tridentini, confirmati à Pio IV. & renovati jussu Clementis VIII. Quia tamen in his partibus non sunt inquisitores Apostolici, ideo hoc decretum in observationem aliam non deducitur, ut in simili not. Layman cit. n. 4. §. *Tertia*; nisi tradendo Episcopis, suis Pastoribus, vel confessariis, aut etiam comburendo, prout hoc ostendit usus jam receptus.

§. 5.

Quid dicendum de impressione libri hæretici?

CUm pœnæ statutæ etiam dirigantur ad eos, qui *scienter imprimunt libros hæreticos*, in eos omnes cadunt, qui propriè talis impressionis causa sunt, seu de quibus in propria significatione verificatur, ly *imprimere*, per physicam nimirum cooperationem, ac actum imprimendi: inter hos cooperatores numerantur, qui literas componunt, chartam, & atramentum præparant, torcular premunt, & similia. Sic Ugolinus de censuris Papæ reservatis p. 2. c. 1. V. *Imprimentes*. Sanchez cit. n. 57. Suarez cit. d. 20. s. 2. n. 24. 753

Quæ-

754 Quæstio est, an hoc loco etiam comprehendatur *Patronus officinæ*, licet propriis manibus ipse nihil laboret? 2. *Author libri*, cujus nomine imprimitur? 3. qui dat expensas pro typo? 4. qui facit correcturam? Rr. ad 1. affirmativè? Nam talis propriè dicitur impressor, seu *Typographus*, esto per suos famulos impressionem physicè exequatur. Idem est de secundo. Nam *Author libri* in propria loquendi ratione dicitur *librum imprimere*. Ad 3. videtur affirmandum; quia, qui dat pretium, vel pretio conducit, positivè collaborat. De 4. res non ita constat; quia corrector libri potius *sub legente*, quàm *imprimente* venit; quamvis valde probabiliter suspectus de hæresi meritò dicatur. Illi porrò, qui materiam conficiunt, chartam, & atramentum, & reliqua instrumenta venalia, in usu typi, sunt causæ valdè remotæ, nec sub nomine *imprimentium*, veniunt. Ita Castropalaus cit. n. 13.

§. 6.

Quid dicendum de defendentibus, vendentibus, ementibus, & transportantibus libros hæreticos?

755 IN Bulla *Cœnæ Domini* statuitur excommunicatio etiam in *defensores* libri hæretici. Difficultas est, quæ actio censeatur *defensio* eâ constitutione pœnali prohibita? Plura super hoc tradunt Suarez cit. d. 20. s. 2. n. 25. & Sanchez cit. c. 10. à n. 58. Cum autem *defensio* fieri possit *verbo*, & *facto*, de utroque intelligenda est quælibet actio impeditiva, quò minus ejusmodi libri comburantur, annihilentur, vel iis, quibus debet, consignentur; sic Castropalaus. cit. §. 2. n. 14. licet autem in prohibitione, quam facit Bulla *Cœnæ* non ponatur expressè, *venditio*, *emptio*, & *transportatio*, aut *transcriptio* libri hæretici, continentur tamen in bullis Pontificum, de quibus n. 252. iisdem statuentium expressè pœnam excommunicationis. Accedit, quòd, cum illæ actiones non fiant sine *retentione*, vel *lectione*; utraque autem sub pœnis prohibita sit in Bulla *Cœnæ Domini*, eo ipso etiam sub ejus prohibitione venire dictas actiones. Et ideo, ut rectè observat Layman cit. n. 7. cavere debent Bibliopolæ, ac bibliopegi (si velint immunes esse ab excommunicatione) cùm eorum actiones fieri nequeant sine *retentione*, ne tales actiones exerceant.

§. 7.

Quid dicendum de libris prohibitis in Indice librorum hæreticorum?

CUm constet dari Indicem librorum prohibitorum, editum authoritate 756
Concilii Tridentini, confirmatum à Pio 4. Sixto 5. & Clem. VIII. ut notat Layman cit. n. 8. qui observat in eo libros ibi prohibitos in 2. classes distingui; etiam de his breviter agendū erit. Prima classis continet Authores hæreticos, vel de hæresi publicè suspectos; & horum omnes libri, qui continent hæresim, vel ex professo tractant de Religione, non tantùm editi, sed etiam *in futurum edendi*, ibidem prohibentur. His annumerantur ex 2. regula *Indicis*, omnes libri, qui authorem habent hæresiarcham, cujuscunque tituli, argumenti, aut nominis sint. Nam damnato Authore in aliquo genere (v. g. in materia Religionis) damnati quoque sunt ejus libri in eodem genere, licet aliàs mali non sint. arg. c. *Fraternitatis* de hæret. Ad alteram classem pertinent omnes libri, qui doctrinam *non sanam, suspectam*, vel *moribus fidelium repugnantem* continere judicantur, tametsi à Catholicis Authoribus prodierint.

Circa duas hasce classes not. 1. In pri- 757
ma classe contineri libros hæreticorum (qui tales sunt juxta numerum 719.) quibus accedunt quicunq; etiam alii, authoris, seu ducis hæreticorum; nec solùm tunc editi, cùm emanavit decretum Indicis; sed *etiam deinceps edendi, licet in Indice non expressi*, ut constat ex præcedente numero: sub secunda vero classe non veniunt libri Catholicorum, esto contineant materiam prohibitam, *donec speciatim* in indice relati sint. Sic Layman cit. n. 8. §. *Inter*. Not. 2. libros primæ classis prohiberi sub pœna excommunicationis *Papæ reservatæ*; & hoc virtute Bullæ *Cœnæ*; libros autem secundæ classis pariter sub pœna excommunicationis, non tamen reservatæ; circa quod Layman loc. cit. addit. *Indicem Romanum* (in quantum attinet ad prohibitionem librorum secundæ classis) apud nos in Germania receptum non esse; quia nemo est, qui in observationem cum authoritate deducat, seu observantiam cum potestate urgeat.

Not. 3. in indice librorum prohibito- 758
rum, jussu Clementis X. edito Romæ 1670.

circa

circa libros prohibitos, ſtatim in principio præſcribi complures regulas in hac materia obſervandas. Quare not. 4. libros omnes, ante annum 1515. à ſummis Pontificibus, vel Conciliis œcumenicis damnatos, licet in hoc Indice non ſint, eodem modo damnatos eſſe cenſendos, ſicut olim damnati fuerunt; ſic Indicis regula 1. Not. 5. per ſecundam regulam omnino damnari omnes libros hæreſiarcharum, & aliorum hæreticorum, qui tractant ex profeſſo de Religione; ſi autem ex profeſſo non tractent de Religione, ubi ab erroribus, ſi quos continent, expurgati, & juſſu Epiſcoporum, ac inquiſitorum à Catholicis Theologis examinati, ac approbati fuerint, permitti. Not. 6. libros etiam Catholicè ſcriptos ab illis, qui poſtea in hæreſim prolapſi ſunt; vel ab his, qui poſt lapſum ad Eccleſiæ gremium redierunt, permitti poſſe, ſi approbati ſint à facultate Theologica alicujus Univerſitatis Catholicæ, vel ab inquiſitione generali, pariter per regulam 2. Indicis.

759 Not. 7. Fidelibus per regulam 4. Indicis prohiberi, ne *Sacra Biblia*, idiomate vulgari, legant, aut habeant ſine Epiſcopi, vel Inquiſitoris licentia. Hanc prohibitionem in his noſtris regionibus receptam non eſſe, refert Layman cit. n. 8. §. IV. Regul. ex Nicolao Serario in Prolegom. Bibl. c. 20. q. 3. dicente: laudari qui in Germania noſtra, nullâ diſerte facultate petitâ, Biblia, vulgata, & vernacula Eckii, vel Dietembergii legunt. Ubi adverte, quod non loquatur de Bibliis, vulgatis in *quacumque verſione, facta ſine reſpectu ad Verſorem.* Nam verſiones, præſertim novi Teſtamenti, factæ ab Authoribus primæ claſſis hujus indicis (nimirum ab hæreticis, qualis eſt verſio Lutheri, Munſteri &c.) omnino prohibentur per regul. 3. quibus addi poteſt obſervatio Clementis VIII. in dictam regulam 4. de licentia concedendi facultatem legendi, emendi, vel retinendi Biblia, vulgari linguâ edita.

760 Not. 8. libros cujuscunque Authoris, res obſcænas ſeu *laſcivas ex profeſſo tractantes, narrantes, aut docentes*, omnino prohiberi, exceptis libris, qui ab Ethnicis v. g. Poëtis conſcripti ſunt, qui propter ſermonis elegantiam, & proprietatem, permittuntur, ſed pueris nullatenus, niſi purgati, prælegendi ſunt, per regulam ſeptimam. Not. 9. per regulam 9. prohiberi libros omnes, in quibus continentur ſortilegia, magiæ, ac veneficia, auguria, auſpicia, incantationes artis magicæ, &c. non autem judicia, & naturales obſervationes, quæ conſcriptæ ſunt, *navigationis juvandæ*, artis medicæ, agriculturæ, &c. de quibus plura in regulis Indicis citati.

§. 8.

Quos dictæ prohibitiones, circa libros prohibitos, afficiant?

REſp. prohibitionem Bullæ *Cœnæ* cadere in omnes fideles, quacunque dignitate ſive Eccleſiaſticâ, ſive ſeculari fulgentes, ut liquet ex textu. Omnes enim in iis, quæ ad religionem, & bonum fidei pertinent, jurisdictioni Eccleſiaſticæ ſubduntur; quod tamen intellige; ſecluſo privilegio. Quæſtio autem potiſſima hîc eſt, quis concedere poſſit ejusmodi privilegium quoad actiones, cæteroquin prohibitas in materia concernente libros hæreticos? Reſponſio communis eſt, neminem (niſi ſummum Pontificem; aut, cui ipſe expreſſe conceſſerit) poſſe dare facultatem legendi libros hæreticorum, qui, vel hæreſim continent, vel ex profeſſo de Religione tractant; cùm hanc poteſtatem in Bulla *Cœnæ* ſibi reſervet. Et ratio eſt ex l. 1. de Conſtitut. quia ſeclusâ conceſſione ſpeciali, vel jure, alio titulo, acquiſito, nullus inferior in lege Superioris quidquam diſponere poteſt, ut ibidem pluribus expoſitum eſt. 761

In quæſtione autem, circa pœnas, quæ decretæ ſunt in transgreſſores dictarum prohibitionum, not. 1. id explicari regulâ 10. Indicis, de quo ſuprà, ubi in fine ſic habetur: *ſi quis libros hæreticorum, vel cujusvis Authoris ſcripta, ob hæreſim, vel ob falſi dogmatis ſuſpicionem, damnata, atque prohibita legerit, ſive habuerit, ſtatim in excommunicationis ſententiam incurrat; qui verò libros alio nomine interdictos legerit, aut habuerit, præter peccati mortalis reatum, quo afficitur, judicio Epiſcoporum ſeverè puniatur.* Not. 2. *Scienter* legentes, retinentes, imprimentes, aut defendentes hæreticorum libros, præter excommunicationem Papæ reſervatam, reddi *ſuſpectos de hæreſi*, ac reputari fautores hæreticorum, de quorum pœnis vide dicta ſuperius. Not. 3. quæ diximus hactenus de variis conſtitutionibus Eccleſiaſticis (præſertim pœnalibus) contra hæreticos, in multis per deſuetudinem, jam introductam uſu contrario, non amplius 762

plius obſervari, ut in ſpecie circa libros hæreticos notavimus in præcedentibus. Similiter dicendum eſt de pœnis aliis, de quibus fuſsè agit Philippus Braun in Principiis Juris canon. l. 5. tit. 7. de hæreticis, à §. *dico.* 2. ubi plura recenſet, quæ per inſtrumentum Osnaburgo-Weſtphalicum A. 1648. hæreticis indulta ſunt in temporalibus, ut in capiendis legatis à Teſtatore Catholicò, &c.

763 Demum not. 4. etſi lex humana, per uſum contrarium, legitimè inductum abrogari poſſit non tantùm quoad pœnas, ſed etiam culpam, cæteroquin naſcentem ex ejus inobſervantia, licet idem præcipiat, vel prohibeat, quod jus divinum, & naturale; hoc tamen intelligi, de culpa, & pœna *legis humanæ*. Nam, in quantum adverſatur juri naturali, & divino, nulla conſuetudo effectum habere poteſt, ut licitum, aut impunè fiat, quod hoc jure illicitum eſt, ut diximus l. 1. tit. 4. de conſuetudine.

QVÆSTIO VIII.

IN TITULUM VIII. DE SCHISMATICIS, ET ORDINATIS AB EIS.

Schiſma, vi vocis, ſignificat *diviſionem*, ſeu *ſeparationem*. Hic accipitur pro ſeparatione, ab unitate Eccleſiæ Catholicæ, in quantum eſt corpus myſticum ex univerſis fidelibus, & Romano Pontifice, tanquam Capite conflatum. Ita S. Thomas 2. 2. q. 39. a. 1. Hæc ſeparatio dupliciter fieri poteſt. 1. ſi quis ſe ſeparet à Capite Eccleſiæ, ac cæteris ejus membris. 2. Si tantùm ab alterutro: quibus poſitis ſit

ARTICULUS I.

De Schiſmaticis, & pœnis eorum.

764 QUæſtio eſt 1. quis ſit *Schiſmaticus*? R. quod is, qui ſubeſſe renuit Romano Pontifici, vel membris Eccl. illi ſubjectis communicare recuſat. Ita Sanchez l. 2. moral. c. 36. n. 1. Sylveſter V. *Schiſmaticus* dicitur autem quis ſe ſeparare *à Capite Eccleſiæ*, quando renuit ſubeſſe Romano Pontifici, tanquam Capiti Eccleſiæ, ſeu in quantum gerit vices Chriſti in terris. Dicitur ſe ſeparare *à membris Eccleſiæ*, quando ſpirituales Eccleſiæ actiones exercere vult (v. g. *orare*, *Sacramenta percipere*) non ut pars Eccleſiæ, ſed ut pars conſtituens totum aliquod ab illa ſeparatum. Ita Sanchez cit. num. 2. & alii.

765 Ex hoc colliges 1. eum, qui agnoſcit Romanum Pontificem, Chriſti Vicarium, ei tamen ex parte *rei præceptæ* (v. g. *ut arma deponat*, *ut ablata reſtituat*) parêre recuſat, non eſſe propriè Schiſmaticum. Idem eſt, ſi ei parêre recuſet ratione perſonæ præcipientis, v. g. quia credit eum præcipere ex odio, vel quia tibi eſt ſuſpectus &c. Coll. 2. non eſſe propriè Schiſmaticum, qui recuſat obedire Romano Pontifici ex eo capite, quia probabiliter judicat, illum non eſſe Papam legitimum. Sic Azor. p. 1. l. 8. c. 20. q. 4. Coll. 3. non eſſe propriè Schiſmaticum, qui recuſat ſubeſſe authoritati Epiſcopali diœceſanæ, vel communicare membris Eccleſiæ particularis v. g. *talis diœceſis*; quia per hoc ſe non ſeparat ab Eccleſia *univerſali* c. *ſcire.* 7. q. 1. &c. *loquitur* 24. q. 1. ſic Azor. q. 4. Coll. 4. cum duplex unitas ſeu unio detur in vera Dei Eccleſia (prima enim, & præcipua eſt, *unitas veræ fidei*; altera *unitas fidelium inter ſe*, *in uno corpore cum ſuo Capite*, *quæ unio habetur in Sacramentis*, *cultu divino*, *ſubjectione*, *& ſubordinatione ad ſuum caput*) duplicem quoque ſeparationem eſſe; primam, quando quis ſe ſeparat ab Eccleſia *in unitate fidei*, ut faciunt hæretici; ſecundò cùm *ab unitate Corporis*, recuſando communionem cum ejus Capite, vel membris.

Quæſtio eſt 2. in quo differant *hæreſis*, & *Schiſma*? Gloſſa in c. *Inter hæreſim* 24. q. 3. V. *& Schiſma*, docet, quòd differant, *ut genus*, & *ſpecies*. Nam omnis hæreticus eſt Schiſmaticus, ſed non econtra, ut ſi quis credat omnes articulos fidei, etiam Primatum 766

tum Papæ in Catholica Ecclesia; sed ex mera malitia illi, ut tali parere recuset. Talis enim, non esset hæreticus; esset tamen Schismaticus: plerumque tamen Schisma transit in hæresim; cùm in eo perseverantes (ut factum suum, & contumaciam honestent, ac defendant, rectèque videantur ab Ecclesia recessisse) confingant aliquam hæresim, seu dogma contra fidem.

767 Quæstio est 3. quæ pœnæ in Schismaticos decretæ sint? R. quòd prima sit, excommunicatio ipso jure; circa quam notandum, antiquo jure communi hanc pœnam non esse universaliter statutam in Schismaticos; secùs tamen ex Bulla *Cœnæ*, ubi statuitur in eos excommunicatio latæ sententiæ; nihil tamen exprimitur de fautoribus, defensoribus, ac receptatoribus eorum. Altera Schismaticorum pœna est inhabilitas ad beneficia, & dignitates Ecclesiasticas, præsertim Episcopalem, etiam post peractam pœnitentiam c. *quia diligentia* 5. de Elect. quod tamen loquitur solùm *de acquirendis*; non autem, *obtentis ante Schisma*, & in c. *Nos consuetudinem*, dist. 12. non est sermo *de Schismaticis*, sed *Donatistis hæreticis*, de quibus dicitur, ut servetur antiqua consuetudo, ne hi ad Episcopatum admittantur. Cæterùm in hac irregularitate, seu inhabilitate dispensat solus Pontifex, nisi crimen schismatis esset occultum; tunc enim ex facultate Tridentini, sess. 24. de reform. c. 6. dispensare potest Episcopus.

768 Tertia pœna schismaticorum exprimitur in c. *ad succidendos* h. t. in 6. quæ à Bonifacio VIII. statuta fuit in Jacobum & Petrum de Columna, tanquam Schismaticos (qui antè erant Cardinales) & eorum agnatos: verùm ea constitutio postea, quoad omnia, revocata fuit à Benedicto XI. in Extravag. *dudum.* h. t. inter communes, exceptis bonis confiscatis, & jam alteri applicatis. Vallensis h. t. in fine censet, verius esse, Schismaticos esse irregulares; fundamentum desumens ex cit. c. *quia diligentia*; & c. *nos consuetudinem.* Verùm hoc solùm loquitur *de hæreticis*; in illo autem est solùm sermo de inhabilitate ad acquirenda beneficia; non ad suscipiendos ordines. Quarè contrarium censeo probabilius cum Zoësio hîc n. 3. Illud tamen not. 1. per quodlibet crimen (atque adeo per schisma) notorium, & enorme, ac depositione dignum, incurri quandam irregularitatem generalem propter infamiam, quæ tamen cessat, per pœnitentiam, ablatâ infamiâ. Ita Sanchez. cit. l. 2. c. 36. n. 20. Quoniam autem Schisma communiter adjunctam habet hæresim, ideo, quæ supra de hæreticis dicta sunt, hæc in dato casu accommodari debent.

Circa has pœnas not. præterea, quòd 769
pœna excommunicationis decreta in Schismaticos, comprehendat non tantùm Schismaticos, qui hæretici sunt; sed etiam eos, qui hæresis suspicione laborant; & hoc secundùm vim Bullæ *Cœnæ*; non autem vi juris communis. Dixi *vi Bullæ Cœnæ*; nam hæc expressè loquitur de Schismaticis simpliciter, tales autem esse possunt quin sint hæretici ex n. 766. Dixi *non vi juris communis.* Nam canones in contrarium loquuntur in casu speciali. Primò enim c. *licet*, de Elect. loquitur de Cardinalibus, qui post electum Pontificem ex consensu duarum partium, alium in Papam recipiunt ex tertia parte, &c. Secundò c. *nulli fas est*, dist. 19. solùm dicit, Schismaticos esse per excommunicationem expellendos; id, quod etiam dicit c. 1. h. t. & c. *Liguribus* 23. q. 5. V. Azor part. 1. l. 8. c. 20. Not. 2. dictam excommunicationem non cadere in eos, qui utcunque inobedientes sunt Pontifici, sed recedentes ab eo schismaticè, non recognoscendo eum, ut caput Ecclesiæ. Ita Doctores communiter cum Castropalao p. 1. tr. 6. d. 4. p. 6. n. 7.

ARTICULUS II.

De ordinationibus, & aliis actis Schismaticorum?

ANte resolut. not. 1. cum S. Thoma 2. 770
2. q. 39. a. 3. In Episcopis aliam esse potestatem *Ordinis*, aliam, *jurisdictionis*; quo posito certum est apud Catholicos, Schismaticum non privari potestate Ordinis. Unde ab Episcopo Schismatico acta *ex potestate Ordinis* (modò servet formam Ecclesiæ) valida sunt; quia potestate Ordinis non est privatus, sed tantùm ejus usu, & exercitio; & ideo etiam *ordinationes* (seu collationes ordinum) ab eo factæ, validæ sunt; quamvis quoad usum, & exercitium, seu executionem sint irritæ, cùm ei usus potestatis Ordinis ob schisma sit interdictus. Ea verò, quæ pendent à potestate jurisdictionis, nec licitè, nec validè præstat, ut mox dicemus.

Ex hoc colliges, Schismaticos non 771

tantùm usu, sed etiam jure, seu potestate jurisdictionis privari, & acta eorum (in quantum sunt jurisdictionis) nulla, & irrita esse; & quidem probabilius esse, ut tenet D. Thom. cit. a. 3. hanc privationem jurisdictionis ipso facto incurri; quia indignus est frui potestate Ecclesiæ, qui se pertinaciter ab illa separat. Et constat ex c. 1. h. t. ubi dicitur, *ordinationes ab Octaviano, & Guidone hæresiarchis factas, irritas esse censemus*, nimirum quoad executionem ab ordinatis per eos. Confirmari hoc potest ex Cypriano relato in c. *Novatianus* 7. q. 9. dicente: *qui nec unitatem Spiritus, nec conventionis pacem asserit, & se ab Ecclesiæ vinculo, & à Sacerdotum Collegio separat, neque Episcopi potestatem* (intellige jurisdictionis) *habere potest, neque honorem*; & c. *didicimus* 24. q. 1. *didicimus*, inquit, *omnes hæreticos, & schismaticos nihil habere potestatis, & juris*; ubi vides, sermonem esse de Schismaticis absolutè, quin textus distinguat, *an notorii sint, an occulti?*

Not. 2. *scienter* ordinatos ab Episcopo Schismatico, suspendi ab exercitio Ordinis *sic* suscepti, ex c. 1. & 2. h. t. ibi: *Priorem, quem à Schismatico asseris ordinatum, ab officio poteris repellere incunctanter.* Id, quod etiam habetur in c. *Ordinationes*, 9. q. 1. quod etiam intellige de beneficiis scienter receptis ab Episcopo Schismatico ex cit. c. 1. ibi: *qui dignitates Ecclesiasticas, seu beneficia per dictos Schismaticos receperint careant impetratis*; & juxta sententiam valdè probabilem, postquam Schismatici declarati sunt, de quo plura Castropalaus p. 1. tr. 6. d. 4. p. 6. à n. 17. 772

QVÆSTIO IX.

IN TITULUM IX. DE APOSTATIS, ET REITERANTIBUS BAPTISMA.

773 *Apostasia, ex vi nominis*, significat quandam hominis Christiani defectionem, seu recessum à Deo; quod tripliciter fit 1. per recessum à fide, & dicitur *apostasia perfidiæ*. 2. Per recessum ab obedientia; cùm quis justis præceptis Prælatorum obedire penitus recusat; & *vocatur apostasia inobedientiæ*. 3. Per recessum ab ordine sacro suscepto, vel à Religione, quam quis professus est; & dicitur *apostasia irregularitatis*. Apostata enim est vox Græca, ut notat Pereyra in Elucidar. n. 547. significans eum, qui recedit ab instituto vitæ prioris, quod suspecerat publicâ, & solenni professione servandum. Unde, apud latinos, idem valet, atque *desertor*, & transfuga: estque, ut diximus, in triplici differentia; nam vel deserit religiosum Ordinem, vel Clericalem statum, vel Catholicam fidem; quibus positis:

ARTICULUS I.

De Apostatis.

Quæstio est 1. quid sit *apostasia perfidiæ?* 774
R. quòd sit recessus à *tota fide Catholica*, solemniter in baptismo professa. Et talis recessus est propriè apostasia; ad quam Sanchez l. 2. decal. c. 7. n. 15. requirit, quòd etiam abjiciat nomen *Christiani*, volens, non fore apostatam, qui (retento Christiani nomine) omnes articulos Catholicæ fidei negaret; quod requiri videtur in quantum apostasia perfidiæ subjicitur pœnis. Hæc apostasia solùm accidentaliter differt ab hæresi, & huic addit circumstantiam solùm aggravantem. S. Thom. cit. q. 12. a. 1. ad 3. & contingere potest per solum recessum à fide, quin quis aliam sectam amplectatur: subjacet iisdem pœnis, quibus hæresis, de qua dictum est in præcedentibus.

Quæstio est 2. quid sit *apostasia inobedientiæ*, seu ab obedientia? R. quòd sit recessus ab obedientia, quâ quis ex contumacia Superiori, legitima præcipienti resistit, & obedire penitus recusat; de qua pluribus 775

agitur

agitur lib. 1. tit. de majorit. & obed. Hujus præcipua species est Schisma, ut notat Layman l. 2. tr. 8. c. 16. n. 1. & contingit etiam, si quis ex superbia, & per contemptum, sacris Canonibus, vel Dei præceptis obedire recusat. Et de hac specie apostasiæ non agitur h. t.

776 Quæstio est 3. quid sit *apostasia irregularitatis?* R. quòd sit recessus, cùm quis illegitimè recedit, vel à statu religioso semel assumpto per vota verum Religiosum constituentia; vel à statu Clericali, vel ab utroque. Ut committatur apostasia à Religione, requiritur, quòd quis sine licentia Superioris recesserit ab ordine Religioso (quem professus est, vel legitimè assumpsit) sinè animo redeundi, vel cum proposito nunquam redeundi. Ita Layman l. 2. Summæ, tr. 1. c. 16. à n. 1. Sanch. tom. 2. moral. l. 6. c. 8. à n. 2. Apostasia verò ab ordine Clericali est, cùm quis à statu Clericali, quem edito continentiæ voto susceptit in manu Episcopi, ad statum conjugalem, vel ad laicalem conversationem, dimisso habitu Clericali propriâ temeritate transit. Ita Sylvester. V. *Apostasia* q. 2. n. 5.

777 Ad horum intelligentiam, not. 1. quando dicitur apostasiam à Religione committi per recessum ab ea, *sine animo redeundi, vel animo nunquam redeundi*, debere intelligi vel ad eundem, vel ad alium Ordinem Religiosum. Hinc, qui ab Ordine strictiori ad laxiorem transiret, etiam sine licentia sui Superioris, ex hoc non esset *apostata*; ita Sylvester. V. *Apostasia* n. 9. q. 4. Nam sic non verificatur, quòd *simpliciter recesserit à Religione*, seu statu Religioso, sed tantùm *à tali*; Sanchez cit. n. 8. Similiter, qui abjecto habitu, à sua Religione, etiam sine licentia Superioris abiret solùm ad tempus, animo per illud tempus vagandi, sed iterum redeundi, esset quidem fugitivus, sed non apostata, ut rectè notat Sanchez cit. n. 3. *Fugitivus* enim, propriè loquendo, est, qui à Monasterio recedit absque Superiorum licentia, ut extra ipsius potestatem, & obedientiam sit. L. *Quis sit fugitivus*, ff. de ædilitio edicto: *apostatæ* autem superaddunt animum, & voluntatem excutiendi obedientiæ jugi in perpetuum, deserendique instituti Religiosi. Unde ad veram à Religione Apostasiam nihil refert, an habitus religionis dimittatur? nec ne? sicut enim habitus monachum non facit; sed regulæ monasticæ professio; sic apostatam reddit recessus à professione, licet habitus non deponatur.

Not. autem non posse indefinitè admitti rationem doctrinæ Bannez 2. 2. q. 12. a. 1. dub. 1. concluf. 1. dicentis, *mulieres*, quæ voto castitatis, paupertatis, & obedientiæ adstrictæ sunt tertio Ordini S. Francisci, vel S. Dominici, non esse apostatas; licet ab eo statu recedant in perpetuum, matrimonioque copulentur contra votum, *quia solis simplicibus votis adstringuntur*. Nam hoc apertè fallit in Religiosis nostræ Societatis; hi enim essent veri apostatæ, l. 6. decalogi c. 8. post vota *simplicia*, quæ post Novitiatûs biennium emittunt, licet sint tantùm *simplicia*, ab eodem statu recederent perpetuò, ut decidit Gregorius XIII. in sua Constitut. *Ascendente Domino*; quamvis procedat (ut rectè notat Sanchez n. 6.) *in illis mulieribus*; quas communiter *Beatas* vocant, sed ideo quia congregatio earum non est approbata à Sede Apostolica *tanquam Religio*; nec per ea vota constituuntur in statu verè Religioso. Dices cum quodam Theologo, ex hoc sequi, tertium Ordinem D. Francisci, & S. Dominici, non esse à Sede Apostolica approbatum; cui tam repugnat Pellizarius to. 1. tr. 1. c. 3. n. 35. Supponens aliquos Tertiarios esse veros Religiosos, & Suarez to. 3. de Relig. lib. 2. c. 5. n. 9. allegans Bullam Sixti IV. approbantis tertium Ordinem, nempe eorum Tertiariorum, qui sub unius Prælati Regularis obedientia vivunt, uti explicat cit. Pelliz. Verùm ex ipsismet verbis meis constat, me non loqui de illo tertio Ordine *indefinitè*; sed expresè de tertio Ordine *mulierum*, quas vulgò *Beatas* vocant; propositionem porrò sub his verbis acceptam in terminis docet Thomas Sanchez l. 6. decal. c. 8. n. 6.

Ex hoc colliges. 1. hoc crimen apostasiæ à Religione, *quoad substantiam*, consistere in temerario, & illicito recessu à Regula Ordinis, seu Religioso vitæ instituto, & quidem in perpetuum, sive habitus regularis deponatur, sivè retineatur. Nam hoc ad substantiam Religionis non pertinet. Ita Sanchez l. 6. moral. c. 8. n. 4. Azor p. 1. l. 14. c. 17. q. 6. Farinac. tr. de hæres. q. 183. §. 1. n. 62. Coll. 2. non fore apostatam, qui cum licentia legitimi Superioris recedit ab Ordine Religioso; puta, si per facultatem legitimam promoveatur ad Episcopatum; vel ineat matrimonium ex legitima dispensatione Papæ. Tunc enim non recedit *illegi-* 778

timè, nec sine licentia sui Superioris. Coll. 3. Eum, qui solùm habet primam tonsuram, vel minores Ordines, non censeri apostatam ab Ordine Clericali, licet dimisso habitu ducat uxorem, vel ad statum Laicalem transeat, nisi simul habeat beneficium, illudque etiam mutato statu retineat; secùs, si cum habitu ex statu Clericali dimittat. c. *Joannes.* 7. de Clericis conjugatis. Sic Abbas in c. *Tuæ* h.t. à n.2. Coll. 4. Novitios Societatis, qui tempore Novitiatus ex sola devotione emiserunt vota castitatis, paupertatis, & obedientiæ, & communiter vocari solent *vota devotionis*, non fore apostatas, si absque legitima licentia recedant ab eo statu, v.g. amplectendo statum conjugalem. Nam per ea vota non desinunt esse Novitii, nec evadunt verè religiosi, consequenter non recedunt à statu religioso verè assumpto. Coll. 5. per *temerè vagantes extra Religionem*, in motu proprio Pauli IV. incip. *Postquam divina bonitas*, statuentis varias pœnas contra illos, intelligi solos veros apostatas à Religione, cùm iteratò repetat *apostatas* & *apostasiam*; & quamvis comprehendat omnes professos, qui temeritate propriâ, quovis prætextu, extra claustra suorum Monasteriorum degunt, aut impositorum degent, ex præcitatis tamen verbis totis repetitis colligitur, ut benè notat Sanchez cit. n.10. intelligi solùm, quando extra illa degunt *apostatando*. Et hoc sensu etiam venit accipiendus motus proprius Pii V. incip. *Quæcunque sacrorum*, cùm solùm declaret motum proprium Pauli IV. & interdicat transitum ex una religione ad aliam virtute privilegiorum *religionis*; non autem, concessorum *jure communi*.

779 Not. 2. ex Trident. sess. 25. de Regular. c. 4. non licere Regularibus, à suis Conventibus recedere, etiam prætextu ad suos Superiores accedendi, nisi ab eis missi, aut vocati fuerint. Eum verò, qui sine prædicto mandato in scriptis obtento, repertus fuerit, ab Ordinariis locorum, tanquam desertorem sui instituti, puniri posse; sic Concilium.

780 Not. 3. quòd per allatum Concilii textum non interdicatur *appellatio* ad Superiorem; seu recessus à Monasterio, animo adeundi Superiorem ex justo gravamine, ut not. Sanchez in decal. tom. 2. l. 6. c. 8. n. 117. Azor p. 1. l. 12. c. 11. q. 8. Barbos. in cit. c. 4. Trid. n. 10. Et ideo Navarrus in c. *non dicatis* 12. q. 1. n. 61. (relatus in Remissionibus ad cit. c. 4. Trid.) docet, apud Religiosos, adire Superiorem ob justum gravamen, ad conquerendum de illo, habere vim appellationis, neque id vetari à Concilio.

Idem etiam resolvit Emmanuel Rodriquez tom. 1. q. 30. a. 3. licet ille accessus ad Superiorem ex dicta causa fieret sine consensu, & licentia sui Superioris. V. Barbos. cit. à n. 9. qui n. 10. docet, à correctione, quam facit Prælatus Regularis, excedendo modum & transgrediendo limites regulæ, dari appellationem ex c. *de Priore* 31. de appellat. ubi statuitur, quòd Prælatus, *si modum excedat in correctione, & interpositæ appellationi ad Papam non deferens, mittendus sit cum literis ordinarii ad Curiam, puniendus*; ergo bene admittitur appellatio à tali correctione, de jure communi. Sic Barbos in cit. c. *De Priore*, n. 1. apud quem ibid. n. 2. Navarrus resolvit, quòd Religiosus, à Superiore *iniquè* tractatus, vexatusque, tutâ conscientiâ à monasterio exire possit inscio, vel eodem Superiore invito, ad eum finem; intelligitur, *nisi aliud habeant statuta Ordinis, à summis Pontificibus approbata*. Hinc, licet per rescriptum mandet ordinario, *ut subditos suos corrigat*; per hoc tamen non facit ipsum *delegatum*, ut ab eo appellari non possit ad proximum superiorem, prout habetur c. *Licet* 12. de Offic. Jud. Ordin. 781

Neque dicas: nos in n. 211. ex c. *ad nostram* & c. *Reprehensibilis* dixisse, Regularibus non concedi appellationem à correctione regulari, id, quod etiam statuitur in c. *Irrefragabili*, 13. de appell. ibi. *decernimus, ut executionem ipsorum* (subditorum correctivam) *nulla consuetudo, vel appellatio valeat impedire*. Nam 1°. doctrinam citato loco traditam non contrariari his, quæ in præsenti dicimus. Ibi enim negatur appellatio à correctione regulari, *servatâ debita moderatione*; ne illis pateat via declinandi sui ordinis observantiam, & in nequitia sua patrocinium habendi ex appellatione: hîc autem dicimus concedi appellationem à correctione solùm, in casu, *quo Prælatus, vel Superior graviter excedit in correctione*, id quod expressè insinuat cit. c. *Irrefragabili*, ibi: *nisi formam in talibus excesserint observandam*. Appellationi autem, hunc Ordinem debere interponi, ut à Guardiano fiat ad Provincialem, ab hoc ad Generalem; ab isto ad Protectorem, ac denique ad Cardinalium Congregationem, ait esse decisum 782

sum de anno 1587. Sanchez. cit. l. 6. c. 8. n. 107. Barbos. cit. n. 11.

783 Cæterum, Religiosum justè, ac legitimo juris Ordine servato in carcerem conjectum, non posse fugere, etiam prætextu Superiorem suum accedendi, docet Cajetanus, Navarrus, Emanuel, & Sayrus relati apud Barbos. n. 12. qui simul adducit Bannez. 2. 2. q. 69. a. 4. existimantem, quòd talis possit fugere, non quidem ad vagandum, aut habitum dimittendum; sed impetrandam illius pœnæ veniam à Superiore Prælato, vel à Romano Pontifice. Sed not. licet cæteris captivis sive secularibus, sive Ecclesiasticis è carcere, in quo jussu sui Superioris inclusi sunt, permissum sit fugere; certum tamen esse, censere Sanchez cit. à n. 12. id non procedere de Religiosis, qui suâ se libertate privârunt, exeundi à claustro, vagandique.

Hoc tamen limitat ipse cum aliis; nisi pœna capitis, mutilationis, ei Religioso foret imponenda; quia tunc naturale desiderium conservandæ vitæ præberet jus fugiendi, quod nullo Religiosi voto abdicatum est. 2. Si foret pœna carceris perpetui injustè, aut non servato juris Ordine imposita, aut talis injustè gravatus nullo modo sibi consulere posset. 3. Licet pœna foret justa, sed modus exequendi foret injustus, inique negando v. g. cibum vitæ sustentandæ necessarium, calorem, vel vestem in summo frigore, &c. 4. Si foret innocens in re, & solùm Reus secundùm allegata, & probata.

ARTICULUS II.

De pœnis Apostatarum.

784 POtissima quæstio est de pœnis Apostasiæ ab Ordine Clericali, vel Religioso. Nam de pœnis Apostasiæ à fide dictum est in præmissis; de pœnis autem Apostasiæ ab Ordine ex professo agitur in titulo de majorit. & obed. Quæstio igitur 1. est, quæ pœnæ decretæ sint Apostatis *ab Ordine Clericali?* R. quod sequentes. Prima est, excommunicatio non latæ, sed ferendæ sententiæ. Sic Abbas in c. 1. h. t. n. 3. Deinde est pœna infamiæ ipso facto incurrendæ, ac durantis, durante Apostasiâ c. *alicui* 1. q. 7. Tertia pœna est privatio privilegii Canonis, si dimissum habitum, & tonsuram non reassumat. De privilegio fori, aliqui negant, illud amitti in dicto casu, ducti, c. *præterea* 1. h. t. licet affirment, si deposito habitu, ab Episcopo moniti, redire noluerint ad statum Clericalem ex c. *In audientia* 21. de sent. excommunicationis, junctâ in c. 1. h. t. V. *liberari*; licet alii hoc exponant de Clerico in sacris constituto. Not. autem 1. has pœnas tunc locum habere, ubi *constiterit* de Apostasia ab Ordine Clericali; si enim solùm infamati, vel suspecti sint de illa, quin debitè probetur, compelli debere Ecclesiastica censurâ ad præstandam purgationem Canonicam, ut dicitur in c. *Tuæ* 3. h. t. Not. 2. Apostatas hujusmodi, posse incarcerari, & affligi, dum dimissum habitum assumant; si nolint, sub gravi custodia reserari, ita, ut miseram vitam ducant. c. *à nobis* 5. h. t. quod videtur intelligendum, *si sint in sacris.*

Quæstio altera est, quæ pœnæ statutæ 785
sint in Apostatas *à Religione?* R. quòd sequentes. Prima est, excommunicatio latæ sententiæ, juxta Glos. in c. 2. *Ne Clerici, vel Monachi* in 6. V. *ipso facto*, & alios, qui se fundant in c. 2. h. t. sed hoc solùm loquitur de *professis temerè dimittentibus habitum*, licet absque animo apostatandi. Igitur probabilius est, Apostatas à Religione (si non dimiserunt habitum, cùm sine hoc stet Apostasia, ut dictum est supr.) non esse ipso jure excommunicatos *ratione Apostasiæ*; ita Sanchez c. l. 6. mor. c. 8. n. 20. & Gloss. in c. 1. de temporib. ordinationi in 6. V. *Apostata*: per specialia tamen privilegia Religionum quarundam, veri Apostatæ excommunicantur. Secunda est, quòd tales Apostatæ, qui durante Apostasiâ susceperunt *sacros* Ordines, etiam post pœnitentiam, & reconciliationem cum suis Superioribus, non possint in illis, *taliter*, seu *sic susceptis* ministrare sine Pontificis dispensatione, ut dicitur c. *Consultationi* 6. & fin. h. t. ita Zoësius hìc n. 4. ubi notat, Prælatis injungi, ut fugitivos inquirant, & in Monasteriis suis recipi faciant, nisi scandalum obstet; tunc enim in aliis collocabunt; inobedientes faciant publicè denuntiari excommunicatos c. *fin.* de Regularibus, id, quod etiam statuitur ibi de ejectis injustè; nam qui legitimè per sententiam sunt ejecti, aut dimissi, desinunt esse membra illius Ordinis, ut non censeantur Apostatæ, nec possint cogi reverti. Navarrus cons. 16. de Regularib. Hæc porrò suspensio, ab exercitio sacri Ordinis in Apostasia suscepti, non necessariò supponit aliam censuram, ratione cujus eam

eam incurrat, cùm, ut patet ex textu, sufficiat, quòd in Apostasia *sacrum Ordinem susceperit.* Cæterùm, si simul fuisset ligatus aliâ censurâ, & tamen suscepisset sacrum ordinem, incurreret quoque irregularitatem, ex c. *Cùm illorum*, de sent. excommunic. V. Suarez tom. 5. in 3. p. d. 31. s. 6. à n. 1.

Ex dict. c. *Cùm illorum*, deducitur 1. prohibitos ab exercitio sacri Ordinis in Apostasia suscepti, etiam prohiberi ab ascensu ad ordines ulteriores. Ratio sumitur ex eodem; quia, cum illis ibi exercitium, seu usus interdicitur, ratio datur: *Cùm majora intelligantur illis prohibita, quibus vetita sunt minora; sed uti suscepto jam ordine*, minus est, quàm *ad majorem ascendere*, ergo. Deducitur 2. talem Apostatam dispensatum à Pontifice, ut possit *uti* Ordine sacro suscepto in Apostasia, eo ipso etiam esse dispensatum in inhabilitate ascendendi ad majorem. Quia, quando dicitur, dispensationem *esse odiosam*, non esse extendendam ab uno separabilium ad alterum, intelligendum venit, quando ante dispensationem inhabilis erat ratione cujuslibet eorum secundùm se; non autem, quando ad unum velut accessorium per se habilis erat, & solùm inhabilis ratione alterius tanquam principalis; at in dato casu Apostata, ex hoc, quòd sacrum Ordinem in Apostasia susceperit, non erat per se inhabilis ad recipiendum altiorem ratione talis facti, sed solùm, quòd ei interdictus erat usus Ordinis sic suscepti, ut dictum est; ergo. Hanc secundam pœnam extendunt aliqui etiam ad casum Ordinum minorum durante Apostasia susceptorum; sed (si tales non incurrerent aliam censuram, puta, ob dimissum habitum, vel quid simile) possunt promoveri ad minores Ordines, quin ab eorum executione sint suspensi; quia de his non loquitur cit. c. 6. ita Sanchez cit. n. 26. Nam in cit. c. *fin.* sermo solùm est de recipientibus in Apostasia *Ordinem sacrum.* Neque hoc evincitur ex c. *penult.* & c. *fin.* dist. 50. Nam illud solùm loquitur de *agentibus pœnitentiam publicam*, non de Apostatis; istud autem solùm dicit: *Apostatas ad Clericale officium non admitti jubemus*; quod est sententiæ tantùm ferendæ; non latæ. Et quamvis opponi posset motus proprius Pauli IV. de quo supr. 1. qui Apostatas à religione, suspendit in perpetuum ab omni, *cujuscunque* Ordinis Ecclesiastici executione, *ab omni gradu, ab omnibus beneficiis obtentis, ac eorum fructibus, redditque inhabiles ad quoscunque gradus, & beneficia quæcunque imposterum obtinenda:* censet tamen Sanchez cit. num. 36. illum motum proprium non esse receptum, & ita non habere vim obligandi.

Si quæras, an si Apostata à Religione, denuò ad eam redeat, & suscipiat Ordines etiam sacros, possit in illis, sine alia dispensatione ministrare, quantùm est vi solius Apostasiæ prius admissæ? R. affirmativè; ita Suarez tom. 5. in 3. p. d. 31. s. 6. n. 5. & alii. Nam Apostatis ratione Apostasiæ non est interdictus usus Ordinis, nisi durante Apostasiâ suscepti, ut dicitur c. *fin.* h. t. at iste nullum Ordinem in Apostasia suscepit, ut ponit casus, ergo.

Tertiam pœnam aliqui dicunt, quòd 786
Apostata à Religione, post emendationem, & reditum ad pristinam Religionem, non possit eligi in Prælatum, vel Superiorem desertæ Religionis, sed contrarium est probabilius; quia id nullo jure probari potest; ita Sanchez cit. l. 6. c. 8. n. 32. Si dicas in c. *per tuas*, de voto, Electus in Episcopum, postquam emisit votum Religionis, nec dum impletum, cogitur resignare; ergo multò magis professus eligi non poterit in Prælatum desertæ Religionis; quia gravius peccavit. R. decisionem antecedentis fundari non in culpa merè præterita, sed adhuc pendente; quia votum illud, ab Electo in Episcopum, nondum fuit impletum; in consequenti autem est culpa merè præterita. Plura super hac materia videri possunt in Decreto Tridentini sess. 25. de Regularibus.

Quinta pœna apostatarum à Religione 787
est, quod Monachi Apostatæ, & fugitivi possint apprehendi à Superiore ubique & extra territorium, etiam invocato auxilio brachii secularis, prout constat ex variarum Religionum privilegiis, de quibus Navarr. Commentar. 3. de Regularib. n. 50. & Pius V. in Bulla nostræ Societati concessa, de qua Compend. Privileg. V. *Apostatæ*, §. 5. His accedit sexta pœna: ut non gaudeant Religionis privilegiis, ex Trid. sess. 25. de Regul. c. 19. ibi: *quòd si antea habitum sponte dimiserit, tanquam Apostata puniatur; interim verò nullo privilegio suæ Religionis juvetur.* Circa quod decretum not. 1. illud non loqui de Apostatis *utcunque*; sed de illis, qui *dimisso habitu* decedunt à Religione prætextu professionis suæ invalidæ. 2. Per

verbum

verbum *juvetur* innui, ad eam pœnam requiri sententiam Judicis.

ARTICULUS III.

De reiterantibus baptisma, ac eorum pœnis.

788 ALtera pars hujus tituli est de Anabaptistis, seu illis, qui rebaptizant, vel se rebaptizari sinunt. Nam hæc rebaptizatio (nimirum baptismo semel ritè collato) expressè prohibetur in c. *non licet*, c. *cùm itaque*, dist. 4. de Consecrat. & in Tridentino sess. 7. de Sacramentis in genere can. 9. & can. 11. de bapt. Item sess. 14. c. 2. intellige tamen de rebaptizante, vel rebaptizato *absolutè*. Nam ubi adest justum dubium de baptismo ritè susceptо, illum reiterare sub conditione, prohibitum non est. Et cùm sæpè contingat, quibusdam nasci justum, seu prudens dubium de baptismo validè susceptо, quoad illos meritò reiterari potest, sed solùm sub conditione, *si reverâ prius validè baptizati non essent.* Ideo Cardinalis de Lugo in respons. moralib. dub. 1. n. 3. docet, baptismum, *in capillis collatum*, esse quidem probabiliter validum, posse tamen, & debere reiterari sub conditione. Et dubio 2. n. 4. resolvit, baptizatum à Ministro Calvinista, posse, & debere baptizari iterum sub conditione, si alicubi sint tales circumstantiæ, ut prudenter dubitari, aut formidari possit de defectu materiæ, vel formæ, aut intentionis debitæ. Imò Præpositus, & Sylvius volunt, ad reiterandum baptismum sub conditione, sufficere prudentem suspicionem de nullitate prioris. Quintanaduennas autem Tract. 1. singular. 1. n. 1. dicit: si Parochus, aut obstetrix fateantur, se ex pluribus, quos baptizarunt, circa aliquos, sibi communiter ignotos, intentionem non habuisse, omnes illos per totum illud tempus ab ipsis baptizatos, iterum baptizandos esse sub conditione. Singulari autem 9. n. 3. tenet, infantem, inter Catholicos expositum ad Ecclesiæ, vel alicujus domûs valvas, cum appensa collo schedula, *baptizatum esse*, testificante; sub conditione rebaptizandum esse. Ratio omnium petitur ex maxima necessitate baptismi ad salutem æternam, quæ, ubi prudens dubium est, de illo ritè accepto, cùm citra ullam Sacramenti irreverentiam obtineri possit, per baptismi reiterationem sub conditione, non modò negligi non debet, sed positivè procurari.

Ex pœnis autem culpabiliter reiterantium baptisma, prima est irregularitas, vi cujus ad Ordines, saltem superiores, promoveri non potest. Hæc pœna afficit à fortiori ipsum rebaptizantem, cùm afficiat etjam ejus Ministrum ut dicitur c. 2. h. t. intellige tamen, *si hujus peccatum sit publicum*; non autem, si occultum. Non afficit autem rebaptizantem *sub conditione* (licet inconsultò, & temerè agat) sed solùm rebaptizantem *absolutè*, vel *scienter*, vel etiam *per ignorantiam crassam, & mortaliter culpabilem*; & si crimen, seu rebaptizatio sit publica. Sic Layman l. 1. tr. 5. p. 5. c. 2. à n. 1. juxta textum in c. 2. h. t. quod videtur admittere promotionem *in occulto*, non factâ mentione dispensationis; incurritur autem ipso facto per c. 2. h. t. ibi: *ad Ordines promoveri non valebit*, nullâ factâ mentione sententiæ; Zoësius hîc n. 7. 789

Qui verò *scienter* sinunt se rebaptizari *absolutè*, simpliciter fiunt irregulares, ut ad Ordines Ecclesiasticos nullâ ratione promoveri possint, prout habetur in c. *confirmandum*, dist. 50. junct. Gloss. V. *rebaptizari* c. *Afros*. d. 93. c. *qui in qualibet* 1. q. 7. c. *Eos*. Dist. 4. de consecrat. Not. autem, quòd citati textus solùm loquantur de *rebaptizantibus*, & *rebaptizatis*; non autem de illo, qui *confirmationem* bis dedit eidem, vel accepit; unde in hos prædicta irregularitas non est statuenda, ut colligitur ex c. *Is qui* de sent. Excommunicationis in 6. 790

Altera pœna scienter rebaptizantis est, *depositio*, si Clericus sit; vel *excommunicatio*, si Laicus. c. *Eos*, *quos*, dist. 4. de consecr. & c. *ult.* dist. 51. & hæc de Jure Canonico: nam de jure civili tam rebaptizantes, quàm rebaptizati, ultimo supplicio afficiuntur. l. 1. & 2. c. ne sacrum baptisma iteretur. 791

QVÆSTIO X.

IN TITULUM X. DE HIS, QUI FILIOS OCCIDERUNT.

792 HActenus actum est de criminibus in Deum commissis; in sequentibus verò de his, quæ primariò proximum lædunt, cumprimis autem, quæ corpori nocent, qualiter fit per homicidium. Et quia cæde eorum, qui nobis propinqui sunt, non modò justitia, sed etiam pietas violatur; potissima hujus tituli materia est *homicidium filiorum, à parentibus commissum*; licet etiam in eandem tractationem veniat, cædes parentum, seu parricidium. *Patricida*, vel *parricida*, ille dicitur propriè, qui interimit parentem, scilicet patrem, aut matrem. L. *si quis C. de his, qui parentes, aut liberos occiderunt*; at teste Azorio p. 2. lib. 2. c. 52. q. 1. *Parricida* dicitur etiam is, qui filium, aut quemvis alium propinquum occidit; item patriæ oppressor, aut proditor; deinde Principis interfector. Ex quo vides, *parricidium* non restringi ad solam parentum cædem, sed ad aliarum quoque personarum conjunctarum extendi.

793 Quæstio autem est 1. an *parricidium*, quatenus subjicitur pœnis, sumatur restrictè ad *eadem parentum*, vel etiam *filiorum*, aut *aliorum* quoque *propinquorum*? Affirmativam sequitur Sylvester. V. *Parricida*, in hunc modum: *lex*, inquit, *puniens parricidas, locum habet in ascendentibus, & descendentibus in infinitum: in uxore, viro, nuru, genero, vitrico, socero, patruo, avunculo, amita, consobrina, patruele, patrono, noverca, sponsa, patre, ac matre sponsi, vel sponsæ*: quod intellige, etiamsi prædicta fœmina personas conjunctas occiderit, vel ab eis occidatur. Vide Mol. to. 4. de just. d. 26. à n. 2. Quamvis autem *parricidium*, in Ordine ad pœnas, propriè committatur, quando quis occidit proprium parentem, vel Matrem, per l. 1. ff. ad L. Pompejam, de Parricidiis, etiamsi parens, vel Mater non sit legitima, sed naturalis tantùm; & procedat etiam, cùm occiditur noverca, vel nutrix, ut docet Julius Clarus, l. 5. sentent. §. *Parricidium* num. 2. Farinac. in praxi Criminali. p. 5. q. 120. f. 5. n. 105. ex cit. l. 1. postea tamen pœna parricidii extensa fuit etiam ad casum Patris vel Matris, *occidentis filios*; aut Vitrici, vel novercæ occidentis privignum, vel privignam, & econtra, per. l. 1. ff. eod. L. *unic.* C. de his, qui parentes, vel liber. §. *Alia*, Institut. de publ. Judic. junct. Farinac. cit. n. 111.

Advertendum præterea, quòd *nomen* 794
parricidii, & *pœna* illi decreta extendatur ad liberos, qui occidunt unum, vel aliquem ex suis ascendentibus, *ut avum, proavum*, &c. *& parentes*, qui occidunt liberos, vel aliquem ex descendentibus in infinitum, ut constat ex cit. l. 1. junct. Gl. V. *Aviam*, & V. *pœna*, & V. *Filium*, ff. ad l. Pompejam. Secundò, ad socerum, vel socrum occidentes generum, vel nurum suam, aut econtra; constat ex l. 1. cit. 3. ad occidentes Fratrem, vel sororem, licet ex uno tantùm parente conjunctum, gl. margin. ad cit. l. 1. 4. ad occidentem consanguineum in linea transversa intra primos quatuor gradus Glos. in cit. l. 1. V. Pœna.

Idem nomen, & pœna extenditur 5. 795
ad occidentem Patronum, vel Patronam gl. cit. V. *Patronum*. 6. ad maritum, vel sponsum occidentem uxorem, vel sponsam, & econtra; sic Glos. cit. V. *In pari*. 7. ad *Extraneos*, quorum mandato committitur parricidium l. 1. cit. ibi: *Cujusvis dolo malo id factum fuerit*. 8. denique ad omnes complices hujus criminis, sivè consilio, sivè auxilio se illius participes fecerint. L. *Utrum* ff. eod. 9. Etiam ad eos, qui venenum emunt, ut unus alteri ad mortem daret, licet posteà dare non potuerit, ut dicitur in cit. l. 11. ubi Gloss. margin. rationem dat, *quia interdum punitur conatus, etiam sine effectu*.

Quæstio est 2. quæ pœnæ hoc titulo de- 796
cretæ sint in eos, qui filios occiderunt? Omissis illis, quæ jure civili statuta sunt contra parricidas, & non ubique eodem modo, sed juxta diversas provincias aliter, & aliter observantur. Ex. in c. 1. h. t. statui, *ut mulier, sponte*

sponte proprium filium occidens, mittatur ad monasterium, ubi perpetuò defleat crimen; intellige, si viro careat; nam à viro, si quem habet, separanda non est; si autem libera sit; & carnis stimulos evitare nequeat, nubendi licentiam impetrare possit. Ex hoc colligitur, interfectionem proprii filii esse impedimentum impediens matrimonium; de quo Sanchez l. 7. d. 6. à n. 22.

797 Respondeo 2. in c. 2. ejusdem tit. agi de oppressione infantum, quos parentes quandoque secum accipiunt ad lectum, casu non raro contingente, quòd ejusmodi infantes, inter dormiendum, à parentibus suffocentur, & sic loqui textum: *de infantibus, qui mortui reperiuntur cum Patre, & Matre, & non apparet, utrum à Patre, vel Matre oppressus sit ipse, vel suffocatus, vel propriâ morte defunctus? non debent inde securi esse Parentes, nec etiam sine pœna: sed tamen consideratio debet esse pietatis, ubi non voluntas, sed eventus mortis causa fuerit: si autem ipsos non latet, ipsos interfectores esse, scire debent, se graviter deliquisse. Quidam autem pœnitentiam trium annorum judicant esse debere, quorum unum peragant in pane, & aqua.* Ex quo textu colligitur, parentes graviter obligari, ne tenellum infantem secum ad eundem lectum accipiant, propter periculum, ne ab illis obdormiscentibus suffocetur, vel opprimatur. *Cùm enim res periculosa sit, culpâ non caret*, ut rectè notat Paulus Comitolus l. 4. Respons. moral. c. 12. excusat tamen eos, si aliter placari non possit infans, aut defendi à frigore, &c. Colligitur 2. in dubio, an infans naturaliter obierit, an suffocatus à parentibus, in casu; quo ab eis ad eundem lectum receptus invenitur mortuus? præsumi quidem aliquam culpam, ut liquet ex illis verbis (*non debent inde securi esse parentes, nec etiam sine pœna*) non tamen gravem, propter pietatem paternam in liberos, ut habet textus; ex qua non admittitur præsumptio mortis illatæ voluntariè, seclusis aliis circumstantiis. Col. 3. in casu, quo parentes norunt, à se infantem suffocatum, vel oppressum esse, nimirum opere advertenter facto, aut periculo saltem temerè admisso, reos esse peccati gravis; triennalem tamen illam pœnitentiam in eos prætereà non statui, sed solùm dici, *à quibusdam judicari*, eos tali pœnâ plectendos esse; adeoque pœnam esse arbitrariam, ut not. Barbos. in c. 2. h. t. n. 1.

Præter hæc not. cùm oppressio infantum, in dato casu facta, numeretur communiter inter casus, quos Episcopi sibi per constitutionem Synodalem reservare possunt, ut notat Stephanus de Gaëta, in c. *ad limina* 30. q. 1. §. 350. & ideo etiam graviter prohibeant, ne parentes teneant filios in suis lectis: reservationem illam non incurri à parentibus, nisi per ejusmodi receptionem parvulorum ad lectos graviter peccaverint effectu oppressionis, vel mortis secuto. Nam delicta levia, aut opere in actu externo non consummata, non reservantur, nisi aliud exprimatur. 798

QVÆSTIO XI.

IN TITULUM XI. DE INFANTIBUS, ET LANGUIDIS EXPOSITIS.

799 *Expositi*, teste Pereyra in Elucidario n. 1754. (prout hic terminus usurpatur in c. *unico* hujus tituli) dicuntur, (uti declarat Sylvester V. *Expositi*) infantes, servi, liberti; & *languidi*, si dimittantur sine cura, vel eis negentur alimenta à parentibus, Dominis, vel Patronis. Illi igitur, *expositi* propriè dicuntur, qui abjiciuntur, vel ut pereant, vel ab aliis commiseratione motis suscipiantur, & alantur c. si *expositus* dist. 87. Unde necare videtur, non tantùm is, qui partum præfocat; sed & is, qui abjicit, & is, qui alimenta denegat, quique publicis locis misericordiæ causâ exponit, quam ipse non habet. L. *Necare* ff. de agnosc. & alend. liber. his præmissis:

800 Quæstio est 1. quid in hoc textu veniat nomine *infantis?* quid, nomine *languidi?* R. per *infantes* hic intelligi minores septennio completo. c. *literas* de desponsatione impuberum; per *languidos*, qui perpetuo morbo, eoque incurabili, per quem cuique rei gerendæ inhabiles fiunt, laborant. L. *Morbus* ff. de V. S.

801 Quæres 2. quæ pœnæ statutæ sint in eos, qui exponunt infantes, vel languidos? R. ut pœnæ in eos statutæ incurrantur, requiri, quòd id culpabiliter faciant, ut si *parentes exponant filios, quos nutrire, & alere commodè possunt.* Sic enim agunt contra naturalem pietatem liberis debitam à parentibus. Sic Azor p. 2. Instit. moral. l. 1. c. 26. q. 2. quo posito. R. quòd, si Pater, aut alius ipso sciente, & ratum habente, exposuerit filium infantem; amittat jus patriæ potestatis; & Dominus jus servitutis, si servum; & Patronus, jus Dominicæ potestatis, si libertum languidum; prout expressè statuitur c. *Unico*, h. t. idque in pœnam relegati ab eis officii pietatis, quâ naturæ vinculo parentes liberis obligentur.

802 Not. autem 1. pœnâ latâ contra parentes, qui exponunt filios, comprehendi etjam eosdem, quando exponunt filios *spurios.* Nam & hi nomine *filiorum*, jure naturali veniunt; nisi id faciant ex gravi, & justa causa; ac exponant tali loco, ubi commodè illis succurri possit ab aliis, ut exponit Aloysius Riccius, in praxi aurea resolut. 28. n. 2. Navarr. in Manual. c. 15. n. 17. Not. 2. quòd, licet Pater exponens filiam, perdat jus patriæ potestatis, ex hoc tamen non liberetur ab onere dotandi eam. Nam jus illud perdit solùm quoàd sibi utilia; non quoad onerosa, ne scilicet ex delicto suo recipiat commodum, sic Azor cit. q. 10.

803 Not. 3. quod Parentes possint agnoscere expositos pro filiis; & eo casu expositi, sic agniti censebuntur legitimi, & sui hæredes. Sic Barbos in cit. c. *Unic.* n. 6. Not. 4. si expositus postea occidat parentem, non esse puniendum pœnâ parricidii, sed homicidii ordinarii. Menoch. de Arbitrar. Casu 396. num. 14. nimirum in vindictam paternæ impietatis, priùs exercitæ in expositum.

804 Quæres 3. an, qui expositos alunt, acquirant aliquod jus in expositos, vel eorum parentes? R. si infans à Patre expositus, alimenta accepit ab eo, qui ea dare tali casu debebat (deben tautem in casu, quo expositi parentes ignorantur, expositis alimenta præstari ex pietate ab Ecclesia, vel ejus Rectore; si autem hi sufficientes sumptus non habeant, nec extent hospitalia publica, communitates suis expensis eorum curam suscipere consueverunt; sic Barbos in c. *Unicum* h. t. n. 4. & 5.) & cùm dentur causâ pietatis, repeti non posse, Coll. ex c. *Sacror.* 12. q. 2. sicut non repetuntur data mendico. Sic Perez ad Tit. C. de Infantibus. Idem dicendum est, si alimenta acceperunt à loco, pietatis, vel misericordiæ causâ, extructo. Excipe, nisi talis locus extructus sit solùm pro egentibus. Nam in casu, quo parens expositi non eget, & infans ejus à tali loco alimenta accepit, repeti possunt. Si autem exposito alimenta præstitit consanguineus, vel conjunctus, præsumitur fecisse causâ pietatis, quamdiu oppositum non constat, ut dicitur L. *Patrem* C. de nuptiis, ubi habetur, si is, qui filiam à Patre expositam nutrivit, velit illam matrimonio jungere filio suo, & Pater expositæ id ipsum nolit, hunc teneri alimenta ei præstita solvere. V. Azor p. 2. l. 2. c. 26. q. 1.

805 Cæterùm is, qui expositum aluit, nullum jus in eum acquirit. Ut dicitur in cit. c. *unico* h. t. Et ideò Expositis succedit hospitale, excluso fisco; non is, qui nutrivit. Barb. cit. c. n. 9. nec consanguinei, propter neglectum paternæ pietatis; ita Surdus de aliment. tit. 6. q. 18. n. 19. Illud etiam not. parùm interesse, an quis filium occidat, vel, negando debita alimenta, det causam mortis? l. 4. ff. de liber. agnosc. Et ideo talis expositio, vel pœnâ proprii infanticidii punitur, si exponatur infans in loco dissito, & solitario, & ab hominum frequentia remoto, eo fine, ut pereat, & sequatur mors; si autem reperiatur vivus, pœna arbitraria est; & fustigatio, vel relegatio, si contra mentem exponentis reperiatur mortuus.

806 Quæres 4. an infantes expositi habeantur pro legitimis, ut absque dispensatione ad Ordines admittantur? Negativè respondet Doctor Philippus Braun. l. 5. in hunc tit. Covar. in Clem. *si furiosus* p. 2. n. 9. & alii, eò, quòd censeantur Spurii; quia non solent legitimi exponi; sed potius nati ex furtivis, & illicitis congressibus; hanc opinionem esse securiorem censent Suarez tom. 5. de censuris d. 40. s. 3. n. 4. Layman. l. 1. Summæ tr. 5. p. 4. c. 5. n. 4. & alii apud Barbos. h. t. §. *quæstio celebris*, cùm expositi æquiparentur vulgò quæsitis: Mascardus tamen de

de Probat. conclus. 99. Menoch. Sayrus, Salas, & complures alii, cum Barbos. p. 3. de offic. de potestate Episcopi, allegat. 51. n. 150. censent, expositos, & liberos, de quorum parentibus non constat, legitimos esse censendos, & capaces successionum, Ordinum, & dignitatum, de quibus non sunt statuta, requirentia qualitatem nobilitatis, & alia hujusmodi, quæ positivè docenda sint. Ratio est, quia stante origine dubiâ, potius judicandum est pro legitimitate; secùs præsumeretur delictum in dubio; & hæc opinio est satis probabilis sub facta limitatione.

807 Sed esto quis sequatur priorem opinionem; complures tamen censent cum ejusmodi expositis, Episcopum dispensare posse, ut ad ordines, & curata beneficia promoveantur. Licet enim Episcopi jure ordinario non possint dispensare in irregularitate; possunt tamen in casu dubio; præsertim cùm lex, quæ statuit illegitimis irregularitatem, non sit in possessione, nisi *ex suppositione*, quæ dubia est; in tali autem casu interpretatio mitior fieri debet juxta dicta l. 1. de Constit. Ita Suarez, Layman loc. cit. & alii.

QUÆSTOI XII.

IN TITULUM XII. DE HOMICIDIO VOLUNTARIO, ET CASUALI.

808 HOmicidium in genere, est *occisio hominis ab homine facta*, ut dicitur c. si *homicidium* 23. q. 5. vel clarius, est *quælibet exanimatio hominis; seu humani corporis, violenter ab homine facta*, qua anima à corpore separatur, ut ait Wesenbecius ad L. Cornel. ff. de sicariis. Dicitur *ab homine facta*. Nam si homo occidatur à bruto, non est propriè homicidium, sed vocatur *pauperies*, ut constat ex toto titulo Institut. & ff. si quadrupes pauperiem; dicitur exanimatio *hominis*, quo intelligitur *homo*, cujuscunque ætatis, conditionis, vel sexus l. 1. §. *qui hominem* eodem: & L. *penult.* C. eod. imò, & fœtus adhuc in utero, si animatus sit, sub eo nomine venit.

ARTICULUS I.

Quotuplex sit homicidium.

809 *Homicidium* juxta Canonistas, in ordine ad pœnas incurrendas, est duplex, unum *voluntarium*, alterum *casuale*. *Voluntarium* dicitur à Molinâ to. 4. d. 3. n. 4. quod est intentum, aut perinde reputatur, ac si esset intentum. Unde fit dupliciter 1. quando quis exequitur actionem occisivam, eo animo, & intentione, ut mors alicujus sequatur, & est *voluntarium directum*. 2. Quando facit opus, quod ex sua natura ordinatur ad mortem alterius, v. g. propinat venenum lethiferum, vel infligit vulnus lethale, sed non animo occidendi. Hoc tamen perinde est, ac si intendat occidere, & dicitur *voluntarium indirectum*. Casuale dicitur ab Azorio to. 3. l. 2. c. 14. quod contingit præter intentionem agentis, aut omittentis opus aliquod, unde mors alterius consequitur, ac proinde non est intentum in se, aut in aliqua causa, ex qua solitum est accidere homicidium semper, aut frequenter quamvis ex ea rarò, & in paucioribus eveniat.

Apud Legistas (*in ordine ad punitionem*) 810 homicidium unum est, quod dicitur *casu factum*, culpâ tamen interficientis presse sumptâ, ut à dolo distinguitur: alterum *dolo factum*. Homicidium casu factum est idem prorsus, quod casuale à nobis explicatum n. priori, & punitur arbitrio Judicis pœnâ majori, vel minori, prout major, vel minor culpa juridica intervenit. Homicidium *dolo factum*, idem reputatur, atque intentum, ac scienter factum, & coincidit cum voluntario, punitur que pœnâ homicidii ordinariâ; ita Molina tract. 3. d. 21. n. 1. ex l. 1. §. *Divus* ff. ad leg. Cornel. de Sicar. & l. 1. & l. eum C. eodem. tit. Idem d. 23. per totum, ubi rectè exponit *triplex homicidium voluntarium*, nempe ex proposito, ex

insidiis, & proditoriè commissum. *Ex proposito* commissum dicitur, quando homicida prævia animi deliberatione, præcedente ex intervallo occisionem, quempiam interficit. Unde non dicitur ex proposito occidere, qui obortâ rixâ antiquum adversarium animo interficiendi, atque adeò dolo occidit, si nulla deliberatio occidendi rixam præcessit. *Ex insidiis* dicitur commissum, quando aliquis exspectat alium in loco, in quo ab eo verisimiliter provideri non poterat: illumque ex improviso venientem aggreditur, & occidit. *Proditoriè* verò commissum dicitur, quando, cum nulla esset causa rixæ inter aliquos, unus eorum interficit alterum securum, nihilque tale timentem. Hæc tria videntur collocari *sub homicidio qualificato*, scilicet qualitate affecto, quale Lessius lib. 2. c. 34. n. 187. affirmat esse factum *persicarium*, pretio conductum, quod ipso facto tollit beneficium c. 1. de homicid. in 6. de quo Alex. Cons. 166. *Qualitas* enim, in jure civili sumitur etiam pro differentiis facientibus rem certam, ac determinatam, & contrahentibus rem ad individuum: ut probat Zoësius per L. *stipulationum quædam* ff. de verborum obligatione.

ARTICULUS II.

De homicidio voluntario, & injusto.

811 POtissima quæstio in hac materia, *de tali homicidio*, versatur circa pœnas jure statutas homicidæ, inter quos de jure Ecclesiastico prima est *irregularitas*, quæ decernitur in homicidas voluntarios, tum propter commissam hominis cædem cum injustitia, seu injustè, quæ dicitur *irregularitas ex delicto*; tum etiam quandoque propter homicidium commissum justè, quòd imbibat aliquod factum cædentis, propter quod jure canonico judicatur inhabilis ad ministerium altaris.

812 Præter irregularitatem, de qua dicemus in sequentibus, aliæ quoque pœnæ statutæ sunt homicidio voluntariè commisso cum injuria. Inter has prima est, quòd, si Laicus committat homicidium injustum, spectato jure excommunicandus sit c. *Itaque* 24. q. 3. ibi: *itaque censuimus, homicidas, à communione fidelium Ecclesiastica, submovendos.* Si autem Clericus, deponendus (non tamen communione privandus) ab ordine & officio c. *Presbyter.* dist. 81. ibi: *Presbyter, aut Diaconus; qui in homicidio captus est, deponatur; non tamen privetur* c. *Cùm non ab homine* 10. de Judic. ibi: *Clericus in quocunque ordine constitutus, in homicidio deprehensus legitimè, atque convictus, ab Ecclesiastico Judice deponendus est.* c. *Inquisitionis*, 21. de accusat. ibi: *puta si homicidium commisisset.* c. *sicut* §. *fin.* h. t. post hanc depositionem detrudendus est ejusmodi Clericus in arctum Monasterium ad peragendam pœnitentiam. c. *Tuæ*, de pœnis; & quidem *in perpetuum.* c. *si Episcopus* dist. 50. ibi: *quamdiu vixerit*; vel saltem *per septennium*, vel quinquennium c. *sicut.* §. *fin.* h. t. ubi attendi debet delictum cum circumstantiis, quibus evadit majori, vel minori pœnâ dignum. Et hodie non rarò loco Monasterii, succedit carcer, & triremes.

813 Dices in c. *omnis* dist. 3. dicitur, ut *qui cædem fecerit, capite plectatur*; ergo etiam jure canonico pœna injusti homicidii est pœna mortis. R. ibi *per pœnam mortis, intelligi*, non *mortem naturalem*, sed *civilem*, in eo sitam, quòd per excommunicationem, velut mortuus, à communione fidelium removeri debeat; sic Farinac. in praxi crimin. n. 4. l. 4. de homicid. q. 119. n. 57. Pirhing. h. t. n. 6. Et ideò etiam, cùm in c. *siquis* 1. h. t. dicitur, *siquis per injustitiam occiderit hominem proximum suum, & per insidias; ab altari meo avelles eum, ut moriatur*, idem est eo loco, *ac deponatur.* Colligitur ex c. *per Venerabilem.* Qui filii legitimi. Ubi præcipitur, ut qui sententiam Sedis Apostolicæ contempserit observare, *moriatur*, quo aliud non intenditur, quàm ut *per excommunicationem*, velut mortuus à communione fidelium separetur; ita Pirhing. h. t. n. 6. Ex hoc colliges cum Abbate in cit. c. n. 20. quòd, ubicunque jure canonico reperitur imposita *pœna mortis*, debeat exponi, & intelligi de sententia excommunicationis, quæ est mors civilis, non formaliter, sed præsuppositivè; cum præsupponat peccatum mortale, per quod anima separatur à gratia Dei, quæ est vita animæ.

814 Cæterùm etsi Doctores textum in c. *siquis* 1. h. t. multipliciter explicent, ut videri potest apud Pirhing cit. n. 8. verior sensus est, quòd, qui per industriam (hoc est, *ex proposito*) & per insidias (hoc est, *proditoriè* aggrediendo à tergo, vel alio modo improviso) aliquem hominem occiderit, non gaudeat immunitate Ecclesiasticâ, quo minus

nus à suo Judice sibi tradi justè petatur, & ab Ordinario loci præmissa causæ cognitione, eidem consignetur, ex Ecclesia, ut notat gloss. in cit. c. V. *insidias*, & Suarez tom. 1. de Relig. l. 3. de Reverentia debita locis sacris c. 11. n. 11. & constat ex Pirhing in 3. decret. tit. 49. n. 28. de quo expressè Gregorius XIV. in sua Constit. *cùm alias nonnulli.* Et hoc procedit, sive Clericus, sive Laicus, sive occisor, aut occisus. Ex quo vides hoc procedere, non de homicidio *simplici*, sed *qualificato.* Unde sequitur, vi dicti capituli *siquis*, homicidium voluntarium, *proditoriè factum*, puniri etiam pœnâ privationis asyli Ecclesiastici, seu refugii ad Ecclesiam, ut ibi obtineat immunitatem à potestate Laicorum, quò minus eum licitè, ac impunè valeant ex tali loco, vi extrahere ad tribunal suum.

815 Dices in c. *Inter alia*, de immunitate Ecclesiastica, ubi excipiuntur quædam crimina, quibus negatur asylum in Ecclesia, nulla fit mentio de *homicidio proditorio*; ergo de illo nequit intelligi textus. c. *siquis* R. illam exceptionem esse factam ab Innocentio 3. istam autem, à Gregorio 9. in c. *siquis.* Quare dato antecedente N. consequentiam. Dixi, *vi hujus c. siquis.* Nam ex constitutione Gregorii XIV *Cùm alias nonnulli*: quidquid jure antiquo super delictis, excludentibus ab asylo Ecclesiastico constitutum fuit; & quidquid in hac materia privilegii concessum est per ejus Antecessores Principibus laicis, etiam ad alios casus jure communi non expressos: restrictum est *ad certa duntaxat crimina*, sic, ut extra *illa in dicta constitutione expressa*, nulli omnino Laico Judici liceat sub gravissimis pœnis, Reum ad Ecclesiam, vel Monasterium confugientem extrahere; nisi in criminibus per dictam constitutionem nominatim expressis; *& hoc*, ut ne quidem liceat ex gravissimis causis, etiam propter paritatem, vel identitatem, aut majoritatem rationis, extendere ad alium casum non expressum.

816 Delicta porrò excepta in dicta constitutione, sunt reducta ad unam tantùm formam, & continentur in ejusdem §. 3. his verbis *hâc itaque perpetuò valiturâ constitutione nostrâ, omnia ad unam tantùm formam reducimus, ut Laicis, ad Ecclesias, locaque sacra, & religiosa prædicta confugientibus, si fuerint publici latrones, viarumque grassatores, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur, aut depopulatores agrorum; quive homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, earumve cæmiteriis committere non verentur; aut qui proditoriè proximum suum occiderint; aut assassini, vel hæresis, aut læsæ Majestatis in personam ipsiusmet Principis Rei, immunitas Ecclesiastica non suffragetur.*

Altera pœna, homicidii voluntarii, ac 817
injusti, Clericum, qui occidit hominem injustè, animo deliberato, privat omnibus beneficiis Ecclesiasticis *obtentis*, privatione ferendâ per sententiam Judicis. Ut colligitur ex c. *Clericis* 5. ne Clerici, vel Monachi ibi: *Clericis in sacris ordinibus constitutis, judicium sanguinis agitare, non licet. Unde prohibemus, ne, aut per se truncationes membrorum faciant; aut judicent inferendas. Quod si quis tale quid fecerit, honore privetur, & loco*, &c. *ex literis.* de Excessibus prælatorum, ibi: *ipsum indignum altaris ministerio reputamus.* Et talis etiam ad talia beneficia evadit inhabilis, inhabilitate, non quidem irritante collationem illi factam; sed tantùm prohibente, ut habetur in Trident. sess. 14. c. 7. Tertia est quòd homicidium voluntarium, & injustum, per L. *cùm ratio. §. fin.* ff. de bonis damnat. privet. successione illius, quem interfecit, sive ex testamento, sive ab intestato hæreditas ejus ad ipsum deferatur.

Quarta est irregularitas, vi cujus nec 818
ordines suscipere, nec in prius susceptis ministrare potest, etiam post peractam pœnitentiam; quod verum est, licet homicidium sit occultum, c. *Inquisitionis*, de accusat. junct. gloss. V. *si homicidium.* Hæc pœna afficit 1. eum, qui per se ipsum, voluntariè, ac injustè alterum occidit. Nam talis maximè homicida est. 2. Eum, qui dat causam propinquam, & efficacem mortis; licet primum operetur post aliquod tempus v. g. si quis alicui det venenum, quod primò post aliquod tempus effectum facit; coll. ex c. *de cætero* 11. h. t. *Noveris, quòd Diaconus, qui homicidio causam dedisse videtur, non videtur ad sacerdotium promovendus*, & procedit, esto occisus non sit baptizatus, c. *Clericum*, dist. 50. ibi: *Clericum, qui paganum occiderit, non oportet ad gradum majorem provehi, qui carere etiam debet acquisito: homicida enim est.* Et hæc irregularitas extenditur ad vendentem venenum eo fine, ut alter perimatur, si mors reipsâ exinde sequitur.

tur. Zoësius h. t. n. 7. sic enim reverà dat causam homicidio. Si quis autem solùm vulneret non lethaliter, non incurritur irregularitas, etiam secutâ morte vulnerati, non ex actu vulnerantis, sed ex incuria Chirurgi; colligitur ex c. *significasti* 18. h. t. ubi dicitur, irregularem censeri 1. qui aliquem lethaliter percussit, licet ab aliis fuerit extinctus. 2. Qui percussit non lethaliter, animo tamen occidendi, si ex aliorum vulneribus percussus exspiravit. 3. In dubio, quo non constat, ex cujus vulnere percussus obierit, quando eum plures vulnerarunt.

819 Ex hoc sequitur eum, qui aliquem vulneravit lethaliter, quem alius postea occidit, jure canonico esse irregularem. Deinde, quando plures unum vulnerârunt, & non constat ex quo vulnere percussus obierit? teneri omnes se gerere irregulares in foro externo. Idem est de dubitantibus, an à se lethale vulnus fuerit inflictum, si tamen mors secuta sit. Sic etiam Barb. in cit. c. 18. n. 9. Tertiò, quando plures vulnerârunt, seu vulnera inflixerunt, quorum singula ex se non sunt lethalia, sed simul sumpta sufficiens causa mortis, singulos incurrere irregularitatem. Sic Bonacina de Censur. d. 7. q. 4. p. 8. n. 30. Si autem plures rixantur, & unus sit lethaliter percussus, quivis præsumitur eo casu percussor in foro externo, V. Menoch. de arbitrar. casu 302. & consil. 108. num. 8.

820 Not. præterea, quando dubitatur, an vulnus sit lethale? cognoscendum esse ex Medicorum judicio. Medicis autem non creditur ad judicandum, an vulnus sit lethale, & an vulneratus decesserit ex vulnere, vel alia causa? nisi ad minus sint duo, & in arte periti, & deponant cum juramento; si non concordent, standum esse judicio senioris; si autem in loco, ubi quis est vulneratus, tantùm adest unicus Medicus, illum sufficere, nisi causa sit ardua. Dicitur autem *vulnus lethale* illud, cujus curatio, vel omnino impossibilis est, vel difficillima. Sic Barbos. in c. *Significasti*, elig. 2. h. t. à n. 3. Cui autem credendum sit, si est contentio inter Medicos, & Chirurgos, resolvit Mascardus de probat. conclus. 1169. à n. 40. Ex vulnere autem facto in capite, morte secutâ, præsumitur animus occidendi, ut colligitur ex cit. c. *Significasti* 18. ibi: *tum ratione partis*, in qua fuit ille percussus, *in qua de modico ictu quis lethaliter solet laedi.* Sic Barbos. in c. *Presbyterum* 7. h. t. n. 3. & si vulnus lethale fuit, mortuus præsumitur decessisse ex vulnere, etiamsi transacto triduo surrexerit ex lecto, vel primò decesserit post octo dies. Sic Barbos. in cit. c. n. 5. & in c. *continebatur* eod n. 3.

Not. 2. Eum non censeri homicidam, 821
nec irregularem, cujus occasione, eo tamen prohibente, & causam non dante, committitur homicidium ab ipsius famulis, amicis, vel consanguineis. c. *Petrus* 17. h. t. ubi ad hunc casum sibi propositum, respondit Innocentius III. *Ei non debere imputari, quando contra prohibitionem ejus expressam, eo causam, vel occasionem non dante, ausu Sacrilego fuit ab ipsius consanguineis attentatum*; secùs foret, si contra ejus voluntatem committatur, *ipso tamen rixæ causam dante.* Sic Barbos. in cit. c. n. 3. contra Bonac. cit. q. 4. p. 8. à n. 34. Ille tamen, qui præsens fuit tractatui habito super occidendo ejus amico, ab ejus amicis, vel famulis, & non contradixit, sed tacuit, irregularitatem incurrit. Sic Jacobus de Graffis in aureis decisionibus p. 1. l. 2. c. 64. n. 18.

Not. 3. eum, qui aliquem percussit 822
non lethaliter, ita tamen, ut fugere non possit ob eam percussionem, ideoque postea occidatur ab aliis, non incurrere quidem pœnam ordinariam homicidii, fieri tamen irregularem, quia saltem occasionem aliquam dedit secuto homicidio; sic Abbas in c. *Significasti*, elig. 2. h. t. à n. 10. excipe, nisi constet vulnus non fuisse lethale, factumque non animo occidendi, sed causa justæ defensionis cum moderamine inculpatæ tutelæ, ut collig. ex cit. c. *Significasti*, 18. h. t. Ille porrò, qui posterius percussit, ab alio prius lethaliter vulneratum, secutâ morte irregularis est; quia licet certò moriturum occiderit, occidit tamen etiam ipse accelerando mortem. Zoësius hic n. 10. Si autem quæras, quid in hoc postremo casu dicendum, quoad pœnam ordinariam homicidii injusti? R. si secundus percussor illum occidit sine mandato, vel conventione cum primo, & hujus percussionem fuisse lethalem, non est omnino certum, primum solùm teneri *de vulnerato*: secundum autem *de occiso*. L. *Item Mela.* 11. §. *Celsus* ff. ad leg. *Aquiliam* Aquiliam.

Not. 4. quæstionem esse inter Autho- 823
res, an irregularitatem ex delicto contrahat, qui dabat operam rei licitæ, vel etiam illicitæ, ex qua casualiter secuta est mors alte-

alterius? plures in hoc puncto sunt canones, quorum aliqui videntur affirmare; alii negare. Nam in c. *Presbyter.* 7. h. t. dicitur, *quòd homicidium casuale imputetur ei, qui dabat operam rei licitæ, si non adhibuit diligentiam, quam debuit*; idem habetur in c. *continebatur* 8. eodem c. *ad audientiam* 12. eod. Econtra in c. *Lator.* 9. eodem dicitur: *homicidium casuale, non imputari ei, qui non fuit in culpa.* c. *dilectus* 13. eod. *homicidium casuale non imputari ei, qui dedit operam rei licitæ, nec fuit in culpa* Idem habetur c. *Ex literis* 14. & 15. c. *Significasti* 16. c. *Joannes* 23. eod. sed ad hoc constabit ex dicendis à n. 836. Illud hic universim notandum, *ex homicidio voluntario* contrahi irregularitatem distinctam ab ea, quæ ortum habet *ex casuali.* Illa enim requirit intentionem expressam occidendi, seu apponendi causam de se illativam mortis, & cognitam, ut talem; & ideo requirit voluntarium *ex proposito*, sic Castropal. p. 6. de censur. d. 6. p. 15. §. 1. n. 1. ut colligitur ex Trid. sess. 14. c. 7.

§. 1.

De procurante abortum.

824 *Abortus*, & alio nomine *Aborsus*, est ejectio fœtûs immaturi. Unde *procurare abortum*, idem est, adque studiosè quærere, sive per se, sive per alium, ut fœtus immaturè ex utero matris ejiciatur. Dupliciter fieri contingit; nempe ante fœtûs animationem, & pòst, qui fuit in causa, ut fœtus animatus immaturè ejiceretur, manet obnoxius pœnis homicidarum, tam juris civilis, quàm Canonici; qui nondum animatum ejicit, licet non committat homicidiũ, tamen per jus civile punitur exilio, & amissione partis bonorum, si sit honestæ conditionis: si verò humilioris, damnatur ad metallum, L. *siquis aliquid §. qui abortionis* ff. de pœnis. Vide Dianam p. 7. tr. 5. resolut. 1. & 3.

825 Ex hac resolutione colliges, eum, qui voluntariè procurat abortum fœtûs animati, incurrere irregularitatem, statutam in homicidas voluntarios, & injustos; quia fœtus animatus est *verè homo*; secus est, si fœtus nondum fuit animatus c. *quòd verò*, &c. *Moyses* 32. q. 2. c. *sicut* 20. h.t. ubi Pontifex de hoc casu consultus, rescripsit: Nos devotioni vestræ insinuatione præsentium respondemus: quòd, *si nondum vivificatus conceptus, ministrare poterit; alioquin debet altaris officio abstinere.* Si autem quæras, an incurrat irregularitatem ex delicto, qui procurat sterilitatem in muliere, nec concipiat? R. quod non; quia non potest dici occisor hominis, qui nec est, nec fuit.

Colliges 2. eum, qui dat causam abor- 826
tûs fœtûs animati, (ut si cum muliere prægnante ludat ludo noxio, ut ponitur in casu cit. c. *sicut*, vel cum ea turpiter agat, ut inde sequatur abortus) omnino irregularem esse. Et si dubium est, an fœtus fuerit animatus, quoad pœnam capitalem (quam jus civile statuit in procurantes abortum fœtûs animati, L. *siquis §. qui abortionis* ff. de pœnis. L. *penult.* (ad legem Corneliam de Sicariis) fœtus præsumitur inanimatus; secùs quoad irregularitatem. Farinacius in praxi crimin. q. 112. à n. 138. & colligitur ex cit. c. *Significasti* 18. h.t. loquente de simili casu, in dubio.

Dices in c. *si aliquis* 5. h.t. dicitur: *si* 827
quis causâ explendæ libidinis, vel odii meditatione, homini, aut mulieri aliquid fecerit, vel ad potandum dederit, ut non possit generare, aut concipere, vel nasci soboles, ut homicida teneatur; sed homicida tenetur pœnâ irregularitatis ex delicto; ergo etiam procurans sterilitatem. R. in cit. c. aliud non dici, quam talem, *ut homicidam*, hoc est *instar homicidæ* teneri, quatenus vitam hominis, ne sequeretur ex causis naturalibus, impedivit, quod grave peccatum est, sicut, qui hominem interficit, impeditque, ne vita illius ulterius progrediatur. Sic Barbos. in cit. c. *si quis* n. 3. & apud eum Molina, Decianus, Farinac. &c. *non tamen fieri irregularem*; cùm *irregularitas* (titulo homicidii) non contrahatur, nisi actu sequatur homicidium. Sic Navarr. in Manual. c. 27. n. 222. Tabinea, Sayrus, & alii apud Barbos cit. n. 3.

§. 2.

De mandante homicidium.

INjustè mandantem, *alterum occidi*, effe- 828
ctu secuto irregularem esse, habetur c. *siquis viduam* dist. 50. ibi: *siquis homicidii, aut facto, aut præcepto, aut consilio, aut defensione, post baptismum conscius fuerit, & per aliquam subreptionem ad Clericatum venerit, dejiciatur*; & in fine vitæ suæ laicam communionem tantummodo recipiat, c. *fin.* h.t. in 6. ubi hoc etiam procedit, si quis *mandavit* aliquem vulnerari, licet expresse inhi-

beat, ne occidatur ullatenus, si mandatarius eum occidit; quia mandando fuit in culpa, & cædem posse evenire cogitare debuit. Zoësius h. t. n. 11. intellige tamen juxta dicta. Unde non procedit, si mandans expresse, vel tacitè revocavit mandatum sic, ut mandatario innotuerit: si autem prævidet mandatarium adhuc pertinaciter perrecturum, putat Zoësius cit. n. 12. adhuc fore irregularem, nisi quantum potest impediat; sed oppositum est probabilius, quia tunc non operatur ex mandato, utpote non amplius existente. Sic Castropal. p. 6. d. 6. p. 15. §. 2. n. 2. Si autem mandatarius non acceptavit mandatum (ut ex hujus acceptatione, & alterius mandato nascatur contractus) mandans adhuc erit irregularis, si mandatarius ex ejus petitione motus, etiam inscio mandante, vel sciente, nec impediente cædem exequitur. Sic Immola c. *ad audientiam* h. t. quia sic adhuc mandans per suam petitionem influit, cùm non sit retractata. Mandantem quoque irregularem fieri, etjam in eo casu, quo mandatarius occiditur, v. g. ab eo, quem occidere jussus erat, vel aliis eum defendentibus, negant aliqui apud Innoc. in cit. c. *ad audientiam* n. 4. sed contrarium probabilius est, quia mandatarium injustè, ac temerariè exponit mortis periculo, eum directè ad hoc inducendo, sic Barbos. in c. *fin.* h. t. in 6. n. 6. contra Dianam p. 2. tr. 5. n. 17.

829 Not. præterea, quòd diximus, eum, qui injustè mandat aliquem verberari, licet expresse prohibeat, ne occidatur, vel mutiletur, fieri irregularem, si mandatarius excedat fines mandati, etiam mutilando, quia mandando fuit in culpa, & debuit cogitare, hoc posse evenire; secùs est, si justè mandet c. *fin.* h. t. in 6. Suarez. to. 5. d. 45. §. 2. num. 3. Sed hoc non procedit, si mandatarius sine alicujus mandato occisurus erat, nisi ex mandato citius occidat; sic Barbos. in cit. c. *fin.* n. 7. in quo etiam deciditur, irregularitatem non incurri ab eo, qui præcisè ratum habet homicidium suo nomine factum. Not. 2. doctrinam superiori numero traditam, habere locum etiam in casu, quo mandatum illud injustum non est expressum, sed solùm tacitum; ut si quis injuriâ affectus à Titio, dicat servo suo, *non occide Titium; non tamen redeas, donec novi aliquid à te audiam circa Titium.* Sic Barbos. in cit. c. *fin.* n. 5. quia tale dictum facit præsumptionem mandati saltem taciti.

Quæres, an pœnæ juris contra injustè 830
mandantem, *fieri homicidium*, incurrantur, licet mors non sit secuta? R. negativè, nisi in casibus jure expressis. Ratio est, quia pœnæ juris petunt delictum consummatum, nisi aliud exprimatur, ut fit in c. 1. h. t. in 6. de quo agam infra, cum dicam de homicidio per assassinos commisso, ubi exponam etiam casus jure expressos, quibus pœna juris incurritur à mandante injustum homicidium, etiam effectu non secuto vide dicenda n. 839. & seqq.

§. 3.

De consentiente, vel ratum habente homicidium.

AD 1. R. communem doctrinam esse, 831
quòd qui sine ulla alia cooperatione in homicidium injustum, quod nullo modo sit nomine ipsius, purè consentit, non fiat irregularis, nec ullam pœnam incurrat, etjam morte secutâ, licet consensum verbis exprimat; ita Suarez. d. 44. de censuris sect. 3. n. 21. quia sic non influit efficaciter in homicidium. Dixi, *quòd nullo modo sit nomine, vel occasione* ipsius; secùs est, si fiat propter ipsum, vel ad vindicandam injuriam consentienti factam, vel ad liberandum illum à tali homine ipsi contrario &c. quia sic moraliter influit, & cooperari censetur, nisi externè ostendat sibi displicere cædem. Non sufficit tamen ad irregularitatem in hoc casu, solum externum silentium, licet adsit internus consensus. Quia pœnæ latæ in consentientes, requirunt *consensum* simpliciter, qualis non est *consensus cum addito*, seu *præsumptus*.

Ad 2. R. ex hoc præcisè, quod quis in- 832
justum homicidium, suo nomine factum, ratum habeat, non incurri irregularitatem, vel aliam pœnam juris; quia, qui factum jam prius consummatum, præcisè ratum habet, seu approbat, non incurrit pœnas jure decretas in *committentes* tale factum; hoc enim sonat eos, qui sunt causa facti, ad quod requiritur, ut se habeat *antecedenter* ad factum consummatum. Excipe tamen, nisi lex pœnalis expresse loquatur etiam de ratihabitione, quod non contingit in nostro casu.

Dices, qui mandat homicidium injus- 833
tum, incurrit pœnas in homicidas injustos, jure decretas; ergo & qui tatum habet: pat. conf. Quia *ratihabitio retrotrahitur, & mandato*

mandato æquiparatur, ut dicitur reg. 10. de Reg. juris in 6. Ante resolutionem not. 1. quòd irregularitas non incurratur, nisi in casibus jure expressis. 2. nullibi esse expressũ, quòd sola ratihabitio inducat irregularitatem, vel aliam pœnam, jure impositam homicidæ injusto, quo posito ℟. N. consequentiam; ad prob. ℟. ratihabitionem æquiparari mandato *in iis tantum casibus*, in quibus eam jus mandato æquiparari voluit, ut sunt illi, in quibus circa talem effectum non requiritur specialis, & expressa dispositio juris; at circa irregularitatem hæc requiritur; ergo quoad hanc non æquiparatur mandato. Cæterùm, ea juris regula sic nudè, ac simpliciter prolata, in multis fallit, ut tradit Petrus Peckius ad reg. juris canon. in 6. ad reg. 10. in plurimis enim differunt *mandatum*, & *ratihabitio*, quia *mandatum* potest esse etiam in rebus alienis; *ratihabitio* autem de re ad nos non pertinente, seu non gesta nomine nostro, nulla est, ut dicitur reg. 9. eod. Mandatum ex diuturnitate temporis non præsumitur; secùs ratihabitio. Et ideo non dicitur: *ratihabitio est mandatum*; *sed æquiparatur*, seu simile est mandato. *Similia* autem *non sunt idem*; nec in omnibus eundem effectum habent.

§. 4.

De Consulente, & cooperante ad homicidium.

834 REspondeo ad 1. quando homicidium, vel mutilatio injusta sequitur, ex vi consilii ad eam dati, consulentem fieri irregularem effectu secuto, & incurrere alias etiam pœnas injusti homicidii, ut constat ex c. *perniciosè* dist. 1. de pœnit. & clarius ex c. *siquis* dist. 50. & c. 1. de Clerico pugnante; ac c. *sicut dignum* §. *qui verò* & §. *fin.* h. t. & ideo l. 1. §. *persuadere*. ff. de servo corrupto dicitur: *facientem, & consentientem par pœna constringit.* Et hoc procedit, licet is, cui datum est consilium, aliàs esset occisurus hominem illum, si consilio ad id *plus* incitatus est, vel acceleravit cædem, ut dicitur cit. c. *sicut dignum*; sed eo casu punitur consulens pœnâ solùm extraordinaria, ut dicitur ibid. §. *qui verò*, ibi: *qui verò asserunt animum Regis inflamâsse ad odium, unde homicidium fuit secutum, durè, & asperè, sed non ita severè, sunt puniendi, nisi fortè Regem ad illud homicidium suis suggestionibus provocâsset* V. etiam §. *fin.* ibid. Vitatur tamen irregularitas, si consilium efficaciter revoces; vel, si non possis, periclitantem occultè moneas. Nam tali casu consulens, quantum potest vim Consilii inefficacem reddit per istam cautelam ejus, cujus mors quærebatur.

Ad 2. notandum, *cooperari* hic accipi 835
pro eo, quod est, *præstare opem, vel auxilium.* Dupliciter autem præstari potest auxilium; primò, ut eo non præstito non fuisset factum homicidium; Secundò, ut eo etiam absente fuisset factum; & hoc rursum vel directè (ut *percutiendo*, *vulnerando*) vel indirectè, ut detinendo alterum, ne fugere possit, vel occisorem defendendo, aut suâ præsentiâ animando, &c. quibus positis: ℟. eum, qui ad injustum homicidium præstat auxilium, *sine quo non*, cæde secutâ fieri irregularem, si tale auxilium sit causa propinqua homicidii. Sic Covarr. in Clementin. *unicam* h. t. p. 2. §. 2. n. 2. & si ipse auxilians sit causa partialis talis cædis, punitur ordinariâ pœnâ homicidii L. *unicâ*, C. de Raptoribus Virg. & colligitur ex c. *sicut dignum* h. t. Ex quo sequitur, eum, qui armatus assistit occisori propè, censeri causam; seu auxilium proximum præstare, sic Farinac. p. 5. q. 131. n. 67. Qui autem accurrunt, ut occisori, si fortè per violentiam ab aliis impediretur, opem ferant, licet non venerint, ut ipsi ferirent, puniri debent, pœnâ tamen minore, ut dicitur cit. c. *sicut dignum* §. *illi etiam.* Ubi Barbos in cit. c. n. 14. ait, *tales esse irregulares.* Similiter socians homicidam animo occidendi, licet non apponat manum, secutâ exinde morte; eâdē ferè pœnâ punitur, quâ homicida, ut dicitur cit. c. §. *illi autem*: idem est de sociante homicidam, animo prohibendi, ne à cæde impediatur, ut dictum est priori numero. Similiter qui ex justitia tenetur alterius vitam defendere, & non defendit, cum potest sine suo gravi damno, fit irregularis; secùs, si tenetur solùm ex charitate: ita communis, quia sic est injusta causa homicidii per cooperationem negativam.

Sed universim notandum, quòd, ubi 836
in hactenus dictis asseruimus, in allatis casibus incurri irregularitatem, de consilio *generatim* locuti simus, præscindendo, num ea irregularitas proveniat ex homicidio *voluntario*, an *casuali*? nam hæc distinctio probè attendenda est, præsertim ubi dispensatio in ejusmodi irregularitate necessaria est. Nam irregularitas ex delicto occulto, dispen-

sari potest ab Episcopo, ut dicemus infra, præterquam *ex homicidio voluntario*; irregularitas igitur, quam ex prædictis casibus, juxta plurium Doctorum opinionem contrahi asseruimus, tunc demum censenda est ex *homicidio voluntario*, quando illæ actiones, de quibus in præcedentibus actum est, *ex proposito* factæ sunt, ad causandum injustum homicidium, ut diximus suprà, aliàs reducendæ erunt solùm ad irregularitatem ex homicidio casuali, ut constabit ex dicendis.

§. 5.

De homicidio per assassinos.

837 OLim *assassini* propriè dicebantur quidam infideles sub Principe pariter infideli; à quo ita edocti, & instructi erant, ut quos ille occidi jusserat, facillimè, seu promptè occiderent, arbitrantes ex hoc, mortem non esse timendam, nec ullam pœnam ob istud factum post suam mortem se passuros, imò se obsequium præstare Deo. Hodie autem jam praxi receptum est, ut *assassini* dicantur, quicunque pecuniâ conducti, vel alio pretio, injustè homines occidunt, vel percutiunt, nihil tale ab illis præcaventes; ita Covarr. Zerol. Gutierez. & alii, quos citat, & sequitur Barbos. in c. 1. de homicid. in 6. n. 24. Ex quo vides *assassinium* esse homicidium per assassinos commissum.

838 Not. autem 1. eum, qui per assassinum facit interfici aliquem Christianum; vel mandat interfici, licet mors non sequatur ex c. 1. de homicid. in 6. mox referendo; item, qui assassinos recipit, defendit, vel occultat, ipso facto incurrere excommunicationem, & depositionem à dignitate, honore, ordine, officio, & beneficio c. *pro humani* 1. de homicid. in 6. ibi: *sacri approbatione Concilii, statuimus, ut quicunque Princeps, Prælatus, vel quævis alia Ecclesiastica, secularisvè persona, quempiam Christianorum per prædictos assassinos interfici fecerit, vel etiam mandaverit (quanquam mors ex hoc forsitan non sequatur) aut eos receptaverit, vel defenderit, seu occultaverit, excommunicationis, & depositionis --- sententias incurrat ipso facto.* Et hæ pœnæ suam executionem habent tam contra personas Laicas, quàm Ecclesiasticas, etiam Episcopos, & Archiepiscopos, ut notat. Barbos. in cit. c. n. 4. & 25. & locum habent non tantùm in mandante, sed etiam mandatario, si pretium accepit. Farinac. in cit. praxi crimin. p. 5. q. 123. n. 9. etiam in personis maximi gradûs, & dignitatis, cùm ea constitutio sit favorabilis, & medicinalis, Reipub. ut ait Barbos. cit. n. 3.

Not. 2. assassinii pœnas locum habere, 839
etiam *morte non secutâ*, ut dicitur cit. c. 1. de homicid. in 6. intellige tamen, modo præcesserit conductio, seu pretii promissio, sic, ut pretium promissum, vel etiam datum, fuerit principale motivum conducto, exequendi, vel conandi exequi occisionem petitam, quo casu sufficit, qualecunque pretium, etiam exigui valoris, ut docet Haunold. tom. 6. de Justit. tr. 1. n. 222. Secus est, si pretium non fuit motivum principale. Etsi promissio, etiam generalis, est pretio æstimabilis v. g. *dabo tibi filiam in uxorem*, vel *faciam te hæredem*, sufficit factam esse promissionem, licet actu non sit exhibita, quia sic jam invenitur tota malitia, quam Ecclesia execratur. sic Haunoldus cit. n. 223.

Not. 3. depositionem, de qua in n. 838. 840
non accipi pro illa, prout ordinatur ad degradationem, præviam traditioni Curiæ secularis (hæc enim non fit nisi in casibus jure expressis, ut docet Barbos. p. 3. de officio, & potestate Episcopi, allegat. 100. è quorum numero non est crimen assassinii) sed depositione verbali, vel simili à lege constituta, sic Barbos. in c. 1. h. t. in 6. n. 13. Contrariam tamen sententiam in praxi observari docet Julius Clar. *§. fin.* q. 36. n. 30. quam nihilominus sic temperandam esse censet Barbos. in c. 1. h. t. in 6. n. 14. ut circa crimen præcedat sententia declaratoria per Judicem Ecclesiasticum, antequam à seculari Clericus delinquens capi, & puniri possit.

Not. 4. quòd assassini præter pœnas 841
prædictas in cit. c. puniantur perpetuâ diffidatione apud totum Christianum populum, quâ aliud non significatur, quàm, quòd à quolibet privato impunè offendi, ac occidi possit. Farinac. p. 4. concluf. 101. Verùm, ut rectè not. Zypæus de Jurisdict. Ecclesiastica, & civili, l. 1. c. 7. n. 11. hoc non videtur usu receptum; cùm etiam Gregorius XIV. in Bulla. *Cùm alias*, super confugientibus ad Ecclesiam edita, inter extrahendos numeret *assassinos*; & tamen, non nisi præviâ cognitione, & modo ibi præscripto, extrahi permittat, ut cæteros.

Illud

842 Illud etiam advertendum, prædictum c. 1. h.t. in 6. juxta nonnullos; *tanquam pœnale*, non esse extendendum extra proprios terminos, qui agunt de conductis homicidis non *quibuscunque, sed paganis*. Nam hi tunc propriè dicebantur *assassini*, ut docet Diana p. 7. tr. 1. resolut. 15. quem citat, & sequitur Zypæus loc. cit. & quidem solùm tunc, si conducti sint ad occidendum *Christianum*. Sic Joannes Andreas apud Julium Clarum l. 5. sent. §. *assassinium* num. 3. Haunold cit. n. 225. Quamvis autem dictum c. 1. quoad pœnas, inibi contentas, strictè sumi debeat, ut dictum est; quia ubi agitur de pœna, vi specialis constitutionis imponenda, requiritur, quòd concurrant omnes qualitates, de quibus in ipsa constitutione fit mentio, ut notat Clarus cit. n. 2. hodie tamen ut dixi, n. 837. juxta communem jam praxim, assassinus dicitur omnis homo conductus ad alterum injustè occidendum, conventione factâ pro pretio, ut fiat cædes; & ad incurrendam pœnam assassinii sufficit conatus, hoc est, quòd conductus non steterit in pura promissione, sed devenerit ad aliquem actum, ultra tractatum, seu conventionem, licet actus ille non sit proximus. Sic Julius Clarus cit. in additionibus n. 29. Et quoniam directè quærit reverentiam, adeoque favorem Ecclesiarum, magis favorem continet, quàm pœnam; cùm ipsam ordinet ad finem à lege directè quæsitum V. n. 848. infra.

§. 6.
De homicidio proditorio?

843 SUpponendum homicidium aliud esse *simplex*, aliud *qualificatum*. Sic Julius Clarus l. 5. sent. §. *homicidium* n. 1. qui dicit, homicidium *simplex* vocari, quod committitur sinè qualitate animi deliberati. Contingit autem homicidium fieri, vel ex necessitate, vel casu, vel culpâ, vel dolo. *Necessitate* fit, cùm quis ad sui necessariam defensionem alium interficit, de quo videri potest Clarus cit. à n. 24. *Casu* fit, cùm quis aliquem occidit sine culpa, aliud facere cogitans. *Culpâ*, cùm quis aliquem occidit sinè dolo, & animo deliberato, cum culpa tamen juridica latâ, ut, si quis lapidem projiciat versus turbam hominum, ex quo hominem interficit. Hoc enim casu abest dolus in interficiendo, sed non culpa in projiciendo. *Dolo* denique, quando quis animo deliberato aliquem occidendi, illum interficit. V. quæ diximus à n. 89.

Dupliciter autem potest quis occidere 844
animo deliberato. 1. Si hæc deliberatio non ex intervallo præcessit, sed in rixa calore iracundiæ. Et hoc modo homicidium dolo commissum adhuc vocari potest *simplex*, prout homicidium *simplex* opponitur *qualificato*, seu affecto qualitate *animi deliberati*; 2. Cùm deliberatio ex intervallo præcessit, qui est secundus modus *deliberatè occidendi*. Si homicidium, quod fit, adjunctam habet qualitatem, quòd factum sit *ex proposito*, seu *dolo*, vel *ex insidiis*, vel *per sicarium*, aut *proditoriè*, dicitur *qualificatum*; quod secùs, propriè *simplex* dicitur, licet alii velint, etiam considerari alias qualitates v. g. quod occisus sit *sacerdos*, *parens*, *conjunx* &c. sed quoniam hic solùm loquimur de homicidio potissimum *per ordinem* ad *irregularitatem* inde nascentem; non autem in ordine ad alias pœnas, ratione aliarum qualitatum, nisi quatenus explicat rationem homicidii *voluntarii*, vel *casualis*, de his præcipuè in præsens quæstio procedit. Quid porrò sit homicidium *ex insidiis*, aut proditoriè commissum, exposuimus à n. 810. Neque dubium est, utrumque reduci ad homicidium voluntarium, seu *ex proposito*, consequenter comprehendi sub pœnis homicidio voluntario statutis.

Not. præterea, quod, licet non omne 845
homicidium, etiam voluntarium, seu *ex proposito*, aut *dolo commissum*, excludat ab asylo Ecclesiæ, ut nimirum talis homicidii Reus confugiens ad Ecclesiam, immunitate non gaudeat (cùm sub ea latitudine non comprehendatur sub criminibus exceptis in constitutione 7. Gregorii XIV. quæ retulimus n. 816.) secùs tamen est de homicidio *ex insidiis*, vel *proditoriè* commisso; ubi adverte per hoc, quod *crimina excepta*, de quibus loco cit. eorum reos excludant ab asylo Ecclesiæ, non propterea Judicibus Laicis concedi, eos, si confugiunt ad locum asyli, vi, vel per se, vel per suos Ministros posse extrahere; sed solùm statui, *quòd superiores talium locorum sacrorum, ad quæ hujusmodi Rei confugerunt, quando judicio suo* (nimirum Ecclesiastico) *tale delictum commisisse videbuntur, & à Curia seculari fuerint requisiti, Ministris, & officialibus Curiæ secularis, absque irregularitatis nota, aut alicujus censuræ Ecclesiasticæ incursu, tradi, &*

consignari curent, & faciant, ut expresse haber etiam constitutio. *Cùm aliàs nonnulli.* §. 3.

846 Subjungit autem §. 4. *Ne autem Curiæ sæcularis prædictâ Ministri facultate illos per se, & propriâ auctoritate extrahendi, & abducendi, sibi olim, ut præfertur, attributâ, & per præsentes revocatâ abutantur, volumus, dictaque auctoritate decernimus, & declaramus, ut Curia secularis, ejusque Judices, & Officiales, ab Ecclesiis, Monasteriis, locisque sacris prædictis, laicum aliquem, ut præfertur, delinquentem, in nullo ex casibus supradictis, sine expressa licentia Episcopi, vel ejus officialis, & cum interventu personæ Ecclesiasticæ ab eo auctoritatem habentis, ad quos solos, & non alios, Episcopis inferiores, etiamsi alii ordinarii sint, aut nullius Diœcesis, aut Conservatores ab hac sede specialiter, vel generaliter deputati, prædictam licentiam dandi, facultas pertineat. Occurrente autem casu in loco exempto, & nullius Diœcesis, tunc ad Episcopum vicinorem devolvatur hæc cognitio, & non ad alios, capere, extrahere, aut incarcerare non possint, nisi eo casu, quo ipse Episcopus, & dictæ personæ Ecclesiasticæ requisitæ, illos in delictis superius expressis culpabiles, tradere, aut capturæ & carcerationi intervenire, & assistere recusaverit, tuncque reverentiæ Ecclesiæ & locis sacris debitæ memores prædictos delinquentes, minori quo id fieri poterit, cum scandalis, & tumultu extrahere curent.*

847 Eâdem authoritate §. 5. statuit, *quòd delinquentes Laici prædicti, postquam, ut præfertur, ab Ecclesiis, locisve sacris extracti, & capti fuerint, ad carceres Curiæ Ecclesiasticæ reponi, & inibi sub tuto, & firmo carcere, ac opportuna custodia, dat a illis, si opus fuerit, per Curiam secularem, detineri debeant, nec inde extrahi, Curiæque seculari prædictæ consignari, nec tradi possint, nisi cognito prius per Episcopum, seu ab eo deputatum, an ipsi verè crimina superius expressa commiserint? tuncque demum, de mandato Episcopi, per Judicem Ecclesiasticum, Curiæ seculari, quacunque appellatione postpositâ, consignentur.*

848 Dices: inter crimina excepta, non ponitur *quodcunque homicidium ex insidiis*, sed solùm crimen eorum, *qui viatores ex insidiis aggrediuntur*; ergo, qui occultans se in urbe, vel domo, inimicum suum certo tempore transire solitum exspectat, & nihil tale metuentem ex proposito occidit, non incurrit pœnam privationis asyli Ecclesiastici; patet consequentia; cùm enim hæc constitutio sit odiosa, privans beneficio reis criminum concesso, strictè intelligi debet, nec extendi, nisi ad reos criminis, qui ex *insidiis viatoribus structis* illos occiderunt. R. multò probabilius esse, quòd hæc constitutio sit favorabilis; cùm reverâ directè intendat favorem, & reverentiam Ecclesiarum, quæ vehementer dehonoratæ fuerunt per Laicorum abusus, ex qualibet rationis paritate judicantium, licere sibi reos, ad Ecclesiam, vel Monasterium confugas, (modò delictum aliquam similitudinem habuerit cum alio, cui jus asyli ademptum erat) de Ecclesiis etiam vi extrahere, magno Scandalo, divini honoris, & Ecclesiarum irreverentiâ, & immunitatis Ecclesiasticæ contemptu, ut liquet ex ipso proœmio dictæ constitutionis. Hinc ad object. R. dato antecedente N. conseq. cujus probatio neganda est quoad eam partem, quâ dicit, dispositionem dictæ constitutionis, *odiosam esse*, accedit, quod terminus *Viator* propriè dicitur de eo, *qui per viam tendit*, ut notat Pereyra in Elucidar. n. 1420. licet etiam usurpetur pro itinerantibus.

ARTICULUS III.

De homicidio casuali?

QUid sit homicidium *casuale*, prout hîc 849
accipitur in ordine ad incurrendam irregularitatem ex delicto, diximus n. 809. Non agimus hic de homicidio *plenè* casuali, quod scilicet nec directè, ne indirectè est voluntarium; sed de illo, quod directè involuntarium est, indirectè autem voluntarium, scilicet in causa ex qua non quidem per se, & necessariò sequitur, sed sequitur tamen, ut plurimum, & communiter; ut si quis percutiat fœminam prægnantem, unde abortus oritur. Hoc præsuppositò, not. dupliciter homicidium imputari ad culpam illi, à quo fit *casualiter*, hoc est præter intentionem cum aliqua culpa, primò quando sequitur homicidium *ex* ejus *actione illicita*, quæ quidem directè voluntaria sit, sic tamen, ut homicidium inde secutum, sit aliquo saltem modo voluntarium in causa per accidens, modo explicato. Secundò quia sequitur *ex actione* quidem *licita* secundùm se, non tamen adhibitâ sufficienti diligentiâ,

tiâ, ne ex illa talis effectus sequatur, his præmissis.

850 R. 1. propter homicidium omnino involuntarium, seu casuale, nullam incurri pœnam, nullam irregularitatem *ex delicto*; quia sic caret omni culpâ V. Clement. *unicam* h. t. cujus hæc sunt verba: *si furiosus, aut infans, seu dormiens hominem mutilet, vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit. Et idem de illo censemus, qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit, vel mutilat invasorem.*

851 R. 2. eum, qui dat operam *rei licitæ*, ex qua per accidens sequitur homicidium præter intentionem, prius adhibitâ debitâ diligentiâ, nullam irregularitatem, nullam pœnam incurrere; deducitur ex c. *dilectus* 13. ibi: *Mandamus, quatenus, si ita est, cum idem Capellanus nec voluntate, nec actu, homicidium perpetravit, nec dedit operam illicitæ rei, non impedias, quòminus divina possit officia celebrare.* Idem habetur in duobus sequentibus, nimirum in c. *ex literis* 14. c. *ex literis* 15. h. t. & pluribus aliis, eodem, & ratio est; quia tunc caret omni culpâ. Dixi, *prius adhibitâ debita diligentia.* Nam eâ omissa, dans operam rei secundùm se licitæ, quâ positâ sequitur mors alterius, fit irregularis c. *Presbyterum* 7. h. t. quod summatur sic in Rubrica: *homicidium casuale imputatur ei, qui dabat operam rei licitæ, si non adhibuit diligentiam, quam debuit.* Idem habetur in c. *continebatur* 8. eod. sed hoc limitandum est juxta dicenda in sequentibus 849 à n. 853. potest enim ea actio de se esse licita, & periculosa; quo solùm casu dictum procedit, si periculum prævisum est; non autem, secùs.

852 Si quæras, quando ad effectum incurrendæ hujus irregularitatis censeatur, non fuisse adhibita *debita* diligentia in casu prædicto? R. 1. in foro externo tunc censeri non adhibitam, quando intercessit culpa juridica, vel lata, seu crassa, vel etiam levis de quo V. dicenda à n. 898. in foro tamen conscientiæ tunc solùm, quando intercessit culpa Theologica, seu peccatum; & probabilius mortale, cùm pœna (nimirum irregularitas ex delicto) gravis sit.

853 Si quæras 2. an fiat irregularis, qui facit actionem *illicitam*, ex qua reipsa sequitur aliquod homicidium casuale, seu præter intentionem, quamvis omnem diligentiam adhibuerit ad illud cavendum? pro resolut. not. illam actionem posse esse, vel non esse, *periculosam.* Periculosa est, si suapte naturâ apta, & ordinata est, ad inferendam mortem, & consequenter ratione talis periculi specialiter prohibita; secùs dicitur non periculosa; his præmissis: R. 1. eum, qui operam dat rei illicitæ, sed non periculosæ, ex qua præter ejus intentionem sequitur homicidium, non fieri irregularem, si prius omnem diligentiam, quam debuit, illud cavendi adhibuit, quia sic homicidium nullo modo illi voluntarium est. R. 2. eum irregularem fieri, qui licet adhibeat debitam diligentiam, dedit operam rei ipsi illicitæ, ac periculosæ, ex qua sequitur homicidium, quia sic homicidium est illi voluntarium in causa prohibita ratione periculi, c. *Tua nos* 19. h. t. sed hoc intellige, si intercessit culpa gravis in cavendo periculo, juxta n. 852. vel alio titulo de quo num. seqq.

Dices: nullus fit irregularis, qui adhibitâ 854
omni diligentiâ dat operam rei licitæ, ex qua præter intentionem sequitur homicidium; ergo à contrario fit irregularis omnis ille, ex cujus actione illicita sequitur homicidium, licet omnem adhibuerit diligentiam. R. 1. argumentum à sensu contrario in pœnalibus, & odiosis non habere locum R. 2. disting. conseq. ergo à contrario fit irregularis omnis ille, ex cujus actione illicita, *& periculosa*, sequitur homicidium. C. ex cujus actione illicita *sed non periculosa* sequitur homicidium, nego conseq. Nam expressi juris est, irregularitatem non incurri, *nisi in casibus jure expressis*, homicidium autem ex actione illicita, *sed non periculosa*, non est casus in jure expressus, cui imponitur irregularitas; ergo. Quòd autem casus homicidii secuti ex actione illicita & periculosa, licet omnis diligentia sit adhibita *quoad cavendum periculum*, sit expressus in jure, constat ex c. *Tua nos* 19. h. t. ubi declaratur, irregularis sacerdos propter mortem secutam ex apostemate mulieri aperto in gutture, licet omnem diligentiam adhibuerit quoad cavendum periculum; non tamen *quoad actionem sibi alio titulo vetitam.* Sunt enim plures actiones propter commune periculum homicidii specialiter prohibitæ *Clericis*, qui sunt in sacris constituti, ut *pugnare in bello, explodere tormentum, exercere chirurgiam per adustionem, vel incisionem* &c. ex c. *sententiam sanguinis* 19. Ne Clerici vel Monachi. Dixi *qui sunt in sacris constituti.* Nam Clericis inferioribus, etiam beneficiatis,

cum

cum debita diligentia chirurgiam exercentibus, licet ex ea sequatur mors; non imponitur irregularitas, nec obstat c. *ad aures*, de ætate, & qualitate, ubi videtur colligi, etiam in minoribus constitutum irregularem fieri, si cum periculo mortis curet ægros, eaque sequatur. Nam, ut notat Layman, ibid. n. 1. eo loco ideo dictus Clericus irregularis declaratus est, quia defecit in probatione *debitæ diligentiæ adhibitæ*, & fassus est, quòd plures ex medicinis suis periculum mortis incurrerint.

855 Dices: ergo saltem Medicus, vel Chirurgus Laicus irregularis erit, æquè, ac Clericus in sacris, si ei exercitium Chirurgiæ prohibitum sit, & ex eo sequatur mors, licet omnem cavendi diligentiam adhibuerit. R. cum distinctione, si ei prohibitum sit ratione periculi homicidii C. si ex alio capite, N. illatum. Laicis autem non est exercitium Chirurgiæ prohibitum ratione dicti periculi, sed tantum Clericis. Ad extremum not. 1. irregularitatem ex homicidio casuali, nimirum solùm indirectè voluntario supponere voluntarium in causa graviter mala. Nam pœna gravis est, consequenter talis esse debet etiam culpa, atque adeo negligentia, cujus voluntariè admissæ titulo, effectus ex tali causa secutus, in causa voluntarius dicitur. Not. 2. irregularitatem ex homicidio casuali, sed in causa culpabili admisso, non esse tam difficilis dispensationis, ac est ea, quæ incurritur ex homicidio directè voluntario ac injusto, quale solùm est, quod sit ex proposito, ut diximus in superioribus.

ARTICULUS IV.

De homicidio justo, & defensivo.

856 COmmunis doctrina est, homicidiis defensivis, nimirum commissis, propter necessariam vitæ, vel sin corporis defensionem, servato moderamine inculpatæ tutelæ, nullam esse in jure decretam irregularitatem, ut constat ex c. *jus naturale* 7. dist. 1. ibi: *violentia per vim repulsio. Nam hoc nunquam injustum, sed naturale, æquumque habetur.* Item ex c. *significasti* 18. h. t. ibi: *quamvis vim vi repellere, omnia jura permittant* &c. & Clement. *si furiosus.* h. t. cujus verba retulimus supra n. 850. Et hoc procedit, sive Laicus, sive Clericus ex tali necessitate alium occidat; cuilibet enim licet naturali jure vim vi repellere. Hujus ulterior ratio est; quia ad irregularitatem contrahendam ex homicidio, privatâ authoritate facto, requiritur culpa, ut docet Covarr. in cit. Clement. p. 3. patetque ex ipso textu; sen in dato casu nulla est culpa, cum jure naturæ id liceat, ergo; his præmissis:

Quæres 1. an incurrat irregularitatem, 857
qui occidit injustum invasorem, ob necessariam defensionem honoris, & famæ? R. talem occisorem non fieri irregularem occidendo (servato moderamine inculpatæ tutelæ) si non potest fugere illud malum sine notabili, & gravi ignominia, & dedecore sui honoris; secùs si potest; ita Suarez. d. 40. de Censur. sect. 1. à n. 5. quia malum illud, sub talibus circumstantiis, est moraliter inevitabile. Ratio ulterior est ex n. seqq. quia talis nec incurrit irregularitem *ex delicto*, nec *citra delictum*. *Non ex delicto*; quia jure naturali licet vim vi repellere, quantum necessarium est, ne quis injustè lædatur; ergo cùm talis necessaria defensio careat culpâ; carebit etiam delicti pœnâ. Non etiam *citra delictum*; nam nulla irregularitas est homicidio citra delictum facto statuta, nisi Ministris justitiæ, & Militibus propter defectum lenitatis, seu perfectæ significationis sacramentalis, in Ecclesiæ Ministris requisitæ, ut rectè not. Castropal. cit. n. 8. in fine.

Dixi: *servato moderamine inculpatæ tutelæ*; si enim hoc non observetur, sed excedatur, omnino dicendum est, irregularem fieri ex c. *suscepimus* 10. ibi *quia expediebat, potius post tunicam, relinquere pallium* &c. *abstineat ab altaris ministerio* c. *significasti*, 18. h. t. *quamvis vim vi repellere, omnia jura permittant; qui tamen id fieri debet cum moderamine inculpatæ tutelæ, non ad sumendam vindictam, sed ad injuriam propulsandam, non videtur idem sacerdos à pœna homicidii penitus excusari, tum ratione instrumenti, cum quo percussit; tum ratione partis, in qua ille percussus est.*

Si petas, in quo consistat hoc mode- 858
ramen? R. cum Barbos. in c. *significasti*. h. t. n. 3. moderamen in culpæ tutelæ, seu defensionem inculpatam in eo consistere, quòd quis alterum occidat coactus inevitabili necessitate, vi cujus alio modo se, vel sua salvare non potuerit ab injuria. Ex quo sequitur 1. non servari moderamen inculpatæ tutelæ, si occisio, vel mutilatio alterius fiat *ad vindictam*, & non ad injuriam repellendam,

dam, ut dicitur in cit. c. significasti ibi: *non ad sumendam vindictam.* Sequitur 2. nec tunc, si occisio fieret ejus, qui te non invasit injustè, nec invasurus esset, nisi prævenires. Quia tunc non ageres *ad injuriam* repellendam. Sequitur 3. nec tunc, si percussio injusti invasoris non fiat in continenti, sed ex intervallo c. *si verò*, de sententia excommunicationis, ibi: *si in continenti vim vi repellat*; aliàs enim potius erit ad sumendam vindictam. Sequitur 4. nec tunc, quando defensio potest fieri minori læsione; ut si occideres injustum invasorem, cùm sufficienter defensus esses eo mutilato. 5. nec tunc regulariter, si te defenderes disparibus armis, v. g. contra aggredientem baculo, utendo explosione. Sic Azor. p. 3. l. 2. c. 1. q. 3. 6. nec debitam moderationem invasus servaret tunc, si postquam vulneratus est, invasorem à pugna desistentem, vel fugientem, primò insequeretur. &c. Excipe tamen primò, nisi invasus baculo, meritò timeat, se occidendum, vel graviter vulnerandum, nisi utatur aliis armis ad se tuendum. Sic Azor cit. Excipe 2. nisi aliter se defendere non posset, nisi aliis armis, vel maximè, si invasor, sit fortior invaso, licet ille tunc esset inermis, præsertim si haberet socios.

859 Illud etiam hîc notandum venit, irregularitatem incursam ex homicidio, non servato moderamine inculpatæ tutelæ commisso, non esse numerandam inter irregularitates ex homicidio voluntario, sed casuali, licet excessus esset ex proposito; & calore pugnæ. Homicidium enim voluntarium, cui statuitur irregularitas à Trid. sess. 14. de reform. c. 7. definitur: *quòd sit ex proposito, & industria*, quale non est, quod fit in repentina rixa, vel calore iracundiæ, etjam cum aliquo excessu, seu facto non necessario ad sui defensionem. Sic Covarr. p. 3. in Clement. *si furiosus §. unico* n. 3. Suarez, Layman, & alii.

860 Quæres 2. an fiat irregularis, qui injustum invasorem occidit, ob necessariam defensionem bonorum temporalium, quæ possidet? Resp. negative; quia sic occidens ab invadente ipsius bona cogitur ad eum occidendum, quatenus non potest sua bona defendere aliâ viâ, nec obligatur ad sinendum ea rapi, intellige, si sint bona non exigui momenti, ut colligitur ex c. *suscepimus*, 10. h. t. & quamvis Layman l. 3. summæ S. 5. tr. 3. p. 3. c. 9. dicat, hanc sententiam parum probabilitatis habere; Castropalaus tamen p. 6. de censur. d. 6. p. 15. §. 8. n. 5. contrarium verius existimat; & opinionem nostram in praxi tutam, & securam; pro eod. referens Alphonsum de Castro. Petrum Navarram, Sayrum, Suarez. Filliuc. Coninch & alios. Nam in cit. c. *suscepimus* non imponitur irregularitas propter homicidium factum, ut quis custodiret sua per invasoris mortem; sed quia erant solùm modica; & defendens excessit moderamen justæ tutelæ.

Dices: in c. 2. h. t. solùm eximitur quis 861
ab irregularitate, qui occidit alium ex necessitate, *se, suaque liberandi*; ergo non ex necessitate liberandi, *tantùm famam, vel tantùm bona.* Resp. 1. sensum esse *se*, vel *sua*: aliàs, qui ex necessitate liberandi *se duntaxat* occideret alium, fieret irregularis. Resp. 2. sufficienter salvari, quòd defendat *se*, & *sua*, qui, etsi non periclitetur de vita, non potest aliter salvare famam suam, vel bona sua, sic in c. *Veniens.* de jurejurando, (ubi dicitur à juramento esse liberos, qui illud inviti *pro vita & rebus servandis* fecerunt) particula *&*, non conjunctivè, sed disjunctivè sumitur, & constat ex L. *Sæpè* ff. de verb. significic.

Præterea nota. 1. cùm in c. *perfodiens* 3. 862
h. t. dicitur furem *nocturnum* licitè occidi; non *diurnum*, intelligi debere, si fugari alio modo possit *diurnus*, cùm de hoc facile discerni possit, an veniat ad furandum, vel occidendum? secus *in nocturno.* Not. 2. quando Monachus in c. *suscepimus* 10. h. t. fuit declaratus *irregularis*, non fundari dispositionem juris in eo, quod, necessitate conservandi res temporales occidit furem nocturnum; sed quia excessit limites, & modum defensionis, ut patet consideranti casum ibi relatum. Idem respondetur ad casum in c. *significasti* 18. h. t. Not. 3. omnes, qui in bello *offensivo*, quantumvis justo, aliquem occidunt, vel mutilant propriis manibus, vel facto, irregulares fieri ex defectu lenitatis; secus est, si ipsi per se non occidant, vel mutilent, licet alii hoc faciant. Prima pars habetur ex c. 1. dist. 51. ibi: *qui, cùm potestatibus obedierunt, necessariò sæva præcepta sunt executi, si deinceps fuerint ordinati, cum ordinatoribus suis deponantur*, quod etiam habetur c. 4. dist. eâd. junctâ gloss. V. *militaverit*, ubi textus habet: *Si quis post baptismum militaverit, aut chlamidem sumpserit, vel cingulum ad necandos fide-*

les, etiam si gravia non admiserit, si ad Clerum admissus fuerit, diaconii non accipiat dignitatem. Secunda ex c. *Præsentium* 3. *de Clerico percussore*; & c. *penult.* h.t. cùm in dictis juribus Clerico, qui in quodam conflictu se asserebat pugnâsse pro parte violentiam repellentium, non statuatur irregularitas, *licet lapides projecerit, ex quo ipse nullum percussit*, nisi necessarium non fuit, ut ipse pugnando se defenderet. Undè, ut rectè notat Gonzalez in c. *Joannes* 23. h.t. n. 7. Cùm Clericis, & Religiosis intuitu statûs Ecclesiastici, maximè abhorrentis à fusione humani sanguinis, simpliciter illicitum sit pugnare in bello etiam justo, nisi defensivum sit, irregularitas incurritur à pugnantibus, nisi hoc exigat vera necessitas, ut & tales personæ pugnando se, suaque tueantur.

863 Quæres 3. an incurratur irregularitas etiam ex justo homicidio? R. supponendum, irregularitatem incurri posse non tantùm *ex delicto*, sed etiam *citra delictum*, idque ex pluribus capitibus, ut dicemus suo loco. Ex illis autem, quantum ad præsens attinet, est defectus perfectæ lenitatis, seu mansuetudinis Christi, qui sicut mansuetissimus agnus in ara Crucis pro nobis Patri oblatus, nullam, nec licitam vindictam de suis malefactoribus sumere voluit; cujus rei consideratione Ecclesia constituit, eos, qui voluntariè se ingerunt, ut auctoritate publicâ vindictam, quantumvis licitam, sumunt de malefactoribus, non agnoscere habiles ad Ordines Ecclesiasticos, qui ordinentur ad immolationem illius agni mitissimi, per ministerium altaris. Ex quo vides, in quo situs sit defectus perfectæ lenitatis.

864 Supponendum 2. ad incurrendam irregularitatem ex defectu lenitatis, sufficere; quòd quis voluntariè, nullâ scilicet cogente necessitate, vel actuali, vel virtuali, voluntate, quantumvis justâ, & licitâ, authoritate tamen publicâ, mortem, vel mutilationem alicujus causaverit, vel physicè, vel moraliter, dicto nimirum, vel facto, quod sufficienter dirigitur, vel ordinatur ad homicidium, vel mutilationem inde secutam. Et de mutilatione loquitur non tantum c. *ex literis* 10. de Excessibus Prælatorum ibi: *ipsum indignum Altaris ministerio reputamus; quia non tantùm authoritatem præstitit, sed etiam præsentiam corporalem in candente ferro & suspendio furis*; quod etiam habetur c. *in Archiepiscopatu* 4. de Raptoribus, ubi etiam idem statuitur, de flagellatione ad sanguinis effusionem. Ex quo vides, quòd irregularitas ex defectu lenitatis non intelligatur, solùm de morte per sanguinis effusionem; sed de morte simpliciter. Sic Josephus Gibalinus de irregularitate c. 4. Consect. 7. diffic. 3.

Ex hoc colliges, Judicem fieri irregula- 865
rem, si sententiam mortis, vel mutilationis, licet justam in Reum proferat effectu secuto, sive talis Judex sit Clericus, sive Laicus, id, quod colligitur ex c. 1. dist. 51. junctâ gloss. V. *ad Sacerdotium*, & alibi passim. Hic tamen excipe 1. summum Pontificem; cùm non sit capax irregularitatis humano tantùm jure introductæ. Secundò Judicem, sed solùm non baptizatum. Nam ante baptismum non est membrum Christi, adeoque in illo non consideratur defectus lenitatis, qui hîc respicitur.

Quæres 4. quid agendum Judici Eccle- 866
siastico, si habet Reum morte dignum? R. quòd ipse Judex Ecclesiasticus non possit, contra Reum mortis, sententiam sanguinis proferre sine irregularitate ex defectu lenitatis; sed debeat eum (si Clericus sit) degradatum, cum protestatione (de qua in sequentibus) committere brachio seculari, ut juxta qualitatem delicti judicet, sententiam ferat, & exequatur. Constat ex variis juris Ecclesiastici locis, ubi prohibetur, ne sententia sanguinis ab Ecclesiastico Judice infligatur c. *In Archiepiscopatu* de Raptoribus ibi: *si verò gravis fuerit excessus quòd mortem, vel detruncationem membrorum debeant sustinere, vindictam reserves Regiæ dignitati.* c. *Ex litteris* 10. de excessibus Prælatorum, ubi textus in Rubrica summatus habet: Clericus authoritatem, vel consilium, directè, vel indirectè homicidio præstans, irregularis efficitur. c. *sententiam sanguinis.* Ne Clerici, vel Monachi, ibi: *sententiam sanguinis nullus Clericus dictet, aut proferat, nec sanguinis vindictam exerceat, aut ubi exercetur, interfit*, nimirum, *authoritativè*, & alibi, præsertim causâ 23. q. 4. & 8.

Si quæras, qualis protestatio requira- 867
tur? R. quòd hâc, vel simili formâ: *protestor me nullâ ratione intendere pœnam sanguinis, mutilationem, vel mortem.* Sic Barbos. in c. 2. de homicid. in 6. n. 8. Ex hac enim protestatione Doctores dicunt, ejusmodi Judicem Ecclesiasticum in dato casu ab irregularitate liberari; sic Bonac. de censur. d. 7. q. 4. p. 1. n. 3. & alii. Undè Colli-

ges

ges 1. quod Prælati, & Clerici, sine irregularitate possint *de suis* malefactoribus apud Judicem secularem conqueri, & satisfactionem petere, etiamsi Judex postea, secundùm jura Reo pœnam sanguinis inferat, si dictam protestationem præmiserunt, sic Barbos. cit. n. 1. Et hoc procedit sive agant pro injuriis personalibus, sive realibus, seu rebus suis. Ne scilicet detur materia trucidandi eosdem, & ipsorum bona libere deprædandi.

868 Dixi 1. *de suis* malefactoribus. Quare protestatio non liberat ab irregularitate Clericum in dato casu, si conqueratur, vel accuset aliquem de injuria illata personis extraneis, vel cõnsanguineis. Sic Navarr. in Manuali c. 27. n. 213. & alii; excipe, nisi damnum alienæ causæ aliâ viâ vitari non possit; Castropalaus de Censur. d. 6. p. 14. §. 2. n. 8. cùm non sit credibile, Ecclesiam velle afficere irregularitate actionem jure naturali debitam. Dixi 2. apud Judicem *secularem*. Nam si ea accusatio fiat apud Judicem Ecclesiasticum, non est necessaria protestatio, etiamsi delictum sit enorme. Barbos. cit. n. 10. Quia Judex Ecclesiasticus non fert sententiam mortis, vel mutilationis.

869 Colliges 2. Clericum non obstante protestatione irregularem fieri, si furem suum coram Judice Laico civiliter accusat, & locum indicat, ubi fur (si non est persona fugitiva) comprehendi possit, si comprehensus plectatur postea pœnâ sanguinis, vel mortis; secùs, si erat persona fugitiva, quia in posteriori casu, non in priori, indicatio loci, & captura, probabiliter prodest ad sententiam civiliter latam, seu ad actionem, quam civiliter intentat, quâ facile frustraretur, si Reus fugâ dilaberetur, sic Barbos. n. 5. Cæterùm not. ex Pirhing h. t. n. 105. Clericum accusatorem non fieri irregularem, ob mortem Reo per Judicem illatam, etiam si ipsemet Reum cæteroquin fugitivum capiat, ac Judici tradat ad puniendum, prævia protestatione, se id agere solùm causâ recuperandi damnum. Hoc enim exigit necessitas tuendi sua.

870 Not. autem, ut dicta protestatio prosit ad evitandam irregularitatem, requiri 1. quòd protestatio expressè fiat, pat. ex cit. c. 1. ibi: *protestando expressè* 2. non requiri, ut fiat *scriptò*. Barbos. n. 8. nam hoc nullo jure exigitur 3. præmittendam esse protestationem *cum ipsa accusatione*, aut *post* accusationem, sed ante prolationem sententiæ. Bonacin. de Censuris d. 7. q. 2. p. 2. à n. 5. 4. Et hoc tam Clericis, quam Laicis necessarium esse. Castropal. cit. p. 14. §. 2. n. 2. qui n. 3. addit, huic protestationi locum tantùm esse in actione civili, non criminali, cum Judex Ecclesiasticus in causis criminalibus criminaliter intentatis non procedat ad ferendam sententiam mortis corporalis.

Colliges 3. Clericum, civiliter accusan- 871
do aliquem de delicto, cum protestatione dicta, non fieri irregularem, licet Judex *contra justitiam* reo pœnam sanguinis imponat, si delicto aliàs pœna sanguinis non imponitur. Barbos. n. 12. sic enim ille nullatenus est causa mortis. Coll. 4. dictam intercessionem, seu protestationem interponi, non ut sententiam mortis impediat, sed ut significetur, quantùm est ex parte sua, se illam non velle, aut procurare; sic Castropal. cit. n. 1. Coll. 5. illam protestationem non esse necessariam Inquisitoribus hæreticæ pravitatis, ut constat ex quadam Bulla Pauli IV. & Pii V. apud Castropalaum cit. n. 1. ubi hoc extenditur ad omnes inquisitores, Vicarios, & Commissarios in tali causa. Quare hi sine omni irregularitate, etiam omissâ ea protestatione apud Judices Laicos, si fortè negligentes essent, pro executione sententiæ instare possunt.

Quæres 5. an incurrat irregularitatem 872
Ecclesiasticus, qui habens jurisdictionem temporalem constituit Judices, & ministros in causa sanguinis? R. talem ex defectu lenitatis non fieri irregularem, constituendo Judicem in causa sanguinis, sive generaliter, sive in particulari casu, ut causam judicet, & exequatur secundùm leges, & juris dispositionem; ita Layman. l. 3. summæ sect. 5. tr. 3. p. c. 7. n. 1. Secùs est, si Prælatus mandaret Judici à se designato, ut sententiam sanguinis hoc, vel illo casu proferret, quia tali mandato directè morti cooperaretur, cooperatione tali personæ prohibitâ. Unde irregularitas, quam tali casu Prælatus incurreret, non est ex defectu lenitatis, sed ex delicto, sic Castropalaus cit. §. 1. n. 3. Idem est, si mandet, ut, quem Judex delegatus prius ad mortem condemnaverat, tali die occidat, non autem, si pœnam mortis mitiget. Ratio primi est, quia sic directè cooperatur ad mortem Rei: in secundo autem non intendit directè mortem, sed pœnæ diminutionem. Si autem Judex delegatus injustè condemnet rerum mortis,

Mandans non ptopterea fit irregularis, quia culpa mandatarii, qui fines justi mandati excedit, non debet obesse mandanti. L. *si diligenter*, ff. mandati. Nec obstat c. *final.* de homicidio in 6. quod ibi videatur dici contrarium. Nam ibi sermo tantùm est, de *injustè mandante.*

873 Quæres 6. an, & qualiter cæteri ministri Judicis in causâ sanguinis fiant irregulares ex defectu lenitatis! Not. 1. *Assessorem* Judicis, qui sententiam sanguinis proferat, eâdem irregularitate involvi, quam Judex incurrit. Layman cit. sed intellige *de his*, qui authoritativè assistunt, sic enim sunt causa proxima mortis. Sic Leander de irregularitate tr. 2. d. 7. q. 4. Tales enim reverà, licet non physicè, sed suffragio suo, atque adeò moraliter, & ut causa proxima tanquam Ministri justitiæ, ac Executores sententiæ mortem inferunt Reo; quod tamen intelligi debet effectu (nimirum morte) efficaciter secuto.

874 Si petas quid dicendum de accusante criminaliter? R. talem irregularem fieri, qui aliquem criminaliter accusat ad vindictam, si exinde mors, vel mutilatio sequatur. c. *si quis viduam* dist. 50. ubi dicitur, *quòd sibi conscius homicidii, facto, præcepto, consilio, assensione* (non ut ibi ponitur *defensione*) *post baptismum, debet toto vitæ tempore communionem tantùm Laicam accipere*; ergo talis irregularis est; ergo etiam sic accusans, cùm verè cooperetur ad sententiam sanguinis. c. *sententiam.* Ne Clerici, vel Monachi. Not. autem 2. eo casu irregularitatem nasci ex delicto, si accusatio sit injusta; si autem justa, ex defectu lenitatis; quia Clericis judicium sanguinis agitare, prohibetur in c. *Clericis*, eod. sed hoc loquitur de Clericis *in sacris*; illud autem *de Clericis simpliciter.* Tertiò nos loqui de accusatione criminis ad mortem sufficientis; secùs est, si accusatio sit de culpa insufficiente ad pœnam mortis; ita Suarez d. 7. s. 2. licet postea ab aliis accusetur de criminibus morte dignis; Leander cit. tr. 2. d. 7. q. 44.

875 Si petas 2. quid dicendum de Testibus in causâ criminali? R. testem *voluntariè*, criminaliter deponentem in causâ sanguinis, morte secutâ ex ejus testimonio, irregularem fieri ex defectu linitatis; sic enim *voluntariè* ac verè cooperatur ad mortem; Castropalaus cit. §. 2. n. 2. Secùs est, si faciat ex obligatione juris naturalis; sic enim non deficit in lenitate; cùm eo casu *testem nolle agere, sit peccatum.* Diana p. 4. tr. 2. resolut. n. 31. quod etiam probabliter extenditur ad casum, quo quis testem agit ob præceptum, vel gravem metum. Castropal. cit. §. 3. n. 3. Layman cit. c. 7. n. 6.

Dices: ergo etiam Judex erit liber ab 876
hac irregularitate. Nam etiam Judex ferendo sententiam mortis, obedit legi. Sed n. illatum. Quia in Judice *necessitas parendi legi*, seu præcepto, fundatur in propria voluntate, cùm liberè suscipiat illud officium; ita Leander cit. q. 69. id, quod non habet testis jussus. Hinc not. præterea, testes voluntarios, qui producuntur in pronuntianda sententia mortis, irregulares fieri, doceri à Majolo l. 2. de irregularitate c. 8. n. 5. Item eos, qui producti sunt, seu rogati, ad torturam, si sequatur mors, vel mutilatio. Sayrus l. 6. c. 16. n. 9. Tertiò eos testes, qui in causâ criminali deponunt non de delicto morte digno, sed solùm de fama talis delicti. Henriquez. l. 14. c. 12. num. 9. Et quamvis hi authores per se nullum canonem allegent; videntur tamen ex eo rectè procedere, quia tales authoritativè vel concurrunt, vel intersunt, ut publici Ministri, c. *Ex literis* de excessibus Prælatorum: Clericis autem illicitum est, testem agere in causâ sanguinis c. *his, à quibus* 23. q. 8.

Quæres 7. quid dicendum de Advoca- 877
to agente contra Reum? R. cùm talis manifestè cooperetur morti, eâ secutâ omnino irregularem fieri, secùs est de Advocato Reum defendente; ex hujus enim actione mors nullo modo sequitur; ita Suarez de censuris d. 47. s. 5. n. 7. nisi causa sit, ut accusator puniatur pœnâ sanguinis, objecto crimine; sic Castropalaus d. 6. p. 14. §. 3. n. 6. Excusatur tamen etiam in hoc casu, si crimen ad defensionem sui Clientis objiciat, & protestetur, se non petere mortem accusatoris; ita Filliucius hìc n. 151. tr. 19. c. 9. Notandum tamen, quòd si Advocatus Reum injustè defendat, & hìc propterea morte plectatur, Advocatus Reus sit irregularitatis. Quia tunc est causa mortis; sic Filliucius cit. Idem dicendum si mors sequatur ex imperitia Advocati; Gibalinus cit. c. 4. q. 3. consect. 7. difficultat. 16. Ratio autem est ex dictis generalibus.

Quæres 8. quid dicendum de Tabellio- 878
ne, seu Notario publico? R. eum, testes recipienrem in causâ sanguinis, irregularem fieri effectu mortis secuto; quia concurrit ad illum proximè, ut persona publica; sic

Castro-

Castropalaus §. 4. n. 2. Idem est, si ut persona publica sententiam sanguinis scribat, vel dictet. c. *sententiam*. Ne Clerici, vel Monachi; vel si ut talis illam sententiam sigillo muniat, vel pronuntiet; sic enim authoritatem præstat; secùs est, si ejus acta *authentica* non sint, sed velut à persona privata confecta. Nam hæc irregularitas non incurritur, nisi à publicis justitiæ Ministris, qui morti proximè cooperantur, vel physicè, vel moraliter, teste Gibalino hìc c. 4. q. 3. consect. 7. difficult. 17. n. 70. Leandro q. 87. Et ideo famulus, qui solùm describit sententiam mortis, à Notario confectam, non fit irregularis; Castropal. cit. §. 4. n. 2. secùs est de tortore, si exinde Reus confitetur crimen, ob quod morte afficitur; vel illis, qui Reum ad mortem deferunt, vel Judicem aut equestres, aut pedestres, ad carcerem comitantur; sic enim concurrunt ut ministri publici.

879 Quæres 9. quid dicendum de Mandante Reum capi, & vel vivum, vel mortuum adduci. R. talem Judicem, si in ea captura Reus occidatur, vel mutiletur, irregularem esse, quod etiam procedit, si apponat præmium illis, qui talis rei caput v. g. attulerit, effectu secuto, sic Gibalinus cit. Leander cit. 27. quia sic est verè moralis causa mortis.

880 Quæres 10. quid dicendum de Theologo, Jurisperito, confessario; vel alio quocunque, qui respondet ad quæstionem, *an talis mereatur mortem*? R. si quæratur solùm in genere, an, qui commisit tale crimen, sit dignus morte? & solum in genere respondeatur, irregularem non fieri, quia sic concurrit solùm remote. Censetur autem respondere in genere, si solum dicat, quid jure statutum sit contra tale crimen; Sic Gibalinus cit. c. 4. q. 3. consect. 7. difficult. 8. Si autem petas, quid dicendum, quando quæritur, an hæc persona particularis mereatur mortem propter talia scelera? R. si solùm generaliter respondeat, quid jura statuant, non fieri irregularem. Quia sic Judex non ab aperiente veritatem, sed ab ipso jure movetur, adeoque talis nec indirectè concurrit; ita Layman l. 3. tr. 3. p. 3. c. 5. c. 7. n. 4.

881 Idem probabiliter dicendum est, si Judici privatim quærenti, an propter talia delicta teneatur hunc hominem afficere morte, legibus decretâ? respondeat teneri, & talem juxta leges mereri mortem; quia nullum jus in talem statuit irregularitatem, etiam si mors sequatur. *Non ex delicto*, quia tali casu nullum committitur; *non ex defectu* lenitatis; nam hæc irregularitas tantùm imposita est Judici, ejusque officialibus, authoritate publicâ fungentibus, v. g. *consulenti juridicè* &c. Sic Castropalaus cit. de censuris d. 6. p. 14. §. 3. n. 7. Hinc ab ista irregularitate etiam immunis est confessarius, qui Judici nolenti punire reum pœnâ mortis, prout tenetur, dicit: *Ego non possum, nec volo te absolvere, nisi eum morte punias*, vel potius, *nisi facias, ad quod in conscientia teneris*. Nam nulla irregularitas defectu lenitatis incurritur ex actione, quam quis omittere non potest sine peccato nisi sit actio Ministri justitiæ. Sic Reginaldus l. 30. num. 138. Ex hoc inferes, idem dicendum esse in casu, quo confessarius monet, & jubet Reum, juridicè interrogatum, fateri crimen, quod fateri tenetur; quia sic illa fassio citra peccatum omitti non potest, si autem probabile sit, Reum non teneri fateri communis tenet (etsi neget Leander cit. q. 35.) eo casu Confessarium irregularem fieri. Verùm Confessarius non est justitiæ Minister.

Quæres 11. an irregularis fiat, qui viam 882
ostendit, quâ fur profugit? R. affirmativè, si exinde captus occidatur. Sic enim cooperatus est morti. Sic Leander cit. q. 76. excipe tamen nisi ad hoc obligatus sit, & citra peccatum omittere non possit, juxta dicta n. præced. (2) Ad quæstionem autem, an is, qui Judicem rogat, ut Reus ad furcam ducatur v. g. breviori viâ, ne cum infamia tantum populum transeat, propterea fiat irregularis? R. negativè; quia nec fit irregularis ex defectu lenitatis, cum non sit Minister publicus justitiæ, ut supponit casus; nec etiam ex homicidio injusto, quia per suam impetrationem non peccavit. Sic Pellizarius cit. t. 5. q. 14. n. 173. Diana p. 3. t. 5. resolut. 79. & p. 8. tr. 7. resolut. 61.

Quæres 12. an quis propterea fiat irre- 883
gularis, quòd etiam inadvertenter jumentum v. g. instiget, quo Reus vehitur, si hinc mors Rei acceleretur? Resp. negativè 1. quia talis acceleratio modica est. 2. Quia talis nec agit eo casu, ut Minister publicus, nec eâ actione peccat. Sic Hurtado de irregularitate. d. 2. diffi. 11. n. 50. Diana p. 3. tr. 5. resolut. 29. Ex hoc etiam colliges Confessarium, vel Sacerdotem, qui Reum comitatur, ex hoc, quòd etiam inadvertenter

Reum inter ambulandum passu præcedat, non fieri irregularem; ratio est eadem, sic Pirhing. h. t. n. 98. Unde nec ex hoc quis fit irregularis, quòd Reum moneat, ut eat, scalam ascendat, ad ictum flectat &c. quia per hoc mors non sequitur ex ejus actione injusta, nec tanquam à Ministro justitiæ. Sic Leander cit. q. 100. contra Bassæum. V. *Irregularitas* 5. n. 3. Ex eadem ratione sequitur eum, qui rudem carnificem docet, expeditè faciendi suum officium, non propterea irregularem fieri; sic Leander à quæst. 101. Idem est de illo, qui carnificem rogat, ut Reum non diu torqueat v. g. in suspendio, sed citò liberet. Ratio est eadem.

884 Quæres 13. an, qui interfunt executioni mortis, ex hoc fiant irregulares? R. Clericos, habentes jurisdictionem temporalem, si adsint executioni mortis, irregulares fieri, ut constat ex c. *ex literis* de Excessibus Prælatorum, secùs est, si eâ careant; quia jura loquuntur expressè de habentibus ejusmodi jurisdictionem. Dubitari tamen potest, an saltem peccent Clerici, si sine justa causa adsint executioni mortis? R. aliquos docere, quòd peccent graviter; ita Sayrus l. 6. c. 18. à n. 20. Alios, quòd solùm leviter; ita Suarez d. 47. s. 4. n. 10. sed Leander de irregularitate tr. 2. d. 7. q. 104. tenet, quòd nec leviter peccent, esto adsint ex curiositate secluso scandalo. Jura enim contraria non agunt de simplici Clericorum præsentia, sed habentium jurisdictionem temporalem; & Diana p. 4. tr. 2. resolut. 35. ait: ejusmodi canones, talem simplicem præsentiam prohibentes, contrariâ consuetudine jam abrogatos esse, sic quoque loquitur Castropalaus cit. §. 4. n. 2.

ARTICULUS V.

De homicidio commisso in bello.

885 HOmicidium contingens in bello, etjam fit auctoritate publicâ Principis, vel Reipublicæ, bellum gerentis, vel justum, vel injustum, idque aut defensivum, aut offensivum, seu aggressivum. De his in præsens quæritur, an etiam ex ejusmodi homicidio incurratur irregularitas, & quæ? an ea, quæ statuitur homicidio ex delicto, an quæ ex defectu lenitatis.

886 Quæstio igitur est 1. quid dicendum de pugnantibus in bello injusto? R. pugnantes in bello injusto, ubi vel unus occiditur, esse irregulares, quod etiam extenditur ad cooperantes, licet ipsi propriis manibus non occidant, vel mutilent. c. *si quis*, dist. 51. c. *Sicut dignum* §. *finali* h. t. & c. *quod in dubiis* dist. 51. juncta glossa. V. *incitant*, quia sic operantur communi consilio, vel auxilio. Excipiuntur tamen illi, qui in bello injusto assistunt solùm ad componendam pacem, vel ad juvandum in Spiritualibus milites, Sylvester. V. *homicidium* 3. n. 8. illa porro irregularitas non est tam ex defectu lenitatis, quàm ex delicto, belli nimirum injusti: Clericos tamen non fieri irregulares, ex hoc, quòd in bello injusto assistant, vel adhortentur milites, ad pugnandum strenuè, si nullum etiam per alios homicidium, vel mutilatio contingat, non esse improbabile docet Pirhing. h. t. n. 114. in fine.

Quæstio est 2. quid de pugnantibus in 887
bello justo defensivo? R. Laicum, vel Clericum in tali bello justo mutilantem, vel occidentem alium *ob necessariam defensionem propriæ vitæ, vel personæ* non fieri irregularem, ut constat ex n. 842. quod etiam procedit, ob necessariam defensionem Patriæ, vel Ecclesiæ in casu inevitabilis necessitatis. Et ideò in tali casu etiam Clerici tenentur ad vigilias, & custodiam civitatis c. 2. de immunitate Ecclesiastica.

Dices: in c. *petitio* 24. h. t. dicitur, 888
Clericum, bellantem in bello etiam justo, incurrere irregularitatem, quando in eo aliqui sunt interfecti. Resp. verum esse, quòd Clericus etiam in justo bello, & defensivo Patriæ, vel castri contra injustum aggressorem, licet foret hostis fidei Catholicæ, fiat irregularis, si aliquis occidatur *extra casum inevitabilis necessitatis*, & ubi necessarium non est, defensionem fieri per Clericos, ut dicitur in cit. c. secus tamen esse in casu inevitabilis necessitatis; ita Suarez de censuris d. 47. s. 6. n. 4. idque ob rationem traditam supr. à n. 857. Ex hoc colliges, quòd Clerici, quamvis sine irregularitate possint in bello justo alios hortari ad pugnam contra hostes c. *Igitur*, c. *omni* c. *hortatu* c. *ut prædam* 23. q. ult. & c. *Hadrianus* dist. 63. tamen in propria persona pugnare non possint c. *Clerici* 5. & 6. ead. caus. & quæst. quia status Clericalis id prohibet c. *Ex multa*, de voto junctâ gloss. in cit. c. *petitio* V. *Remordet*; exceptu casu inevitabilis necessitatis, si scilicet non sint Laici, qui pugnent, vel sufficiant.

Quæ-

889 Quæstio est 3. quid de pugnantibus in bello justo offensivo? R. omnes, qui in tali bello aliquem propriis manibus, seu facto occidunt, aut mutilant, irregulares fieri ex defectu lenitatis; secùs est, si ipsi per se non occidant, vel mutilent, licet alii hoc faciant: prima pars habetur ex c. 1. & 4. dist. 51. junct. gloss. V. *Mutilaverit*. Secunda ex c. *præsentium* de Clerico percussore & c. *penult.* h.t. de quibus egimus à n. 862.

ARTICULUS VI.

De Mutilatione.

890 MUtilatio propriè dicta, est alicujus membri amputatio, vel abscissio; colligitur ex c. *Clericis* 5. Ne Clerici, vel Monachi, & c. in *Archiepiscopatu* 4. de Raptoribus; illam autem partem humani corporis dicunt communiter authores venire nomine *membri* hoc loco, quæ particularem, seu distinctam ab aliis partibus functionem habet, ut oculus ad videndum, auris ad audiendum. &c. Et colligitur ex l. 10. ff. de ædilitio edicto, ubi *digitus* dicitur *pars membri*. Difficultas est, an ad irregularitatem ex mutilatione sufficiat, abscindi notabilem partem membri v. g. cartilaginem nasi, vel aurium, digitum in manu, mamillam fœminæ, &c. Affirmativam sequitur Suarez cit. d. 44. s. 2. n. 7. Layman l. 3. tr. 3. c. 11. n. 2. cùm in c. 1. de Clericis pugnantibus in duello, dicatur sufficere diminutionem membri, ibi, vel *membrorum diminutio*. Quamvis contrarium probabile, & tutum in praxi, censeat Pirhing. h. t. n. 119. §. *Ex quo* 1. cùm versemur in materia pœnali, & odiosa. Quòd autem etiam ex sola mutilatione incurratur irregularitas, constat ex dictis.

891 Not. autem 1. irregularitatem impositam mutilationi alterius, etiam intelligi, cùm quis mutilat se ipsum c. *qui partem* dist. 25. & in hoc casu sufficere mutilationem, quæ in alio facta non sufficeret ad irregularitatem, propter majorem in eo casu atrocitatem in proprio corpore exercitam, vult Pirhing. h. t. n. 124. sed in pœnalibus etiam majoritas rationis, non necessariò concludit ex dict. à n. 137. Not. 2. mutilationem, seu abscissionem membri omnino aridi, seu mortui non esse illud, cui imponitur irregularitas prædicta, quia *non esse*, *vel esse, sed inutiliter*, paria sunt.

ARTICULUS VII.

De dispensatione in irregularitate ex homicidio.

QUæstio est primò, quis jure ordinario 892
dispensare possit in irregularitate, contracta ex homicidio, vel mutilatione voluntaria, & injusta? R. posse solùm summum Pontificem. Nam inferior in lege superioris jure ordinario dispensare non potest, extra certos casus, ut constat ex dictis l. 1. decret. Constitution. tit. 2. sed irregularitas ex homicidio, vel mutilatione voluntaria, & injusta, inducta est lege summi Pontificis; & hæc irregularitas, non est intra certos illos casus; ergo in eo jure ordinario dispensare non potest inferior. Min. probatur ex Tridentino sess. 24. de reform. c. 6. ibi: *liceat Episcopis in omnibus irregularitatibus, ex delicto occulto provenientibus, dispensare*, exceptâ eâ, quæ *oritur ex homicidio voluntario*; ergo si injustum homicidium sit *voluntarium*, licet occultum, non licet Episcopo dispensare in irregularitate ex tali homicidio voluntario, etiam occulto; ergo hæc irregularitas non est intra certos illos casus.

Ex hoc colliges, Episcopo competere 893
facultatem dispensandi in irregularitate proveniente ex voluntaria mutilatione etiam injusta, sed occulta. Nam vi Trid. cit. Episcop⁹ dispensare potest *in omnibus irregularitatibus* ex occulto delicto provenientibus, nisi sit ex casibus ibi exceptis; sed irregularitas ex voluntaria *mutilatione*, etiam injusta, est ex delicto, & hoc delictum non est ibi exceptum, exceptio enim expresè loquitur solùm *de homicidio voluntario*; ergo si hoc occultum sit, dispensare poterit in ea irregularitate; ita Layman l. 3. summæ s. 5. tr. 3. p. 3. c. 12. n. 2. Sanchez l. 1. summæ c. 10. n. 49.

Colliges 2. idem dicendum de irregu- 894
laritate contracta ex homicidio *casuali*, sed occulto, quantumvis injusto. Nam potestas Episcopis concessa ad dispensandum in omnibus irregularitatibus ex occulto delicto provenientibus, in nullo restringitur, nisi proveniat ex homicidio *voluntario*; sed homicidium *casuale* non est *voluntarium*, prout voluntarium hic accipitur ut diximus supr. ergo quoad irregularitatem ex homicidio *casuali*, potestas Episcopis concessa non restringitur. Coll. 3. in irregularitatibus, quæ proveniunt ex mutilatione, vel homi-

homicidio, quantumvis justo, sed authoritate publicâ commisso, jure ordinario dispensare posse solùm summum Pontificem; ea enim inducta est lege sumi Pontificis, nec numeratur inter eos casus, in quibus inferiori licet dispensare in lege Superioris, ut constat ex Trid. sup. cit. n. 892. ergo.

895 Dices: Tridentinum loco cit. Episcopis solum concedit facultatem dispensandi in irregularitatibus *ex occulto delicto provenientibus*, irregularitas autem ex voluntaria mutilatione injusta, licet occulta, non est tantum ex delicto, sed etiam ex defectu significationis; ergo in hoc dispensare non potest Episcopus. R. cum distinctione majoris, & eam concedo, si aliud non velit, quàm Episcopum posse pariter dispensare in irregularitatibus ex occulto delicto provenientibus, præter illas, quæ ibidem excipiuntur, etiamsi præter delictum, etiam importent defectum significationis, seu lenitatis; nego autem, si restringere velit ad provenientiam *ex delicto tantùm* sic, ut in ea concessione non veniat, si laboret delicto, simul & defectu significationis. Ratio hujus est, quia si concessio illa excluderet irregularitatem ex occulto delicto, conjuncto cum defectu significationis, prorsus inepta ibi foret exceptio irregularitatis ex homicidio voluntario. Nam propositio *exceptiva* supponit inclusionem excepti in toto, à quo fit exceptio, si abesset exceptio, ut per se patet. Vel ergo inter irregularitates ex occulto delicto nascentes contineretur etiam irregularitas *ex homicidio voluntario*, seclusâ illâ exceptione? vel non? neutrum dici potest.

896 Probatur: *non primum* (quòd contineretur) quia sic jam conceditur, inter irregularitates ab Episcopo dispensabiles seclusâ exceptione, contineri irregularitatem ex occulto delicto *cum defectu significationis*; hoc enim habet homicidium *voluntarium*; *non* etiam *secundum* (quòd seclusâ exceptione non contineretur) quia sic exceptio non foret necessaria, sed prorsus inepta; exciperet enim inexceptibile. Ut autem intelligatur necessitas dispensationis in irregularitate contracta, not. 1. ubi irregularitas contracta non est, nullam requiri dispensationem; cùm autem ex multis casibus fieri possit, eam non contrahi, in multis quoque casibus fieri potest, non opus esse dispensatione. Quarè

897 Not. 2. irregularitatem ex mutilatione, vel homicidio injusto, sive voluntario, sive casuali, non incurri, in foro poli, nisi homicidium processerit *ex culpa gravi*; Sic Petrus Navarra l. 2. de restit. c. 1. d. 6. n. 69. Valentia t. 4. d. 7. q. 19. p. 3. & alii complures. Nam hæc irregularitas est *in pœnam delicti*; ergo, cùm pœna gravis sit, ne excedat culpam, etiam hæc gravis esse debet; id, quod etiam confirmatur ex variis canonibus. Sic Pater suffocans filium sùum dormientem irregularis judicatur solùm ex eo, si suffocatio ei *voluntaria fuit, vel ex studiosâ negligentiâ acciderit*, ut habetur c. *quæsitum*, de pœnit. & remission. Similiter ab irregularitate excusatur Clericus cum alio ludens, etiamsi casu alius occubisset fortuitò ex cultello, in quem incidit, quo ille præcinctus erat; nam in tali casu non præsumitur culpa interveniisse, ut dicitur c. *Lator*. 9. h. t.

Quia verò sæpius hîc mentio fit de cul- 898
pa, not. 3. *culpam*, latissimè sumptam, esse deviationem ab eo, quod bonum est, & per hominis diligentiam provideri potuit; latè tamen acceptam (prout distinguitur à dolo, deficere in eo, quod non requirat animum nocendi, quem requirit dolus) sumi pro negligentia; & hoc sensu, *culpa lata* dicitur, quando quis ex negligentiâ fecit, aut omisit, quod ut plurimum homines in tali re, vel negotio non facerent, aut omitterent; ut si quis librum, quem commodatum habebat; reliquit in scamno extra domum, ubi patebat volentibus surripere.

Culpa levis est, cùm quis neglexit facere, vel omittere, quod diligentes ea in re non negligerent facere, vel omittere, ut si commodatarius reliquit librum intra cubiculum, sed aperto ostio, unde surripi poterat; *culpa* verò *levissima* datur, quando quis fecit, aut omisit, quod soli diligentissimi non facerent, vel non omitterent, ut si quis eundem librum reliquit in cubiculo, clavi quidem reserato, quin tentârit, num reseratum maneret?

Not. 4. *culpæ* appellatione simpliciter 899
prolatæ, regulariter venire *dolum*, vel saltem *latam culpam*, quando subjecta materia id suadet; interdum etiam culpam levem; non levissimam, saltem in odiosis, & pœnalibus, ut tenet Decianus in tract. crimin. q. 88. n. 91. Monach. de præsumt. l. 5. præsumpt. 3. n. 136. Quando autem lex, vel ejus dispositio aliquem vult *teneri de culpa*

culpa, semper intelligitur *dolus*, ut docet Bartol. in L. *Quòd Nerva*, ff. depositi, n. 9. apud Pereyram in Elucidar. n. 148. in multis tamen etiam venit *culpa lata*, si conjuncta sit cum Theologica. Secus enim (ubi loquitur de culpa lata) dispositio procedit ex sola præsumptione, quod maximè dicendum in pœnis spiritualibus *ex culpa*; hæ enim quoad forum internum supponunt culpam Theologicam in veritate, non solâ præsumptione.

900 Dices in c. *Continebatur*, h. t. Clericus Diaconus dicitur irregularis, quia ludens cum aliis, & victus, cùm laicum victorem deberet portare, illi se supposuit, falce, quâ præcinctus erat, non absconditâ, quo factum, ut ille Laicus mortale vulnus acceperit, & intra 8. dies obierit. R. id solùm processisse ex præsumptione gravis negligentiæ commissæ in cavendo periculo, quod in bajulatione illa (quam falce præcinctus præstitit) victori portando debuerat cavere. Cœterùm si reverà nulla illi cogitatio de tali periculo tunc occurrit, & nullatenus prævidit, in foro conscientiæ ab irregularitate pœnali immunis erat. Et juxta datam responsionem exponendum est c. *sicut*, & c. *Literis* h. t. ubi irregularitas propter abortum, ex lusu cum muliere prægnante secutum, decernitur, non quòd lusus inhonestus, sed noxius, & periculosus fuerit, periculo prævisо, quin debita diligentia illud cavendi adhibita fuerit.

901 Not. 5. quando Clericis, qui sunt in Sacris, & Religiosis imponitur irregularitas propter mortem secutam ex eo, quòd exercuerint artem chirurgicam, vel medicam, incidendo, mutilando, adurendo, &c. licet omnem diligentiam adhibuerint, ut habetur c. *sententiam*, ne Clerici, vel Monachi; & c. *Tua nos*, de homicidio, irregularitatem esse *ex delicto*, commisso contra specialem prohibitionem illis factam loc. cit. ne ipsi extra urgentem necessitatem per seipsos tales actiones exerceant, suo statu indignas, & per se periculosas. V. Layman l. 3. summæ t. 5. tr. 3. p. 3. c. 10. Abbas in cit. c. *Tua nos*, & alii.

902 Not. 6. qui aliunde determinato ad Titium occidendum, consuleret, ut solùm mutilet, non peccaturum, consequenter non incursurum irregularitatem ex delicto, seu concursu per consilium. Nam consulere, ne mutilans, suo impulsu, ultra mutilationem progrediatur, est in re impedire gravius malum, quod honestum est. His præmissis:

§. 1.

De dispensatione in irregularitate ex delicto.

Non est dubium, summum Pontificem 903
dispensare posse in omni irregularitate proveniente ex homicidio voluntario, etiam notorio (omnis enim irregularitas jure solùm humano inducta est) quandoque tamen non sine difficultate; cùm abominabile sit, quòd effundens sanguinem humanum (virum enim sanguinum abominatur Dominus) offerat sanguinem Christi, & hostiam immaculatam. Hoc non obstante pluries justis de causis dispensatum est etiam in ejusmodi casibus, ut notat Felinus, in c. *final.* de majoritate, & obedientia. Cùm igitur ejusmodi dispensatio impetranda est, complura observanda esse, docent Curiales, ut videri potest apud Pyrrhum Corradum in Praxi dispensat. Apostolic. l. 5. c. 1.

Primum est, ut in hujus dispensationis 904
petitione clarè *qualitas homicidii* exprimatur. Magna quippe differentia ex eo capite quoad concessionis facilitatem, aut difficultatem, quoad causas dispensandi, & similia, esse solet. Quare in supplicatione exponendum venit, an homicidium sit *voluntarium*; seu *ex proposito*, seu *casuale?* an *simplex*, an *qualificatum*, an *defensivum*, seu *necessarium*, *cum*, *vel sine moderamine inculpatæ tutelæ?* &c. Et quamvis Corradus cit. c. 1. n. 5. ex Mandosio in praxi Signat. titulo de absolutione, & rehabil. ab homicidio, dicat, solere etiam magnopere attendi tempus perpetrati delicti, an sit *recens*, vel *antiquum* (quòd in illo difficilior; ac in isto sit dispensatio) an *sub hoc*, à quo petitur dispensatio, vel *alio summo Pontifice* homicidium commissum sit, quòd difficilius dispensetur, si sub illius Pontificatu patratum fuerit: id tamen non est de necessitate medii. Dispensatur tamen facilius cum jam promoto, quàm cùm primùm promovendo; sic glossa per textum c. *quicunque pœnitentes*, dist. 50. arg. c. *Quemadmodum*, de jurejurando.

Not. præterea juxta Sayrum de confess. 905
l. 6. c. 15. n. 9. quod dubius, an commiserit homicidium? debeat se habere tanquam irregularem; causam reddit Corradus cit.

n. 9. quia *in dubiis tutior pars eligenda est*; ut, cùm fœtum expulit per abortionem, & dubitat, an fuerit animatus? sed hæc regula non procedit, prout jacet, ut diximus l. 1. tit. 2. de Constitut. Videtur tamen id, quod Sayrus docet, tenendum ex eo, quòd graviter illicitum sit, recipere Ordines cum tali dubio, eo non sublato per dispensationem ad cautelam, vel declarationem irregularitatis non incursæ; alias enim, ut testatur Majolus l. 5. de irregularit. c. 48. severè puniretur; quia lex inhabilem excludens ab ordinibus, contra dubium de suo habilitate, est in certa possessione.

906 Dices: irregularitas non contrahitur, nisi in casibus jure expressis, juxta communem; & tamen in c. *ad audientiam* 1. de homicidio habetur, censendum esse irregularem eum, qui de irregularitate dubius est; quoniam in dubiis tutior pars eligenda est, juxta c. *significasti*, eodem. Ex quibus deducit Corradus cit. l. 5. c. 1. num. 24. prædictum textum procedere solùm in foro conscientiæ; & alterum in foro contentioso; consequenter taliter dubium, ubi recurrere vult pro dispensatione, id agere debere in sacra Pœnitentiaria; cùm Dataria id rarò concedat. Verùm

907 R. dictum illud: quòd irregularitas non contrahatur, nisi in casibus in jure expressis, debere intelligi pro foro judiciali, & exteriori, nimirum, quòd Judex non debeat aliquem in dubio judicare irregularem, prohibendo ei ordinum susceptionem, vel susceptorum executionem, nisi ei constet de casu, cui dispositione juris irregularitas annexa sit; quod autem dicitur in c. *ad audientiam*, debere accipi pro foro conscientiæ, solùm tunc procedit, quando dubium non potest prudenter deponere. Nam in tali casu, & non aliàs, subintrat regula, quòd in dubiis tutior pars eligenda sit, ut exposuimus l. 1. tit. 2. Qualiter autem id rectè fiat, colligi potest ex dictis ibidem.

908 Quamvis autem extet constitutio Sixti V. incipiens: *Cùm de omnibus*, in qua dicitur: *omnes autem, & quoscunque criminosos, vel suspectos*, &c. Ad Religionem perpetuò inhabiles declaramus; adhuc tamen eâ constitutione non obstante per sacram Pœnitentiariâ dispensatur cum talibus, quando ad suorum peccatorum pœnitentiam peragendam in Religione, licentiam ingrediendi petunt, & in ea suscipiendi ordines. Ita Corradus cit. n. 26. & nota, Sixtum loqui de criminosis, quales non videntur rectè dici ex actu unico. Plura de his cit. Author. Et quoniam nullus Papâ inferior in ejus lege, jure ordinario dispensare potest, nullus quoque jure ordinario poterit in ea irregularitate, nisi sit ex delicto occulto, ut jam diximus.

§. 2.

De dispensatione in irregularitate ex homicidio citra delictum.

909 HÆc irregularitas contrahitur ex homicidio, vel mutilatione, justitiâ mediante, nimirum facto ex authoritate publica. Nam & tale homicidium, vel mutilatio, impedimentum irregularitatis inducit, impeditque promovendos, jamque promotos rejicit, per textum in c. *sententiam sanguinis*, ne Clerici, vel Monachi, & c. 1. dist. 51. Circa hanc irregularitatem quæstio est, 1. an incurratur à Judice, vel aliis justitiæ ministris, si quem justò condemnarunt ad mortem, vel mutilationem, morte tamen non secutâ, nec mutilatione? Affirmativam tenet Pyrrhus Corradus, sæpè cit. l. 5. c. 2. sed rectius negatur cum Ciarlino tom. 2. controvers. forensium, c. 103. per totum. Nam hæc irregularitas solùm imponitur homicidio, vel *mutilationi ex authoritate publica commissæ*, quod utique importat occisionem, vel mutilationem, vel mandatum, vel decretum definitivum, *effectu secuto*; aliàs enim *homicidium*, vel *mutilatio* non est. Nec rationes Corradi evincunt intentum. Nam licet verum sit, sæpè fieri, quòd non stet per Judicem, & alios justitiæ Ministros, ipsorum sententiam habere simul effectum (cùm sæpe Principis authoritate, vel alio titulo Reus ad mortem condemnatus, gratiam pœnæ condonativam obtineat) ex hoc tamen non sequitur, Judicem, ac ejus assessores, aliosque justitiæ Ministros, commisisse *homicidium*, vel mutilationem, effectu secuto. Nam licet hæc irregularitas non sit inhabilitas pœnalis, sicut nec pœnalis est inhabilitas validè contrahendi matrimonium simpliciter clandestinè; hæc tamen invaliditas, seu nullitas matrimonii non incurritur à contrahentibus, si per accidens impediatur clandestinitas (puta si revera Parochus, & testes ipsis non opinantibus, aut etiam invitis interveniant) ergo nec irregularitas ex justa condemnatione ad mortem, si hæc

per

per accidens impediatur, quia scilicet ea inhabilitas requirit factum cum effectu.

910 Nec juvat, quòd dicat esse consuetudinem petendi dispensationem Apostolicam in ejusmodi etiam casu, ubi Judex Reum ad mortem condemnavit, licet mors secuta non sit. Nam dato, esse talem consuetudinem; non tamen probat eam esse inductam *communi consensione, & animo inducendi legem*, sine quo non habet vim legis non scriptæ, ut diximus l. 1. tit. de consuetudine. Nam Ciarlinus cit. testatur, se scire, tales Justitiæ Ministros esse ordinatos, nullâ dispensatione petitâ. Neque aliquorum factum, qui tali casu recurrerunt Romam, est ex necessitate, sed solùm ad cautelam, vel declarationem, ad evitandas opiniones, & tollendos scrupulos eorum, qui nesciunt, aut nolunt acquiescere.

911 Nec denique ad rem facit, quod asserit Corradus, *id esse de stylo*. Nam nec iste habet vim legis, nisi authoritate summi Pontificis probatus sit, & confirmatus, ut constat ex dict. alibi; cùm plura solùm voluntate Curialium dicantur de stylo, non authoritate Papæ; ut pluribus ostenditur l. 4. decret. Curiales enim non sunt conditores legum, nec ad id, ratione muneris sui, potestatem habent; sed potius obligationem operandi juxta legem à Superiore, summo nimirum Pontifice, constitutam in suis functionibus; stylus autem, seu consuetudo juxta legem, nec habet vim inducendi legem novam, nec abrogandi, sed tantum firmandi præexistentem, ut constat ex l. 1. decret. tit. 2. Ubi etiam ex professo egimus de stylo Curiæ; quibus positis:

912 Quæstio est 1. an in tali casu, quo effectu non secuto, juxta Corradi, aliorumque sententiam, incurreretur irregularitas, necessariò recurrendum sit Romam pro dispensatione? Affirmativam sequitur Corradus cit. n. 4. sed probabilius est, non fore necessarium; ita Mandos. cit. in Praxi, tit. de absolut. & rehabit. Vers. *an autem Advocatus*. 1. Quia probabilius est, non incurri irregularitatem, consequenter non esse opus eâ dispensatione. 2. Quia in dubiis, dispensatio ad cautelam dari potest etiam ab Ordinario, ut diximus l. 1. quæst. ultimâ.

913 Quæstio est 2. an exercentes artem Medicinæ, vel chyrurgiæ incurrant irregularitatem ex defectu lenitatis, si ex artis suæ exercitio sequatur mors, vel mutilatio eorum, quibus impendunt operam suam? R. cum distinctione: nam vel in dato casu impenderunt omnem cautelam, & diligentiam, ne talis effectus sequeretur, sic, ut in adhibenda opera sua nec latam culpam commiserint, vel secùs? Si primum? nullam incurrerunt irregularitatem. *Non ex delicto*; quia supponitur abesse culpa, quam supponit irregularitas ex delicto: *non ex defectu lenitatis*; quia hi non agunt authoritate publicâ. Unde quando exercentes artem medicam, vel chirurgicam, rejiciuntur ab ordinibus, si aliquis ex eorum cura decessit, intelligitur, quando imperitia, vel negligentia potest illis imputari, in ipsa suæ artis scientia opportunè adhibenda, ut colligitur ex c. *ad aures*, de ætate, & qualitate. Sic Corradus cit. à n. 8. Ex quo colligitur, ubi effectus mortis secutus est ex eorum opera, vel cura cum culpa ex imperitia, vel negligentia, quin talem effectum intenderint, adeoque ubi secutus est præter eorum intentionem, irregularitatem non esse ex homicidio *voluntario*, & *justo*, sed *casuali*; consequenter reduci eam ad irregularitatem ex delicto; Unde in quæstione: quis dispensare possit in hac irregularitate? resolutio petenda est ex dictis supr.

QUÆSTIO XIII.

IN TITULUM XIII. DE TORNEAMENTIS.

914 POst titulum de homicidio tam in ſpecie, quàm in genere, ſequitur dicendum de quibusdam actibus, qui vel cauſam homicidio præbent, vel communiter periculum ejus adjunctum habent. Hoc titulo agitur de *torneamentis*, id eſt, ludis haſtilibus, & equeſtribus, quos in induciis, nundinis, aut feriis milites, ex condicto convenientes, ad virium ſuarum, & audaciæ oſtentationem, temerè congrediendo, & aggrediendo exercere ſolebant, prout habetur c. 1. h. t. Quoniam verò in ejusmodi torneamentis frequenter mors hominum, & animarum periculum interveniebat, prohibita ſunt, ſub pœna privationis Eccleſiaſticæ ſepulturæ illi, qui ibi mortuus fuerit, licet ei pœnitentia non negetur, intellige, ſi eo venit animo pugnandi; non autem, ſi alio fine v. g. percipiendi credita, ſeu debita, ut habetur c. *fin.* eodem.

915 Not. autem 1. hanc conſtitutionem pœnalem ſolùm obtinere in torneamentis olim uſitatis, non autem in ludis haſtilibus, qui hodie frequenter fiunt in magnis ſolennitatibus, v. g. Principum inauguratione, nuptiis, feſtis genethliacis, adventu Coronati Regis &c. Nam in his illi congreſſus regulariter fiunt non *temerè*, ſed cum magna cautela.

916 Not. 2. per conſtitutionem Clementis in quibusdam regnis *torneamenta* prohibita fuiſſe, ſub pœna excommunicationis, & interdicti: eam tamen poſtea à Joanne XXII. in Extravag. unicâ, h. t. revocatam eſſe; & datam abſolutionem illis à cenſuris, hujus occaſione incurſis, ut notat Navarr. in Manuali. c. 15. n. 9.

917 Not. 3. ad inſtar *torneamentorum* à diverſis Pontificibus (Pio V. Greg. XIII. Sixto V. & Clemente VIII. de quibus Navarr. cit. c. 19. & alii) prohibita eſſe *taurilia*, ſeu ludos illos, qui fiunt agitatione taurorum intra circum; ſed de his videri poteſt Azor p. 3. Inſtit. moral. l. 2. c. 15. videtur enim ejusmodi prohibitio ſolùm procedere, cùm *temerè* fiunt; non autem, ubi cum cautela, & magnâ diligentiâ, quâ poſitâ communiter abeſt mortis periculum, cui temerè ſe exponere, jure naturali illicitum eſt.

Dices: licet certamina gladiatoria 918
prohibita ſint, *L. unic.* C. de Gladiatoribus: certamina tamen, quæ virtutis causâ fiunt (v. g. *haſtæ*, vel *pilæ jactus*, *curſus*, *ſaltus*, *luctæ*, *pugillatus*) permittuntur L. *ſolent.* ff. de Aleatoribus & l. 1. C. eod. Tum quia bello faciles, aliàs quieti, & otio per voluptates aſſueſcunt; tum quia, ſi quandoque mors contingat, per accidens contingit, non injuriæ, aut damni dandi causâ, ſed virtutis oſtendendæ gratiâ, nec legi Aquiliæ locus eſt, L. *qua actione*, §. *ſi quis in colluctatione*, ff. ad L. Aquiliam; ergo non rectè prohibentur torneamenta, quæ fiunt inter milites, ut aptiores ad pugnam, & magis expediti evadant. Confirmatur; quia quando finis, ad quem actus dirigitur, bonus eſt, etiam actus judicatur bonus; ſed torneamenta facta ad virium oſtentationem, reſpiciunt finem bonum, nempe finem exercitii militaris; ergo. Deinde etiam pœna privationis Eccleſiaſticæ ſepulturæ, nimis difficilis eſt; quibus enim communicamus vivis, communicare debemus defunctis, ut probat Gonzalez ex c. *Sacris*, de ſepulturis; & deducitur ad c. *Quæſitum* 13. q. 2. cùm ergo talibus communicemus in vita (decedentibus enim in torneamentis pœnitentia non negatur c. 1. h. t.) injuſtè negatur illis Eccleſiaſtica ſepultura.

R. licet jure *civili* permittantur ob cau- 919
ſas in objectione allatas, meritò tamen prohiberi jure *Eccleſiaſtico*, quia non carent ingenti periculo. Ad confirm. R. majorem ſic prolatam non eſſe indefinitè veram; finis enim, ex ſe bonus, vitiatur ex medio malo; aliàs liceret ſcienter mentiri, ad redimendam vitam proximi; aut furari, ad dandam eleemoſynam. Deinde quando medium, quod adhibetur ad procurandum finem aliquem de ſe bonum, eſt regulariter conjunctum cum gravi periculo mali, non licet uſurpare illud medium. Nec difficilis

ficilis videri debet talis pœna. Vilis enim, aut etiam nulla sepultura etiam pio non nocet, sicut nec impio prodest pretiosa, c. *anima* 13. q. 2. & facilius negatur *sepultura*, quàm *pœnitentia*. Nec obstat in c. *Quicunque* 23. q. 4. Clericis, in bello, rixa, vel ludis gentilium mortuis, non negari sepulturam. Ab his enim ad Laicos non fit argumentum in casu nostro hujus tituli. Nam his diversa pœna imponitur, quia professione sunt diversi; licet Clericis, de quibus solis agitur in c. *quicunque*, sua quoque pœna, sed alia sit.

QVÆSTIO XIV.

IN TITULUM XIV. DE CLERICIS PUGNANTIBUS IN DUELLO.

920 INter actus, qui homicidio causam præbent, aut ejus periculum communiter annexum habent, altero loco numeratur *duellum*. Nam hoc multo frequentius inducit cædem hominis, quàm torneamenta. *Duellum* definitur, singularis pugna duorum inter se, ex condicto susceptа. Ita Sylvester V. *duellum* n. 1. Azor p. 3. l. 2. c. 5. Sex causæ sunt, ad quas duella ordinari possunt. 1. Ut per eventum victoriæ eruatur veritas, & justitia alterius partis. 2. Ut per illud terminetur lis criminalis, aut civilis. 3. Ut defendatur vita propria; 4. Ut defendatur honor proprius; 5. Ut ostendatur fortitudo militum ex duabus exercituum factionibus. 6. Ex authoritate publica.

Not. autem. 1. ex hoc, quòd Rubrica tituli solùm loquatur *de Clericis pugnantibus in duello*, non inferri, *duellum* prohiberi solùm Clericis; cùm, ut constat ex c. 1. h. t. idem etiam prohibeatur Laicis, & *Clerici* propterea duntaxat exprimantur, quia illos ratione statûs à fortiori dedecet, his vitæ periculis se exponere.

Not. 2. *duellum* juxta Doct. Philippum Braun, h. t. aliud esse duellum publicum, aliud privatum. *Publicum* (nimirum authoritate publicâ contingens) est, cùm unus pluresve cum hoste in numero æquali congrediuntur eo fine, ut quæ pars duello vicerit, etiam in bello victisse censeatur (& sic vocatur duellum *decretorium*) vel cum fit eo fine, ut ab eventu belli omen desumatur, vocarique solet augurale. *Privatum* quoque aliud est *judiciale*, quod cum authoritate Judicis, & *extrajudiciale*, quod sine authoritate Judicis offertur, & acceptatur; his præmissis:

ARTICULUS I.

An, & quale duellum sit illicitum.

DUellum, sive publicum, sive privatum, per se loquendo, esse illicitum, expresse docet D. Thomas 2. 2. q. 95. a. 8. ad 3. & constat ex utroque jure; canonico quidem c. *Monomachiam* 2. q. 4. quod desumptum est ex decretis Nicolai Papæ; ubi dicitur, *quòd tales solummodo Deum tentare videantur*; idem habetur in Rubrica c. 1. & 2. de purgat. vulgari; & constat ex gravissimis pœnis, in duellantes Ecclesiastico jure constitutis, de quibus dicemus infra: tum quia est medium non modò inutile, ac nullatenus necessarium ad eos fines, pro quibus assumitur; tum quia plerumque vanum est, & superstitiosum, ut constabit ex sequentibus. Dixi, duellum *per se loquendo* illicitum esse; nimirum, si nulla causa legitima, propter quam susciptur, inveniatur, ex qua honestari possit. Nam tali casu ejusmodi bellum privatum, æquè ac bellum publicum, utpote injustum, semper illicitum erit. Tota igitur quæstio in id resolvitur, ut exponatur, an una ex sex causis, de quibus n. 920. vel saltem alia, inveniri possit, ob quam justè duellum suscipiatur tam offerendo, quàm acceptando. Igitur 921

Quæstio est 1. an duellum sive publicum, sive privatum licitè suscipiatur, ad eruendam veritatem, vel probandam innocentiam? hoc duellum olim erat inter purgationes vulgares ad controversiarum decisionem, & in defectum probationis sic, ut *Victor* hac ratione *probâsse*, alter verò (nimirum *victus*) in eadem *defecisse* intelligeretur. R. negativè. Nam hoc medium est vanum, superstitiosum, sortile- 922

gum, & ad indagandam veritatem omnino inutile, imò conjunctum cum periculo perimendi innocentem, ac utroque jure prohibitum, ut docet D. Thomas cit. pro quo specialiter faciunt jura superius allata. Imò Sanchez l. 2. moral. c. 39. n. 3. dicit, esse intrinsecè malum, instar mendacii, *cùm frequenter accidat, erui ex eo falsum*; ut cùm innocens victus succumbit. Ex eadem ratione rejicitur duellum *augurale*, de quo n. 920. Est enim medium superstitiosum, & fallax; consequenter plenum periculi, vitam propriam, vel alienam temerè exponentis, secluso fine alio, factum honestante.

923 Quæstio est 2. an duellum legitimè suscipiatur ad ostentationem virium, acquisitionem nominis, & honoris, viri robusti? R. negativam communiter teneri, & passim rejici affirmativam, propter evidens vitæ vel propriæ, vel alienæ periculum. Hinc nullum tale medium, aut nullum exercitium militare, seu bellicum, sine gravi periculo, ob ejusmodi fines vanos, suscipi posse, constat ex c. 1. de torneament, & docet Suarez d. 13. de bello, sect. ult. num. 1. Sanchez l. 2. in Decal. c. 39. n. 12. Navarra l. 2. de restit. c. 3. in 2. p. dub. 13. n. 296. & complures alii, quos citat & sequitur Castropalaus p. 1. tr. 6. d. 5. p. 7. n. 5. ex eadem causa reprobans duellum susceptum ad causandam voluptatem spectantibus, illisque gratum se præbendi.

924 Quæstio est 3. an duellum legitimè, seu licitè suscipiatur ad dirimendam litem, vel civilem, vel criminalem? R. negativè cum communi. Nam tale duellum, sive publicum, sive privatum, est medium superstitiosum; & inutile, ac omnino inefficax ad indagandam veritatem: non modò propriam, & alienam vitam, sed etiam ipsam causam justitiæ exponens periculo; clare prohibitum c. 1. & 2. de purgat. vulg. In casu tamen, quo innocens certus esset, se injustè vel in vita, vel in honore, vel gravis momenti bonis opprimendum ab alio, licitè ab illo acceptari, vel offerri duellum ad dirimendam litem, censet Sanchez cit. n. 7. si aliud remedium non suppetat evadendi ea mala; sic enim cogitur ad necessariam sui, vel rerum suarum defensionem.

925 Quæstio est 4. an duellum licitè suscipiatur ad reparandum honorem ex injuria sibi facta? Negativam esse communem inter Doctores docet Castropalaus cit. n. 7. Quia nulli privato, ad vindicandam injuriam propriam, licet alterum occidere; tum quia hoc medium non modò incertum est, sed etiam reddit infamem infamiâ juris, ut constat ex Trid. sess. 25. c. 19. adeoque medium inutile est ad reparandam famam; tum quia citra tam grave periculum famæ; corporis, & animæ, multis aliis remediis honor læsus reparari potest; quod confirmari potest ratione, quam adducemus n. 928. ex Haunoldo.

Dices: si provocatus ad duellum, re- 926
spuat, ignavus, & timidus reputabitur; nec absque rubore coram sociis comparere potest; quia non creditur respuisse ad vitandam Dei offensam, sed solùm ob timorem, magnâ honoris sui jacturâ, etiamsi reponeret, se non declinare propter metum, sed se non dignari, aut se provocantem non tanti facere, ut velit ex hoc infamis reddi, aut legem DEI transgredi; nec, esto non condicat, declinare publicum, aut se aggredienti justam defensionem opponere; cùm sæpè, præsertim inter milites, ad declinandam infamiam & ludibrium, nullatenus juvet; ergo saltem in tali casu licitè duellum acceptatur, ubi aliter infamia declinari non potest.

Layman tom. 1. l. 3. tr. 3. c. 3. apud 927
Haunoldum, de Jure & Justitia tom. 1. tr. 2. n. 647. censet, si res eo loco sita esset, ut miles in exercitu, vir equestris in aula regia, excidere deberet officio, aut dignitate Ducis, vel Principis favore, si provocatus ad duellum non se sisteret provocanti, se non audere damnare eum, si se sisteret *meræ defensionis gratiâ*. Plures DD. pro eadem sententia refert P. Andreas Mendo, dissert. 1. q. 21.

Ante responsionem nota: *acceptatio-* 928
nem duelli privati, si sumatur in sensu proprio, esse intrinsecè malam, consequenter ex nulla læsi honoris, aut ignominiæ illatæ, vel secuturæ causa, honestari ac licitam reddi posse. Sic Haunoldus cit. n. 648. & 653. Nam operatio, quæ directè est in præjudicium dominii, quod Deus habet in vitam hominis, est intrinsecè mala; acceptatio duelli, si sumatur in sensu proprio, est talis. Sic enim explicat *tacitum pactum, & conventionem, quâ duellantes vicissim cedunt jure suo, & affectant tribuere invicem facultatem in vitam, si possit alter prævalere, qualibet eorum intendente alterum eorum spoliare*

liare vitâ suâ, ac exigente reciprocam ejusmodi intentionem in altero. Ex hoc autem sequitur, ne ob rationem in objectione propositam licitum esse vel provocare, vel acceptare duellum, *si sumatur provocatio, & acceptatio in sensu proprio*; nam, quod intrinsecè malum est, in nullo casu, secluso errore, honestari potest ob ullam causam extrinsecam; cùm ea non mutet rei naturam, seu passivam ineligibilitatem, secluso errore.

929 Tota autem difficultas est in eo, quòd liceat occidere injustum aggressorem, quando aliter defendi non potest vita propria, vel etiam damnum grave bonorum tam animi, quàm corporis; in casu autem, quo provocatus ad duellum, non acceptat, nec comparet, cum irreparabili jactura famæ, ut ponit objectio in casu n. 926. provocans est injustus aggressor; ergo in tali casu licebit acceptare, & comparere. Min. probatur. Nam, ut rectè observat Haunoldus, licet provocans ad duellum non intendat me cogere, sed tantùm invitare ad duellum, cujus detrectatione sequitur jactura, honoris; conjicit tamen provocatum in necessitatem, vel pugnandi ex condicto, vel amittendi honorem, æquè ac is imponat necessitatem, qui me cogit vel ad dandas meas facultates, vel ad amittendam vitam; sed hic censetur injustus aggressor; ergo & ille. Pat. conseq. Nam ideo talis invasor vitæ, vel facultatum seu bonorum est verus aggressor, quia licet non cogat determinatè ad unam partem disjuncti, cogit tamen determinatè ad quamlibet ex suppositione, quòd patiens coactionem nolit determinatè alteram; sed idem contingit in nostro casu; provocatus enim cogitur, vel duellum acceptare, vel non acceptando irreparabiliter jacturam famæ, officii, & ignominiam tolerare.

930 Propter hanc rationem videtur Layman admisisse id, de quo locuti sumus num. 927. Cæterùm sicut antecedens non procedit circa injustum aggressorem vitæ, bonorum, vel famæ, ubi ejus occisio non est medium unicè necessarium ad ea mala declinanda; ita nec provocatio, vel acceptatio duelli, est tale medium. Unde si in antecedenti defensivum fieret ex intervallo (ubi aliter consuli posset damno) illicitè fieret; ita & provocatio, & acceptatio duelli ex condicto. Si tamen fingitur casus, ibi nullo alio medio declinari posset illud detrimentum, honoris, famæ, & jacturæ servitii, nisi acceptando duellum, cùm nec in tali casu licita sit duelli acceptatio, si sumatur in sensu proprio juxta n. 928. videtur opinio Patris Layman procedere solùm de acceptatione duelli, sumendo hanc *in sensu minus proprio*, pro *mera defensione, sine condicto, sine ullo pacto*, de quo loco cit. nec enim plus evincit argumentum in n. 926. Plura super hac materia videri possunt apud Castropalaum p. 1. tr. 6. d. 5. p. 7. à n. 9. Illud hic not. in casu, quo Princeps gerens bellum justum, & videns se hostibus debiliorem, spem victoriæ habet indicto duello, licebit illi vel offerre duellum alteri, vel oblatum acceptare, quia sic succedit in locum justi belli; ita Sanchez n. 16. & Barbos. in Trid. sess. 25. de reform. c. 19. n. 16.

ARTICULUS II.

De pœnis duelli illiciti.

PLures pœnæ duellum illicitum exercentibus statutæ sunt. 931 Jure communi Clericis, provocantibus, vel acceptantibus duellum illicitum, imponitur pœna suspensionis, c. 1. de Clericis pugnantibus in duello. Probabilius est, eam pœnam esse sententiæ ferendæ, per Sanchez cit. n. 18. nec incurri, nisi secutâ pugnâ. Suarez tom. 5. in 3. p. d. 31. sect. 4. n. 48. eaque à Clerico sponte acceptatâ; & non causa necessariæ defensionis: jure novo Trid. sess. 25. de reform. c. 19. excommunicantur omnes Domini temporales, qui locum ad duellum in suis terris concesserint. 2. ipsi pugnantes in duello, 3. ipsi pugnantium spectatores, & Patrini. 4. consilium dantes tam in jure, quàm in facto in causa duelli, aut quàcunque aliâ ratione id suadentes. Domini autem temporales locum duello concedentes privantur dominio, & jurisdictione territorii, in quo duellum concedunt, si illud obtineatur ab Ecclesia, & dominio directo, si sit feudum. Et ita, si loca sint Ecclesiæ, redeunt ad ipsam; si feudalia, ad Dominos. Pugnantes demum, & Patrini in duello, puniuntur bonorum proscriptione, ac perpetuâ infamiâ; & morientes in eo conflictu privantur Ecclesiasticâ sepulturâ.

Circa hoc decretum Trid. not. 1. etsi 932 quidem velint, illud loqui de duello *solenni*, adhibitis nempe Patrinis &c. de quo videri potest Barbosa in cit. locum Trid. n. 6.

dicen-

dicendum tamen, procedere de quolibet duello etiam privato ex condicto, juxta datam definitionem n. 920. postea verò idem decretũ pœnale extensum esse etiam ad duella privata, per decretum Pii IV. Greg. XIII. Clem. VIII. ut fusè tradit Sanchez cit. à n. 20. Nam dictum decretum Tridentini, & constitutiones nominatorum Pontificum loquuntur *de quolibet duello illicito*; ita Sanch. cit. n. 24. Not. 2. excommunicationem in decreto Trid. contentam, esse latæ sententiæ, respectu omnium personarum, quæ ibi expressæ sunt; Suarez d. 23. s. ult. num. 11. Not. 3. post constitutionem Clementis VIII. eam excommunicationem esse reservatam Papæ, etiam cùm incurritur ex duello privato; nec ab ea Religiosos absolvere posse virtute suorum privilegiorum, concedentium absolutionis dandæ facultatem ab omnibus casibus Papæ, ut expresè notat Sanchez n. 27. Not. 4. dictam excommunicationem non incurrere duelli spectatores, qui, illuc transeuntes, obiter duellum aspicerent; & ideo Gregorius XIII. in sua Constitut. addit. *Spectatores ex proposito*. Sic Barbos. cit. n. 8. in c. 1. de torneament. n. 2. Not. 5. quòd ut pugna seu monomachia sit propriè duellum prohibitum, debeat esse *ex condicto*, seu ut rectè observat Gonzalez, *ex communi consensu constituto die, ac loco pugnæ.*

933 Hinc collig. pugnam duorum, *sine condicto*, seu consensu, & conventione mutua pugnandi constituto die, ac loco, non habere rationem *duelli proprè dicti*, prout subjecti pœnis duelli; cùm constitutio pœnalis intelligenda sit de duello strictè sumpto; nec etiam, si quidem intercessit provocatio, & acceptatio condicto die, & loco, si eorum unus comparuit quidem in præfixo termino loci, & temporis, sed discessit, *duello, seu pugnâ non secutâ*. Quia sic non verificatur, *commissam esse pugnam ex condicto*. Sic Graffis, Comitolus, Bonacina, & Sanchez l. 2. c. 39. n. 29. apud Barbos. in Trid. sess. 25. de Reform. c. 19. n. 12. contra Ugolinum, & alios ibidem.

ARTICULUS III.

De particularibus quibusdam bellis injustis.

934 DE his aliquam duntaxat insinuationem facere placet, ut aliqua saltem habeatur notitia significati per eos terminos, seu verba, quibus exponuntur. Ejusmodi sunt, *seditio*, *rixa*, *tumultus*, *diffidatio*, & similia, cùm per decursum in hoc libro mentionem eorum fieri non infrequenter contingat. *Seditio* à bello differt; bella enim ad hostes pertinent; seditiones ad cives. Rectè igitur seditio definitur in jure civili, *quietis publicæ perturbatio* l. 1. & 2. C. de seditiosis. Seditionem concitantes, seu seditiosi, capite plectuntur, ut notatur L. *denunciamus*, C. de his, qui ad Eccles. confug. Qui verò in jure dici debeant *seditiosi*, exponit Bart. & Jo. Bap. Cast. ad L. *Capitalium*, §. *famosos*, ff. de fur. ibi: *seditionarius, dicitur excommunicatus, qui turbat Ecclesiam per forinsecam potestatem*, 11. q. 3. c. 7. Cives, qui defendunt bonum commune, resistentes perturbatoribus reipublicæ: (ut notat Albericus in Diction. V. *Seditio*) non sunt dicendi seditiosi; sicut nec *rixosi*, qui se ipsos defendunt. Cœterùm

Rixa nomen fictitium est, à *ringendo*, quod canum est, quando irritantur. Definitur *pugna inter privatas personas*, & intelligitur *facto*, non verbis tantùm, L. *si ex plagis*, §. 1. ff. ad L. Aquil. & L. *si rixa*, ff. de Sicar. ex litibus, & contentione nascitur, L. *Servus*, ff. de act. & oblig. & est saltem inter duos, L. *si non convitiis*. C. de injur. Hinc *rixosus* idem est, quod *contentiosus facto*; & *rixari*, quod jurgari, seu *contendere factis*, & non solùm verbis.

Tumultus (de quo fit mentio in jure civili l. 2. ff. ad Legem Juliam Majest. & l. pen. ff. ad l. Corneliam de Sicariis) dicitur, *quasi timor multus*, & propriè est bellum aliquod subitum, quod ob periculi magnitudinem, hostiumque vicinitatem, magnam urbi trepidationem incutit. Eleganter describit *tumultum* M. Tullius 8. Philipp. quid aliud (inquit) est tumultus, nisi *perturbatio tanta, ut major timor oriatur?* Unde & nomen ductum *Tumultus*, quasi timor multus. Hinc tumultuarii milites dicuntur raptim, & festinanter electi; & coacti. 935

Diffidationem Castropalaus cit. p. 1. tr. 6. d. 5. p. 7. n. 3. & Pereyra in Elucid. n. 604. definit, esse pugnam, quæ sine conditionibus, quas habet duellum propriè dictum, conventione tamen partium suscipitur. Olim, qui bellum alicui inferre constituit, tenebatur eum prius per Legatos (qui *Feciales*, vel *Caduceatores* appellabantur) vel per literas monere, ut præstet, quod debet, aut rem, quam per violentiam detinet; reddat; si adver- 936

versarius hac denuntiatione spretâ, & neglectâ, petitioni locum dare recusabat, simul bellum indicebatur per Feciales. Et hunc indicendi belli modum, *diffidationem* vocabant; id, quod etiam in Germania nostra vigebat, **da das Faust-Recht noch galte**/ ut notat Lehman in Chronic. Spirens. l. 5. c. 112. apud Besold. in Thesaur. practic. sub lit. A. V. **Absagung/ Feind-Brieff**/ ubi definitur, quòd sit *denuntiatio animi hostilis*, quâ quis alii cuipiam significat, se eum armis, igne, spoliis & rapinis persecuturum.

At post pacem publicam sancitam, **wann einer einem absagt**/ **oder ihm Feindschafft zuschreibet**/ **oder Brand-Zeichen stecket**/ **und ihme mit Raub**/ **Brand**/ **Mord**/ **zu beschädigen bedraut**/ **und befehdet**/ **solches wird für hoch-sträffliches Fehden geachtet**/ teste Joachim. à Beust. ad L. *admonendi* 31. n. 1179. vers. *quia verò* ff. de jurejur. Diffidationem vocant Authores communiter speciem violatæ pacis publicæ; ut tamen propriè talis sit, non sufficit; quòd diffidatus sit persona singularis, seu privata; aut diffidator alteri certum præcisè genus damni minetur; quia diffidatio debet generaliter mala quæcunque hostilia minari, alioquin habenda sunt illa dicta pro minis, & non pro diffidatione, nec ut talis punienda. Sed de his V. Haunoldum tom. 6. de Jure & Just. tr. 2. à n. 159.

QVÆSTIO XV.

IN TITULUM XV. DE SAGITTARIIS.

937 Barbosa hîc n. 2. per *Sagittarios* intelligit eos, qui fœdere cum dæmone inito, ei devovent corpus, & animam, si longissimè dissitos ferire, & trajicere possint, quos voluerint. Pirhing h. t. illos, qui exercent artem in jaciendis sagittis. Zoësius autem eos, qui in bello exercent usum in saxis, & sagittis jaciendis. Probabilius est juxta hunc postremum sensum hîc accipi *Sagittarios*; & hujus artis exercitium in c. *unico* h. t. prohiberi Christianis sub pœna excommunicationis adversus Christianos in bello justo; in bello enim justo contra injustè bellantem uti licet quibuscunque armis, uti etiam in bello, quod Christiani justè gerunt contra infideles.

QUÆSTIO XVI.

IN TITULUM XVI. DE ADULTERIIS, ET STUPRO.

938 *Adulterium* est alieni thori violatio, c. *fin.* 32. q. 6. Si Vir conjugatus peccet cum soluta, est *adulterium simplex, ex parte Viri tantùm*; si solutus peccet cùm conjugata, est *adulterium simplex ex parte fœminæ tantùm*: si peccet conjugatus cum conjugata, est *adulterium duplex*, nimirum ratione utriusque, quod verùm est, licet mulier, vel vir sit tantùm sponsus, vel sponsa de præsenti; non autem, si solum de futuro. Not. autem in dictis casibus ejusmodi peccatum, *de jure canonico*, semper censeri adulterium, etiamsi unus peccantium sit solutus: *de jure* autem *civili*, solus concubitus mulieris conjugatæ cùm soluto, vel alieno conjugato dicitur adulterium *per ordinem ad pœnas*, jure decretas in adulteros. Sic Julius Clarus l. 5. sentent. V. *adulterium*, n. 2.

n. 2. idque ob ſpecialem deformitatem in muliere propter incertitudinem prolis, an ex vero Patre, an ex adultero concepta ſit? his præmiſſis.

ARTICULUS I.

De Adulterio.

939 ADulterium eſt crimen publicum, quo per concubitum fœdus conjugale ſolvitur, non quoad vinculum, ſed fidem alteri debitam non dividendi carnem ſuam in alium conſtante vinculo conjugali. Committitur tribus modis, ut expoſitum eſt in n. 938. Adulterium *ex parte fœminæ*, non committit, qui violat alterius ſponſam de futuro; nam concubitus cum ea non eſt *violatio alieni thori*, quia ſponſis de futuro non conceditur *thorus*, ut notat Sanchez l. 1. matr. d. 2. n. 2. adulterium enim propriè *in nuptam* committitur, L. inter. ff. ad Leg. Jul. de adult. quibus poſitis.

§. 1.

Quis accuſare poſſit conjugem adulterum.

940 REſp. propter adulterium poſſe agi contra adulterum, vel civiliter, vel criminaliter; actio civilis tendit ad ſeparationem thori, jacturam dotis, & aliorum bonorum, de quibus egimus copioſè lib. 4. tit. 19. de Divortiis; actio autem, ſeu accuſatio criminalis tendit ad vindictam publicam, adultero, vel adulteræ infligendam. Cœterùm quis poſſit, vel non poſſit adulterum conjugem accuſare, dictum eſt l. 4. tit. 18. Ceſſat autem accuſatio adulterii, ſi abolitio intervenerit, per l. 16. C. h. t. item ſi quinquennium elapſum ſit; quia intra tantum tempus adulterio præſcribitur non tantùm quoad accuſationem, ſed etiam quoad inquiſitionem, ut legibus pœnalibus amplius non ſit locus juxta l. 29. à §. 5. ff. ad L. Jul. de adult. & l. 5. C. eod.

941 Præter hæc not. 1. adulterum ex juſtitia teneri (ſi ex aſſertione adulteræ, aliisque ſignis ſufficientibus doceatur *prolem ex ſe genitam eſſe*,) marito facere reſtitutionem omnium eorum, quæ hic, prolem adulterinam putans eſſe ſuam, impendit in bonum eius neceſſarium; & ſimul reliquis legitimis compenſationem damni, quod patiuntur ex hoc, quòd talis ſpurius ſuccedat cum illis in hæreditatem Patris. Sic enim eſt injuſta cauſa talis damni. Et quoniam etiam adultera ejusdem damni cauſa injuſta eſt, & illa tenebitur ad reſtitutionem; cum reverà ipſi conſtiterit, prolem ſuſceptam eſſe ex adulterio; quod tamen intelligendum eſt. 1. Si poſſit citra morale periculum vitæ, aut famæ. 2. Si poſſit per propria media. 3. Si ei certum ſit de prole non ex marito, ſed adultero ſuſcepta. Nam in dubio, num hoc, vel illud ſit? libertas ejus manet in poſſeſſione, ut docet Leſſius de Juſt. l. 2. c. 10. d. 6. & ſeq.

Si quæras, coram quo Judice fieri de- 942
beat accuſatio de adulterio? R. coram ſolo Judice laico, ſi fiat *criminaliter* ad pœnam ſanguinis; ſi autem *civiliter* ad divortium, coram ſolo Judice Eccleſiaſtico. Quoad alias autem pœnas eſt fori mixti, & datur locus prævention, ut pluribus oſtendit Sanchez de matr. l. 10. d. 8. à n. 16. & alii. V. l. 4. tit. 18.

Adulterium, cùm plerumque fiat in 943
occulto, potiſſimum probatur præſumptionibus, ut colligitur ex c. *Maritis*, 4. h. t. ibi: *Maritis etiam ex ſuſpicione uxores accuſare, permiſſum eſt, & ipſi plus cæteris de adulterio accuſare poſſunt, & defendere*; intellige tamen, *ex ſuſpicione non quacunque*, ſed violenta, de qua videri poteſt Sanchez l. 10. de matr. d. 22. à n. 43. Not. autem eſſe ſpeciale, ut notat Gonzalez in cit. c. *Maritis*, n. 1. quòd Maritis uxores *etiam ex ſuſpicione* de adulterio accuſare liceat: Regulariter enim ex ſola ſuſpicione nullus accuſandus eſt, c. *multi* 2. q. 1. ſed ſolùm legitimis probationibus, c. 1. cum ſeq. 2. q. 1. & L. *qui ſententiam*, C. de pœnis; cùm condemnatio (quæ accuſando quæritur) ſine talibus obtineri non poſſit.

Not. 2. Virum, qui uxorem ſcit adulte- 944
ram, & in vitio perſeverantem retinet (intellige impunè) eſſe participem delicti, ut dicitur c. *Si Vir*. 3. h. t cenſerique reum *lenocinii*, juxta Sanchez cit. l. 10. d. 5. n. 5. V. dicenda de lenocinio à n. 958. Not. 3. quamvis in cit. c. *Si Vir*, dicatur, ſi mulier propter adulterium dimiſſa, egerit pœnitentiam, & voluerit ad Virum redire, debere illam recipi à Viro; ſed non ſæpe (nimirum ubi condonatio præbet anſam relapſus) ly *debere* tamen, poſt divortium legitimè factum non intelligi de neceſſitate præcepti, niſi hoc exigat charitas in caſu ſpeciali, de quo V. l. 4. tit. 19.

Not. 4. ex ſola aſſertione mulieris, di- 945
centis ſecum eſſe commiſſum adulterium à

facer-

ſacerdote, non probari adulterium, per c. *ſignificaſti*, 5. h.t. intellige *contra alterum*. Not. 5. unum Conjugem non poſſe alterum de adulterio impetere, ſi & ipſe adulterium commiſiſſe *convincatur*, per c. *intelleximus* 6. h.t. poteſt enim tunc ejus impetitio elidi per exceptionem paris delicti, de quibus V. Barboſ. in cit. c. 6. à n. 3.

946 Not. 6. per propriam confeſſionem adulterii à ſe commiſſi, factam in judicio, cenſeri adulterium probatum contra confitentem, ut colligitur ex cit. c. 6. ibi: *vel per propriam confeſſionem mulieris*; ita Sanch. cit. l. 10. d. 12. n. 49.

Not. 7. ſeparatione matrimonii factâ propter adulterium, reintegrari matrimonium, & locum fieri compenſationi officio Judicis, ſi etiam innocens in fornicationem lapſus ſit; hæc autem compenſatio admittitur quocunque tempore, ut colligitur ex c. *Tuæ Fraternitatis* 7. h.t. ibi: *ſi poſtmodum ipſe* &c. plura de his V. l. 4. tit. 18. qui matrim. accuſ. poſſ.

§. 2.

De pœnis adulterii.

947 INter pœnas adulterii aliæ ſunt criminales, aliæ civiles. In lege Moſaica pœna adulteri, vel adulteræ erat lapidatio. Levitici 20. & Deuteronomii 22. Jure civili Cæſareo, decapitatio, L. *quamvis*. C. ad Leg. Jul. de adulteriis; poſtea verò ſtatuta fuit detruſio in monaſterium. Authent. *ſed hodie*, eod. In plerisque autem provinciis eſſe relegationem ait Harprecht. in §. *Item lex Julia*, Inſtit. de publ. Judic. vel aliam pœnam arbitrariam, etiam pecuniariam, teſte Claro, §. *adulterium*. n. 7.

948 De jure autem Canonico perſeverantes in adulterio excommunicantur, c. *Intelleximus* 6. h.t. & Clericus in tali crimine confeſſus, vel convictus in judicio, ab officio deponi, & toto vitæ tempore in monaſterio pœnitentiam agere debet, c. *ſi quis*, & ſeq. diſt. 81. & c. *cùm non ab homine*, de Judiciis. Si Pater adulterum deprehendat in ſcelere cum filia, quam Pater habet in ſua poteſtate, licitè (ſeu potius permiſſivè quoad pœnam tantùm) eos occidit *ſpectato jure civili*. L. 20. & 23. ff. ad Leg. Jul. de adulter. quod tamen marito reſpectu uxoris non conceditur l. 22. §. *fin.* ff. eod. quia Patrem communiter cohibet paterna pietas à cæde; mariti autem furor refrœnandus fuit. De jure autem Canonico neutrum licet, c. *Inter hæc* 33. q. 2. & ſine dubio peccatum eſt.

Ex pœnis autem civilibus prima eſt, 949 quòd conjunx innocens poſſit inſtituere divortium, c. *Ex literis* 5. de divort. & c. *Tuæ* de procurat. Et de hoc egimus l. 4. decret. tit 19. Secunda eſt amiſſio dotis quam lucratur innocens, de qua ibid. Inter cauſas excuſantes à pœnis adulterii eſt mutua compenſatio delictorum; Secundò, ſi uxor ſit violenter oppreſſa; tertiò probabiliter, ſi ſit commiſſum metu cadente in conſtantem Virum; quartò, ſi vir, ſeu maritus, nullâ ratione legitimâ intercedente, dedit cauſam adulterio uxoris, de quibus jam egimus l. 4. tit. 19.

Prætèr hæc not. 1. pendente lite quæ- 950 ſtionis coram Judice ſeculari, motæ de alimentis præſtandis uxori adulteræ, à Viro ſeparatæ, ſi pars rea excipiat de ſufficienti cauſa divortii, nempe de adulterio, debere ſecularem Judicem lite ſuperſedere, donec Eccleſiaſticus divortii quæſtionem dirimat; & hunc poſſe interim ſecularem inhibere, juxta c. *Tuam*, de ord. Cognit. & c. *ſi Judex*, de ſent. excom. in 6. Sanchez l. 10. matr. d. 8. n. 17.

Not. 2. ut fiat divortium propter adulterium, neceſſariam eſſe *certitudinem moralem* de illo commiſſo; ſufficere autem eam, quæ in foro externo ſufficit, ut Judex ſententiam divortii proferat. Caſtropal. de ſponſal. d. 3. p. 6. §. 4. num. 8. Sanchez l. 10. matr. d. 12. n. 40. Hanc autem certitudinem moralem, juxta Caſtropalaum cit. faciunt, oſcula, & amplexus in loco abdito, & ſecreto, ubi facilè copula haberi poſſit, ſaltem ad ſententiam divortii, præſertim, ſi alia adminicula conjungantur, ubi plures pro hac ſententia refert etiam Sanch. cit. d. 12. n. 45. Graffis p. 1. deciſ. l. 2. c. 84. num. 5. Navar. in Rubric. de Judic. n. 10. Maſcard. de probat. Concluſ. 57. n. 5. & concluſ. 64. n. 1. Covarruv. 4. decret. p. 2. c. 7. §. 6. n. 3. &c.

Not. 3. cùm dicitur, carnalem copu- 951 lam per violentam præſumptionem probari. c. *literis* 12. & c. *Tertiò loco* 13. de præſumptione, debere intelligi, *in ordine ad divortium*; non autem, ad vindictam publicam, & ad ſufficienter probandum adulterium criminaliter intentatum; aut, ut quis de gravi crimine condemnetur, cujus ratio eſt ex dict. & habetur c. *litera* 14. de præ-

sumptioni sic Barbos ibid. n. 1. & alii. Illam porro *violentam præsumptionem* fundant sequentes circumstantiæ 1. quando vir, & mulier, solus cum sola, nudus cum nuda in eodem lecto simul jacuisse per testes probantur cit. c. 12. Secundò quando vir, & mulier, visi sunt simul in secretis locis; Menoch. l. 5. de præsumption: præsumpt. 41. n. 5. Barbos in c. 12. de præsumpt. n. 5. vel in latebris, & locis obscuris; Farinac. in praxi Criminal. p. 5. q. 136. n. 156. præsertim horis electis, & tam loco, quàm tempore illi malo fini opportunis. Quamvis autem hæ circumstantiæ (præsertim ea, si quis nudus cum nuda, solus cum sola in eodem lecto reperitur) dicantur *plenè probare* carnalem copulam; ut tenent complures, inter quos Mascardus, Menoch. Perez, & alii apud Barbos in c. *literis* 12. de præsumpt. non concludunt tamen per *necesse*; sed tantum *præsumptivè*; cùm in re fallibiles sint.

ARTICULUS II.

De Stupro, & cæteris vitiis carnis.

952 *Stuprum* apud Legistas latè accipitur, & comprehendit omnem coitum vetitum, sive cum virgine, quòd *Stuprum* propriè dicitur; sive cum vidua, & quavis corrupta, quæ est *fornicatio*; sivè cum nupta, quòd est *adulterium*, sive cum consanguinea, qui est *incestus*: apud Theologos, Duce S. Thomâ 2. 2. q. 154. a. 6. Stuprum sumitur presse, ac propriè, definitur in hunc modum: est *concubitus Viri cum fœmina virgine, quo virginalis carnis integritas corrumpitur*: hoc est, quod virginis fœminæ signaculum violatur. Apud Canonistas sumitur pari modo pro illicita defloratione Virginis non præcedente matrimonio, sivè ipsa consentiat in tali defloratione, sive non. Hinc illud definit Gratian. 36. q. 1. c. *lex.* 2. ibi: Stuprum autem propriè, Virginum est illicita defloratio, &c. Cæterùm esto stuprum propriè sit illicita Virginum defloratio non præcedente conjugali pactione, si tamen committatur *per vim illatam fœminæ*, addit malitiam mortiferam, proindeque in confessione necessariò aperiendam: secùs, si in defloratione nulla vis fœminæ inferatur. V. Molin. to. 4. tract. 3. d. 104. n. 1. Sanchez de matr. lib. 7. d. 14. n. 5. Azorium to. 3. lib. 3. c. 11. & Lessium lib. 4. c. 3. dub. 9. his præmissis, exponemus breviter reliquas stupri species, in fine acturi de pœna Stupri.

953 *Incestus* est concubitus cum persona consanguinea, vel affine in gradu, jure divino, vel humano prohibito. c. *lex illa* §. *cùm ergo* 36. q. 1. Committi potest multis modis 1. contractis incestis nuptiis; Secundò, si simul cum conjugato vel conjugata. 3. Si simpliciter, nimirum sine adulterio, aut prætextu nuptiarum & dicitur incestus simplex. De pœnis contrahentibus, & consummantibus incestas nuptias decretis, diximus l. 4. de incestu adulterino; & ratione adulterii, articulo præcedenti. Hodierno jure incestus simplex, in gradu jure humano duntaxat prohibito, habet pœnam de jure civili arbitrariam pro varietate circumstantiarum, ut testatur Zoësius apud Pirhing. de adulter. n. 65. olim Clericus, qui carnaliter cognovit filiam suam spiritualem ex sacramento pœnitentiæ, deponendus erat ab ordine, officio, & beneficio, per c. *non debet* 30. q. 1. quod etiam dicitur, propter carnalem copulam cum cognatis spiritualiter per c. *omnes* 8. cum sequenti 30. q. 1. Ex hoc colliges ad incestum etiam revocari peccatum carnis inter conjunctos cognatione legati, vel spirituali; licet tale peccatum proprie incestus non sit, de quo V. reliqua lib. 4. tit. cit.

954 *Sacrilegium*, prout hîc accipitur, est concubitus cum persona Deo dicata per votum Religionis, vel Ordinis, qualis est persona Religiosa, vel in sacris constituta, ratione voti castitatis annexi ordinibus sacris. Sic Theologi communiter. Cæterùm in foro externo, seu contentioso, prout gravius à jure civili, & canonico punitur, est solus concubitus Clerici, vel Laici cum Moniali, Pirhing. h. t. n. 68. Et sacrilegium hoc modo sumptum, in Viro jure civili punitur pœnâ mortis. Authent. de SS. Episcopis §. *penult.* Collat. 9. quæ authentica etiam per Sacros Canones recepta est in c. *siquis* 27. q. 1. de jure autem Canonico, Laicus excommunicatur; Clericus autem privatur beneficiis, deponitur ab ordine, & ad perpetuam pœnitentiam in Monasterium detruditur c. *si quis Episcopus* c. *si qua Monacharum* 27. q. 1. Monialis verò in strictius Monasterium Virginum detruditur, ut illic pœnitentiis, orationibus, & jejuniis vacet. cit. c. *si qua Monacharum.*

955 *Sodomia* propriè dicta, est coitus maris cum mare, vel fœminæ cum fœmina in vase

vase præpostero, ut colligitur ex c. *Usus* 32. q.7. huc reducunt aliqui etiam coitum viri cum fœmina in vase præpostero; sed licet hoc crimen sit vitium contra naturam, non est tamen sodomia strictè sumpta, cùm hæc requirat *identitatem sexûs*. S. Thomas 2.2. q. 154. a. 2. Sodomitæ propriè dicti puniuntur, jure civili pœnâ gladii §. *item lex Julia.* Instit. de public. Judic. quæ pœna approbatur c. *Solicitatores* dist. 1. de pœnitent. In quibusdam autem locis comburuntur. Azor. p. 3. l. 3. c. 19. saltem post mortem. Hæc pœna mortis locum habet tam in agente, quàm in patiente. Julius Clarus. §. *Sodomia* n. 2. & ambo sunt ipso jure infames: jure autem Canonico, Sodomitæ, si sint *laici* excommunicantur: *Clerici* beneficiis privantur, omnino dejiciuntur ab ordine, & statu Clericali, &c. de quibus vide Pirhing à num. 71. qui num. seq. addit constitutionem Pii V. jubentis, Clericos sodomiam *exercentes*, degradandos, & brachio seculari tradendos. Prædictas autem pœnas intellige, de sodomia *strictè* sumpta, eâque *consummata*. Sic Azor cit. c. 20. q. 4. Crimen autem illud est fori mixti coll. ex c. *Clerici*, de Excessibus Prælat. & docet Clarus. §. *Sodomia.* n. 3.

956 *Bestialitas* contingit, quando quis cum bruto animali commiscetur. Hoc crimen si opere consummatum sit morte punitur. c. *Mulier* 15. q. 1. de quo videri potest Azor c. 22. q. 1. Sed hoc intellige, ut dictum est, *si crimen hoc sit opere completum, consummatâ nimirum copulâ*; secùs enim pœnæ mortis locus non est; & ideo crimen solùm attentatum, aut inchoatum, sed imperfectum sub pœnam legalem non cadit, nisi hoc ipsum exprimatur.

957 *Fornicatio* latè sumpta supponit pro quolibet illicito concubitu extra matrimonium; strictè autem pro concubitu soluti cum soluta, & sic dicitur fornicatio simplex. Hujus pœna jure canonico est arbitraria; quamvis Clericus in sacris puniendus sit suspensione ab officio, sic Jul. Clarus cit. *Concubinatus* autem est crimen, quod committitur, domi suæ, vel alienæ servando mulierem solutam ad usum carnalem, pro quo quis eâ uti consuevit. Quæ pœnæ jure novo Tridentini statutæ sunt in Laicos, vel Clericos concubinarios, constat ex sess. 25. de reform. c. 14. Videri etiam possunt à nobis dicta l. 4. decret. ubi pluribus exposuimus, quo sensu nomen *concubinæ* accipiatur in sacris literis, & canonibus, quando *Concubinæ* de jure permissæ dicuntur. *Concubinæ* enim illæ erant illis temporibus *Uxores*, sine instrumentis dotalibus, vel aliis solemnitatibus olim ad honestatem desponsatæ requisitis, de quibus agitur c. *aliter* 30. q. 5. Hîc autem concubinatus sumitur pro concubitu illicito, qualis est inter virum, & mulierem domi libidinis causâ retentam, nullo inter eos conjugali vinculo constante.

Lenocinium exercetur aliis dando, vel 958
procurando concubitûs illicitos, quæstûs causâ; & qui hoc faciunt, *lenones* appellantur. Molina tom. 4. de just. tr. 3. d. 97. n. 1. quinque *lenonum* genera distinguit. In primo (inquit) sunt, qui circa suas proprias uxores lenocinium exercent. In secundo, qui lenocinium exercent circa fœminas, quæ in loco publico degunt, participando de illarum lucro. In tertio, qui lenocinium exercent circa eas, quæ in domibus privatis sunt. In 4. qui lenocinium exercent circa eas, quas ipsi in ipsorum domibus habent, sive eorum ancillas, sive liberas. In 5. qui domum ipsi exhibent, fornicari ibi volentibus. Ratione circumstantiarum diversimodè puniuntur *lenones*, ex Ordin. Crimin. ab artic. 122. his præmissis:

Quæres 1. quæ sint Strupratorum pœ- 959
næ? R. eum, qui cum Virgine, vel vidua, *honestè vivente* commisit stuprum *non violentum*, de jure civili puniri confiscatione bonorum, si sit honestus; si vilis verberatione, & relegatione. §. *Item lex Julia.* Instit. *de public. Judic.* Si autem *violentum*, pœnâ legis Juliæ, de vi publica; vel etiam pœnâ capitis. Hodie tamen pœnæ juris civilis, etiam in terris Imperii, locum non habent, sed solùm pœnæ juris Canonici, ut docet Julius Clarus §. *Stuprum* n. 3. nisi parentes puellam violatam illi dare nolint, sed contra illum agant criminaliter. De jure autem Canonico Stuprator, puellam violatam, tenetur, vel ducere, vel dotare c. 1. h. t. & c. *pervenit* 2. eod. pro quo not. 1. per hoc capitulum, secundum, non limitari primum; cùm hoc fit ab Innocent. III. illud à Gregorio I. qui longè præcessit illum. Not. 2. si vel parentes puellam illi in uxorem dare nolint, vel ipsa illi nubere non velit, aut vir eam ducere non possit (aut quia est disparitas, aut alia gravis causa) Stupratorem non liberari ab illa dotanda eâ dote, vi cujus

acquirere possit matrimonium æquè bonum, ac habuisset vi statûs sui, si non esset violata. Si autem stuprator Virginis sit Clericus, punitur pœnâ arbitrariâ, vel depositionis, vel suspensionis, vel pecuniariâ; nec per hoc liberatur ab ea dotanda.

960 Not. 3. mulierem stupratam, præsumi fuisse Virginem, & invitam, nisi stuprator contrarium probet; quia vitium, & consensus in illud, cùm sit quid facti, non præsumitur. Censetur tamen spontè consensisse, si aberat metus injustus, dolus, & fraus, vel magna verecundiæ vis ob reverentiam stupratori solicitanti debitam, aut ob ejusdem potentiam.

Not. 4. si stupratori *consentienti* violata velit nubere; illum non teneri ad aliquod amplius ante Judicis sententiam; & parentem teneri illi dotem constituere perinde, ac si violata non fuisset; quia matrimonio secuto purgatur præcedens macula.

Not. 5. stupratorem liberari ab omni debito parentibus violatæ in conscientia præstando, quousque non accedit sententia Judicis, & violata spontè obligationem remisit. Nam debitum parentibus præstandum, ante sententiam Judicis fundatur in obligatione, quâ tenetur puellam servare indemnem; ergo hoc remittente, cadit illud.

961 Not. 6. Si puella, antequam cum stupratore transigatur, æquè bene nubat, ac si violata non fuisset, stupratorem in conscientia ad nihil amplius teneri; quia sic non amplius extat cum effectu damnum puellæ illatum. Sic Haunoldus tom. 1. de jure, & Just. tr. 2. à n. 687. Si autem quæras, quæ actio competat parenti puellæ stupratæ? R. quòd actio injuriarum ex l. 1. §. *usque adeo* ff. de injuriis ibi: *usque adeo autem injuria, quæ fit liberis nostris, nostrum pudorem pertingit, ut etiamsi volentem filium quis vendiderit, Patri, suo quidem nomine competit injuriarum actio.*

962 Not. 7. licet ei, qui commisit stuprum, voluntarium stupratæ, statuatur, ut eam, vel ducat, vel dotet; hoc tamen intelligi, *si ipse eam seduxit*, juxta c. 1. de adulteriis, ibi: *si seduxerit quis Virginem nondum desponsatam, dormieritque cum ea, dotabit, eam, & habebit uxorem*; ubi tamen particula *&* ex usu jam recepto resolvitur in disjunctivam, *vel*; id quod etiam colligitur ex c. 2. eod.

Not. 8. cùm pœna, stupratam dotandi, vel ducendi, sit in compensationem injuriæ per stuprum illatæ mulieri corruptæ, probabilius ei non esse locum, ubi stuprum est *voluntarium stupratæ*; quia sic nullam injuriam passa est.

Not. 9. si stuprator asserat, puellam ultrò absque dolosa seductione consensisse, puella verò dicat, se fuisse dolosè seductam, præsumendum esse pro puella, eò, quod plerumque contingat mulieres dolo seduci, sic Haunold. cit. tom. 6. tr. 2. n. 585.

Not. 10. stupratorem condemnatum, 963
ut stupratæ solvat dotem, teneri statim, non quidem post illatum stuprum, sed post condemnationem, arg. L. *unic.* C. de Raptu Virg. §. 1. ibi: sive maritum volentes accipere, in sua pudicitia manere noluerit, *pleno dominio jancimus applicari*; cùm sit pœna absolutè imposita.

Not. 11. si conjugatus puellæ intulit stuprum voluntarium, interveniente deceptione, & seductione per blanditias, promissa, & similia, seductam, scientem ejus conjugium, non posse exigere dotem, sed tantùm agere actione injuriarum. Quia debitum dotis substituitur solùm in casum, quo mulierem non stupratam ducere recusat stuprator, cùm posset, & illa non posse ignoravit, si enim scivit, suâ culpâ damnum patitur. Nam; *quod quis ex culpa sua damnum sentit, non intelligitur damnum sentire* l. 203. ff. de Regul. jur.

Not. 12. quando puella pro usu sui 964
corporis in certo pretio cum stupratore convenit, eo persoluto stupratorem ad nihil amplius teneri, tum quia sic damnum passa est *volens*, faciendo venalem usum sui corporis; tum quia sic eligendo vitam meretriciam renuntiavit juri alioquin à lege inducto in favorem honestarum mulierum.

Not. 13. probabilius esse, concubitum cum puella non invita, non esse stuprum *violentum*, licet quis vim intulerit, non ipsi personæ, sed ædibus, perfringendo portas, per fenestras ope scalarum penetrando ad eam; nam jura, quæ loquuntur de stupro *violento*, requirunt vim *in personam invitam*, & reluctantem. Ex hoc colliges stuprum censeri *violentum*, si puella poculo amatorio, vel ebrietate eo fine inductâ (ut omnino incompos sui, & altissimum dormiens, facilius corrumpatur) à stupratore cognosceretur, cæteroquin, non extinctâ omnino naturali apprehensione honestatis, non facilè consensura.

Not.

965 Not. 14. non esse indubitatum signum, *puellam non fuisse invitam*, si ex concubitu stupratoris concepit. Nam etiam reluctante, quantum potest, appetitu rationali, excitari potest appetitus sensitivus ad causandam etiam invitæ seminationem, generationi prolis probabiliter necessariam.

Not. 15. committentem stuprum violentum cum puella nondum viripotente, seu pubere, rupto tamen virginali claustro, per l. 38. §. 3. ff. de pœnis, damnari ad metallum, si vilis sit; si honestus, mitti in insulam; hodie verò, loco damnationis ad metallum (cùm amplius in usu non sit) esse fustigationem, & relegationem; si autem cum impubere committat stuprum violentum à fortiori est pœna capitis.

966 Si quæras 1. qualem alimentationem proli ex stupro natæ, subministrare teneatur stuprator? R. Multos opinari, quod nullam, nisi post triennium, fundamentum desumentes ex l. 9. C. de patria potestate, ubi dicitur: jure manifesto monstratum declarari remedium alimentorum majori trimo petenti ejus nomine apud Præsidem: Sed Carpzovius apud Haunold. cit. n. 593. negat ex hac lege intentum probari, eò quòd lex solùm loquatur de alimento lactis, quod tunc ante triennium non solerent infantes ablactari. Et ideo probabilius est, expensas in alimenta dictæ prolis esse faciendas à stupratore, non tantùm post triennium; sed etiam, si quæ fieri deberent ablactato infante ante triennium; aut si matre non valente præbere lac, conducenda foret alia nutrix; nec istam obligationem finiri, donec judicis arbitrio videatur proles ipsa sibi alimenta procurare posse. Sic Haunold. cit. n. 593. Hoc enim debitum est de naturali parentum obligatione; si autem contingeret matrem, propter suam inopiam, destitui alimentis necessariis ad præbendum lac infanti, stuprator teneretur etiam expensas dare in alimenta Matris; cùm id ponatur necessarium, ut lacte matris alatur infans, cæteroquin non valituræ maternum lac & officium præstare infanti.

Si quæras 2. quis lite pendente debeat 967
prolem alere, si stuprator, non negans copulam, neget prolem esse suam, allegans, se reperisse mulierem prius corruptam ab alio, & ex hoc prolem susceptam probare contendens? R. cùm præsumptio stet contra stupratorem, quam diu non probat contrarium, ipsum teneri: in casu demum, quo mulieri dedisset jam pecuniam vel transactione conventam, vel à Judice impositam, & solutam, hanc probabilius repetere non posset etiam prole mortuâ, cùm certum pro incerto ex transactione datum sit, justo Matris solatio.

QVÆSTIO XVII.

IN TITULUM XVII. DE RAPTORIBUS, INCENDIARIIS, ET VIOLATORIBUS ECCLESIARUM.

HActenus egimus de criminibus contra Deum, eorumque pœnis, præsertim Ecclesiasticis; exposuimus etjam quædam, quæ sunt contra proximum, & prohibentur 4. 5. & 6. præcepto decalogi. Sequuntur ea, quæ sunt contra præceptum 7. qualia sunt, quæ committuntur à Raptoribus, incendiariis, & Ecclesiarum violatoribus.

ARTICULUS I.

De Raptoribus.

RAptor est, qui committit raptum, vel 968
rapinam; hæc enim duo distinguenda sunt juxta præsentem tractationem. Nam *raptus est circa mulieres, rapina est circa res.* Raptus mulierum fieri potest vel causâ ineundi matrimonium cum rapta; vel solùm causa libidinis exercendæ cum illa. Raptus prout subjicitur pœnis, requirit abductionem de uno in alium locum moraliter diversum, & includit vim factum vel raptæ, vel iis,

iis, quorum potestati subest; quin necessariò supponat violationem personæ raptæ, ut constabit ex sequentibus. De raptu mulierum, in quantum fit causâ ineundi matrimonii cum rapta, & jure novo inducit impedimentum dirimens matrimonium inter raptorem, & raptam, egimus l.4. decret. Eo autem non dirimi sponsalia solùm de futuro ibid. tanquam probabilius amplexi sumus, expositâ etiam quæstione, an huic impedimento locus sit, si mulier rapiat virum matrimonii causâ?

969 Loquendo autem de raptu mulieris *causâ libidinis*, not. 1. hoc crimen raptûs committi, cùm fœmina *honesta* libidinis explendæ causâ (etsi non expletâ) vi de loco in alium locum moraliter diversum abripitur. Circa hoc not. 1. abductionem mulieris *consentientis*, causâ matrimonii, non reputari pro raptu in jure canonico. c. *penult.* h. t. secus de jure civili, sive fiat causâ libidinis, sive matrimonii, dissentientibus parentibus, vel Tutoribus, L. *unica.* Vers. *maximè* C. de raptu Virgin. V. tamen Sanchez l. 7. matrim. d. 3. n. 17. Zoësium h. t. num. 1.

Not. 2. quòd jus civile in ejusmodi raptores statuat pœnam Capitis, amissionis bonorum raptæ applicandorum, & quòd in flagranti crimine deprehensus impunè interfici possit; & rapta in matrimonium cum eo consentire nequeat. Ita Zoësius. cit. n. 2. & L. *unica.* C. de Raptu Virg. seu Viduarum, nec non Sanctimonialium; cui addi potest ordinatio criminalis Carolina a. 118. & Novella 150. de quibus V. Haunold. tom. 6. de Jure, & Just. tr. 2. à n. 544.

Not. 3. ab eod. Concilio præterea statui, raptam à Raptore dotari debere, sivè illam duxerit, sivè non; quod demum permittit, si Rapta tuto, & libero loco posita in eum consentiat, quin ex secuto matrimonio liberetur ab excommunicatione, & aliis pœnis; sic habet sess. 24. de reformatione matrim. c. 6.

970 Not. 4. ad pœnas raptûs sufficere, *crimen raptûs perfectum*, hoc est, quòd mulier verè sit vi abducta in alium locum, esto copula non sit secuta; Zoës. cit. n. 6. & Sanchez n. 18. quod maximè obtinet in violenta Sanctimonialis abductione.

Not. 5. juxta Zoësium cit. n. 4. & alios, secuto matrimonio inter Raptorem, & Raptam, probabilius non cessare pœnas raptûs, statutas in jure civili; de jure autem canonico constat ex dict. supr.

Not. 6. eum, qui rapit propriam sponsam de futuro, de jure civili quoad pœnas, *raptorem* censeri, cit. L. *unica*, vers. *quibus etiam*: non autem de jure Canonico c. *penult.* h. t. ibi: *ubi nihil antè de nuptiis agitur.*

Not. 7. quamvis in juribus, quæ prædicatas pœnas statuunt raptoribus mulierum, non fiat mentio de casu, quo *mas marem* rapit libidinis causâ (videntur enim loqui de explenda libidine per naturalem copulam) committi tamen *vim publicam* & ex L. *Julia* C. de vi publica, in l. 3. ibi: *solenni more de vi apud Prætorem provinciæ accusari posse.*

Est autem distinctio inter *violationem* 971 *pacis publicæ*, & inter *vim publicam.* Nam ut *pax publica* violetur, tria requiruntur. 1. Ut interveniat vis armata. 2. Ut vis sit major, & cui vix, aut difficulter resisti possit, quæque coadunatis pluribus hominibus intentetur (sic enim est proprie *vis publica armata.*) 3. ut interveniat dolus malus, nimirum, ut ea vis publica proveniat ex malitia saltem præsumptâ, ac æstimata nocendi voluntate, præcedente tractatu, & communi consilio, ut colligitur ex l. 3. §. 2. ff. de vi, & vi armata. Econtra *vis publica*, prout minus est, quam pacis publicæ violatio, est, quæ cum armis, & violentiâ committitur vel à persona publica, vel in personam publicam, vel quæ violat jus publicum; *Vis* autem *privata* est, quæ sine armis patratur à persona privata in privatam, sine juris publici violatione, ut exponit Perez apud Haunoldum cit. tr. 2. n. 608. quamvis ibidem hic ex Carpzovio notet, hodie *vim publicam* à *privata* ex armis discerni. Pro vi publica jus olim constituit pœnam deportationis, cum publicatione bonorum; pro privata, confiscationis tertiæ partis bonorum cum privatione omnium honorum, & dignitatum; hodie autem ex consuetudine pœna utriusque est arbitraria, nisi concurreret alia species delicti, sic Haunold. cit. n. 609.

Not. 8. si fœmina virum rapiat libidinis 972 causâ non committi raptum prout subjicitur prædictis pœnis, censere Decianum l. 8. c. 7. n. 27. quia nec viro, nec ejus parentibus provenit inde tanta infamia, quàm si vir rapiat fœminam ad abutendum eâ, nisi casus esset, quod meretrix raperet juvenem nobi-

nobilem ex ejusmodi libidinoso fine. Sed & probabile est, etiam tunc committi raptum dictis pœnis subjectum, cùm legis dispositio fundetur in ratione utrique communi, etiam ex intentione legislatoris eo collimante, ut caveantur violentæ abductiones animo libidinis cum abducto exercendæ. Nec obstat, quòd leges non exprimant casum, quo à muliere rapitur masculus; hoc enim non tam fit restringendæ legis causâ, quàm solùm exprimendi casum in hac materia frequentiorem.

973 Not. 9. ut raptus, causâ libidinis exercendæ, factus cadat sub prædictas pœnas, non requiri, quòd libido actu exercita sit; sed sufficere raptum, in linea raptûs perfectum esse. Quia pœnæ *raptui* statutæ sunt, etiamsi raptor pravam suam intentionem ad libidinis actualem usum non expleverit, quia vel impeditus fuit, vel alia de causa non potuit. Lex enim dicit, *capitis supplicio plectendos decernimus, & maximè si Deo fuerint virgines, vel viduæ dedicatæ*, quòd non solùm ad injuriam hominum, sed etiam ad ipsius Dei omnipotentis irreverentiam committatur, *maximè* cùm virginitas; vel castitas corrupta restitui non possit. Nam ex hoc textu præsertim eâ particulâ *maximè*, clare patet principalem rationem pœnarum non esse, *quòd ablata castitas restitui non possit*; sed quod ex hoc illi raptores sint magis puniendi, si cum raptu conjungatur virginitatis ablatio.

974 *Raptus rerum* contingit per *rapinam*. Not autem *Rapinam* apud Molinam de jure & just. tr. 2. d. 683. tripliciter sumi. 1. Latissimè pro usurpatione ejus, quod sibi non debetur, aut retentione ejus, quod alteri debetur. 2. Latè prout comprehendit furtum & quamcunque injustam acceptionem. 3. Presse, ac propriè, ut distinguitur contra furtum, & alios injustitiæ modos. In qua acceptione sic definiri potest. Est *violenta rerum receptio* l. 1. C. de vi bon. rapt. Expressius in hunc modum. *Est injusta acceptio boni externi, per vim ejus, cujus est.* Intellige per vim sivè publicam, sivè privatam. Quænam sit vis publica, & privata exposuimus n. 971. per particulam (*boni externi*) excluditur raptus mulieris, quia tunc non committitur injustitia respectu bonorum externorum, sed respectu personæ. Rapinam & furtum differre specie in ratione injuriæ, bene ex S. Thoma 2. 2. q. 66. a. 4. tradit Lessius l. 2. c. 12. n. 8. quia rapina est peccatum gravius furto, cum illi addat violentiam, proindeque novam rationem injuriæ. In præsenti autem agimus de Rapina in acceptione stricta, & propria. Quoad ejusmodi Raptores, de jure Canonico statutum est, quod à Judice loci, ubi delinquunt, sint puniendi, c. 1. h. t. Nam ratione delicti sortiuntur forum. Spoliatores autem itinerantium, & naufragorum à Prælato loci, in quo delinquunt excommunicandi sunt, nec absolvendi antequam satisfaciant re, vel cautione; & ideo proprius eorum Episcopus monendus est, ne illos prius recipiat c. 1. & 3. h. t. & hic ex commissione Principis potest eos etiam punire pœnâ pecuniariâ, vel flagellatione, tali tamen, quæ non transeat in vindictam sanguinis; ex c. 4. eod.

Præter hæc not. 1. cùm in cit. c. 1. dici- 975
tur, quòd dicti Raptores, excommunicati à loci Prælato, non permittendi sint exire, *ex Parochia illa*, nisi dignè, quæ perpetrârunt, emendent, per *parochiam* intelligi *diœcesim*. Nam diœcesis tota, dicitur *Parochia Episcopi*, ut docet Barbos de offic. & potest. Episcopi p. 3. allegat. 80. n. 12.

Not. 2. delinquentem, remittendum esse ad locum delicti, ut ibi puniatur ad aliorum exemplum, & læsionem reipublicæ compensandam, ut constat ex c. 1. h. t. ibi: *antequam illuc redeant*, ubi rapinam fecerunt. Sic Covarru. practic. c. 11. n. 4. intellige, si pars læsa id exigat. Sic Julius Clarus in §. *fin.* q. 38. n. 19. etiamsi aliàs detineatur per Judicem domicilii, vel originis ex officio procedentis.

Not. 3. Raptorem *manifestum*, si restituat, vel de restituendo caveat in vita, & morte, ad pœnitentiam, & sepulturam Ecclesiasticam admitti, non autem; si noluit, cùm posset, & in morte non possit, prout habet expressus textus in c. *super eo* 2. h. t.

Not. 4. Clericos, qui manifesti rapto- 976
ris (qui, cum in vita potuisset restituere, noluit, licet in morte non possit) sepulturæ interesse, seu eleemosynam, aut oblationes recipere, aut ei pœnitentiam, (intellige ut supr.) injungere attentaverint, deponi ab officio, & beneficio, per textum in cit. c. *Super eo*, 2. h. t. nec Episcopum proprium, Clericum, propter rapinam, depositum, posse restituere absque Pontificis dispensatione; pat. ex cit. c. 2. ibid. *Ordinis sui damnum irrecuperabiliter patiantur.* Est autem ea depositionis pœna, solùm *ferenda*

per Judicem ut not. Abbas hic & alii ex illis verbis: Ecclesiastico beneficio *careant*, quod est imperativi modi.

977 Not. 5. leges Principum, bona naufragantium ad ipsorum fiscum pertinere declarantium, neglectis, aut prætermissis eorum dominis, adversari regulæ fidei de diligendo proximo, Matth. 22. ut dicitur c. *excommunicationi* 3. h. t. consequenter iniquas esse, & meritò, cùm foveant peccatum, jure canonico reprobari. In ordine autem crimin. Carolin. a. 126. Raptoribus malitiosis, & convictis, imponitur pœna mortis; de genere autem mortis observanda est cujusque Provinciæ consuetudo; potest autem etiam semel exercens rapinam dici *raptor*, sicut peccator, qui semel peccavit; & probabilius etiam contingit, committi rapinam per gravem metum injustè adigendo alterum, ut rem tradat; cùm & sic etiam fiat *vera concussio*, si quis metu propter authoritatem injuste adigitur ad dandam pecuniam; de quo plura Haunold. cit. tom. 6. tr. 2. à. n. 536. & colligitur ex c. *Pessimam*, 23. q. ult.

ARTICULUS II.

De Incendiariis.

978 PEr *incendiarios* in præsenti, intelliguntur ii, qui germano idiomate vocantur Mordt-Brenner / qui nimirum dolo malo, sive ex odio, sive amore lucri, alterius ædificia, vel bona (*ut segetes, fœnum, acervos fructuum*, &c.) incendunt, aut incensuros minantur, ut exponit Haunoldus tom. 6. de Jure, & Just. tr. 2. n. 331. intellige, si id faciant, *authoritate privatâ*, ut notat Pereyra in Elucidario n. 146. Ex hoc colliges: Incendiarios, prout subjacent pœnis, appellari, qui authoritate privatâ, datâ operâ appositio igne incendunt domum, civitatem, Ecclesiam &c. item mandantes, auxilium, vel consilium scienter dantes. c. *Pessimam* 23. q. 8. c. *cùm devotissimum* 12. q. 6. & c. *siquis domum*, de injuriis. Per *Ecclesias* autem hic intelliguntur *templa, loca Religiosa*, vel *pia*, imò & *cœmiteria*, *& domus contiguæ intra* 30. *passus* c. *definivi* 17. q. 4.

979 Isti, de jure canonico, in c. *Conquesti* de sententia excommunicationis, puniuntur excommunicatione, & quidem ipso jure; ita Zoësius hîc, n. 9. Suarez de censur. d. 22. sect. 2. n. 4. & 16. ex c. *Canonica* 11. q. 3. (Textus autem oppositi, quibus aliqui volunt, esse pœnam tantùm *ferendam*, non loquuntur de violatione Ecclesiæ, sed furto sacrilego) & privantur Ecclesiasticâ sepulturâ, nisi prius absolvantur. c. *in literis* h. t. ubi etiam dicitur, eorum hæredes manere obligatos ad damni restitutionem, pro viribus hæreditatis. Excommunicatio autem illa non extenditur ad incendarios *aliarum rerum*. Ita Zoësius cit. n. 10. Quia textus loquitur expressè de *incendiario Ecclesiæ*.

Præter hæc not. cùm cit. c. *In literis* 5. 980
h. t. dicitur, hæredes defuncti, qui in morte pœnitens absolutus est, monendos esse, ut his, quibus ille per incendium damnum injustè intulit, juxta facultates suas condignè satisfaciant, *ut sic à peccato valeat liberari*, per hæc ultima verba non denotari, *peccatum non remitti, si hæredes non satisfaciunt*; cùm ponatur ante mortem dimissum, aut, si dimissum non fuit, nec dimittatur postea. Sed nec etiam intelligi potest, quòd ei non dimittatur quoad pœnam in purgatorio, ubi tantam sustinuit, quanta culpæ debita est; nam hoc foret contra justitiam vindicativam; imo complures censent excessum pœnæ, ultra mensuram delicti, esse contra justitiam commutativam. Eorum igitur verborum sensus videtur solùm esse, faciendam esse restitutionem ab hæredibus, ut defunctus à peccato liberetur, *opinione vulgi*; communiter existimantis, non secutâ tali satisfactione, decessisse impœnitentem, vel saltem non efficaciter pœnitentem.

Cæterùm Navarrus in Manuali latino 981
c. 27. n. 68. censet legendum, *valeant* liberari, nimirum *hæredes*, utique peccantes, si voluntatem defuncti Testatoris, qui mandavit restitutionem fieri, non adimpleant. Igitur non fuit mens Papæ, in gratia ante restitutionem defunctum, *ut liberetur à purgatorio*, egere restitutione factâ per hæredes (nam ob dilatam restitutionem piorum legatorum, aut solutionem debitorum, non detineri animas in purgatorio, docet S. Thomas quodlibet 6. a. 13. & complures alii ob rationem num. præced.) sed ipsos hæredes, *ne peccatum incurrant*; cùm rectè intelligi textus possit, de liberatione præservativa. Sic. Gonzalez in cit. c. 5. h. t. num. 3.

Not. 2. quòd dicitur in c. 5. de injuriis, 982
& damno dato, *incendiarium teneri reddere damnum*

damnum à se factum, esse duntaxat declarationem juris naturalis, quemlibet obligantis ad compensationem damni, actione injustâ à se causati; & in c. statim sequenti, decerni pœnam, ut tres annos pœniteat, qui domum, vel agrum alicujus incenderit.

Not. 3. in c. 19. de sententiâ excommunicationis, haberi, incendiarios, ex quo per Ecclesiæ sententiam publicati sunt, pro absolutionis beneficio esse mittendos ad sedem Apostolicam, in c. 14. 17. q. 4. incendiariis Ecclesiarum statui pœnitentiam per quindennium, damni reparationem, & sui pretii in pauperes distributionem. Extenditur autem hæc constitutio in c. 32. 23. q. 8. etiam ad *mandantes* Ecclesiæ incensionem, & *scienter* ad hoc *dantes consilium*, vel *auxilium*; additurque ibidem pœna excommunicationis ferendæ, & privatio Christianæ sepulturæ, si satisfactione non datâ decesserit, ac demum mora per unum annum in Dei servitio Hierosolymis, vel in Hispania. Sed de his pœnis, & pœnitentiis publicis V. dicenda in tit. de pœnit. & remiss.

983 De Jure civili pœnæ incendiariorum variantur pro diversitate personarum incendentium, vel rerum incensarum. Nam l. 9. ff. de incendio, *vincti*, ac *verberati*, *igne necari jubentur*; l. 12. §. 1. eod. dicitur, *si humiliores sint*, solere bestiis objici; *si in aliquo gradu*, *capite plecti*, aut in insulam deportari l. 10. ff. ad L. Corneliam de sicar. *mitius puniri*, *qui extra oppidum incendit*, *quàm qui intra oppidum*; cùm hoc sit magis periculosum, & paci publicæ adversum. Quæ verò statuantur in ord. crimin. Carolin. videri possunt a. 125. quæ (jubens incendiarios malitiosos, *vivos exuri*) cùm utatur magnâ verborum generalitate, nullum facit discrimen inter plebejum, & nobilem, sicut nec inter marem, & fœminam, quoad pœnam ibi statutam.

ARTICULUS III.

De violatoribus Ecclesiarum.

Violatio Ecclesiæ idem est, ac pollutio, 984
seu contaminatio, quando scilicet Ecclesia indiget reconciliatione, juxta sacros canones. Quibus autem modis Ecclesia, sive consecrata, sive non consecrata violetur, eruditè tractat Azor p. 2. lib. 9. c. 5. Vide Sanchez lib 9. matrim. d. 15. & Suarez tom. 3. in 3. p. d. 81. sect. 4. Est discrimen inter execrationem, & violationem loci sacri: nam *Execratio* datur, quando res amittit consecrationem, ità, ut iterum consecrari debeat. *Violatio* autem, quando polluitur, ita, ut solâ reconciliatione indigeat. Sed in præsenti non agitur de violatoribus Ecclesiarum committentibus ejusmodi violationem; nec accipitur hîc Ecclesiæ violatio pro ea, quæ fit violando immunitates ac exemptiones, quibus gaudent Ecclesiæ intuitu Religionis, ac reverentiæ loco sacro debitæ.

Hoc igitur loco *Ecclesiæ violator* dici- 985
tur, quicunque ipsam Ecclesiam, frangendo ostia, capiendo res sacras, & invadendo, offendit, ut notat Pereyra in Elucid. sermonis Theologici, canonici, & civilis. n. 847. in fine. *Violatio* igitur, prout hîc accipitur, supponit pro confractione, spoliatione, & ejusmodi actionibus violentis inter ipsas Ecclesias factis. Tales violatores subeunt easdem pœnas, quas earum incendiarii, ut liquet ex cit. c. *conquestus*. Et in specie de excommunicatione latæ sententiæ constat clarè ex illis verbis c. *conquestus* ibi: *excommunicatos nuntietis*. Illa porrò violatio, ut subjiciatur his pœnis, exigit spoliationem *vi factam*, per effractionem violentam &c. adeoque non nudum furtum, de quo in sequentibus.

QVÆSTIO XVIII.

IN TITULUM XVIII. DE FURTIS.

986 HAnc materiam, quam ex professo tractant Theologi morales in 7. præcepto Decalogi, breviter expediam, secundùm quod pertinet ad nostrum institutum, *Furtum* definit Zoësius h.t. n.1. *contrectationem rei alienæ, vel ejus usûs, possessionis, lucri faciendi gratiâ.* Circa hanc definitionem multa movet Haunoldus tom.1. de Just. tr.2. n.251. præsertim quoad eum terminum *rei alienæ*; cùm quis possit furari *rem suam*, v.g. debitor, pignus apud suum creditorem; locator, rem locatam; deponens rem depositam, &c. quare dicit, furtum rectiùs definiri, quòd sit *occulta acceptio rei ab alio justè detentæ.* Et quamvis aliqui dicant, hanc esse *quæstionem de voce*, notandum tamen in jure *quæstiones de vocibus*, sæpius trahere secum *quæstionem de re.* Nam multum interest, an quis sit *juridicè fur*? & *pœnâ*, vel *actione furti* conveniri possit? Deinde, si est *furtum*, res ablata usucapi non potest, nisi prius ad dominum suum redierit; secus, si non sit furtum. Similiter si quid auferatur ex hæreditate jacente, licet auferatur res aliena, seu non sua; non tamen committitur furtum simpliciter, sed crimen *expilatæ hæreditatis* sic ille.

ARTICULUS I.

De variis speciebus furti.

987 FVrtum aliud est *nocturnum*, aliud *diurnum.* Fur diurnus est, qui furatur in tanta solis luce, ut agnosci possit; nocturnus, qui non tali tempore. Secundò, aliud est *manifestum*, aliud *non manifestum.* Manifestum non dicitur, quod fit eo spectante, cui fit, sed quod fur deprehendatur cum re furtiva eodem die, quo furatus est, & antequam rem eò, quo volebat, detulerit, sic, ut deprehendatur vel cum insecutione, vel saltem inclamatione, ut dicitur l.2. ff. de furtis; si secus sit, dicitur non manifestum. Sunt præterea quædam furta, quæ quia specialiter noxia sunt reipub. *ratione rei ablatæ*, specialia nomina habent, & effectus juris, ut crimen peculatûs, crimen de residuis, abiegatûs, plagium, rapina &c. de quibus pauca breviter insinuabimus ad rectam intelligentiam, cùm de his in hoc tractatu mentio fuerit. De rapina vero jam diximus à n.974.

988 Prima species furti ratione materiæ ablatæ est crimen *peculatus*, quod est *furtum rerum publicarum*, dictum à pecore, eo tempore, quo Romani nihil in bonis habebant præter pecudes; hoc crimen tunc datur, quando furto accipitur publica res, quæ nempe ad Fiscum Regis, aut ad bona illius pertinet, aut ad civitatem Romanam. Nam si aliquid usurpetur de bonis aliarum civitatum privatarum, vel cæterorum oppidorum, non erit peculatus, sed furtum simplex, licet gravius. Hinc *depeculari* propriè est *furari ea*, quæ *ad rempub.* sive *Principem*, sive *ad sacra pertinent.* Peculatui est valde affine *crimen* legis Juliæ, *de residuis*, l.2. & 4. §. *lege Julia* ff. ad legem Juliam peculatus, quod committitur, quando aliquis pecuniam publicam apud se habet, nec illam in eo expendit, ad quod destinata est, sed eam convertit in proprium commodum, non quidem animo nunquam solvendi (jam enim esset peculatus) sed defraudans illius usu, ac emolumento Principem, aut communitatem, cujus est, aut alios, quibus ex præscripto Principis, aut communitatis tradenda fuerat. Præterea crimen peculatus datur, cùm quis pecuniam publicam intercepit, aut quomodocunque corrupit; ut, si in aurum, argentum, vel æs publicum induxit ferrum. Idem est in sacra re, ut in vasis Ecclesiæ, aut religiosis ornamentis sepulchri. Unde lex Julia peculatûs lata fuit contra illos, qui pecuniam, vel publicam, vel sacram, vel religiosam furantur: De hujus delicti pœnis V. in Institut. de public. judic. §. *Lex Julia.* V. dicenda à n.1001. & 1003.

Abie-

989 *Abiegatus* crimen committit, qui de armento, aut grege abigit aliquot capita simul, v.g. 10. oves, 5. porcos; aut unum ex magnis animalibus v.g. unum equum, aut unum, sive bovem, sive mulum, sive asinum, sive camelum &c. L. *ult.* C. de abigeis. *Furtum sacrilegum* de jure canonico est, cùm quis furatur *sacrum de sacro*, vel *sacrum de non sacro*, vel *non sacrum de sacro*; hoc est, cùm quis furatur vel rem sacram de loco sacro; vel rem sacram de loco profano, vel rem profanam de loco sacro, quando scilicet ad hunc custodiæ, vel depositi causâ pervenit c. 20. & 21. 17. q. 1. Jure autem civili sacrilegium solùm tunc committitur, quando quis furatur rem sacram de loco sacro l. 5. ff. de furt. Pœnas peculatûs sacrilegi, vide apud Haunold. tom 6. tract. 2. à n. 522. Hoc crimen est fori mixti, c. *cùm sit* & c. *conquestus*, de foro competente. Farinacius in praxi criminali p. 7. q. 172. n. 3. ex consuetudine tamen solus Judex secularis de illo cognoscit, ut vult Julius Clarus §. *Sacrilegium* n. 3. V. n. 1003.

990 Crimine *Plagii* tenentur non solùm, qui dolosè homines intercipiunt, ac supprimunt, sed etiam, qui scientes, dolo malo, liberum hominem invitum emunt, vendunt, celant, vinctum tenent; & ideo dicitur *furtum hominis*, quod committitur, quando servus surripitur Domino, vel filius familias Patri, vide Haunold. cit. tract. 2. à n. 530. Crimen *concussionis generaliter* incurrit, quicunque metu pecuniam, aut æquivalens extorquet indebitè ab aliquo; *specialiter* verò, *quantum ad legales pœnas*, concussio est, *cum quis in officio constitutus, extorquet aliquid à subditis per metum, aut cùm non vult facere quod tenetur, nisi datâ pecuniâ*, aut, cùm extorquet ultra constituta sibi stipendia; aut cum accusat, vel ab accusando desistit propter pecuniam. Colligitur ex L. *jubemus*, C. ad legem Juliam rep. & L. 1. ff. eodem. Ob hoc crimen punitur quis pœnâ quadruplici 1. q. 7. c. *Sancimus*, & tam ad Laicos, quàm ad Clericos extenditur 23. q. 1. c. *militare*. V. n. 1004.

991 Crimini *stellionatûs* nomen dedit stellio, animal veneficum, lacertæ simile, distinctum coloribus, & humano generi valde invidum; quippe, cùm intelligat exuvias multis morbis esse remedio, ubi primum illas deponit, statim devorat. Unde committit stellionatum (inquit Sylvester V. *stellio*) qui est inconstans animo, varius verbo, vel facto, sicut, qui rem obligavit alicui, & deinde impignoravit alii, L. 3. ff. de crim. stellion. quod igitur in causis criminalibus vocatur *dolus*, in civilibus dicitur *stellionatus*. Deinde sicut in pecuniariis causis datur actio de dolo in subsidium, ita in criminibus quibuscunque, ubi titulus criminis deficit, crimen stellionatus objicitur, ut si quis vendidit tibi aurichalcum pro auro. V. n. 1006.

Repetundarum crimen contingit, vel de 992
repetundis quis accusatur, qui in administratione Magistratûs pecunias accepit, unde accipere non debuit tit. 48. ff. ad legem Juliam repetundarum, neque habet alios casus, quàm genitivum & ablativum numeri pluralis. Crimen *expilatæ hæreditatis* est, cùm res hæreditariæ subtrahuntur, antequam hæres earum possessionem adipiscatur. Crimen *fraudatæ annonæ*, cum portitores furantur victualia, à republica ad exercitum missa. Crimen *fraudati censûs* est, cùm quis furatur publicam pecuniam sibi accommodatam; de quibus videri possunt plura apud Pereyram loc. cit. V. n. 1005.

ARTICULUS II.

De pœnis furti.

DE jure canonico Presbyter, aut Diaco- 993
nus, in furto captus, deponendus est, ut dicitur in c. *Presbyter* 12. dist. 81. intellige tamen de illo, qui in furto captus, sive deprehensus, & convictus fuit, vel evidentiâ facti, vel sententiâ; aut propriâ confessione; juxta gloss. ibid. V. *captus est*. Deinde cap. *Infames* 6. q. 1. fures indefinitè infamiâ notantur, ut patet ex textu ibi: *Similiter fures*; quod accipiendum est, si de crimine convicti, & condemnati sint ex actione criminali; non autem, si condemnati solùm ad rei ablatæ restitutionem; quod fit, cùm contra eos non proceditur actione furti, pœnâ persecutoriâ; nam qui est infamis secundùm leges, etiam infamis est secundùm canones, nisi reperiatur statutum oppositum, Clericorum autē infamiam per Romanum Pontificem aboleri posse, colligitur ex c. *Euphemium* 2. q. 3. §. *hinc Colligitur*; ex quo vides hanc infamiam non incurri à fure occulto, sed manifesto, vel convicto in judicio. Unde talis post restitutionem, & pœnitentiam, potest ad ordines promoveri per c. *fin.* h. t. secundùm quod, ut talis sic promoveri pos-

sit, ex præscripto textûs requiritur 1. quòd sponte fuerit confessus delictum. 2. Quòd satis fecerit damnum passo, si potuit. 3. Quòd non fuerit publicè infamatus de furto. 4. Quòd egerit pœnitentiam, vel saltem congruam ejus partem. 5. Quòd alias sit idoneus.

994 Præter hæc not. 1. furem *sacrilegum*, non esse ipso facto excommunicatum, c. *fin.* h. t. excipe nisi furtum commiserit *violando Ecclesiam*, juxta dicta supr. Ex eodem c. *fin.* colligitur, etiam eum esse furem, qui rem alienam minùs cautè dimissam, seu relictam in loco privato, vel publico, accepit, si non inquirat Dominum animo, si repererit, eandem illi restituendi. De aliis pœnis, de quibus agunt antiqui canones pœnitentiales, maximè c. *siquis* 17. q. 4. (cùm non amplius sint in usu) nihil addendum censeo.

995 Not. 2. Cùm in c. 2. h. t. dicitur, pro *furibus*, & *latronibus* in furando, & deprædando occisis, *non esse orandum*, sed si comprehensi, aut vulnerati, Presbytero, vel *Diacono confessi* fuerint, communionem non esse negandam, plura dubia implicari. Nam, cùm dicitur *pro illis non esse orandum*, intellige, ideo, quia præsumuntur decessisse in flagranti delicto, mortaliter malo, *impœnitentes*, ut colligitur ex c. *siquis* 17. q. 4. Excipe, nisi ex signis quibusdam exterioribus, de illorum pœnitentia constet. c. *pro obeuntibus* 13. q. 2. c. *placuit*. 23. q. 5. Et quamvis Basilius Pont. de impedim. matrimonii c. 35. in fine, textum restringat, ad *raptores rerum Ecclesiasticarum*; verba tamen textûs apertè indefinita sunt, ibi: *fures*, & *latrones*.

996 Deinde cùm dicitur: *comprehensis*, vel *vulneratis*, *non esse negandam communionem*, *si Presbytero*, *vel Diacono confessi fuerint*, sensus est, *si coram Diacono dederint signa pœnitentiæ*; non verò, si *Diacono* fuerint *sacramentaliter confessi*; cùm hic non habeat potestatem clavium. Et ideo in casu, quo coram Diacono dederint signa pœnitentiæ, vult, eis non negari *communionem*, nimirum sepulturæ, oblationum, & orationum; & *Presbyter*, atque *Diaconus*, ibidem nominantur principaliter, *tanquam testes signorum pœnitentiæ*, ob quæ sola, furi decedenti, Ecclesia negari vult Ecclesiasticam communionem; Sic Barbosa in cit. c. 2. n. 5.

De pœnis furto, jure civili, statutis agere pertinet ad Legistas ex professo; pauca solùm, quæ instituto nostro deservire possunt (propter dicta lib. 1. de constitutionibus) annotare visum est; præsertim ex ordinatione Carolina, in qua plura circa furta, perquam ordinatè constituta sunt. Inter pœnas jure Cæsareo staturas furi, aliæ sunt *civiles*; aliæ *criminales*; Furto *manifesto pœna civilis* imposita, est pecuniaria, nimirum, ut præter rem ablatam, solvat quadruplum; *non manifesto*, ut duplum §. *pœna* & §. *ult.* Instit. de obligat. quæ ex delicto; quod intellige, secundùm æstimationem reifactam pro tempore, quo furtum commissum est, sic Philippus Braun. h. t. etsi aliter sentiant Theologi cum aliqua distinctione. 997

Inter pœnas autem *criminales*, etsi jure civili pro furto simplici nec pœna mortis, nec mutilationis statuta, sed aliter (nimirum, arbitrariâ pœnâ) castigandum sit per Authent. *sed novo juri* C. de servis fugitiv. ex consuetudine tamen, & recepto jam usu, apud plerosque populos, capitali pœnâ plectitur, si sit magnum, si sæpiùs iteratum; quæ pœna licet valdè gravis sit, cùm pro re temporali infligatur; justa tamen est, ut conservetur publica pax, & tanquillitas, ad refrœnandam avaritiam, & criminis frequentiam. Et ideo, etiam per ordinationem criminalem Caroli V. hoc crimen *capitale* est, qua cavetur, ut, qui furto, præsertim non *manifesto* quinque florenos (per *florenum* hîc ex praxi intelligendo non *Rhenensem*, sed *aureum Ungaricum*, ut notat Haunoldus de Jure tom. 6. tr. 2. n. 211. Braun. cit. & alii) pro prima vice *levius*; pro secunda *severius*; pro tertia, etjam *ultimo supplicio* (scilicet suspendio) puniatur, de quo videri potest ejusdem articulus 157. cum sequentibus. Ex hac ordinatione colliges, *pœnam mortis*, furi simplici, non ob *criminis magnitudinem*, sed *reiterationem*, & *frequentiam* impositam esse. Unde non desunt, qui meritò censeant, furto simplici, primo tamen, vel etiam secundò, *ex vi ordinationis Carolinæ*, non imponi pœnam mortis; & quamvis artic. 190. dicat, *marem*, si primâ vice furtum commiserit, agendum in furcam; *fœminam* mergendam in aquam, loquitur tamen citato loco solùm de furto *seditioso*, cum effractione, aut violentia facto. 998

Præter

999 Præter hæc not. 1. quando res furto ſublata, *de ſe levis eſt*, & ſolùm *gravis reſpectivè*, ob inopiam ejus, qui injuriam paſſus eſt, non cenſeri furtum dignum pœnâ capitali ex vi Conſtitutionis Carolinæ; ſed requiri *quantitatem in re ibidem expreſſam*, nimirum quinque florenorum, vel ultra, ſumendo florenum juxta num. priorem. In pœnis enim ſtrictior interpretatio facienda eſt. Nec obſtat, quod in eadem Conſtitutione dicitur, *attendendum ad opulentiam ejus, cui furtum ſit*; nam hoc fit eo fine, *ut pœna mitigetur*; quia quinque ſolidi, relatè ad opulentum, non ſunt grave damnum; nam ex hoc non rectè ſequitur durius puniendum, *attentâ inopiâ illius, cui fit furtum*, licèt relatè ad inopem ſit grave damnum. *Mitigare* enim *pœnam*, eſt ex diſpoſitione favorabili; *augere* autem, ex diſpoſitione odioſa: ergo non debet eſſe par in utroque interpretatio.

1000 Not. 2. probabilius eſſe tertium furtum cadere ſub pœnam ordinationis Carolinæ; licet priora duo jam vel punita, vel condemnata ſint. Quia, licet non augeant quantitatem, faciunt tamen, quòd cum tertio arguant *reiterationem*, & *conſuetudinem*. Plura de his videri poſſunt apud Hauneldum tom. 6. tract. 2. præſertim à n. 122. ubi proponit quæſtionem, qualis debeat eſſe effractio, ut fur, *effractor*, ſuſpendio puniendus ſit vi conſtitutionis Carolinæ, etiamſi valor furti ſit infra quinque florenos.

1001 De pœnis furtorum, quæ qualificata ſunt, not. 1. pœnam *peculatûs non ſacrilegi* de jure civili eſſe deportationem, ſi fur ſit perſona privata, per l. 3. ff. *de furtis*, junctâ etiam l. 6. & 13. ff. eod. ubi duplex exceptio continetur. Judicibus autem, & Magiſtratibus, qui Rei ſunt peculatûs, L. *unicâ*, C. *de crim. peculatus*, ſtatuta eſt pœna *capitalis*, in qua tamen qualitas mortis conſideranda venit, l. 6. ff. *de furtis*, quo poſito præterea advertendum, ſi furtum non ſit rei ſacræ de loco ſacro *copulativè*, jure civili non eſſe furtum ſacrilegum per l. 5. ff. eod.

1002 Not. 2. pœnam *peculatus Sacrilegi*, juxta acceptionem *ſacrilegii*, in jure civili declarari cit. l. 6. ff. *de furtis*, ordinationem tamen Carolinam artic. 172. ſtatuere. 1. furem vaſis ſacri, ciborii, vel Monſtrantiæ cum ſacra hoſtia ibi aſſervatæ, vivum exuri. 2. Puniendum eſſe per mortem pro qualitate rei, cum Conſilio Jurisperitorum, qui vas aureum, vel argenteum, ſive cum, ſive ſine reliquiis, vel calicem, aut patenam furatus fuerit, ſive in loco ſacro, ſive non ſacro. 3. Idem ſtatutum eſſe in eum, qui animo furandi, templum, ſacrarium, vel ſacriſtiam perfringit, aut doloſis armis aperit. 4. Etiam in eundem, qui quocunque modo ex arca, in quam fideles pecunias pro ſacris uſibus offerre ſolent, furatus fuerit.

Pœna delicti *de reſiduis* eſt, quòd talis, 1003
præter pecuniam, quam debet, tertiam partem ejusdem pecuniæ perdat, l. 4. §. 5. ff. h. t. *Abigei* juxta l. 1. ff. eod. puniuntur pœnâ gladii. *Plagiariis* L. *fin.* ff. ad *Leg. Fabiam de plagiar.* pecuniaria pœna olim ſtatuta, in uſu eſſe deſiit, & pro delicti qualitate & modo puniuntur plerumque damnatione ad metallum; pœnâ gladii verò in caſu, quo vendunt ſervum, vel liberum hominem ſuppreſſum emptori, ut eum aliò aſportet, ut dicitur L. *fin.* C. h. t. Deinde ſi viventium filiorum fiat diſtractio, & parentes orbentur, cit. l. *fin.*

Pœna *concuſſionis*, prout fit à Judice, 1004
vel Magiſtratu, eſt arbitraria, ſecundùm judicis prudentiam pro modo delicti, per l. 1. ff. *de concuſſione*, cui addi poteſt c. 1. *de ſent. & re judicata*, ubi *Judici Eccleſiaſtico, ordinario, vel delegato, contra conſcientiam, & juſtitiam, in gravamen partis alterius, in judicio quidquam facienti in gratiam alterius, vel per ſordes* (nimirum avaritiæ) *decernitur ſuſpenſio per annum ab executione officii, & ſatisfactio parti, quam læſit, ad æſtimationem litis*: de pœna verò Judicis, qui ſe pecuniâ corrumpi ſinit, agitur toto titulo C. *de Lege Jul. Repetund.*

De crimine *repetundarum*, quod com- 1005
mittitur à Judicibus recipientibus munera, ut aliquid faciant, vel omittant, l. 7. ad cit. L. Jul. *Repetundarum*, ſtatuitur, quòd damnati extra ordinem puniri ſoleant, & plerumque exilio, vel durius. L. autem 6. prohibentur *teſtimonium dare, Judices eſſe, & poſtulare*. De hoc crimine ait Haunoldus tom. 6. *de Jure, & Juſt.* tract. 2. n. 553. *dolere multos, quòd hodiernis moribus hoc crimen, pro non crimine, habeatur apud non paucos, nec facilè contingat, aliquem ex hoc crimine condemnari.* Sed quidquid ſit de uſu fori externi; certum tamen eſt, hos Judices æternæ apud Deum pœnæ obnoxios manere, ſi damna iis, quibus

quibus tam corrupto judicio nocuerunt, non condignè reſarciant.

1006 *Stellionatus*, cùm ſit genus ad omnia crimina, non habentia titulum ſpecialem, iis pœnis ſubjicitur, quibus ea, quæ nomen ejus recipiunt. De pœna *expilatæ hæreditatis* l. 1. ff. h.t. dicitur, ejusmodi expilatores extra ordinem ſolere coërceri per accuſationem expilatæ hæreditatis; non autem pœnâ furum; cùm furtum ſtrictè ſumptum requirat, quod aliqua perſona exiſtat, cui res aufferatur, tanquam poſſidenti, & detinenti, niſi defunctus rem pignori dederit, accommodaverit, aut uſus fructûs alienus in ea re ſit, ut dicitur l. 68. cum ſequentibus ff. *de furtis*, quia tunc res jam erat *in detentione certæ perſonæ*, nempe creditoris commodatarii, Uſufructuarii.

QUÆSTIO XIX.
IN TITULUM XIX. DE USURIS.

1007 *Usura* contingunt in mutuo; *mutuum* autem ſic dictum eſt, quia de *meo* fit *tuum*. Definitur *traditio rei conſiſtentis in numero, pondere, & menſura, ſpe recuperandi ſtatuto tempore tantundem in genere ſuo*. Dicitur *traditio*, quia mutuum non perficitur ſolo conſenſu, ſed traditione, quâ rei dominium transfertur. Dicitur *rei conſiſtentis in pondere*, &c. ut maſſa argenti; *in numero*, ut in pecunia; *in menſura*, prout eſt vinum, triticum, quæ dicuntur recipere functionem, quia nimirum funguntur officio, vel vice alterius, ut vinum pro vino, &c. Dicitur *cum ſpe*, ad differentiam donationis, venditionis, &c. Dicitur *ſtatuto tempore*, quia mutuatarius non tenetur reddere antè; Dicitur *tantundem*; nam hoc ſolùm requiritur, ut reddatur tantum, quantum datum eſt. Dicitur *in genere ſuo*, quia non requiritur, ut reddatur idem in individuo. Id, quod alteri mutuo datur, vocatur *ſors*; lucrum autem, quod ex contractu mutui naſcitur ultra ſortem, dicitur *uſura*, ſeu *fœnus*, à fœtu, quaſi ſit partus, ſeu fructus pecuniæ, vel alterius rei mutuò datæ; hinc ſi quis mutuò dat centum florenos ad annum, cum obligatione ſibi anno elapſo reddendi centum decem, *ſors* erunt centum; *lucrum*, *uſura*, ſeu, *fœnus*, erunt illi decem floreni; his præmiſſis:

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex ſit uſura?

1008 COmmunis docet *uſuram* eſſe *lucrum quæſitum ex mutuo vi mutui*. Dicitur *lucrum*, quo intelligitur aliquid pretio æſtimabile ſupra ſortem, ſeu ultra id, quod mutuò datum eſt, ut dixi priori num. Dicitur *quæſitum*, vel mente, & animo, & erit uſura *mentalis*; ſeu pacto expreſſo, & dicitur *uſura realis*: Dicitur quæſitum *ex mutuo*, vel *expreſſo* vel *tacito*, aut *palliato*, quod fit, cùm res mutuò data, vendi fingitur. Dicitur *vi mutui*, cùm ſcilicèt hoc *præcisè* titulo, ex re mutuo data, lucrum quæritur, *quia mutuo datur* ſecluſo quovis alio juſto titulo; & in hoc propriè conſiſtit differentiâ *uſuræ*. Si enim alio titulo lucrum exigas, in caſu, quo mutuum datur, v. g. quia tibi interim ceſſat lucrum, quod feciſſes eâ re negotiando, lucrum illud non eſt *vi mutui*, ſed vi alterius contractûs, ut amplius patebit ex dicendis.

Ex hoc ſequitur, quòd ſi contractui mu- 1009
tuationis ſuperaddatur alius contractus oneroſus, in alio juſto titulo fundatus, poſſit exigi lucrum; cùm id non ſit ex mutuo, ſed ex alio contractu oneroſo, qualiter fit, quando mutuator, dans mutuum cum damno emergente, vel lucro ceſſante, ſuperaddit novum contractum, diſtinctum à mutuo, recipiendi æſtimationem illius; nam ſic obligat ſe ad ſuſtinendum illud damnum emergens, aut illam lucri ceſſationem, quorum utrumlibet eſt pretio dignum. Sic Cardenas in propoſ. damnatas ab Innocent. II. diſſert. 25. c. 2. n. 2. ſi quid autem ultra ſortem exigitur, *præcisè* tanquam debitum ex mutuo, propriè uſura eſt. Sic Caſtropalaus d. 4. de Juſt. Commut. p. 9. n. 2.

Hinc ſi quis aliquem obliget ad amicitiæ 1010
ſigna exhibenda, ad remiſſionem injuriæ, tanquam debitum *ex mutuo*, & non aliunde; uſuram committit, ſi exigat, ut pretium

mutui

mutui, non autem ut meram gratiam. Idem est, si mutuans à mutuatario taliter exigat, ut ipsi, vel alteri officium, vel beneficium conferat, remutuet, ex sua officina emat, in suo molendino molat, domum justâ mercede conducat, vel si mutuatarium obliget ad exequendam obligationem antidoralem, seu obligationem ex gratitudine. Dixi *præcisè tanquam debitum ex mutuo*; nam ut lucrum ultra sortem ex mutuo quæsitum, propriè, ac in sensu Theologico sit *usurarium*, requiritur, quòd in pactum deducatur, ut pro mutuo dato solvatur aliquid ultra sortem, *secluſis titulis excusantibus excessum sortis*, de quibus dicemus infra. Unde *lucrum ex mutuo, vi mutui, & lucrum ex mutuo secluſis aliis titulis, manente solo titulo mutui, si excedat sortem*, verè, ac propriè usura est, de qua hic agitur.

1011 Quoad secundam partem tituli ex dictis n. 1008. constat, usuram aliam esse *mentalem*, aliam *realem*. Alia præterea est *aperta*, seu *expressa*, & *formalis*, & datur, quando expressè paciscimur *aliquid* dandum ultra sortem, *titulo solius mutui*; alia *tacita*, seu *virtualis*, quæ etiam *palliata* dicitur, quando continetur in virtute alterius contractus, cujus nomine tale lucrum tegitur, & quasi palliatur; hujus exemplum dari solet, quando res venditur carius, *ob dilatam*; vilius, ob *anticipatam solutionem*, eo præcisè titulo, quòd citius, aut tardius.

1012 Cœterùm Jurisperiti triplex genus usurarum distinguunt, *lucratorium*, *punitorium*, seu *morosum*, & *compensatorium*, seu restauratorium. Usuram *lucratoriam* vocant, quæ lucrum ultra sortem quærit ex mutuo, præcisè vi mutui, ut expositum est; quatenus nimirum præcisè intuitu mutuationis, ut habet rationem beneficii, auctarium ultra sortem exigitur. Quando autem intervenit pactum de pœna aliqua solvenda, si mutuatarius fuerit in mora reddendi mutuum tempore præfixo, erit usura *morosa*, seu *punitoria*: si verò addatur mutuo pactum de solvendo ultra sortem aliquo in compensationem lucri cessantis, vel damni emergentis, vocatur usura *compensatoria*, seu restauratoria. Plures usurarum divisiones, qui volet, videre poterit apud Pereyram in Elucid. à n. 902.

ARTICULUS II.

Quæ usura, & quo jure sint prohibitæ?

1013 COmmunis tenet usuras *compensatorias* nullo jure prohibitas esse, de quo dicemus infra. *Punitorias* autem, seu *morosas*, juris forma non patitur, nisi sint moderatæ, ac proportionatæ dilationi solutionis culpabili; quod verum est, licet quantitas pœnæ conventione partium taxata sit, ut constat ex L. 15. C. de usuris, ibi: *cùm allegas uxorem tuam ea conditione mille aureorum numero quantitatem sumpsisse, ut si intra certum diem debito satis non feciſſet, cum pœna quadruplici redderet, quod accepit, Juris forma non patitur, legem contractûs hujus ultra pœnam legitimarum usurarum posse procedere.* Manet ergo solas usuras lucratorias esse prohibitas.

§. 1.

Quo jure usura lucratoria sit prohibita?

1014 HAnc usuram esse prohibitam jure positivo Ecclesiastico, constat ex Clement. *unic.* de Usuris, ibi: *si quis in illum errorem inciderit, ut pertinaciter affirmare præsumat, exercere usuram, non esse peccatum, decernimus, eum velut hæreticum puniendum, locorum nihilominus Ordinariis, & hæreticæ pravitatis inquisitoribus districtius injungentes, ut contra eos, quos de errore hujusmodi diffamatos invenerint, aut suspectos, tunquam contra diffamatos, vel suspectos de hæresi procedere non omittant.*

1015 Quæstio potissima est, an prohibita sit solo jure positivo Ecclesiastico? id, quod tribuitur Abulensi, Armacano, & Ancharano apud Haunoldum tom. 3. de jure, & justitia. tr. 9. n. 367. Concors tamen Theologorum sententia est, *usuras lucratorias* esse prohibitas non solùm Jure Canonico, sed etiam divino, & naturali; sic Cardenas in Crisi Theol. de propos. ab Innocent. XI. damnatis, dissertat. 25. c. 2. volens, dictam prohibitionem esse de fide; quamvis alii sentiant apud Haunold. cit. *propositionem*, quæ docet, usuram lucrativam esse solius Juris Ecclesiastici, esse *temerariam*, *periculosam*, *erroneam*, vel *errori proximam*, quorum terminorum expositionem dedimus superius. In cit. tamen Clement. §. *pertinaciter*, dicitur: *pertinaciter asserentem, exercere usuras, non esse peccatum, hæreticum esse*, juxta summationem Joann. Andreæ; quamvis textus solùm dicat: *decernimus velut hæreticum puniendum.*

1016 Esse prohibitam jure etiam divino, constat ex cit. Clementina, ubi postquam dicitur: *Officiales communitatum, facientes, dictantes, vel scribentes statuta super usuris solvendis, non repetendis, vel non restituendis, vel judicantes secundùm illa, vel non delentes illa (si possunt) intra tres menses de libris communitatum, vel illa servantes, excommunicatos esse*, expresè subjungitur: *talia statuta esse contra jura divina pariter, & humana.* Constat etiam ex c. *super eo*, 4. h. t. ibi: respondemus, quòd, cùm usurarum crimen *utriusque testamenti pagina* detestetur, super hoc dispensationem aliquam posse fieri, non videmus; ubi subjungit Alexander III. id à fortiori dicendum, cùm scriptura sacra prohibeat pro alterius vita, *posse mentiri.* Hinc Psalm. 14. *qui pecuniam suam non dedit ad usuram, dicitur habitaturus in tabernaculo DEI, & requieturus in monte sancto ejus.* Unde etiam Lucæ 9. habetur: *mutuum date, nihil inde sperantes.* Accedit, quòd si in mendacio dari non possit dispensatio, à fortiori nec dari possit in usuris, ut expresè loquitur Alexander III. in cit. c. 14. usus autem mendacii est indispensabilis *jure naturæ*; ergo etiam usurarum usus à fortiori, consequenter jure naturali, & divino prohibitus.

1017 Et ratio est; quia jure naturæ iniquum est, ut ex contractu oneroso plus exigatur pro dato, quàm datum valeat, hoc præcisè titulo, *quia datur*, sed in hoc consistit usura merè lucrativa, cùm scilicet pacto inito exigitur lucrum ex mutuo *præcisè vi mutui*; ergò usura merè lucrativa iniqua, consequenter jure naturali prohibita est. Unde omnino negandum venit, dationem pecuniæ, v. g. centum, factam alteri, *secluso alio titulo, quàm quòd alteri detur*, pluris valere, quàm præcisè centum. Rationem hujus dat Esparza l. 8. q. 46 a. 5. quia res usu consumptibiles non habent majorem utilitatem, si possideantur brevi, quàm si possideantur diu, si secludas utilitatem, quam præstat possessio eo tempore, quo tibi eorum usus est opportunus, & hic & nunc commodus; ergo si tibi ultra sortem solvatur ea utilitas, quâ te privas alteri mutuando, non est ullus titulus aliquid ultra sortem exigendi, *nisi præcisè titulus mutui*, in commutatione autem plus exigere, quàm res valent, ex natura rei iniquum est; ergo. Ex quo colliges, utilitatem pecuniæ, *quà talis*, non esse nisi pro unico actu, quo distrahitur, reliquo tempore, quo servatur *otiosa*, nullam habere utilitatem pretio æstimabilem, adeoque ex diversitate temporis, quo quis possidet, & alter non possidet, si supponamus, nullum cessare lucrum, nullum emergere damnum, nec periculum imminere mutuanti, non præstare ullum titulum exigendi aliquid ultra sortem.

Dices 1. in rebus, quæ usu non con- 1018
sumuntur, usus alteri concessus, est pretio æstimabilis, licet alter concedens retineat dominium, & ipse usurus non fuisset; quia is, cui conceditur usus rei, ex hoc habet commoditatem; ergo pari modo poterit aliquid in mutuo exigi ultra sortem pro speciali commoditate, quam à me accipit mutuatarius ex pecunia, & ejus usu. Confirmatur: res, ac ejus usus plus valet, quàm sola res; ergo qui dat centum, ac ejus pecuniæ usum, plus ex justitia potest exigere, quàm tantùm centum.

R. C. ant. N. conseq. ad prob. anteced. 1019
dist. ideo in priori ipse etiam usus rei usu non consumptibilis (etiam ut distinctus à re) est pretio æstimabilis, quia is, cui conceditur talis usus rei, habet commoditatem ex tali usu, *re adhuc manente alienâ* C. *re propriâ ipsius utentis.* N. ant. in consequenti autem usus rei mutuo datæ est usus rei utentis propriæ. Ad confirmat. R. antecedens verum esse, si usus maneat usus *rei alienæ*; pro usu autem *rei meæ*, injustè alius exigit pretium. Qui autem dat mutuò rem, constituit hanc sub meo dominio, unde tali casu utor *re meâ, non alienâ*, quando utor pecuniâ mutuatâ: ergo, qui eam mihi mutuò dedit, non potest plus, quàm datum sit, à me justè exigere propter usum pecuniæ. Hinc universaliter notandum, *aliud esse*, cùm quæritur, an liceat pacisci aliquid ultra sortem manendo *intra terminos mutuationis*; aliud egrediendo *terminos mutuationis, & accedendo ad contractum, quo se quis obligat, ad lucrum cessans, vel damnum emergens.* Manendo *in puro statu mutuationis* (quin scilicet attendatur pecunia præsens in ordine *ad commodum*, quo se privat mutuans, quod habere posset ex ea præsente, vel periculum, quod subit in recuperanda pecunia) pecunia præsens nihil utilitatis explicat, pretio æstimabilis, sive sit apud mutuantem, sive apud

mutua-

mutuatarium, sive sit numerata, sive numeranda, secùs est, si attendatur illud commodum, periculum, aut quid simile; sed sic non statur *intra terminos præcisæ seu puræ mutuationis.*

1020 Dices 2. si verum est, quòd mutuatio pecuniæ non sit pretio æstimabilis ultra solutionem sortis, poterit quis absque usura mutuare centum cum obligatione post annum solvendi centum, & alia centum *remutuandi*, stando intra terminos præcisæ mutuationis: quia recipiens centum, quæ mutuò dedit, & alia centum mutuò accipiens, nihil acciperet ultra sortem. Nam hæc *remutuatio* (*stando intra terminos præcisæ mutuationis*) non habet aliquid utilitatis pretio æstimabilis, quo remutuans se privat, ut ponit casus. R. etsi ex hoc præcisè, quòd pecunia sit *otiosa* apud mutuantem, vel mutuatarium, non fiat pretiosior, si stemus intra terminos puræ mutuationis; quia tamen *obligatio remutuandi* (consequenter curandi, ut habeat, quod reciprocè mutuet, & suam pecuniam exponat periculo, salvam, vel sine damno, recipiendi, quod naturâ videtur inesse mutuo) pretio æstimabilis est, rectè sequitur *mutuantem cum tali obligatione* ultra solutionem sortis, jam ultra sortem aliquid recipere, si superaddat obligationem remutuationis. Quarè nego sequelam.

1021 Dices 3. Quando celebratur contractus mutui, fit inæqualitas inter id, *quod datur*, & à mutuante *recipitur* sic, ut mutuans plus det, quàm à mutuatario recipiat; ergo ultra sortem licitè potest aliquid exigere, quo fiat æqualitas. Ant. prob. Mutuans, *de præsenti* dat centum; mutuatarius de præsenti *solùm dat obligationem solvendi centum de futuro*, talis autem obligatio minoris est, quàm centum de præsenti: ergo. R. N. ant. stando in terminis præcisæ mutuationis. Ad prob. datâ majori; N. min. stando in terminis puræ mutuationis, ut constat ex dictis.

§. 2.

An sit usura aliquid in mutuo pacisci, ultra sortem, titulo damni emergentis?

1022 NOn est dubium, multùm interesse mutuantis, si cum mutuo conjungitur damnum, vel lucri cessantis, vel etiam damni emergentis. Hoc enim titulo sors, seu datum, evadit æstimabilius, quam sit eo secluso. Unde pretium, quo æstimatur ejusmodi damnum, *interesse* vocari solet. Not. autem, quòd nomine *damni* etiam *utilitas amissa* veniat, per L. *cùm Prætor*, ff. de V. S. Cœterùm *lucrum cessans*, & *damnum emergens* inter se differunt; illud enim consistit in non acquirendo, istud in jactura jam acquisitorum. Frequenter enim contingere potest, quòd quis carere debeat incremento lucri, quod obtinere potuisset, si pecuniam suam retinuisset; vel expensas cogatur facere in sorte recuperanda per lites &c. quo casu jactura illius incrementi est *lucrum cessans*, & expensæ causatæ, *damnum emergens*, quo posito:

Quæstio est, an *citra vitium usuræ*, 1023
deduci possit in pactum illud ipsum interesse, seu pretium damni emergentis, quod mutuans subire cogitur mutuando, esto sit ultra sortem, præcisè acceptam? R. affirmativè; ita S. Thomas. 2. 2. q. 78. a. 1. ad 2. & communis. Ratio est; nam onus obligationis ad carendum pecuniâ suâ cum tali damno, est pretio æstimabile; ergo se obligans ad illud sustinendum sub conditione, *si mutuatarius ultra sortem promittat solvere interesse*, seu pretium, quod valet ejusmodi damnum, non quærit hoc lucrum ex titulo *mutui præcisè*, sed titulo damni; ergo non est pactum usurarium. Not. tamen, posse considerari aliquod discrimen inter mutuantem *suâ sponte*, & inter mutuantem *ex alterius requisitione*; cùm enim mutuanti damnum aliquod evenire possit, antequam terminus solutionis veniat, dubitari potest, an exigere ultra sortem, ac interesse ordinarium, quod mutuò inest, si tunc patitur gravius damnum emergens, ejus compensationem justè à mutuatario exigat? Respondet probabilius Cardinalis de Lugo D. 25. de Justit. S. 6. n. 74. & cum eo Haunold. tom. 3. de Jure & Just. tr. 9. n. 391. si hoc ipsum non est deductum in pactum, *negativè*. Nam tali casu mutuans sibi adscribere debet, quòd de illo expressè non caverit. Nam, cessante morâ saltem injustâ, non est locus *interesse*. Ex hoc sequitur, idem dicendum in casu, quo mutuans ex eo pateretur damnum, quòd in tempore non fiat solutio sortis, sine culpa mutuatarii Theologica. Sic Haunold. cit. Nam damno alteri secuto ex actione mea, *non injusta Theologicè* (nisi aliud sit deductum in

pactum,) non teneor præstare compensationem; quia tali casu nec obligat res alteri accepta, nec injusta acceptio, quæ sunt radices juris alieni ad æqualitatem realem reducendi, si læsum sit.

§. 3.

An sit usura, paciſci aliquid in mutuo ultra ſortem, titulo lucri ceſſantis?

1024 RE. si pretium, seu valor lucri cessantis, mutuanti nascentis ex mutuo, deducatur in pactum (licet sit ultra sortem) sic paciſci non fore usuram. Ita Cardin. de Lugo cit. n. 953. & communis. Nam in tali casu, lucrum ultra sortem in mutuo, non provenit *vi mutui præcisè*, sed vi oneris, pretio æstimabilis, cui in commodum mutuatarii se subjicit mutuans.

1025 Not. autem. 1. ut *aliquid exigere ultra ſortem* titulo damni emergentis, vel lucri cessantis, sine usura, atque adeo licitè fiat, requiri, quòd mutuum sit *causa illius damni*, vel *jacturæ lucri*, hoc est, quòd ideo cesset lucrum, quia pecuniam, quâ illud fecisset, mutuò dedit. Sic Lessius l. 2. c. 20. d. 11. aliàs deficeret titulus, ob quem tale lucrum justè peti possit à mutuatario. Not. 2. requiri, ut non exigatur, vel accipiatur plus, ratione lucri cessantis, quàm spectatis omnibus circumstantiis, arbitrio prudentum, illud valeat, & æstimetur; aliàs excessus jam esset vi mutui, vel saltem cum injustitia, vi jacturæ, quæ non est. Not. 3. requiri principaliter ad justitiam lucri cessantis, ut interesse lucri cessantis non anticipatò, seu statim solvatur; sed in termino, quo solvendum est ipsum mutuum, seu sors accepta. Si enim mutuò dans 1000. aureos, ex his, titulo lucri cessantis, sibi reservet 100. & solum 900. det mutuatario, nullum lucrum ipsi cessaret, & tamen, titulo lucri cessantis, 100. ex mille exigeret; aliud est, si rem non frugiferam, valentem tamen 100. mutuatarius daret; sic enim adhuc maneret lucrum cessans. Azor. p. 3. l. 5. c. 5. q. 3. in fin.

1026 Not. 4. Lucrum cessans, non minus, quàm damnum emergens, venire nomine *damni*. Nam reverà, etiam teste glossa in L. *Non amplius*, ff. *de Legat.* 1. *damnum patitur, qui perdit lucrum*, & in L. 13. ff. Ratam rem haberi, æquè ac illud, vocatur *interesse*; ibi: *si commissa est stipulatio, in tantum competit, in quantum meâ interfuit*, id est, quantum mihi abest, quantumque lucrari potui: apertius L. *unica*, C. de sent. quæ pro eo, quod interest, proferuntur, ibi: *& hoc non solùm in damno*, sed etiam *in lucro* nostra amplectitur constitutio, quia ex eo Veteres id, quod interest, statuerunt. Not. 5. *pecuniam*, propter occasionem negotiandi, & lucrandi, plus valere, quàm *secundum se præcisè*; unde si mutuans propterea aliquid ultra sortem accipit, non exigit illum excessum sortis (stando intra terminos præcisæ mutuationis) adeoque non committit usuram paciscendo solutionem ejus ultra sortem.

Not. 6. Licet in L. 21. §. 3. ff. de 1027
action. empt. dicatur, *non venire in compensationem lucrum extrinsecum, Emptori cessans ex eo, quòd venditor traditionem rei emptæ non fecerit; sed tantùm lucrum intrinsecum*; non æquè idem inferri in mutuo, & aliis contractibus. Nam in his debetur etiam lucrum extrinsecum. Quod enim ibi dicitur, est speciale in materia contractûs *emptionis, & venditionis*, ubi emptor & venditor pari jure gaudet, quin emptor teneatur venditori ad lucrum cessans ex mora non soluti pretii, adeoque vicissim.

Not. 7. Fundamentum, ex quo, citra labem usuræ, licet paciscì aliquid ultra sortem titulo lucri cessantis, desumi ab eo, quod cuivis competat jus, servandi se indemnem, adeoque possit justè paciscì compensationem, ut in se suscipiat onus, & obligationem tolerandi eventum indemnitati noxium, si à mutuo causetur: at jactura lucri cessantis propter mutuum, est eventus indemnitati mutuantis noxius; cùm illi revera faciat damnum ex n. 1026. ergo.

Not. 8. Non obstare pacto solvendi 1028
lucrum cessans ex mutuo, licet mutuans habeat aliam pecuniam, quâ negotiari posset, & lucrum illud facere, quam relinquit otiosam ex causâ justa v. g. *ut eâ uti possit in casibus non prævisis.* Sic enim in re lucrum illud adhuc ipsi cessat *vi mutui*. Ita Haunold. cit. tom. 3. tr. 9. n. 400. id, quod apud eundem procedere vult Cardin. Lugo, esto aliam pecuniam relinquat otiosam etiam sine tali causâ. Lucrum enim, quod facere poterat cum pecunia mutuò data, adhuc cessat vi mutui, licet lucrum, quod respondet pecuniæ, quam relinquit otiosam, non causetur à mutuo, sed ejus negligentia, quòd eâ uti noluerit.

Not. 9. Dubitari, an si quis de indu- 1029
stria

stria servet pecuniam (cum qua aliàs negotiando lucrum feciſſet) eo animo, ut datâ occaſione, illam dare mutuò poſſit, cum mutuum facit, poſſit nihilominus paciſci, ut ſibi ſolvatur intereſſe lucri ceſſantis? Videtur enim, quòd non; quia quando talis pecunia mutuò datur, jam ceſſavit lucrum antecedenter ex omiſſa negotiatione; ergo illius lucri ceſſantis cauſa non eſt mutuum; at lucrum ceſſans, ſed non ex mutuo, mutuans non exigit licitè à mutuatario: ergo. R. lucrum ceſſans ante factam in re mutuationem pecuniæ, non cauſari à mutuo, ſecundùm quod hæc mutuatio eſt illo poſterior; bene tamen, ſecundùm quod mutuum antecedit ipſam lucri ceſſationem. Quando autem quis omiſſâ negotiatione (unde ceſſet lucrum) ſervat pecuniam, ut opportunè illam dare mutuò poſſit, mutuatio eſt finis, & ceſſatio lucri ex prætermiſſa negotiatione eſt medium; finis autem in genere cauſæ finalis, & intentione, in ſui cognitione antecedit medium; ergo adhuc etiam lucrum illud, quod ceſſavit de præterito, cauſari poteſt finaliter à mutuo, licet realiter poſteriore.

1030 Confirmari poteſt exemplo, quod affert cit. Cardinalis de Lugo. Nam ubi habentur montes pietatis, licitè aliquid ultra ſortem exigitur in mutuo pro expenſis in Miniſtros; & tamen hæ expenſæ fiunt, antequam datur mutuum. Quòd licitè in dicto caſu aliquid exigatur, conſtat ex eo, quòd id fiat approbante ſummo Pontifice; quòd autem ex hoc ad priorem caſum rectè arguatur, ex eo conſtat; quia ſicut illæ expenſæ exiguntur ultra ſortem in gratiam pauperum, qui mutuum petituri ſunt, ſic in gratiam aliorum pariter poſtulaturorum mutuum, fit omiſſio negotiationis. Id tamen univerſim tenendum eſt, ut quod ultra ſortem tituto lucri ceſſantis in pactum deducitur, non excedat ſpem lucri, ex negotiatione faciendi, ſi non daretur mutuum, definiendum non cupiditate, ſed arbitrio prudentum.

§. 4.

An in mutuo, titulo lucri ceſſantis, ſed incerti, liceat paciſci de certo, ultra ſortem?

1031 Videtur negandum 1. propter conſtitutionem Pii V. qui anno 1571. prohibuit *taxationem certi pro incerto*; 2. propter S. Thomam, qui q. 13. de malo, à 4. ad 14. videtur negare, quòd liceat in mutuo ultra ſortem aliquid paciſci titulo lucri ceſſantis, etiamſi mora cauſa eſſet. Affirmativa tamen, quam ſequitur Covarruv. l. 3. Variar. c. 4. n. 5. Navarrus in ſumma c. 17. n. 361. & complures alii, videtur probabilior. Nam lucrum, quod quis faceret negotiando cum ſua pecunia, eſt pretio æſtimabile; & licet incertitudo de quantitate lucri faciendi, minuat ejus æſtimationem, non tamen tollit omnem, ſuppoſitâ prudenti ſpe cum incertitudine quanti; ergo prudenter taxatur quantum ejus, & ultra ſortem in pactum deducitur, cùm ſic non fiat vi mutui præcisè, ſed vi damni; pretio æſtimabilis, cui mutuans ſe ſubjicit mutuando.

Ad conſtitutionem Pii V. reſpondent ali- 1032
qui apud Haunoldum tom. 3. tr. 9. n. 398. non eſſe uſu receptam, extra ditiones Pontificias; alii, eam loqui ſolùm de cambiis, ubi periculum uſuræ frequentius eſt, adeoque cùm pœnalis ſit, extendi non oportere. Cæterum dici poteſt, illam procedere ſolùm in caſu, quo certum taxaretur pro incerto *generaliter*, non conſideratis circumſtantiis, ex quibus ſpes lucri faciendi creſcit, aut decreſcit. Ad S. Thomam R. eum loqui de lucro ceſſante, quando illud erat *in potentia planè remota*, & multis modis impedibili, ac nullatenus deſtinata ad negotiationem; Secùs, ſi erat *in potentia propinqua*, ut contingit apud eos, qui norunt, & ſolent labore ſuo, & operâ, pecuniam facere frugiferam. Aliud eſt, ſi ſola carentia pecuniæ, per tempus contentum in mutuo, pretio taxaretur, & ultra ſortem deduceretur in pactum mutuationi adjectum, ſine reſpectu ad lucrum ceſſaturum, vel damnum aliud, aut periculum recipiendæ ſortis, aliumve talem titulum. Tunc enim omnino illicitum foret; nam ſic eſſet præcisè *vi mutui*; cùm ei intrinſeca, & eſſentialis ſit ea carentia.

§. 5.

An ſit uſura illicita, ratione periculi, cui mutuum exponitur, paciſci aliquid ultra ſortem?

PEriculum hoc tenere ſe poteſt vel ex 1033
parte rei mutuatæ, vel ex parte mu-

tuatarii; *ex parte rei*, ut si per mare, vel vias periculosas transportanda sit; *ex parte mutuatarii*, ut si hic sit morosus, vel periculosus, aut fraudulentus debitor, & inde fiat, debere quæri debitum viis molestis, per lites, processus, &c.

1034 Resp. Posito contractu mutui, licitè adjici pactum aliquid solvendi ultra sortem, ratione periculi tenentis se ex parte rei mutuatæ, si verè subsit, aut prudenter timeatur; & mutuans in se suscipiat; hoc enim mutuanti onerosum, & mutuatario commodum est. Unde illud ultra sortem non exigitur, vi mutui, sed vi alterius pacti, quo mutuans se obligat mutuatario, ad illud sibi onerosum, & ipsi commodum, ultra sortem. Sic Lugo D. 25. S. 6. n. 76. Azor p. 3. l. 5. c. 6. q. 1. & hoc pactum vocatur *assecurationis*. Posito autem contractu mutui, licitè adjicitur pactum, aliquid solvendi ultra sortem, ratione periculi tenentis se ex patte mutuatarii. Nam obligare se ad subeundum hoc periculum, est quid pretio æstimabile, independenter à sorte; ergo pretium æquivalens alio titulo, & non vi mutui præcisè exigitur; ergo non est usurarium. Ita Less. l. 2. c. 20. dub. 13.

1035 Nec obstat, quod in c. *Naviganti*, h. t. dicitur: *naviganti, vel eunti ad nundinas, certam mutuans pecuniæ quantitatem, pro eo, quod suscipit in se periculum, recepturus aliquid ultra sortem, Usurarius est censendus.* Nam omissis aliorum hujus capituli interpretationibus respondet Layman l. 13. tr. 4. c. 15. n. 12. & cum eo Barbosa in cit. c. n. 2. debere intelligi de casu, quo simpliciter mutuatur, & non expresè celebratur *pactum assecurationis*, eò, quòd tali casu periculum præsumatur potius pallium usuræ, & quidam solus prætextus palliandi usuram. Alii dicunt, omnino in tali casu usuram committi, si detur mutuum sub conditione, quòd mutuatarius obliget se ad solvendum pretium assecurationis; cùm illud sit novum onus mutuatario, pretio æstimabile, inhibitum in contractu mutui. Sic Lessius cit. n. 116. Pirhing hic n. 48. sed hoc periculum nec ex parte sortis, nec ex parte mutuatarii est necessariò inhibitum in natura mutui, ut sic.

1036 Si quæras, an sit usura illicita, pacisci pœnam à mutuatario solvendam, si statuto tempore non solvat sortem? R. triplicem esse pœnam. 1. *Legalem*, quæ lege, vel statuto imponitur; 2. *Judicialem*, quæ imponitur per Judicem; 3. *Conventionalem*, quæ statuitur mutuo partium consensu, & conventione; & de hac quæstio procedit, respondeturque, *negativè*: quia tunc lucrum pœnale, quod solvitur ultra sortem, non vi mutui, sed vi culpæ, seu culpabilis moræ, à mutuatario admissæ, exigitur. Sic Azor p. 3. l. 5. c. 6. q. 5. Lessius cit. c. 20. dub. 15. Not. tamen, non licere hoc pœnale pactum in fraudem usurarum; nimirum *utendo titulo pœnæ*, ad palliandum lucrum usurarium, quod mutuando intenditur; Sic Lessius cit. n. 111. Deinde, requiri, ut intercedat vera culpabilis mora mutuatarii, & pœna non excedat culpam, ac mora sit notabilis &c. Cœterùm etsi pœna legalis, & judicialis solvenda sit, non nisi post sententiam Judicis; secus tamen est de conventionali, utpote statuta consensu partium; sic Lessius n. 136. saltem altero solutionem exigente; cùm moribus hominum non satis consentaneum sit, ut pœna solvatur ante executionem. Sic Azor q. 5.

§. 6.

An sit pactum usurarium, restituendi rem mutuatam in eadem mensura, & bonitate, licet postea pretium ejus decreverit?

RResp. 1. non esse usurarium pacisci, 1037 ut, si dem tres v. g. scaphas tritici, totidem in eadem bonitate solvantur post annum, si tempore mutuationis æquè incertum sit, quòd interim rei pretium crescet, vel decrescet. Nec etiam, ut pro tribus v. g. scaphis frumenti, mihi præfixo termino ejusdem bonitatis frumentum reddatur secundùm præsentem valorem, stante illâ incertitudine; sic de utroque casu Lugo tom. 2. de Just. D. 27. S. 7. n. 112. & alii communiter; quia in dato casu, par est utriusque conditio, & quoad periculum, & quoad lucrum cessans; & lucrum non vi mutui, sed per accidens ex casu fortuito pretii crescentis, vel decrescentis sequitur. Si autem mutuans aliàs rem suam servâsset ad tempus, quo rei pretium crevit, licitè aliquid exigitur ultra sortem, ratione lucri cessantis, ut dictum est in præced. Et ideo etiam licitè deducitur in pactum solutio illius sub conditione, si res interim in valore cresceret, in hoc casu; sic Lugo n. 133.

R. 2.

1038 R. 2. Mutuantem licitè pacisci de solvendis præfixo tempore duabus, si prævidit, probabiliter unam scapham tempore solutionis valituram tantùm unum imperialem, quando, dum ipse mutuavit unam duntaxat scapham, hæc valebat tres florenos. Ita Lessius cit. c. 20. d. 17. n. 146. quia tunc *non formaliter*, sed *tantùm materialiter* recipit plus. Hanc resolutionem habere locum in casu, quo mutuans aliàs illud venditurus erat, non est dubium; quia sic intervenit lucrum illi cessans, ex vi mutui. Illam autem extendit Pirhing n. 55. etiam ad casum, quo illud mutuans vel consumpturus erat, vel servaturus ad tempus pretii decrescentis; quia etiam tali casu non reciperet plus formaliter, quàm dederit, *nimirum non plus quoad valorem, seu æstimationem.*

1039 R. 3. Illicitam usuram esse, dato mutuo debitorem obligare, ut prius non solvat mutuum, quàm ejus valor crescat; quia sic auctum pretium ultra valorem rei, quàm, cùm daretur, habuit, non alio titulo, quàm mutui reciperet. Sic Lugo cit. n. 116. Unde si triticum valet tantùm unum florenum, eo tempore, quo mutuatur, usurarium est pactum, ut in eadem mensura, & bonitate solvatur tantundem, si vel moraliter, vel probabiliter certum sit, illud tempore solutionis, plus quàm modò valiturum; quia sic deberet *plus formaliter* reddi, quàm mutuò datum sit. Lugo cit. S. 7. à n. 119.

1040 R. 4. Si in contractu mutui non fuit prævisum, quòd rei pretium augebitur, vel minuetur, nec super hoc eventu aliquid in pactum deductum sit, præsumi, quod intentio contrahentium fuerit, ut juxta conditionem, & naturam mutui, res mutuata reddatur in eadem specie & bonitate, sive pretium creverit, sive decreverit. Sic Lugo cit. n. 123. quia nisi aliter expressum sit, in dubio præsumitur, eos contraxisse naturam mutui. Si autem quæras, quid tenendum sit in casu, quo mutuans prævidit, rei valorem augendum, vel minuendum, nec super hoc aliquid deductum est in pactum? R. quòd præsumantur contraxisse eâ intentione, ut si prævisum est, quòd res crescet, vel decrescet, reddatur eadem non secundùm mensuram & bonitatem, sed eadem secundùm valorem; quia sic solùm salvatur, quòd dans mutuum non recipiat *plus formaliter* ultra sortem; nec mutuatarius solvat *minus formaliter*, infra sortem.

§. 7.

An excuset ab usura; quòd pecunia præsens detur pro futura?

1041 RESp. eum, qui à mutuatario aliquid exigit ultra sortem *hoc præcisè titulo*, quòd det pecuniam *præsentem* pro *futura*, committere usuram; Sic Cardenas supr. cit. dissert. 25. in propositiones prohibitas ab Innocentio XI. à n. 1. ubi ait, hanc propositionem (*cùm numerata pecunia pretiosior sit numerandâ, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quàm futuram, potest creditor aliquid ultra sortem exigere à mutuatario, & eo titulo excusari ab usura*) formalissimis terminis esse traditam à Caramuele, sed jam damnatam ab Innocentio XI. propositione 41. quia sic lucrum ultra sortem exigeret *vi mutui præcisè*, non vi lucri cessantis, damni emergentis, aut periculi. Si enim uno ex his titulo exigeret, non exigeretur præcisè ob id, quòd pecunia præsens melior sit futurâ, quia hoc falsum est, præcisis illis titulis, ex dict. n. 1017.

1042 Neque dicas cum Caramuele l. 2. Theol. moral. D. 14. n. 362. apud Tambur. in Decal. l. 8. c. 8. tr. 3. §. 7. dari alium, eumque distinctum titulum ab illis, exigendi eo casu lucrum ultra sortem. Nam sicut est aliqua recreatio in videndis rebus pretiosis, in videnda comœdia, & raris bestiis, ac ob id licitè datur, & accipitur pecunia; sic erit recreatio in possidendis pecuniis, quâ recreatione se spoliat mutuans, & subit molestiam eâ carendi: ob eam igitur molestiam credit, posse aliquid ultra sortem exigi. Verùm hæc doctrina passim rejicitur, ut videri potest apud Dicastill. & Tambur. cit. quia sicut illa recreatio in mero aspectu pecuniæ, sic molestia ex ejus carentia, est tantùm avarorum, & gaudium, ac molestia imprudens, & frivola.

1043 Ex hoc colliges 1. pactum, aliquid ultra sortem dandi, & accipiendi, propter carentiam pecuniæ, seu pro eo, quòd quis suscipiat obligationem, pecuniam mutuo datam, non reperendi ante terminum, esse usurarium. Sic Less. l. 2. c. 20. d. 14. n. 127. quia talis obligatio est essentialis, & intrinseca mutuo, quod debet esse gratuitum, hoc est, salvâ justitia solùm exigit tantum

tum reddi, quantum datum est; aliàs excederetur æqualitas dati, & accepti. Colliges. 2. usurarium esse pactum mutuo adjectum, quo mutuatarius obligetur vi mutui, ut vicissim mutuet sibi mutuanti, quia sic vi mutui ultra sortem mutuatarius subiret gravamen pretio æstimabile. Sic Lugo tom. 2. D. 25. S. 5. n. 50.

§. 8.

An sit usura, fructus pignoris non computare in sortem?

1044 SErmo est de *fructibus*, qui excedunt sortem, expensas, & lucrum, quod ultra sortem exigere licet; quo posito. R. fructûs pignorum in sortem principalem non computare, sed sibi reservare, præter casûs exceptos, usuram esse illicitam, ex c. 1. de usuris, ibi: si quis alicujus possessionem datâ pecuniâ sub hac specie (vel conditione) in pignus acceperit, si sortem suam (deductis expensis) de fructibus jam percepit, absolutè possessionem restituat debitori. Si autem aliquid minus habet, eo recepto possessio liberè ad dominum revertatur. Quod si post hujusmodi constitutum in Clero quispiam extiterit, *qui detestandis usurarum lucris insistat* (nimirum ultra sortem suam, expensas, & lucrum justè debitum, aliquid de fructu pignoris retinendo) *Ecclesiastici officii periculum patiatur.* Idem dicitur c. *quoniam* 2. & *conquestus*, 8. h. t. ibi: *mandamus, quatenus, si terram ipsam titulo pignoris detinetis, & de fructibus ejus sortem recipitis, prædictam terram, Clerico memorato reddatis, nisi terra ipsa de feudo sit vestri Monasterii.*

Not. autem per *fructûs* intelligi, *quod supereſt deductis expensis*, ut cum communi docet Barbosa de Appellativis, appellat. 103. n. 22. & cùm dicimus fructus domino pignoris restituendos, intelligimus de his, qui servari possunt usque ad tempus, dum restituendum est pignus; secus enim pignoratarius eos vendere potest, & pretium reddere domino.

1045 Dixi: *præter casus exceptos*; primus est, si Clericus à Laico acceperit in pignus possessionem Ecclesiæ, quæ tali Clerico data fuit in beneficium; quia sic fructus ultra sortem percipit *ex suo*, non alieno. Constat ex cit. c. 1. h. t. ibi: *nisi fortè Ecclesiæ beneficium fuerit*, quod redimendum ei hoc modo de manu laici erat. Secundus: si pignus sit de terra, vel feudo monasterii, cui in servitutem datum est, ut habetur in cit. c. *Conquestus*, de quo num. præced. Ratio est eadem. Tertius est de genero, qui non tenetur fructus pignoris recepti loco *dotis non solutæ* in sortem computare; quia dote non solutâ, censentur pars dotis ad sustinenda onera matrimonii, c. *Salubriter*, h. t. Sic Castropalaus. n. 7. Sed hoc limita ad solum tempus durantis matrimonii. Ita ille p. 20. Quartus est, si vasallus feudum proprietario tradat in pignus debiti, remissâ pensione annuâ, ut colligitur ex c. 1. de feudo, & c. *conquestus*, de usuris: quod Castropalaus p. 22. extendit etiam ad pignus emphyteuticum; non autem, usufructuarium, vel usuarium.

ARTICULUS. III.

De usura in emptione & venditione.

SI stemus in definitione usuræ, quæ di-1046 citur *lucrum quæsitum ex mutuo*, in emptione, & venditione non videtur habere locum, ut colligitur ex c. 10. h. t. ubi tales dicuntur *quasi* Usurarii, &c. *In civitate* 6. h. t. ubi, postquam refertur hic casus: *in civitate tua dicis, sæpe contingere, quòd, cùm quidam piper, seu cinnamomum, seu alias merces comparant; quæ tunc ultra quinque libras non valent, promittant se illis, à quibus illas merces accipiunt, sex libras statuto tempore soluturos*; respondet Pontifex; *licet contractus hujusmodi ex tali forma non possit censeri, venire nomine usurarum*: quia tamen etiam in hoc contractu, sæpe sine justa causa, lucrum injustum quæritur, ex sola dilatione temporis, ex pecunia præsenti pro futura: ideo etiam ejusmodi lucrum *usuræ nomine* comprehenditur, & dicitur *usura interpretativè*, seu *virtualiter*, ut notant Doctores apud Pirhing, h. t. n. 59. his præmissis:

Quæres 1. An sit usurarium, rem 1047 pluris vendere, quàm valeat, eò, quod differatur solutio pretii? R. seclusis aliis titulis, solam pretii dilationem, non excusare ab usura; quia venditor in hoc casu plus *formaliter* acciperet, ac exigeret, quàm det; ita colligitur ex c. *in civitate*, de quo n. præced. ubi, postquam dicitur, hujusmodi contractum non posse censeri *nomine usurarum*, intellige formalium, statim subjungitur: *nihilominus tamen venditores peccatum incurrunt, nisi dubium sit, merces illas plùs, minusvè in solutionis tempore valituras. Et ideo cives tui saluti suæ*

bene

bene consulerent, si à tali contractu cessarent; cum cogitationes hominum Omnipotenti DEO nequeant occultari, id quod etiam habetur in c. *consuluit.* 10. eod. Dixi *seclusis aliis titulis*, v. g. *periculi, damni emergentis, lucri cessantis,* Nam his concurrentibus augescit æstimatio rei datæ. Confirmatur ex c. 10 h. t. infra referendo.

1048 Et ideo etiam Lessius l. 2. c. 21. d. 6. & alii docent, non esse licitum, eo solùm prætextu, seu titulo, *quòd creditò res vendatur*, pluris *credito*, quàm *numerato* vendere, nimirum supra pretium legitimum, & summum, quia talis venditio in re continet usuram virtualem, cùm perinde sit, ac si dares mutuum, ut ad certum tempus redderetur *plus formaliter*. Ex dictis juribus colliges, quod licet lucrum ultra sortem acceptum ex ejusmodi venditionis contractu, dicatur, non posse censeri *nomine usurarum*, id quidem verum esse, de usura *formali*, seu lucrò ultra sortem, *in mutuo præcisè vi mutui*, non tamen *interpretativa*; cùm ibidem talis acceptio lucri non excusetur à peccato *usuræ*, nisi, cum dubium est, de valore, quem merces habituræ sunt in termino solutionis.

1049 Quæres 2. An sit usura minoris emere chirographa debitorum? R. ratione damni emergentis, vel lucri cessantis, aut periculi, licitum esse chirographa debitorum minoris emere. Sic Card. Lugo, tom. 2. de Just. d. 26. s. 7. n. 93. Cardenas supra cit. c. 3. n. 28. quia ratione talis circumstantiæ decrescit pretium chirographi, quo compensatur damnum. Hæc responsio procedit 1. sive chirographum sit *maturum* sive *immaturum*, sic Castropal. de Just. commut. d. 5. p. 13. à. n. 4. Hinc dare 95. pro chirographo valente 100. licitum est, si æstimatio damni, periculi, vel lucri cessantis, quod ponitur intervenire, valet quinque. Nam sic pretii, & mercis venditæ servatur æqualitas. Procedit 2. si debitum sit *litigiosum* & *incertum*. Nam ex hoc decrescit ejus pretium, propter periculum, cui se committit Emptor. Procedit 3. si tibi, qui non es causa, quòd debitum difficiliùs acquiratur, venale proponitur; quia merces ultroneæ vilescunt; & ratione difficultatis in acquirenda debiti solutione hoc minoris valet, licet tibi sit acquisitu facile per accidens, ratione gratiæ, qua polles apud debitorem, vel similes circumstantias; secùs, si tu sis causa difficultatis in acquirenda solutione. Sic Castropal. cit. n. 8. Layman l. 3. s. 5. tr. 4. c. 17. §. 5. n. 34. Nam in tali casu diminutio pretii per tuam injustitiam causatur.

Dices: ergo etiam, seclusis circumstantiis prædictis, licebit plus exigere, dando pecuniam numeratam, & præsentem, pro non numerata, & futura. 1050 r. Cùm pecunia præsens majoris æstimetur, quàm futura; quia minus est actionem habere, quàm rem. L. *minus*. ff. de Regul. Juris. 2. Quia, qui dat terram sterilem, pro terra frugifera, minus dat, quàm accipiat: sed sic se habet accipiens de præsenti 100. pro solvendis 100. post annum; quia sic alteri dat jus sterile, toto anno, usque ad terminum solutionis. R. Negando illatum, cum sua probatione, si secludas circumstantiam, *damni emergentis, lucri cessantis*, & *periculi*. Quare si *pecunia præcisè* consideretur, *seclusis illis circumstantiis*, pecunia præsens non est pretiosior futurâ. Sic Cardenas cit. c. 2. à 21. Sic enim perinde se habet, quàm, si dans alteri centum, eadem servâsset in suo scrinio, ut diximus supr. n. 1017.

Ad primam prob. R. cum Castropal. 1051 cit. n. 7. illam juris regulam intelligi de actione, *litigiosa* & *periculosa*. Nam hæc minus valet, quàm res ipsa; non autem de actione *liquida*, & *periculo non exposita*. Ad 2. prob. R. vel dans terram actu frugiferam, pro terra, quæ primum post annum erit sterilis, patitur ex hoc aliquod damnum, vel non? ut si æquè illâ non uteretur, ac si foret sterilis. Si primum? non manemus in casu secludente circumstantiam lucri cessantis. Si secundum? adhuc discrimen est, quia pecunia (sicut & jus) *semper* est *ex se sterilis*, adeoque non potest incrementum valoris accipere, ex eo, quod hominis industria lucrum parere possit; secùs est de terra, quæ *aliquando* est sterilis, *aliquando* frugifera.

Præterea notandum, verum esse, 1052 quòd pretium justum æquivaleat rei venditæ, quando pretium omnino respicit substantiam rei venditæ; non autem, quando circumstantias. Hinc cum chirographum centum aureorum propter circumstantias lucri cessantis, vel emergentis damni, in valore decrescat, pretium centum aureorum excedit valorem chirographi, adeoque justum erit, licet minus

sit, nimirum, juxta æstimationem periculi, damni. &c.

ARTICULUS IV.

De usura in emptione, & venditione censuum.

1053 *Census* hìc accipitur pro jure percipiendi annuum reditum vel pensionem, ex re, vel persona alterius. *Contractus*, quo tale jus emitur, & venditur, *censualis* dicitur; qui emit, seu pretium dat pro illo jure; *Censualista*: qui accipit, & se obligat ad illum reditum quotannis persolvendum, *Censuarius* vocatur. Not. autem illum ipsum reditum annuum etiam appellari censum. Census variè dividitur. 1. Ratione modi, quo constituitur in *reservativum*, & *consignativum*. 2. Ratione *temporis*, quo pensio solvi debet, in *perpetuum*, & *temporalem*. 3. Ratione rei, in *fructuarium*, & *pecuniarium*. 4. Ratione pacti, in *redimibilem*, & *irredimibilem*.

1054 *Reservativus* est, cùm quis dominium etiam directum rei suæ transfert in alium, reservato sibi jure annuæ pensionis ex illa percipiendæ quotannis, vel in pecunia, vel in fructibus, vel alio æquivalente. L. *ult.* C. de rerum permut. *Consignativus* est, cum quis certo pretio emit, jus exigendi, & percipiendi pensionem aliquam quotannis ex re alterius. v. g. ex agro alterius, Scapham frumenti, vel ejus valorem. Hinc census, si constituitur in certa re frugifera v. g. *domo*, *agro*, *vinea*, ut hoc onus incumbat rei, ad quemcunque possessorem transeat, dicitur *census realis*; si autem constituitur in certa persona, ut hæc ratione sui, non autem rei, obligetur, dicitur *personalis*; si in re, & persona, vocatur census mixtº. Et quia census *consignativus* constitui potest cum onere pensionis annuatim solvendæ, vel solùm ad certum tempus v.g. ad decem annos, quibus elapsis exspiret; vel in perpetuum, sic ut transeat ad hæredes Censualistæ, ac Censuarii; ideo alius est *temporalis*, alius *perpetuus*. Contingit autem sæpe, quòd contractui censuali, vel nullum pactum reluendi, seu redimendi adjiciatur, vel certè oppositum; ut redimere liceat, vel venditori, si reddat pretium; vel emptori, ut dimisso jure reddatur pretium; vel utrique, idque, vel intra spatium certi ac definiti temporis, vel quandocunque libuerit, quo casu census dicitur *redimibilis*, vel *irredimibilis*, his præmissis:

Quæres 1. an census realis sit usurarius, & illicitus? R. negativè, modò pretium, quo talis census emitur, sit justum, tale scilicet, quod vel lege taxatum sit, vel consuetudine approbatum: Constat ex Extravagante *Regimini* 1. & 2. de emptione, & venditione inter communes, ubi Martinus 5. & Calixtus 3. apud Haunold. tom. 4. de Just. tr. 10. n. 297. ejusmodi census reales, seu contractus censuales, declaravit, justos, licitos, & juri communi conformes. Et hoc procedit non solùm de censu reali fructuario, sed etiam pecuniario, temporali, & perpetuo, etiam irredimibili, & redimibili, vel utrinque vel solum ad arbitrium unius, vel semper, vel intra certum temporis spatium. 1055

Quæres 2. an census personalis sit usurarius, & illicitus? Quæstio est, an emptio censûs merè personalis ob lucrum cessans, damnum emergens, vel periculum, sit illicitus? Affirmant Navarr. de usuris n. 81. Lugo d. 27. S. 2. n. 25. si pretium non adæquat cumulum pensionum solvendarum; quia sic isti essent ducenti floreni; & tu dares solùm centum, quod est iniquum. Negativam autem tenet Azor p. 3. l. 10. c. 5. q. 1. Lessius, Layman, & alii cum Pirhing hic à n. 74. docentes, ejusmodi contractum censualem personalem ex natura rei, & seclusâ prohibitione legis humanæ, omnino licitum; quia potest quis licitè alteri vendere jus partis fructuum capiendorum ex suo prædio, ergo etiam certæ pecuniæ à se pendendæ. Ratio in contrarium allata instantiam habet in emptione censûs realis, quem etiam ipsi licitum docent. Not. autem censum personalem non ita posse constitui in persona libera, ut si ea non sit solvendo, creditor possit debitorem vendere, vel servituti subjicere, si potest prædium vendi, vel vindicari; quia liber homo non potest pignori dari c. 2. de pignoribus; jus autem censûs est majus jure pignoris. 1056

Quæres 3. quæ conditiones requirantur, ut licitus sit contractus censualis? R. jure naturæ requiri quatuor; 1. ut constituatur in re frugifera sufficiente ad solvendum onus annui reditûs, 2. ut ematur justo pretio, hoc est illo, quod vel lege, vel consuetudine, & his deficientibus arbitrio pru- 1057

prudentum, statutum est, 3. ut res censui subjecta pereat Censualistæ, si pereat, vel infrugifera in perpetuum reddatur sine culpa Censurarii; secùs si tantùm ad tempus, & postea rursùm referat, quod sufficiat oneri censûs annui, 4. ne sine consensu Censualistæ alteri vendatur, à quo difficilius habeatur census. Sed de hoc ex professo lib. 3. Tit. 39. de Censibus.

ARTICULUS V.

De usura in pignoribus & hypothecis.

1058 PRima quæstio est de fructibus pignoris, qui excedunt sortem, & interesse debitum, an eos non computare in sortem, contineat vitium usuræ? Sed ad hanc quæstionem responsum est suprà n. 1044. cum limitationibus sententiam affirmativam restringentibus. Altera quæstio est, an licitum sit pignoribus adjectum *pactum anthichreseos*? quo intelligitur pactum adjectum pignori, ut ejus fructus creditor interim tam diu percipiat, & lucretur, donec pignus solutione sortis eliberetur, licet excedant sortem. Sed R. omnino illicitum esse; sic Haunold. tom. 4. de Just. tr. 10. n. 928. cum communi Theolog. Nam pactum usurarium ipso jure nullum est, & tam divinis, quam humanis legibus prohibitum, ut constat ex toto titulo de usuris: hoc autem pactum est usurarium, si pignori adjectum sit. Nam usura est, quid quid in, & vi mutui ultra sortem accipitur; sed in dato casu fructus pignoris excedentes interesse debitum, acciperentur ultra sortem, vi mutui; cùm expresè c. 1. & 2. de usuris dicantur *computandi in sortem, ut caveatur usura*; ergo si secùs, eorum perceptio erit usura, & quoniam fit *vi mutui pacto informati*, erit vi mutui.

1059 Dices, 1. licitum esse pactum antichreseos propter incertum fructuum eventum, etiamsi fructus legitimum usurarum modum interdum excedant, ut constat ex L. *si oleo* L. *si pactione*, L. *si eâ lege*. C. de usuris. Verùm licet jure civili, ut constat ex toto titulo ff. & C. de usuris, etiam usuræ permissæ sint; non tamen propterea in conscientia licitæ sunt; cùm certum sit eas peccatum esse. Hinc illa jura nihil probant; cùm jus civile non possit in conscientia licitum reddere, quod jure divino, & canonico prohibitum est.

1060 Dices, 2. quod fit præcisè juvandi proximi causâ, non est illicitum; ergo si antichresis eo solùm titulo contrahatur, non erit illicita: hoc autem sæpe contingit, cùm proximus graviter eget pecuniâ; ergo sæpe licita est. Sic Andr. Gail. l. 2. observat. 3. n. 5. Verùm nego universaliter antecedens; quia quod de se malum est, nec proximi causâ licet, aliàs liceret *mentiri*, cùm mendacio à gravi periculo proximus liberari posset. Et quæ quæso est charitas proximi, *præcisè titulo mutui* auferre proximo fructus pignoris? cùm pecunia per se mutuata, cæteroquin otiosa fuisset. Nam si alias otiosa non fuisset, alio titulo licitum est interesse.

Dices 3. fructus illos posse computari 1061
in vicem molestiæ quam creditor subit in colendo fundo, in credito non simul, sed per vices reputando, quæ particularis solutio multa habet incommoda; ergo hoc titulo potest fructus ultra sortem percipere? R. non posse; quia contractus initio quidem voluntatis sunt, postea vero necessitatis, ut dicitur L. *Sicut* de act. & obligat. Hinc creditor sibi debet imputare, quòd, cùm nullo jure cogeretur ad mutuandum, hanc sibi necessitatem injecerit, ex fructibus rei pignoratæ sortem suam colligendi; quamvis & hâc molestiâ se liberare possit, non recipiendo in se pignus, sed Hypothecæ nomine relinquendo debitori, ut notat Canisius cit. hic, n. 24.

Dices 4. in dato casu fructus non per- 1062
ciperentur *vi mutui*; ergo non forent usura. Anteced. patet, quia in dato casu sors non posset revocari, quod est contra naturam mutui. R. non percipi vi mutui *nudi*, sed *vestiti* pacto inito propter mutuum, seu mutuationem præcedentem; hinc cùm creditor lucretur fructus pignoris vi pacti, *ut supponentis mutuum*, merito in usuram incidit damnatam c. 1. h. t. ubi Alexander III. ait, *sub genere usuræ damnatæ contineri*, si quis alicujus professionem datâ pecuniâ accepit, & ubi sortem suam deductis expensis de fructibus jam percepit, possessionem non restituat debitori & c. 2. eod. ubi hoc etiam dicitur de Laicis; item c. 10. eod. ubi Urbanus III. dicit, eum, *quasi usurarium in judicio animarum debere judicari*, qui mutuat eâ mente, ut ultra sortem aliquid accipiat; vel vendit rem plus, quàm valeat, *quia differt solutionem*. Huc etiam pertinet c. 132. cum sequentib. 14. q. 3. Idem est, si

dicas donari donatione supponente mutuationem præcedentem. Mutuo autem non obest contrahi ad certum tempus, & in diem certum, atque adeo irrevocabilitas illa.

1063 Ne autem in hoc pactum antichreseos usurarium temerè incidamus, prudenter monet Dominicus Soto de Just. & Jure l. 6. q. 1. à 2. apud Canis. cit. n. 29. ut creditor rem, quam alioquin debitor pignori destinaverat, certo pretio emat cum pacto reluitionis, seu revenditionis. Nam tali casu fructus, aliæque obventiones lucro cedunt emptori licitè; cùm jam eas percipiat *ex re sua*, L. *qui scit*, ff. de usuris; & hoc pactum revendendi esse licitum etiam in conscientia multis authoritatibus probat Tiraquellus, Navarrus, & alii apud Canisium l. c. Si dicas antichresis, & emptio illa in eundem finem tendunt, videlicet ad lucrandos fructus rei; ergo si non licet antichresis, nec licebit illa emptio. R. esse diversitatem *in modo*; nam emptio est modus licitus lucrandi fructus, antichresis illicitus, & usurarius; ille tendit ad lucrandos fructus *ex re sua*, iste *ex aliena.*

1064 Dices 2. etiam ille, qui per viam donationis, vel usus fructûs lucratur fructus, tendit ad eos lucrandos ex re aliena, & tamen non est illicitus modus lucrandi. R. viam donationis, & liberalitatis esse modum de se licitum, non autem viam mutui tendentis ad lucrum ultra sortem, præcisè vi mutui; cùm in mutuo ea tantùm res in obligationem veniat, quæ data fuit, non alia. Quòd autem eadem res rectè detur uno modo, & non altero, patet. Nam hæreditas justè dari potest testamento, non autem pactis. L. *hæreditas*. C. de pactis conventis, & L. *licet* C. de pactis.

1065 Dices 3. antichresis etiam jure canonico saltem aliquibus casibus permittitur; ergo de se non est mala; anteced. patet. Nam Clericus potest beneficii sui fructus à Laico injustè possessi, & sibi pro mutuo obligati, licitè percipere, ut dicitur c. 1. de usuris ibi: *nisi fortè Ecclesiæ beneficium fuerit, quod redimendum hoc loco de manu Laici videatur.* 2. Cùm domino feudi res feudalis in pignus datur, non tenetur fructus in sortem computare, c. *conquestus* eodem ibi: *nisi terra ipsa de feudo sit Monasterii vestri.* 3. Gener fructus possessionum pro dote sibi obligatarum licitè non computat in sortem. c. *salubriter* 16. eod. ibi: *Sanè generum ad fructus possessionum, quæ sibi à socero sunt pro numerata dote pignori obligatæ, computandos in sortem, non credimus compellendum.* R. negando, Jure Canonico permitti antichresin ex pignore. Nam in primo casu solùm ab injusta possessione avocat Clericus possessionem *rei suæ*, non tamen percipit viâ mutui fructus *ex alieno.* In secundo casu non est usura, cùm fructus percipiat Dominus feudi *ex re sua* jam consolidata; feudum enim, cùm à Vasallo in pignus datur Domino, consolidatur, & Vasallus ab onere obsequiorum liberatur: in tertio casu percipiuntur fructus in defectum dotis non sufficientis ad onera matrimonii supportanda, ut patet ex ipso textu ibi: *cum frequenter dotis fructus non sufficiant ad onera matrimonii supportanda.* Hinc simpliciter N. anteced. de antichresi, quam rejicimus. Vide Wadingum de Contract. D. 6. d. 9. §. 1. & 21.

Quæstio est 3. an licitum sit in contractu pignoris, *pactum legis commissoria?* 1066
quo scilicet inter debitorem, & creditorem convenitur, ut, si ab illo non solvatur debitum *intra certum tempus*, pignus committatur, hoc est, creditori cedat, ad eumque pertineat, sic, ut à debitore amissum sit &c. R. illud jure Canonico, & civili reprobatum esse, ac illicitum, nisi fiat cum limitatione ad justum pretium, & solum secundùm æstimationem debiti cedat, patet ex c. *significante*, de pignoribus ibi: *cùm igitur pactum legis commissoriæ sit in pignoribus improbatum*, ut dicitur L. 3. C. de pactis pignorat. Et ratio est, quia, cùm pignus communiter plùs valeat, quàm debitum ex mutuo, eo ipso *vi mutui*, aut saltem *vi pacti*, supponentis mutuum, perciperetur aliquid ultra sortem, quod est usura: hoc autem non contingit, factâ illâ limitatione; ergo. V. Cholin. d. 324. Wadingum, cit. D. 10.

Ex dictis colliges, nec pignoratorem, 1067
nec pignoratarium strictè loquendo, habere *plenum* dominium pignoris, neuter enim habet omnem usum: *non primus*, cùm non possit rem habere penes se, *non secundus*, cùm non habeat proprietatem: ergo. Quia tamen id, quo caret dominus pignoris, ethicè, & moraliter propè nihil est, ideo Molina tom. 2. d. 3. n. 16. censet, nullum jus in re, residens in alio à proprietario, obstare, quò minus hic dicatur pleno jure dominus, propter usum formalem

malem maximè perpetuum, ut est in emphyteusi, feudo, superficie, perpetuis. Quare, rem esse subjectam hypothecæ, pignori, servituti, censui, juxta hunc sensum, non facit, ut proprietarius, non sit rei plenus dominus, scilicet moraliter, & ethicè, sic ille.

ARTICULUS VI.

An, & quibus usuræ restitui debeant?

1068 QUæstio est 1. an dominium usurarum transferatur in Usurarium? Communior opinio Doctorum negat cum S. Thoma 2. 2. q. 78. à 3. in O. licet Cardinalis de Lugo D. 25. de Just. S. 11. n. 206. & alii affirment, sed revocabiliter, seu cum onere restitutionis. Nam solvens usuras est earum Dominus; ergo si velit eas fieri alterius, & is acceptet dominium, in hunc transferetur, saltem earum, quæ cum rebus ejus permiscentur. Probabilior tamen est sententia negantium; nam, quod dicit de Lugo, non procedit, ubi recipiens est jure inhabilis, & deficit titulus jure pariter requisitus ad dominii translationem, id, quod non habet contractus usurarius.

1069 Quæstio est 2. an Usurarius habeat dominium earum rerum, quas ex usuris perceptis emit? ℟. 1. si quid lucratus est ex *pecunia* usuraria. v. g. *ludendo*, *negotiando*, eum quidem cum æstimatione damni emergentis, vel lucri cessantis teneri ei, qui usuras solvit, restituere pecuniam usurariè acceptam, non autem, quod eâ lucratus est per suam industriam; quia hujusmodi lucra non sunt fructus *pecuniæ*, cùm hæc ex se sterilis sit; sed proveniunt *ex industria* Usurarii, ideoque ipsi acquiruntur. Sic depositarius, quod emit ex pecunia apud se deposita, sibi acquirit: L. *si ex ea*, 6. C. de rei vindic. Sic etiam fur, aliquid emens ex pecunia furtiva, sibi acquirit; quia, quod ex re furtiva acquiritur, furtivum non est. L. *qui vas.* ff. de furtis. Similiter si uxor ex pecunia viri defuncti, pertinente ad filium, aliquid emat, suo proprio nomine, sibi acquirit. L. *qui aliena.* C. si quis alteri, vel sibi. Denique si quis eripiat artifici sua instrumenta, ac illis industriâ suâ, & labore aliquid lucretur, sibi lucratur, non artifici; quamvis rem ereptam cum damno emergente, & lucro cessante, teneatur restituere. ℟. 2. Si res usuraria sit fructifera, fructus ejus acquiri usurario, si usura transit in dominium usurarii, quia sic eas percipit, *ex re sua*; secùs si usuræ non transeant in dominium usurarii, juxta dicta n. 1076. quia res fructificat Domino suo.

Præterea not. 1. Usurarium vendentem 1070
usuras non transferre illarum dominium in Emptorem (si usurarius non sit dominus usuratum) juxta L. 11. §. *& imprimis* ff. de action. empt. acquirere tamen dominium pretii; quia pretium rei furtivæ non est furtivum. cit. L. *qui vas*: Si tamen res usuraria vendita evincatur, & emptor cedere cogatur, usurarium in foro conscientiæ teneri emptori pretium restituere, cùm sit injusta causa damni, quod subit emptor in casu dictæ evictionis. Sic Azor p. 3. l. 5. c. 12.

Not. 2. id quod comparatur pecuniâ 1071
usurariâ, non comparari ad eam, ut ramum ad radicem, seu ut fructum ejus, sed ut fructum negotiationis. Et ideo Usurarius in eo casu non habet commodum ex iniquitate, sed ex labore; nec in hoc casu res empta ex pecunia usuraria succedit loco pretii, seu pecuniæ, sicut in hæreditate fidei commiss. &c. his præmissis:

℟. Usuras omnino esse restituendas, 1072
& primo illis, à quibus sunt receptæ, vel in horum defectu, illorum hæredibus; si nec tales sint, pauperibus, ut constat ex c. *Cùm tu* 5. h. t. ibi: *sive ante sive post interdictum nostrum usuras extorserint, cogendi sunt, eas his, à quibus extorserunt, vel eorum hæredibus restituere, vel, his non superstitibus, pauperibus erogare*, tum ex c. *Nemo*, 14. q. 5. Et si usurarius recessit à loco, ubi usuras accepit, suis expensis eas mittere ad eum, à quo accepit, etiamsi expensæ excedant usuras; quia sibi imputare debet damnum, quod suâ culpâ sentit; secùs si recessit alter, sic Pirhing. hìc n. 102.

Quando autem in cit. c. *Cum tu*, dici- 1073
tur: *possessiones, quæ ex usuris comparatæ sunt, debere vendi, & earum pretia recepta restitui his, à quibus usuræ sunt extortæ*, intelligi debet, dum adhuc sunt sub dominio usurarii, non autem, si sint alienatæ titulo, vel lucrativo, vel oneroso; quia, læso per usuras non sunt realiter, etiam tacitè hypothecatæ, sed tantùm obligatæ ratione personæ, nimirum usurarii Azor cit. q. 13. §. *Tertia opinio.*

Quæstio est 3. an usurarius gaudeat be- 1074
neficio cessionis bonorum? ℟. cùm hoc beneficium (quo debitoribus conceditur, ut non possint conveniri post cessionem insolidum,

lidum, sed tantùm si ad pinguiorem fortunam pervenerint, quantum facere possunt, ita, ut non egeant, sed retinere possint alimenta necessaria, *L. Is, qui.* ff. de cession. Bonor.) detur tantùm iis, qui casu fortuito redacti sunt ad inopiam; non autem iis, qui ex delicto; Usurarium eo beneficio non gaudere.

1075 Ad extremum not. non tantùm ipsos usurarios obligari ad restituendas usuras, sivè Clerici sint, sive Laici. c. 1. 2. & 7. h. t. quia hæc obligatio est juris Divini, & naturalis: sed etiam eorum hæredes, imò & legatarios deficiente hærede, & omnes eos, qui expressè mutuantis, vel usuras recipientis, sunt earum causa, quia sunt causa talis usurariæ receptionis p. c. *Tua nos.* 9. h. t. ubi Pontifex Episcopo Placentino rescribens, *respondemus, inquit, quòd filii ad restituendas usuras eâ sunt districtione cogendi, quâ parentes sui, si viverent, cogerentur.* Et statim addit: *id ipsum etiam contra hæredes extraneos credimus exercendum*; postremum autem fundatur in jure naturali.

ARTICULUS VII.

De Judice, Probationibus, & pœnis Usurariorum.

1076 QUæstio 1. est, quis sit Judex competens in crimine usuræ, ante resolutionem notandum, esse aliquos, qui velint delictum usuræ esse *fori tantùm Ecclesiastici*, sic Gloss. in c. 8. de foro compet. V. *malefactores* & in c. 1. de offic. Ordin. Præsertim cùm Laici usurarii dicantur puniendi à Judice *Ecclesiastico*, etiam per *excommunicationem*, ut habetur c. 1. 2. & 7. h. t. & usurarum causa videatur ad dictum Judicem pertinere juxta Clement. 2. de Judiciis: probabilius tamen est, illud esse *fori mixti*, consequenter spectare ad utrumque forum, & præventioni locum esse; sic Covarru. p. 3. *Variar.* c. 3. & communior 1. quia Laicus non prohibetur cognoscere de causa furti; sed crimen usurarum sapit furtum, & rapinam, per c. *si quis usuram* 14. q. 4. Deinde si quid foret, ob quod reduci deberet ad forum *duntaxat* Ecclesiasticum, esset, *quia prohiberetur ab Ecclesia*; at etiam prohibetur adulterium, & plura similia, de quibus tamen cognoscit Judex & laicus, & Ecclesiasticus. Quod desumitur ex Clementina 2. non probat esse fori Ecclesiastici *privativè*. Et quamvis usurariis statuatur pœna *canonica excommunicationis &c.* idem tamen fit etiam in aliis delictis, quæ tamen manent mixti fori. Nec etiam quid quam facit, quòd jure civili usuræ permissæ sint; quia tamen leges illæ fovent peccatum, nullæ sunt; & Judex laicus illis licitè uti non potest, sed tenetur sequi dispositionem Clementinæ 1. h. t. cæteroquin graves Ecclesiæ pœnas subiturus.

Quæstio est 2. qualiter hoc crimen pro- 1077
betur? 3. aliquem esse usurarium *manifestum*, probari evidentiâ facti, vel usurâ frequenter exercitâ, ut notat Mascard. de probat. Volum. 3. conclus. 1415. n. 3. Deinde confessionem judicialem usurarii; imò (etsi aliàs non inducat notorium juris, per c. *fin.* de cohabitat.) per extrajudicialem coram sacerdote, qui est judex ejus in foro animæ; vel notorio, aut saltem publicè coram testibus; sic Gloss. in c. 2. h. t. in 6. V. *Manifesti* 3. per duos vel tres testes idoneos: 4. per famam, & communem opinionem probatam per testes, concurrentibus simul aliis adminiculis. Sic Mascard. cit. conclus. 1417. Sed not. non sufficere famam cum opinione communi, & aliis utcunque adminiculis, ut dicatur quis usurarius *manifestus* (*prout hic subjicitur pœnis* c. *quia in omnibus.* 3. h. t. statutis) sed requiri talia argumenta, per quæ *constet* esse usurarios, ut decidit Innocentius III. in c. *Cùm in Diœcesi* 15. h. t. Et ideo etiam ex libris Rationum probari quis poterit usurarius manifestus, compellique potest (non modò per censuras, sed etiam per vim, frangendo, vel etiam vi aperiendo ejus cistas) ut, cùm de usuris agitur, exhibere cogatur suarum rationum codices, & hoc ex eo, quòd contractus usurarii occultè, ac dolosè ineantur, ut dicitur in Clement. *Exivi* h. t. & Abbas ibidem n. 12. Et quamvis tales libri non probent *proscribente:* ut habetur L. *Instrumenta* 5. L. *Rationes*, 6. cum sequent. C. de probat: probant tamen *contra scribentem*; ita Zoësius h. t. in fin. Nec obstat, quòd aliàs *nemo teneatur* edere rationes privatas; & instrumenta, vel probationes contra se producere, ut dicitur L. 4. C. de edendo L. 7. C. de Testibus, junctâ gloss. in cit. §. *cæterum.* R. *Rationum:* in hoc tamen casu contrarium *specialiter* constitutum est *in odium Usurariorum.* Usurario autem neganti, etiam cum juramento, se habere librum rationum, non creditur, nisi probet amissum casu

casu fortuito, incendio, ruinâ: secùs est de hærede, aliàs fide digno, nec usurario, & cum juramento neganti se habere librum rationum; sic Gloss. in cit. §. *Cæterum* V. *compellendos.*

1078 Quæstio est 3. quæ pœnæ statutæ sint in usurarios *manifestos?* R. cùm usuræ tam jure divino, & naturali, quàm canonico prohibitæ sint, propter injustitiam, quam in se continet usurarum receptio, non est dubium, omnes usurarios, tam reales, quàm mentales, etiam occultos, teneri ad earum restitutionem, etiam Judæos, c. *post mirabilem*, & c. *penult.* h. t. Non enim dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. c. *cùm tu.* 5. h. t. maximè cùm usura proxima sit rapinæ, c. *si quis* 16. q. 4. Et hæc obligatio transit etiam ad hæredes Usurarii, saltem pro parte hæreditatis, c. *cùm tu.* & c. *Tua nos*, h. t. nimirum si quid ad eos de usuris pervenit. Et quamvis aliàs de jure civili *pœna, delinquentis personam non egrediatur*, ut dicitur L. *Sancimus* C. de pœnis; *nec hæredes ex delicto defuncti conveniantur, nisi quatenus, aut ex delicto ad eos pervenit, aut lite cum defuncto contestatâ*, L. *unicâ* §. *non autem* C. ex delictis defunctorum: jure tamen Canonico dicendum videtur, etiamsi nihil ad hæredem pervenerit, eum teneri ex hæreditate accepta satisfacere læsis ex delicto usurario defuncti, arg. c. *fin.* de sepultur. & c. *in literis* de Raptoribus, quia hæc dispositio concernit favorem animæ, ut notat Vallensis h. t. §. 4. n. 1. propterea volens, idem servandum esse in foro civili, arg. c. *fin.* de præscript.

1079 Præter hæc not. 1. primam usurarii manifesti pœnam esse *infamiam ipso jure.* L. *Improbum*, 20. C. ex quibus causis irrogetur infam. & c. *Infames* §. *porrò* 3. q. 7. ex hoc autem sequuntur & reliqua, quæ consequuntur infamiam, v. g. irregularitas. c. *inter dilectos.* 11. de excess. Prælat. Deinde Clericus, si sit Usurarius manifestus, & monitus non desistat, suspendendus est ab officio & beneficio. Si autem sit Laicus, excommunicandus, dum debitè satisfaciat, ut dicitur in c. *Praterea* 7. h. t. ibi: *Parochianis tuis usuras recipere interdicas; si parere contempserint, si Clerici sint, eos ab officio, & beneficio suspendas; si Laici, usque ad condignam satisfactionem ipsos vinculo excommunicationis adstringas*, junct. gloss. *fin.* etiam antequam perveniatur ad pœnas textûs in c. *quia in omnibus*, 3. h. t. quæ communiter infliguntur primò post mortem; tum quia, *uti plures pœnæ statutæ sunt, electio est penes Judicem* c. *fin.* §. *fin.* ut lite non contestatâ: tum quia excommunicatio magis timetur c. 1. de except. in 6. Sic Abbas in cit. c. *præterea.* n. 4. Cœterùm hodie per c. 1. h. t. in 6. manifesti usurarii sunt ipso jure excommunicati.

Not. 2. Præter dictam pœnam, usu- 1080
rarios manifestos privari 1. *communione altaris*, seu (ut aliqui volunt) sumptione sacræ Eucharistiæ. Deinde ne ipsorum *oblationes* recipiantur ab Ecclesia. 3. privantur *Christianâ sepulturâ*, si in tali delicto decesserint; & scienter eos sepelientes ipso facto excommunicantur, non liberandi, nisi datâ satisfactione diœcesano, per cit. c. 3. h. t. nisi saltem ante mortem caverint, ut usuræ, illicitæ perceptæ, solvantur, & solutio, vel saltem sufficiens cautio præstetur, ut habetur in c. *quanquam* 2. h. t. in 6.

Not. 3. Manifestos usurarios etiam 1081
in periculo mortis non esse absolvendos à peccatis, etiam reliquis, nisi parati sint usuras restituere, vel de hoc idoneam præstent cautionem, nec licere ulli, conficiendis eorum testamentis, interesse, cit. c. *quanquam*, & testamenta ipsorum aliter facta (nimirum sine restitutione usurarum, vel idoneâ cautione) irrita, & nulla esse, ipso jure, ut haberur in cit. c. *quanquam* §. *nullus*, & §. *fin.* & hoc procedit de qualibet ipsorum ultima voluntate; tum quia id insinuat initium c. *quanquam* ibi: *in ultima voluntate*, tum quia satis apertè id colligitur ex ipsâ intentione constitutionis.

Not. 4. Ecclesiasticos non posse usu- 1082
rariis manifestis, alienigenis, seu externis, elocare domos, vel concedere illis habitationem in terris suis, imò teneri eos expellere intra tres menses sub pœna *suspensionis* ipso facto, si sint Episcopi; *excommunicationis* autem, si sint inferiores Episcopis: interdicti verò, si sit collegium, vel universitas c. *Usurar.* 1. h. t. in 6. V. etiam Clement. 1. eodem.

QUÆ-

QUÆSTIO XX.
IN TITULUM XX. DE CRIMINE FALSI.

1083 QUamvis *falsum* interdum sumatur pro *injusto* §. *præterea* Instit. Quibus modis jus. &c. propriè tamen est, quod veritate caret. Sic rescriptum, *falsum* dicitur, quod non emanavit à Papa, & tamen apparet emanâsse, c. *sua nobis*, de offic. Vicarii, sic falsus Tutor verè dicitur, qui Tutor non est, & falsum testamentum, quod testamentum non est L. *Paulus* ff. de V. S. Cæterum Crimen *Falsi* est veritatis immutatio, vel perversio, facta dolo, seu animo pravo in alterius fraudem, sic, ut alteri noceat, vel nocere possit. Hinc ad crimen falsi, prout agitur de illo, h. t. tria requiruntur. Primum est *dolus* per L. 27. C. h. t. ibi: *cùm non nisi dolo falsum continentes, crimini subjugentur.* Non sufficit autem dolus *præsumptus*, sed requiritur *probatus*; potius enim errore factum præsumatur, quàm animo decipiendi, uti præsumit ipse Imperator L. 5. C. de his, qui sibi adscribunt in testamento, ibi: *pœna legis Corneliæ tibi remittitur, in quam, credo, te magis errore, quam malitiâ incurrisse.* Secundò requiritur, veritatis immutatio; quod non contingit quocunque mendacio, aut dicto falso ex mero errore; sed ex dolo, ut colligitur ex L. 23. ff. ad L. Cornel. de falsis, ut si quis, errans in computu rationum, dicat, summam esse centum, cùm in re sit minus. Tertiò requiritur, ut per hujusmodi dolosam veritatis perversionem damnum tertio inferatur; quod intellige, ut censeatur *Falsarius quoad pœnam ordinariam*, cùm ad hanc regulariter non sufficiat solus conatus; hic enim in pœnis mitius punitur, nisi ob atrocitatem criminis expresè lex statueret etiam *conatui* pœnam ordinariam.

1084 Crimen falsi, præcipuè quatuor modis committitur. 1. *dicto*, seu verbo, ut si testis falsum deponat in judicio, vel Judex iniquam sententiam ferat. 2. *Scripto*, seu scripturâ, ut si quis falsas literas, vel instrumentum conficiat. 3. *Re*, vel *facto*, ut si quis falsam monetam cudat, falsas mensuras, vel falsa pondera faciat, aut falsum partum supponat. 4. *Usu*, vel potius abusu, ut si quis falsis probationibus utatur. Crimen falsi est crimen *publicum*, ita, ut quilibet de populo illud accusare possit; Nam puniri hoc crimen in foro Ecclesiastico, & puniri etiam posse in foro seculari colligitur ex c. *ad Falsariorum* 7. h. t. ibi: *statuentes, ut Clerici, qui falsarii fuerint deprehensi, omnibus beneficiis Ecclesiasticis perpetuò sint privati, ita, quòd qui per se falsitatis vitium exercuerit, postquam per Ecclesiasticum Judicem fuerint degradati, seculari potestati tradantur, secundùm constitutiones legitimas puniendi; per quam & Laici, qui fuerint de falsitate convicti, legitimè puniantur.* Est etiam crimen *exceptum*, & in remissione, ac dispositione generali non comprehensum. Unde Falsarius est, qui crimine falsi tenetur c. *ad Falsariorum* 7. de crimine falsi.

ARTICULUS I.

Qualiter falsum committant testes, Judices, Advocati, &c.

REsp. quòd *Testis*, in judicio deponens falsum, seu dolo malo pervertens veritatem, sit falsarius, & committat crimen falsi. Sic Julius Clarus l. 5. sent. §. *falsum.* n. 5. L. *qui falso*, ff. de Testibus c. *Falsidicus* 1. h. t. Item *occultans veritatem*, aut *verum tacendo supprimens*, si juravit se veritatem dicturum super certo articulo, & legitimè interrogatus tacuit: secùs est, si simpliciter juravit, se ad interrogata responsurum; quia si non interrogetur de aliquo puncto, & circa illud solùm veritatem taceat, non committit crimen falsi; quia vi juramenti plus non tenetur, quàm ad interrogata respondere. Idem dic de illo, qui subornat dono, vel pretio testem, ut in Judicio falsum deponat; vel scienter in judicio falsum testem producit, vel falsi testis dicto utitur. Sic Clarus cit. n. 2. & 4. In idem crimen falsi incidit testis, qui 1085

in

in sua depositione dicit. *Se non recordari de illo, de quo reverâ recordatur, vel saltem potest ac debet verisimiliter recordari*: secùs si probabiliter non recordetur; quia probabilis oblivio testem à falso excusat; Farinacius in praxi criminali p. 2. tract. de Testibus q. 67. n. 224. qui in sequentibus docet, eodem falsi crimine teneri testem, qui deponit obscurè, versutè, vel per malitiam eo fine, ut ejus depositio producenti non prosit.

1086 Præterea notandum, crimen falsi committi etiam à Judice, qui pecunia corruptus, verbo seu dicto, vel aliàs dolo malo contra leges, vel constitutiones sententiam tulit, L. 1. §. *Sed etsi Judex* ff. ad leges Cornel. *de falsis*, ibi: *& qui Judicem corruperit, corrumpendumvè curaverit; Sed etsi Judex constitutiones Principum neglexerit, punitur*, id, quod etiam procedit de Advocato, qui parti adversæ causam prodit; talis enim, ut falsarius punitur. L. 1. §. 1. ff. eodem. Idem est, si quis in Judicio causas partium referens, addat falsum, vel demat verum ad causæ meritum pertinens. Sic enim reverâ pervertit veritatem.

1087 Pœnâ falsi eum esse plectendum, qui testimonii dicendi causâ accipit pecuniam, & verum dixit, affirmant apud Pirhing, Mynsingerus, & Harprechtius ex L. 1. §. *Sed etsi quis* ff. ad legem Corneliam, de fals. quia *venale testimonium, non est testimonium veritatis*, ut dicitur c. *Nolite*, 11. q. 3. & c. *fin.* 14. q. 5. Sed contrarium videtur verius; quia talis non pervertit veritatem; ideo solùm arbitrio Judicis coërcendus est. Nam *falsitas nemini nociva, non punitur pœnâ ordinariâ*, ut docet Barbosa, in c. 1. de crimine falsi n. 5.

1088 Præter hæc not. Falsariis annumerari eum, qui falsas testificationes faciendas, vel falsa inspicienda, dolo malo conjecerit; item, qui ob instituendam advocationem, testimoniove, pecuniam acceperit, pactusque fecerit, vel societatem coierit ad obligationem innocentium; & L. 20. ff. h. t. qui ad litem instruendam advocatione, testibus, pecuniam acceperit, obligationem, vel pactionem fecerunt, societatem inierunt, ut aliquid eorum fieret, caverunt. Ubi notat Haunoldus Tom. 6. de Just. tr. 2. n. 180. in hoc casu non requiri, ut effectus, hoc est, alterius damnum sequatur. Et ideo, si ex falso testimonio aliquis ad mortem damnaretur, falsarius ut proditor, & homicida puniretur per L. 1. §. 1. ff. ad L. Cornel. de sicariis, ibi: *quive falsum testimonium dolo malo dixerit, quo quis publico judicio rei capitalis damnaretur.*

Pœna hujus delicti, spectato jure civi- 1089
li, in Ordin. criminali Carolina, relinquitur arbitrio Judicis, & judicio prudentum consulendorum pro diversitate, & gravitate delicti. Sic Haunold cit. n. 178. quod etiam tenent Clarus. §. *Falsius* n. 32. Farinac. in praxi crimin. p. 6. l. 5. tit. 16. q. 16. volentes, si crimen in judicio commissum sit, præsertim circa acta causæ, perdi causam. Quamvis autem in cit. Carolin. a. 112. & seqq. fiat aliqua specificatio pœnæ, cùm dicitur *falsarium relegandum*, vel *virgis cædendum*, vel aliâ pœna simili, pro qualitate delicti; ea tamen specificatio non est ultimata. Et tametsi in jure communi cit. L. 1. §. *fin.* dicatur: *pœna falsi, vel quasi falsi, est deportatio, & omnium bonorum publicatio; & si servus aliquid eorum admiserit, ultimum supplicium*: deportatio tamen hodie non est in usu sed bannum, seu relegatio; & publicatio bonorum correcta est in Authent. *Bona*, de bonis præscriptis, quamvis quandoque possit extendi ad manûs amputationem jure Novellarum, vel etiam ultimum supplicium, per L. 22. C. h. t. ibi: *supplicio capitali, si id exigat magnitudo commissi, vel deportatione ei imminente.*

ARTICULUS II.

De crimine falsi circa literas Apostolicas.

Cùm circa rescripta, seu literas Aposto- 1090
licas plurimæ fraudes, & falsitates, seu deceptiones contingant, plura in hoc puncto constituta sunt, breviter tamen expedienda; vel potius solùm indicanda ex c. *licet* h. t. ubi ponuntur novem modi falsandi literas Papales, & sunt seqq. Primum indicium falsi, in literis Apostolicis commissi, est, si falsa bulla falsis literis apponitur. 2. si filum de vera bulla ex toto extrahatur, & per aliud filum immissum falsis literis inseratur. 3. si filum ab ea parte, in qua charta plicatur, incisum, cum vera bulla falsis literis inseratur. 4. cùm à superiore parte bullæ altera pars fili sub plumbo rescinditur, & per idem filum falsis inserta reducatur infra plumbum. 5. cùm literis bullatis, & redditis, aliquid in eis per rasuram tenuem immutatur. 6. cùm

charta artificiis dealbatur, & iterum inscribitur. 7. cùm chartæ abolitæ, & abrasæ, alia subtilissima charta conglutinatur. 8. cùm non recipiuntur literæ de manu Papæ, vel Bullatoris. 9. cùm falsæ literæ sub bulla vera projiciuntur.

1091 Ex hoc colliges, scripturam *rasam*, falsam præsumi, & rejici, ut docet Barbosa in cit. c. *licet*. n. 2. *& ex cancellatione* in aliqua scriptura præsumi falsitatem, Farinacius p. 6. q. 151. à n. 31. *& diversitatem manûs in scriptura* falsitatem arguere, per Menochium de præsumpt. l. 5. præsumption. 20. à n. 9. Ex Apostillis etiam, seu *additionibus*, præsertim in margine alicujus instrumenti, seu scripturæ repertis, arguitur falsitas per Farinacium cit. Not. tamen, quod rescriptum non probetur falsum per rasuram in *loco non suspecto* c. *ex conscientia* 9. h. t. Censetur autem facta in loco suspecto, si sit *in narratione juris*, *in propriis nominibus Judicum*, *in Annotatione Datæ*, *vel Indictionis*, juxta c. *inter dilectos* 6. de fide instrument. & c. *cùm venerabilis* 7. de Religios. domibus. Coll. 2. falsas etiam esse literas, saltem præsumptivè, in quibus *Episcopus* vocatur *Filius*; vel inferior, *Frater*; vel uni scribitur in plurali; Nam Papa Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos vocat *Fratres*; cæteros autem Reges, & Principes *filios*; Quare falsitas literarum cognoscitur tum in Bulla, filo, & charta, tum in stylo. *Stylus* enim (intellige specialiter probatus à Papa) servatur pro lege, & Judex contra talem stylum judicans, facit litem suam, acsi faceret, & judicaret contra legem. Sic Barbosa in c. *quàm gravi* 6. h. t. Stylus tamen contra jus non est observandus. Sic Farinacius Consil. 85. n. 18.

1092 Præterea nota 1. si certum est, rasuram in literis Apostolicis esse factam *à Cancellario*, vel alio est officialibus Curiæ, non induci falsitatem, etiamsi facta esset in loco suspecto. Sic Fagnan. in c. *final*. h. t. n. 6. quia præsumptio facti cedit veritati; Si autem certum sit eam rasuram esse factam ab impetrante, aut utente illis literis Apostolicis, radentem esse falsarium, etiamsi rasura sit modica, unius tantùm syllabæ, vel literæ, ut dicitur cit. c. *licet*, junctâ gloss. V. *Tenuem*; etiamsi non sit in loco suspecto, & non nociva, ut notat Abbas hîc 4. & Fagnanus n. 6. Denique si sit dubium, à quo facta sit rasio, & in loco non suspecto (ut in narratione facti) rescriptum non redditur falsum juxta c. *fin*. h. t. secùs, si sit in loco suspecto, quo casu præsumitur facta ab impetrante, & literæ non valent. Sic Fagnan. n. 15. Sed adverte prædicta procedere, si literæ Apostolicæ traditæ sint *apertæ*; secùs si *clausæ*; quia tunc non nocet rasura in quocunque loco facta, nisi character in ea scriptura esset valde difformis, gloss. in cit. c. *licet*. V. *Tenuem*.

Not. 2. Sententiam latam ab eo, qui 1093
jurisdictionem per falsas literas accepit, sive vi falsi rescripti delegatorii, esse ipso jure nullam, ob defectum jurisdictionis, quam falsæ literæ dare non possunt c. *super eo*, h. t. c. *ad probandum*, de sent. & re judicat. L. *sicut proponi*, 6. C. quomodo, & quando Judex. Et ideo talis sententia executioni mandari non debet, c. *super eo*. Ex quo etiam habetur, merum Executorem posse admittere exceptionem, si objiciatur, sententiam esse nullam, eò, quòd lata sit per falsas literas; & suspectum de falsitate, posse capi, & detineri, donec de veritate constet. gloss. in c. *super eo*. V. *executioni*, & Abbas hîc à n. 2.

Not. 3. Ut intelligatur casus *de falsifi-* 1094
catione manûs, vel sigilli, quam Religiosis Ordinibus reservandum proposuit Clemens VIII. & sexta censura in Bulla cœnæ; *manum* vel *sigillum* falsificare, idem valere, atque *characteres*, *alterius manu factos*, vel *alienum sigillum effingere*. Sic Pereyra in Elucidario n. 1984. Ut autem quis incidat in casum reservatum per falsificationem manûs, vel sigilli, Officialis Monasterii, requiri, ut falsitas committatur *in subscriptione* Officialis, sic Castropal. apud Pereyram cit. Unde, si literas Officialis falsificares, *demptâ illarum subscriptione*, non incideres in reservatum; quia de facto non falsificas manum, vel sigillum. Nam ut ait Castropal. cit. *nomine manûs*, subscriptio communiter intelligitur. Accedit, quòd litteræ fidem non faciant, si nec sunt subscriptæ, nec sigillo firmatæ. Potest autem etiam committi falsitas *in Sigillo*, si Prælati Sigillo furtivè accepto, vel alio simili aliunde efformato, literæ consignentur.

Præterea notat Castropalaus ex Suario 1095
tom. 4. de relig. tract. 8. lib. 1. c. 18. n. 8. fabricationem sigilli, *similis sigillo Officialis*, etiam pravo animo factam, non esse

casum

casum reservatum, quousque literæ eo obsignentur. Quia hæc *falsificatio* non debet intelligi de sigillo *materiali*, sed de *formali*, scilicet literarum sigillatione. Porrò Falsarios literarum Apostolicarum, item falsò fabricantes literas Apostolicas, & falsò signantes supplicationes, in sexta censura bullæ Cœnæ, Suarez de Cens. Disput. 21. S. 1. à n. 44. ità intelligit, ut comprehendant duplicem actionem; alteram quæ est *falsificare literas Apostolicas*, id est, à sincera veritate radendo, vel addendo, immutare: & *falsas literas vero sigillo munire*: alteram, quæ est falsarum literarum fabricatio, & gravior, quàm præcedens: & ideo gravius punitur extensâ pœnâ ad fautores & defensores.

ARTICULUS. III.

De pœnis statutis in falsantes literas Apostolicas.

1096 JUre Canonico literas Apostolicas falsantes, sunt ipso jure excommunicati, cum suis fautoribus, & defensoribus, c. *ad Falsariorum* 7. h. t. ubi hæc pœna extenditur ad scienter utentes ejusmodi falsis literis, eo tamen discrimine, ut si utentes sint Clerici, non sint excommunicati, sed priventur officiis, & beneficiis; Si autem Clerici ipsi dictas literas falsificent, ipso jure officiis privati sunt c. *ad Falsariorum*, ubi etiam dicitur ejusmodi falsantes esse degradandos & tradendos Curiæ seculari; puniendos pœnis legalibus.

1097 Not. autem 1. pœnas hujus Canonis afficere solùm eos, qui falsant literas *Papæ*, non autem aliorum; quia clarè loquitur tantùm de literis *Apostolicis*; & licet textus loquatur de *exercentibus* vitium falsi (ex quo aliqui volunt, non sufficere *unicum actum*) verius tamen esse oppositum; quia verbum *exercere*, etiam in dispositione pœnali, verificatur in unico actu, ut patet ex §. *item lex Julia*, de adulteriis, Instit. de publicis judiciis. Farinacius cit. q. 151. à n. 31.

1098 Not. 2. crimen falsi à Clerico commissi in literis Papalibus esse unum ex tribus casibus, in quibus de jure communi degradatur, & traditur Curiæ seculari, non exspectatâ ejus incorrigibilitate. Sic Farinacius n. 4. Sed adverte ex Pirhing hîc n. 25. §. *veram* pœnam infligi Clericis solùm illis, qui *per se* falsitatem exercent, ut patet ex textu. Porro prædictæ pœnæ non extenduntur ad impetrantes literas subreptitias, vel obreptitias. Barbosa in c. 7. h. t. n. 5. Et in dubio quis falsitatem in litteris deprehensam commiserit? non præsumi commissam ab impetrante tales literas, si cognitâ falsitate iis uti destitit. c. *accedens* 8. h. t. ibi: *cùm præsumi non debeat, quòd pro talibus literis, quæ facilè possunt obtineri, fraudem quis commiserit falsitatis, nec literis usus est, postquam eas falsas esse, cognovit*; juncta Gloss. in casu.

ARTICULUS IV.

De crimine falsi in aliis instrumentis.

NOn est dubium, Notarium, qui con- 1099
ficit falsum instrumentum, falsarium esse, & ut talem puniri. 2. Eum, qui scienter producit tale instrumentum, vel eo utitur. L. *Majorem*. 4. C. ad Leg. Cornel. de falsis; 3. Si quid addat, quod verum non est; Sic Jul. Clar. §. *Falsum*. n. 19. vel si addat solennitates in instrumento, ut aliquid conficiat in re illicita, extra casus jure permissos. Similiter, ut falsarius puniendus est, qui testamentum, codicillum, vel aliud instrumentum, aut literas publicas, vel privatas, & ad aliud spectantes immutat, lacerat, vel comburit, delevit, dolosè celavit, vel suppressit L. 1. & 2. ff. ad Leg. Cornel. de falsis L. *licet* C. eodem. Item ille, qui se, vel illum, quem in sua potestate habet, in alieno testamento hæredem, vel legatarium scribit L. 1. & 15. ff. ad Leg. Cornel. eodem.

Præter hæc notandum, falsarium es- 1100
se, & ut talem puniri eum, qui alienum chirographum imitatus fuit. L. 23. ff. eod. qui rationes, tabulas, aut instrumentum aliquod rasurâ falsavit, aut signum amovit, L. 1. ff. eodem; qui signum adulterinum, seu falsum fecit, vel sculpsit, ac eodem literas sigillavit, L. 30. ff. eodem. Specialiter autem constitutum est, ut incidat in crimen falsi, qui aperit testamentum clausum, L. 2. ff. h. t. qui verò literas alienas, clausas, dolosè, cum alterius injuria ac damno aperit ac legit, crimen quidem falsi committit, ut ait gloss. in c. *cùm olim* de offic. Judic. deleg. V. *Signa*: mitius tamen punitur; cùm ex eo non pervertatur veritas. Sylvester. V. *Falsarius*. q. 1.

Crimen falsi etiam committitur *fal-* 1101
sando

fando sigillum Principis, juxta dicta in præced. Talis autem, si Clericus sit 1. deponitur verbaliter, c. 2. de pœnis in 6. 2. Notatur impresso charactere, aliis in terrorem, glosså hìc V. *characterem.* 3. Mittitur in exilium; Abbas hîc n. 3. Committitur etiam, *falsando monetam*, quod fit si quis privatâ suâ authoritate, sine Imperatoris concessione, monetam cudit, licet aliàs probam, ac justi ponderis, appresså figurâ seu signo Principis, qui illam cudi non fecit. Magis autem falsatur, si cudantur nummi falsi, ut stannei, vel cuprei, vel admixto metallo minoris valoris, vel tingendo, ut referant similitudinem argenti, vel radendo, vel vitiatam extendendo, &c. de quibus Julius Clar. §. *Falsum.* à n. 27. Si quis autem per errorem accipit monetam falsam, & adulteram, non propterea illi, citra peccatum licet, eam in alterum transferre, ut docet Petrus Navarra de restitut. l. 3. c. 1. n. 312. Zoësius hoc tit. n. 3. nam error suos tenere debet Authores, non autem alteri nocere.

QVÆSTIO XXI.
IN TITULUM XXI. DE SORTILEGIIS.

1102 *Sortilegia*, seu *sortes* in genere dicuntur, cùm aliquid eo fine fit, ut ejus eventu considerato, vel eveniat aliquid, vel occultum innotescat. Azor p. 1. L. 9. c. 21. Sed juxta S. Thomam 2. 2. q. 95. a. 1. apud Gonzalez in c. 1. h. t. n. 8. *sortilegium* est, usurpare modo indebito prænuntiationem futurorum eventuum; id, quod est propriè juxta illud Isaiæ c. 42. *annuntiate, quæ ventura sunt, & sciemus, quia dii estis vos.* Unde *sortilegium*, seu *divinatio* teste D. Hieronymo super Michæam, c. 3. *semper in malam partem accipitur*, & cit. D. Thomas a. 2. docet, *esse speciem superstitionis*, quòd per illam homo ad aliquid cognoscendum assumat auxilium dœmonum, saltem tacitè, illum invocando, quatenus isti se ingerunt vanis inquisitionibus futurorum, ut mentes hominum implicent vanitate; quidquid enim procedit ex pacto, seu societate dœmonum, superstitiosum est, teste D. August. l. 2. de doctrina Christi c. 20. præsertim, cùm hoc studium ducat ad idololatriam, ut ait D. Clemens Constitut. Apostolic. c. 7.

1103 Ex fine intento per sortes, aliæ sunt *divinatoriæ*, aliæ *consultoriæ.* Sortes divinatoriæ sunt, ad futurum, vel occultum aliquid, quod naturaliter sciri non potest, cognoscendum. Hæ sortes superstitiosæ sunt, & omnino illicitæ, ut dicitur cap. *Si quis episcopus* c. *sortes* cum tribus sequentibus c. *Episcopi* 26. q. 5. & c. 1. h. t. (ibi: *id tamen gravissimum fuit*) sivè hæc sortilegia fiant invocatione dœmonum; sive codicibus, ut faciunt legentes aliquos versus psalterii; sive alio modo; quia reverâ sunt mediùm vanum, & prorsus inutile ad eum finem; & c. *siquis Clericus*, ead. causa, & quæst. ubi etiam in ejusmodi sortilegos aliæ pœnæ statuuntur.

Nec obstat, sortibus divinatoriis quan- 1104
doque usos varios, etiam sanctos, quorum exempla refert Gonzalez in c. 1. h. t. n. 5. 2. quod sortilegia non sint ab intrinseco mala; cùm in quibusdam circumstantiis licitè facta sint, ut exponit idem à n. 5. cit. 3. quia sæpè continent solum vitium curiositatis, ut exponit D. Thomas 2. 2. q. 167. a. 1. Nam ℟. nos loqui de sortilegiis, de prænuntiationibus futurorum *modo indebito*, seu *superstitioso*, qui communiter intervenit, præsertim apud simplices; quales non fuerunt apud sanctos Viros, qui speciali DEI instinctu, & Spiritûs Sancti monitione operati sunt, ut refert D. Augustinus supr. citatus; ex quo patet ad primum, ad secundum vero ℟. sortilegium divinatorium, non factum *divinativè*; sed solùm inquirendo à DEO, ac ejus revelatione, prænotionem futuri, non esse intrinsecè malam; neque nos de hoc loqui: sed factum *divinativè*, nimirum cum indebita usurpatione cognitionis divinæ, hoc est, inquirendo prænotionem futuri, unde prænosci non potest; & hæ

hæ divinationes in nullis circumstantiis, secluso errore, honestari possunt. Ad 3. p. negando, quòd divinatio, de qua loquimur, nimirum superstitiosa, contineat *solùm* vitium curiositatis; nec ly *solum* dici à S. Thoma, idem enim in entitate actus potest habere duplicem malitiam moralem v. g. fornicationis, & sacrilegii &c.

1105 *Consultoriæ* sunt, quibus inquiritur divina voluntas, quid in hac, vel illa re sit agendum, cavendum, vel fugiendum? hæ sortes extra casum quo fiunt DEI instinctu, ut in electione Saülis, & S. Matthiæ, vel gravis negotii, ubi humanum non est consilium, urgentisque necessitatis, ut à DEO petatur, communiter sunt illicitæ, ac earum usus sub anathemate prohibitus in c. *sortes* 26. q. 5. ibi: *ne exerceantur sub anathematis interdicto prohibemus*; & alibi. *Divisoriæ* sunt, per quas quæritur, quid cuique tribuendum sit, sive in bonis communibus, sive honoribus, ac dignitatibus, sive in publicis officiis, & functionibus, sive etiam in pœnis. Hæ sortes ex justa causa factæ, non sunt illicitæ, ut dicitur c. 1. 26. q. 2.

1106 Etsi autem sortes divisoriæ, ex se non sint illicitæ, secluso pravo fine, vel aliis circumstantiis actum sortilegum in divisione vitiantibus; damnantur tamen in *electionibus* ad dignitates Ecclesiasticas, & officia, imò etiam in electione compromissariorum c. *fin.* h. t. ibi: *sortis usum in electionibus perpetuâ prohibitione damnantes.* Nam, cùm judicium sortis sit valde periculosum (est enim *judicium fortunæ*) absonum omnino est, & alienum à disciplina Ecclesiastica, ut in electionibus Ecclesiasticis, & de Prælatis Ecclesiæ præficiendis, ubi merita eligendi, & singulorum virtutes pensari prius debent, fortunæ committatur, eventu non raro, ut indigni promoveantur, & digni premantur, quod expressit in Hercule furente Seneca canens: *O fortuna Viris invida fortibus, quàm non æqua bonis præmia dividis!* id, quod hodie frequenter operantur suffragia non justi judicii, sed affectûs. Si duo electi habeant paria suffragia, non posse quæstionem sorte dirimi, verius est, stando in jure communi, quia usus sortis in electionibus universaliter, & sine limitatione prohibetur in c. *quia propter* 42. de elect. ibi: *aliter electis non valet*, nisi scilicet viâ scrutinii, compromissi, ac divinæ inspirationis, & ideo celebrare electionem *per sortes* est contra formam eo Capitulo præscriptam, adeoque ipso jure nullæ. Sic Zoësius hîc n. 5.

Et quamvis in c. *fin.* h. t. electio facta 1107
per Compromissarios, *sorte electos*, confirmetur, & solùm *reprehensione digna* vocetur; quia tamen electio Compromissariorum per sortem facta est, reprobanda de jure erat; & quòd tunc improbata non sit, per gratiam factum est, *quia electi prærogativa, & affectio Papæ*, quâ ferebatur in illam Ecclesiam, pro qua talis electus est, *dissimulationis beneficium merebatur*, ut patet ex tota lectione textus; Quamvis autem lites super rebus profanis, & civilibus, licitè terminantur sorte; super beneficiis tamen non licet; quia sic posset quis obtinere beneficium sine titulo, quem alter alteri dare non potest. Excipe, nisi accedat authoritas Judicis legitimi. Sortilegium autem est crimen mixti fori, sic Pirhing h. t. n. 19. de his, & reliquis divinationum speciebus, V. Pereyram in Elucidario l. 2. elucidatione 20. de Religione à n. 1376.

QUÆSTIO XXII.
IN TITULUM XXII. DE COLLUSIONE DETEGENDA.

1108  *Rimen Collusionis*, est affine crimini falsi, cùm & illi quædam falsitas insit. Nam colludere, in jure dicuntur, qui aliud agunt, aliud simulant, quod ipsum falsi specimen habet. *Collusio* igitur inter Autorem, & Reum est latens, & fraudulenta conventio, quâ interveniente delicta quandoque manent impunita; ut si Reus videns se ab Actore superatum iri, cum eo canveniat, & 100. promittat, ut veras probationes simulet, & falsas defensiones admittat. Hæc *collusio* committi potest tam in causis civilibus, quàm criminalibus; tam in temporalibus, quàm spiritualibus, & Ecclesiasticis; & tam per partes principales (nimirum Actorem, & Reum) quàm per procuratores, & Advocatos. Et quia frequenter fit, ut accusatore desistente, per inquisitionem Judicis factam ex officio, collusio partium detegatur, ideo hic titulus inscribitur: *de collusione detegenda.*

Ex hoc colliges, quòd Accusatore ab accusatione desistente Judex ex officio possit inquirere super illo crimine, præsertim, si videat accusationem esse suspectam propter collusionem, ut dicitur c. 1. h. t. & ideo etiam absolutus à crimine per sententiam definitivam, potest super eodem ab alio accusari, si prius doceat de collusione primi accusatoris, Judicis, testium, vel Tabellionis, ut notat Barbosa in cit. c. 1. 2. & 3. Dixi, *si doceat de collusione.* Nam hoc delictum non præsumitur L. *Meritò*, 51. ff. oro socio; quamvis sit difficilis probationis, quia clam & occultè committi solet, c. *quando*, 7. de divort. Et ideo absolutio, per collusionem obtenta, non impedit, quò minùs Reus iterum impetatur; id, quod colligitur etiam ex c. *In tantum*, 9. h. t. ibi: *mandamus, quatenus de hujusmodi collusione, ac corruptione constiterit, ex integro super præmissis, & aliis, alioquin super novis duntaxat inquiratis.* Colludens autem in causa beneficiali (ut si per collusionem constituat beneficium censuale, vel pensioni subjiciat) beneficio suo privandus est, ut dicitur c. 3. h. t. Pensio autem beneficio per collusionem imposita nulla est ipso jure, sic Braun. h. t. in fin.

Ratio ulterior est, quòd per collu- 1109
sionem acta rescindantur, & infirmentur, sicut sententia, quâ quis, cùm esset servus, vel libertus, per collusionem à Patrono factam fuit ingenuus pronuntiatus, ut constat ex L. 1. & toto tit. ff. h. t. Hoc autem casu perinde inefficax est sententia, ac si nulla res esset indicata, L. *Cùm non justo*, 3. ff. eod. L. *Præses*, 5. C. de pignoribus, & generaliter loquendo sententia per collusionem lata non præjudicat, L. *Arrianus*, 27. C. de liber. causa; & cit. L. *Præses*. Ex hoc autem sequitur, qui mediante collusione obtinuit sententiam absolutoriam à crimine, quod verè patravit, denuò accusari posse, & super eodem delicto inquiri; Cùm talis absolutio sit fraudulenter obtenta. Unde quando dicitur, *ignoscendum ei esse, qui sanguinem suum redemptum voluit*, L. 1. ff. de bonis eorum, qui ante sentent. procedit solùm, *ne colludens ex S. C. pro convicto habeatur*, non autem, *ut à pœna omnino immunis sit*, ut habetur L. *ult.* de Prævaricat. Hinc esto abolitione sopiatur crimen, non tamen perimitur.

QUÆ-

QUÆSTIO XXIII.

IN TIT. XXIII. DE DELICTIS PUERORUM.

1110 NOn est dubium, etiam à pueris delicta committi; quia verò *in pueris relinqui solet impunitum* (intellige pœnis ordinariis) *quod in aliis provectioris ætatis severius corrigendum leges statuunt*, ut dicitur c. 2. h. t. (*Cùm tamen furtis, mendaciis, & perjuriis plena sit puerilis ætas*, ut habetur c. 1. eod.) ideo hic de illorum delictis agitur. Dicitur autem *puer* omnis masculus intra 7. & 14. annum constitutus; & fœmina, intra 7. & 12. Hinc sequitur, quòd, licet, si puer crimen aliquod committat (v. g. mendacium, furtum, homicidium) hoc non debeat impunitum manere, modò sit *doli capax*, hoc est, *talis sit, ut intelligere potuerit, se malè agere, illud agendo* L. *Impuberem*, ff. de furtis, puniatur tamen mitius, *cùm aliquid ætati sit indulgendum* c. 1. h. t. & L. *Infans* ff. ad Legem Corneliam de Sicariis; quod etiam extenditur ad minores 25. annis.

1111 Circa hoc not. ulterius, cùm dicitur, *minoribus in delictis, non subveniri*, juxta L. 9. §. *nunc videndum*, ff. de minoribus, &, L. 36. ff. ad leg. Juliam, de adulter: intelligi quoad restitutionem in integrum; non autem, quoad pœnæ mitigationem, ut observat Fachinæus l. 1. Controvers. c. 71. Et hoc procedit non tantum in delicti reiteratione; sed etiam, cùm delictum, in minori ætate commissum, patefieret primò post majorennitatem. Nam *in delictis considerari debet personæ conditio pro tempore admissi delicti; non autem quam habet postea; dolus enim, & malitia delinquentis punitur.* Ita Zoësius h. t. n. 2. quæ minor est in ætate puerili.

1112 Not. 2. Eos, qui necdum 14. ætatis annum compleverunt (sive mares, sive fœmellæ sint; nam in hoc attenditur viri potentia (ex cit. c. 1.) sed ætas, doli seu malitiæ capax, de quo arbitrandum est Judici) juxta ordinationem Carolinam artic. 164. *regulariter* non puniri pœnâ mortis (licet relatè ad delictum sit ordinaria) sed mitiori, v. g. carceris, relegationis, Virgarum, &c. nisi constaret, malitiam prævertisse ætatem, ut supponitur in L. 14. ff. ad S. C. Sillanum, ibi: *etiam de impubere sumi jussit supplicium, & tamen non sine ratione*; quod fortè procederet in delictis, quæ serpunt in annos, nec facilè dimittuntur.

1113 Not. 3. Ex hoc, quòd L. 37. C. de Minoribus dicitur: *in delictis autem, minor 25. annis non meretur in integrum restitutionem, utique in atrocioribus, nisi quatenus interdum miseratio ætatis ad mediocrem pœnam Judicem perduxerit*: Haunoldum tom. 6. de Jure, & Just. tr. 3. n. 521. concludere, Minorennes à pœna ordinaria *regulariter* non excusari ratione ætatis; nixum etiam ordinatione Carolinâ a. 264. *quæ solùm illos fures ab ordinaria, & mortis pœna eximit, qui 14. annum non excesserunt.* Mihi omnino verum videtur, in pœnis non debere attendi ætatem delinquentis, loquendo *generaliter*, & *indefinitè*, seclusis aliis circumstantiis, etiamsi ætas ipsa talis sit, quæ communiter arguat ex imperfectione judicii, delictum in ea ætate commissum, carere dolo, & malitiâ, quæ communiter inesse solet delictis maturâ ætate perpetratis. Huc respexisse videtur L. 7. ff. ad S. C. Sillan. ibi: *Ignoscitur etiam his, qui ætate defecti sunt*; quod communiter intelligitur de senibus, in quibus ob gravitatem annorum, debile est judicium rationis. Et ideo communis tenet, qualitatem & quantitatem pœnæ pro delictis commissis ab his, ubi ætas communiter arguit rationis imbecillitatem, consequenter minorem dolum, & malitiam, Judici inspectis circumstantiis, relinquendam.

1114 Not. 4. Pueros, *doli capaces*, dici secundùm aliquos, qui proximi sunt pubertati ex §. *penult.* Instit. de obligat. quæ ex delicto nascitur. Talem faciunt marem, qui attigit annum 10. cum dimidio; fœminam, quæ 9. cum dimidio, ut vult gloss. in §. *Pupillus.* Institut. de inutilit. stipulat. sed rectius id relinquitur Judicis arbitrio, ut dictum est, consideratis personæ,

næ, delicti, ætatis, & aliis circumstantiis: cùm nimis clarum sit alios aliis maturius pollere judicio; Sic Vallensis h. t. n. 4.

Not. 5. Ad quæstionem, an Pater conveniri possit, & teneatur ex delicto filii, sive puberis, sive impuberis, quem in sua potestate habet? responderi ex c. 2. h. t. non Patrem, sed ipsum delinquentem conveniendum; quod etiam jure civili proditum est, ut dicitur in Institutionibus de noxalibus actionibus.

QUÆSTIO XXIV.

IN TIT. XXIV. DE CLERICO VENATORE.

1115 Cùm sint quædam actiones, quæ vel nullo modo, vel non tam graviter apprehenduntur in Laicis, secùs in Clericis, de illis nunc tractant Canones. Inter eas est venatio, quam esse triplicem communiter dicunt, primò venationem *oppressivam*, in qua quis est oppressor hominum, eos nimium cogendo ad labores venaticos, de quâ insinuatur aliquid c. *fin.* §. *fin.* dist. 6. Secundò *arenariam*, in qua quis pugnat cum bestiis; quæ communiter adjunctum habet vitæ periculum; & *artem nequissimam* vocat Augustinus c. *qui Venatoribus*; c. *Vidit*; dist. 86. Tertiò *sylvaticam*, *aucupativam*, & saltuosam, & de hac in præsens sermo est, quando venatio fit *cum strepitu*, hoc est, per canes, accipitres, falcones, & similia. Hæc interdicitur Clericis c. 1. & 2. h. t. quia pugnat cum professione & statu Clericorum. Hinc, si Episcopus sæpius ejusmodi venationibus det operam, tribus mensibus à communione; si verò Presbyter fuerit, duobus; si Diaconus, aut Sub-Diaconus, ab omni officio suspenditur cit. c. 1. h. t. Constituti autem in minoribus puniuntur arbitrio Judicis. Hanc tamen prohibitionem intellige de venatione saltuosa, cum clamore, strepitu armorum, frequenti, & avocante à divinis officiis; non autem moderata, & quieta, etiam causâ honestæ relaxationis. Sic Lessius lib. 2. de Just. c. 5. dub. 9. n. 40.

QUÆSTIO XXV.

IN TIT. XXV. DE CLERICO PERCUSSORE.

1116 Um Clericos dedeceat clamorosa venatio, multò magis dedecebit aliorum immoderata percussio, non autem moderata correctio. Quarè Clericus percussor, si monitus non desistat, deponi jubetur c. 1. h. t. & si Episcopus jusserit aliquem cædi crudeliter fustibus, ab administratione Missarum per duos menses suspenditur; c. 2. eodem; decet enim Clericos peculiariter *mansuetudo*. Unde sibi subjectos non tam verberibus, quàm verbis corrigere debent; nec Episcopos, & Superiores Ecclesiasticos decet, manibus propriis aliquem cædere, ut dicitur in c. *Universitatis*, de sent. excom. & c. *non licet*, dist. 86. nisi necessitas exigat. Abbas tamen Regularis, Monachum, causâ regularis disciplinæ, etiam in propria persona vel per alium Clericum, aut Monachum, verberare potest, ut docet Diaz apud Pirhing hic n. 1. videtur tamen non decere, nisi aliter corrigi non posset.

QUÆ-

QUÆSTIO XXVI.

IN TITUL. XXVI. DE MALEDICIS.

1117 POst percussionem, quæ fit manu, agitur de illa, quæ fit linguâ per maledicos, & detractores. *Maledicus* generaliter dici potest, qui de alio homine obloquitur ei detrahendo, vel obloquiis deprimendo, quod fit 1. enuntiando, vel affirmando malum aliquod de altero. 2. imperando, seu suo imperio malum alteri efficiendo. 3. malum alteri optando, vel imprecando. Hic *maledicus* accipitur primo modo, & quidem si de altero absente malum enunties, *detractio* est; si in faciem objicias, *contumelia*, seu *convitium*. Clericus maledicus, maximè sacerdos, cogendus est postulare veniam; aut, si noluerit, degradandus, nec unquam ad officium revocandus ante satisfactionem, c. *Clericus maledicus*, dist. 46. Qui summo Pontifici maledixerit, in depressionem officii, & beneficii puniendus est arbitrio Judicis, secundùm qualitatem delicti, juxta c. 1. h. t. nihil enim ita in bene morata Republ. cavendum est, quàm Principis contemptus, ac ea, quæ minuere ipsius existimationem possunt. Qui autem DEum, B. V. aut Sanctos blasphemant, gravissimè puniendi sunt, c. 2. eod. Per *blasphemiam* intelligitur convitium, seu contumelia irrogata DEO, vel Sanctis ejus in cœlo regnantibus, ut probat Covarr. in c. *quamvis pactum* p. 1. §. 7. n. 8. sive de DEO aliquid affirmet, quod illi non convenit, puta si *crudelem*, *injustum*, vocet; vel malum imprecetur, quasi malum in DEum cadere possit; vel aliquid neget, quod ei convenit, puta si dicat, *non esse sapientem*, *providum &c.* Est autem alia blasphemia *hæreticalis*, quando quid profertur contra fidei articulos, ut, *Deus non est misericors*, *DEus est injustus &c.* alia *non hæreticalis*, quando nihil asseritur de DEO, vel Sanctis per verbum indicativi modi, sed solùm optando, vel imprecando convitium in DEum, & Sanctos jacitur. In veteri lege ejusmodi blasphemi jussu DEI lapidibus obruebantur. Levit. 24. Jure Canonico Laici excommunicabantur: Clerici deponebantur, c. *Si quis*, 22. q. 1. jure civili erat ultimum supplicium. Sed hæ pœnæ in desuetudinem abierunt, & ex constitutionibus Regnorum, ac Regionum, aliæ receptæ sunt, de quibus videri potest Vallensis h. t. n. 5. Zypæus h. t. n. 4. addit ex constitut. Pii V, auctores libellorum famosorum, vel literas, indices aliquorum falsorum criminum scribentes, omnibus pœnis à jure statutis subjiciet ex Constit. Gregorii XIII. perpetuò infames esse, & ad triremes, vel perpetuo, vel ad tempus, pro criminis qualitate condemnandos. Intelligitur autem per *libellum famosum* quæcunque scriptura, vel etiam, ut vult Molina, & Harprechtius apud Haunoldum tom. 1. de just. tr. 2. n. 580. pictura ad alterum infamandum composita. Jure Canonico, si res in libello contenta gravis est, diffamator, & ulterior evulgator pœnâ flagellorum castigantur: quod si se author ipse ultrò manifestat, mitius punitur, c. 1. 5. q. 1. ibi: *Qui in alterius famam publicè scripturam, aut verba contumeliosa confinxerit, & repertus scripta non probaverit, flagelletur; & qui ea prius invenerit, rumpat, si non vult auctoris facti sausam incurrere.*

QUÆSTIO XXVII.

IN TITUL. XXVII. DE CLERICO EXCOMMUNICATO, DEPOSITO, VEL INTERDICTO MINISTRANTE.

1118 HOc titulo agitur de pœnis Clericorum, qui ministrant non obstante censurâ, vel alio impedimento Canonico, quo prohibentur. Hinc not. 1. Clericum depositum, degradatum, vel suspensum, nihilominus solenniter per contemptum, & superbiam, adeoque præsumptuosè ministrantem, seu aliquid de ministerio sibi interdicto agere præsumentem, si monitus non desistat, excommunicari; & si nec sic desistat, per secularem potestatem ad invocationem Ecclesiæ, exilio puniri, c. 1. & 2. h. t. Not. 2. Sacerdotem, qui *sciens se excommunicatum* (excommunicatione majori) *vel aliàs interdictum*, si celebret, vel se ingerat celebrationi divinorum, fieri irregularem; hoc est, in perpetuum ab officio sacerdotali deponi, ac beneficiis omnibus spoliari debere c. *Latores* 4. & c. *Fraternitati tuæ* 6. h. t. licet per solum rumorem, vel famam sciat se excommunicatum, quo tamen casu cum eo potest misericorditer dispensari c. *Illud Dominus*, h. t. Dixi. 1. *si sciat se excommunicatum*; nam si ignoravit, non fiet irregularis; hæc enim irregularitas est pœna; nisi forsan ignotantia esset crassa, ac supina, & erronea, c. *Ad Apostolicæ*, h. t. Dixi. 2. *excommunicatione majori:* nam si excommunicatio sit tantùm minor, licet celebrando peccet, non tamen fit irregularis, in quantum *celebratio* explicat usum activum, seu confectionem Sacramenti, c. *fin.* h. t. Nam implicitus excommunicatione minori à solis Sacramentis Ecclesiasticis suspensus est, & quidem quoad se duntaxat, seu *quoad usum passivum*; non autem quoad alios, seu *quoad usum activum*; ut dicitur c. *fin.* de Cohabitatione Clericorum.

1119 Not. 3. Collationem beneficii, factam Clerico excommunicato, non tenere, & tali beneficium conferentem suspendi à beneficiorum collatione, c. *Postulatis* 7. h. t. nisi tempore collationis fuerit absolutus c. *Proposuit* 8. eod. Ex hoc colliges 1. quòd censuram incurrens ipso jure fiat irregularis: Zoësius h. t. n. 1. & constat ex dictis; intellige tamen de incurrente censuram, *ac in eo statu exercente actum Ordinis sacri*, ut dicam infra, & quòd ipso facto incurratur independenter à sententia Judicis etiam declaratoria (ut notat Zoësius, aliis tamen meritò dissentientibus, ut diximus l. 1. Tit. 2. de Constit.) statim, ut factum, cui annexum est, commissum fuit; quod enim ipso facto incurritur, dicitur secum adferre executionem, lege illam operante, ut dicitur, c. *pastoralis*, de appell. nec requirit actum aliquem ab homine exercendum, c. *Cùm secundum*, de Hæret. in 6. Colliges 2. cùm irregularitas non incurratur, nisi in casibus jure expressis, c. *is*, *qui*, de sent. excom. in 6. sequi, irregularitatem non posse ab homine imponi, sed solùm à jure; ita Zoësius h. t. n. 2. Hinc ulterius sequitur, in dubio, *an quis irregularitatem incurrerit?* non esse judicandum pro irregularitate, sed pro immunitate dubitantis; quia casus irregularitatis *dubia*, non potest dici casus *expressus*. Colliges 3. suspensum, *celebrantem*, esse irregularem c. 1. de sent. & re judic. in 6. Similiter celebrantem in loco interdicto, c. 18. de sent. excom. in 6. & à fortiori, si celebret persona interdicta. Sed adverte, ut prædicta irregularitas incurratur, requiri, quòd exerceatur aliquis actus Ordinis majoris, qualis in Sacerdote est celebratio, in Diacono lectio Evangelii, in Sub-Diacono, lectio Epistolæ. Zoësius h. t. n. 10. intellige, si tales actus celebrentur *solenniter*.

1120 Not. 4. Dictam irregularitatem non incurri à censurato exercente actum etiam solenniter, solius *jurisdictionis* spiritualis fori externi; non autem, *ordinis*. Hinc Parochus excommunicatus non fit irregularis,

laris, esto tunc assistat matrimonio, esto supponas, esse actum jurisdictionis voluntariæ; secus, si confessiones audiat, si solenniter nuptias benedicat (cùm hoc sit actus Sacerdotalis c. 1. & 2. de secund. nupt.) si Sacramenta dispensèt; cùm hoc similiter sit actus ordinis sacri.

Not. 5. Celebrantem solum actum minoris ordinis, dum est in statu censuræ, ob hoc non fieri irregularem; ita Suarez de censur. D. 42. S. 4. n. 15. quia pœnæ sunt restringendæ; & illi actus communiter etiam exercentur à Laicis, & habetur c. *si celebrat*, 10. h. t. Contrarium tenere videtur Barbosa in c. *si quis*, 2. h. t. n. 2. sed textus de excommunicatione *minori* nihil exprimit; imò ex illis verbis: *& quicunque cum eo communicaverit, similiter se sciat esse excommunicatum*, nihil sequitur contra clericum excommunicatum solùm minori excommunicatione. Nam cum tali communicans, non propterea excommunicatur. Et ideo etiam ipse doctrinam nostram tenet in sequentibus, c. *fin.* h. t. n. 4. Nam excommunicatio minor non prohibet exercitium ordinis, quod non importat usum passivum Sacramentorum.

1121 Dices: irregularitas tantùm incurritur in casibus à jure expressis; c. *Is, qui*, 18. de sent. excom. in 6. ibi: *is qui in Ecclesia sanguinis, aut seminis effusione polluta; vel qui præsentibus excommunicatis majori excommunicatione notatis, scienter celebrare præsumit* (licet in hoc temerariè agat) *irregularitatis tamen (cùm id non sit expressum in jure) laqueum non incurrit*; sed in nullo juris textu invenitur expressa irregularitas statuta *contra excommunicatum celebrantem divina officia*. Textus enim omnes, qui afferuntur à contrariis, ac enumerantur fusè à Gonzalez in c. *Clerici*, 3. h. t. n. 1. nihil horum exprimunt; ergo excommunicatus celebrans pendente excommunicatione non manet irregularis. R. data majori; N. min. 1. quia cùm Pontifici in c. *Si celebrat*, 10. h. t. proposita fuisset dubitatio, *an excommunicatus minori excommunicatione sit irregularis?* rescripsit, quòd non, ibi: *nullius tamen notam irregularitatis incurrit; quia talis à solo usu passivo, seu perceptione Sacramentorum est remotus*; quo Pontifex solvit rationem dubitandi prudenter existimantium, & sentientium tanquam certum, irregularitatem induci in excommunicatum excommunicatione majori, celebrantem pendente tali excommunicatione.

Secundò expressi juris est, suspensum celebrantem durante suspensione, irregularem fieri ex c. *Apostolicæ* 9. h. t. ubi suspensus pendente suspensione celebrans solùm excusatur ab irregularitate, si se suspensum esse ignoravit, modò ignorantia non fuerit crassa, & supina; & c. 1. §. *Sciturus*, de re judicat. in 6. ibi: ab executione officii per annum noverit se suspensum; *sciturus, quòd si suspensione durante damnabiliter se ingesserit divinis, irregularitatis laqueo se involvet, secundùm canonicas Sanctiones reservatæ summo Pontifici*: Sed excommunicatus excommunicatione majori, suspensus est pro tempore, quo in ea persistit; ergo in jure expressum est, excommunicatum excommunicatione majori, durante excommunicatione, irregularem fieri.

QVÆSTIO XXVIII.

IN TIT. XXVIII. DE CLERICO, NON ORDINATO MINISTRANTE.

1122 Hîc universim agitur de delictis, eorumque pœnis, qui exercent *actum Ordinis*, quem nunquam susceperunt. Quare R. 1. si Clericus in pertinentibus ad Ordinem, quem non suscepit, ministret (v. g. si non ordinatus baptizaverit extra necessitatem,) deponendum esse, & non amplius ordinandum, per c. 1. h. t. Et ideo etiam actus minorum ordinatum exercens, quando in illis non est ordinatus, fit irregularis. Nam c. 1. indefinitè loquitur: *si aliquod officium divinum exerceat non ordinatus*;

tus; actus autem minorum Ordinum spectant ad divinum officium; Sic Zoësius hìc n. 10.

1123 §. 2. Diaconum, non Sacerdotem, missam celebrantem, ad sacerdotii ordinem promoveri non posse; & à diaconatu suspendi ad biennium, vel triennium, arbitrio Diœcesani, c. 2. h. t. de beneficio tamen cum eo misericorditer agi posse per Episcopum, ne sustentatione privatus, ad sæculi negotia, in opprobrium statûs clericalis, cogatur reverti, imò etiam per Episcopum cum eodem dispensari posse, ut post pœnitentiam ad officium diaconatûs revertatur, non tamen, ut ad majorem ordinem promoveatur: Sic Abbas in cit. c. 2. idque in pœnam temeritatis: probabilius tamen est, illum Diaconum, qui, non sacerdos celebrans, à Diaconatu suspenditur, de jure communi non suspendi ab inferioribus ordinibus; quia versamur in materia pœnali, & textus expresè loquitur de suspensione à *diaconatu*. Zoësius hic n. 2.

1124 §. 3. Si non Clericus missam, vel aliud divinum ministerium celebret, Judicis arbitrio puniendum esse, cùm in jure nulla pœna definita sit; sic Vallensis h.t. n. 2. Clementem tamen VIII. in constitutione incipiente: *Etsi aliàs*, 1601. (quam refert Piasecius p. 2. c. 4. a. 14. n. 12.) decrevisse, ut, *quisquis non Sacerdos missam celebraverit, vel confessionem Sacramentalem audiverit, ab Ecclesia abjiciatur, & ab ordinibus, quos habet, ritè degradatus, curiæ sæculari tradatur, debitis pœnis plectendus.* Et quamvis ibidem non exprimatur, *sacerdos sine jurisdictione confessiones excipiens*, tamen ob grave sacrilegium, severè arbitrio æqui Judicis puniendum esse, rectè docet Vallensis loc. cit. ob ingentem temeritatem, & Sacramenti pœnitentiæ prostitutionem.

1125 §. 4. Laicos, usurpantes actum ordinis, irregulares fieri; cùm c. 1. h. t. universaliter loquatur. Nec obstat Rubrica: *de Clerico non ordinato, ministrante.* Nec enim semper procedit argumentum à rubro ad nigrum, hoc est, à rubrica ad textum, ut notat Everardus de locis argumentorum legalibus, in loco *à Rubro*. n. 11. quando scilicet textus loquitur de aliquo v. g. Clerico, solùm *exempli causâ*, ut diximus l. 1. tit. 2. de constitut. Et hoc extenditur ad quemcunque actum ordinis. c. 1. h. t. ibi: si quis baptizaverit, aut *aliquod* divinum officium exercuerit *non ordinatus*, consequenter, *si baptizet solenniter*, hoc est: si fingat se habere Ordinem ad exercendum ex officio talem actum. Sic Barbosa in c. 1. h. t. n. 2. Not. autem hanc irregularitatem Laicorum, juxta aliquos non esse totalem, sed tantùm quoad eum actum, quem usurpârunt, ejusque Superiores. Ita videri potest argumento desumpto à Clerico, qui non impeditur ministrare in Ordine inferiori, quo initiatus est, etsi Superiorem malè usurpaverit: Sed probabilius est contrarium, quia cit. c. 1. dicitur: *nunquam ordinetur*; Sic Zoësius hic, n. 5.

QUÆSTIO XXIX.

IN TIT. XXIX. DE CLERICO PER SALTUM PROMOTO.

1126 SUpponendum, Ordines inter se sic esse subordinatos, ut ab inferiore ad proximum superiorem gradatim sit ascendendum. Infimus est Ostioratus; huic proximus, Lectoratus; exinde Exorcistatus, Acolythatus, Sub-Diaconatus, Diaconatus, Presbyterium, &c. Quare *promoveri per saltum* nihil aliud est, quàm promoveri ad superiorem Ordinem (v.g. ad Diaconatum) omisso, seu nondum suscepto inferiori v. g. Sub-Diaconatu. Et de hoc casu præsenti titulo agitur, atque deciditur *ordinatum per saltum* (v. g. qui prius ordinatus est Presbyter, quàm Diaconus) in ordine sic suscepto validè quidem ordinatum esse, sed illicitè. *Validè*, quia sic ordinatus (ut constat ex c. *unico*, h. t.) non jubetur repetere Sacerdotium, sed tan-

tantùm Ordinem omissum; *illicitè* tamen, cùm ei citato loco condignam pœnitentiam imponendam esse Innocentius III. præscribat.

1127 Quæstio est, an ordinatus per saltum ex hoc præcisè capite, quòd sic ordinatus sit, irregularis sit, adeo, ut si in ordine per saltum suscepto non ministravit, non possit absque dispensatione Ordinem omissum recipere? Responsio Doctorum communis est, sic ordinatum ipso jure suspensum esse ab Ordinis sic suscepti exercitio, donec Ordo prætermissus suppleatur. Sic Authores communiter ex c. *unico* h. t. peractâ tamen pœnitentiâ, ab Episcopo dispensari posse, ut ordine prius omisso, & recepto ad altiorem ascendat, prout deducitur ex cit. c. *unico* quo posito etiam dicta suspensio tollitur, ut habetur, ibi: *peractâ pœnitentiâ ipsum in Diaconum promoveri procures (quo prætermisso Sacerdos fuerat ordinatus) & sic de misericordia eundem ministrare permittas in ordine Sacerdotis.* Sed hoc intellige juxta Tridentinum Sess. 23. de Reform. c. 14. ibi: *Cum promotis per saltum, si non ministraverint, Episcopus ex legitima causa potest dispensare*: ergo secus est, si ministrârunt.

1128 Ex hoc colliges. 1. promotum per saltum esse ipso jure suspensum ab exercitio ordinis sic suscepti, donec omissus suppleatur, quod procedit, sive ignoranter, sive scienter sic promotus sit; patet ex c. *unico*, h.t. quod loquitur *de ignoranter promoto*; & c. *Solicitudo*, dist. 52. quod loquitur *de promoto per saltum scienter*. Colliges. 2. taliter promotum, *si in ordine per saltum suscepto non ministravit*, posse cum dispensatione Episcopi recipere ordinem omissum; quamvis non possit sine dispensatione recipere ordinem prætermissum, ne recipiat ordinem censurâ ligatus. Hoc procedere docet Pirhing hìc, n. 6. esto quis etiam scienter ad superiorem, prætermisso inferiori, ascenderit; quia Tridentinum indistinctè dicit, *Episcopum posse cum promotis per saltum dispensare, si non ministrârunt.* Quamvis de *scienter* promotis neget probabiliter Fagnanus in c. *unico* h.t. à n. 24. Si autem in ordine, per saltum suscepto ministravit, de eo discurrendum, sicut de illo, qui ministrat in ordine, cujus usus est suspensus. Colliges. 3. Si Clericus per saltum promotus in ordine prætermisso ministravit, idem dicendum, quod diximus de ministrante in ordine non suscepto, juxta dicta à n. 1122. Si autem in eo non ministravit, posse Episcopum cum eo dispensare, ut eo licitè utatur; ut constat ex Tridentino citato, non tamen prius, quàm ordo prætermissus suppletus sit; quia id repugnat primæ institutioni ordinum, ut gradatim suscipiantur. Cæterum ordinatus per saltum non est suspensus ab aliis ordinibus legitimè susceptis, sed tantùm ab eo, quem per saltum suscepit. Barbosa de offic. & potest. Episcopi, allegat. 47. n. 11. Nam de hoc solo loquitur textus in cit. c. *Unico.*

1129 Not. quoque quod ordo Sacerdotalis non prærequirat *ex natura rei* characterem diaconatûs, ut patet ex c. *unico*, h. t. quamvis verum sit, Episcopum per saltum non posse conferre ordines, quos ipse non accepit; Sic Pirhing h. t. n. 8. Ex hoc autem irregularitas non contrahitur, quòd quis *non confirmatus* recipiat ordines; quia nullibi reperitur in talem aliqua censura, vel irregularitas expressa in jure, licet Tridentinum sess. 23. de reform. c. 4. prohibeat, ne ante confirmationem admittantur ad primam tonsuram: nec propterea censeatur Sacramentum *iteratum* esse, quòd quis illud recipiat *ignorans*, esse aliàs à se receptum. Nam non intelligitur *iteratum*, *quod factum esse nescitur*, ut habetur cit c. *unico*, atque adeo, cùm verè dubitatur, an Sacramentum initerabile susceptum sit, baptismus v.g. si enim sub conditione conferatur, non propterea *iteratus* intelligitur.

1130 Nec dictis obstant, quæ in contrarium afferuntur, de obligatione in susceptione ordinum gradatim ascendendi, seclusâ dispensatione summi Pontificis, quam in Gallia cuidam esse indultam à Clemente VI. ex Authore Historiæ Romanorum Pontificum, refert Gonzalez hic n. 5. circa finem. Quamvis autem variis textibus (de quibus idem Gonzalez. n. 3.) probare contendant aliqui, hanc gradualem ascensionem olim non fuisse observatam; respondetur tamen. 1. plura olim non fuisse ordinata in veteri Ecclesia, quoad ea, quæ sunt juris tantùm humani; quæ tamen hodie aliter se habent. Sic olim subdiaconatus non erat *ordo sacer*; nec inducebat obligationem continentiæ, secus tamen est hodie. Olim clandestinitas simpliciter, & Raptus non dirimebat matri-

monium; secus tamen est hodie. R. 2. illis textibus (ex c. *si officia*, dist. 59 &c.) non rectè probari, antiquitus non fuisse hunc in Ordinibus ascensum gradualem. Illorum enim temporum fuit consuetudo, ut licet singuli Ordines, vel plures (v.g. minores simul, aut hi cum Sub-Diaconatu) unus post alium conferretur, illi tantùm nominarentur, ad quorum officia Ordinati destinabantur; vel qui eo die ultimò collatus est; id quod notat Gonzalez cit. n. 7.

QUÆSTIO XXX.

IN TIT. XXX. DE EO, QUI FURTIVE ORDINEM SUSCEPIT.

1131 *Furtivè Ordinem suscipere*, dicitur, qui eum suscepit clandestinè, quod variis modis fit; 1. quando sine ordinatione & consensu Episcopi, vel sine examine in numerum Ordinandorum irrepit, ut dicitur c. *quando Episcopus*, dist. 24. & c. *Extra conscientiam* dist. 44. 2. Quando admissus ad minores Ordines tantùm, unâ & eadem die Subdiaconatum suscipit, c. 2. h. t. 3. Quando quis contra Superioris inhibitionem, eodem die ad suscipiendos *duos sacros Ordines* se ingerit. 4. Quando per saltum ordinatur. Gonzalez autem h. t. in c. 3. n. 2. ait, furtivam Ordinum susceptionem vel ordinationem dici, quoties fit contra canonum statuta, de quibus supra. Unde in hoc titulo resolvitur, quæ censura, vel pœna sic furtivè ordinatis jure statuta sit? ad hoc R. 1. eum, qui furtivè susceptit Ordinem, esse suspensum ab exercitio, seu usu Ordinis, nisi cum eo fuerit dispensatum, c. 1. h. t. & si ab hoc prohibitus fuit sub excommunicatione, fieri quidem suspensum ab executione Ordinis sic susceptì; non tamen irregularem; ratio secundæ partis est, quia secundùm Canones *ille fit irregularis, qui censurâ ligatus exercet aliquem actum Ordinis, à quo est prohibitus*, c. 1. de sentent. & re judic. in 6. & c. 1. de sentent. excomm. in 6. sed in censura *suscipere* ordinem, non est *exercere* actum ordinis; ergo: ratio partis primæ est ex c. *innotuit* 3. h. t. nam nec in hoc, nec in præcedentibus capitulis ulla fit mentio, nisi *suspensionis* ab usu Ordinis suscepti. Ita Gibalinus de Irregularit. c. 5. q. 1. n. 31. dub. 6. Leander tract. cod. D. 20. q. 4. & alii.

1132 R. 2. Illum, qui furtivè suscipit Ordines ab eo Episcopo, qui hoc prohibuit sub excommunicatione, eo ipso incurrere excommunicationem; & quia nullus Ordo Ecclesiasticus suscipi, vel exerceri potest ab excommunicato, sine pœna suspensionis ab omnibus Ordinibus simpliciter, ut dicitur c. *cùm illorum*, de sent. excommun. sequitur talem esse suspensum ab omnibus Ordinibus etiam minoribus, licet c. 1. & 3. h. t. loquatur solùm *de Sacris*; quia solùm continent speciem facti. In hoc tamen casu Episcopus quidem dispensare potest cum furtivè ordinato, ut possit ascendere ad superiorem Ordinem, si Religionem ingrediatur, ac in ea per aliquod tempus laudabiliter vivat, ut dicitur c. *Veniens* 1. h. t. non autem secus; aliud tamen est, si prohibitio sub anathemate non præcessit. Tunc Episcopus dispensare poterit jure suo. Ita cit. c. 1.

1133 R. 3. Quando Episcopus Ordinationi præmittit hæc verba: *non intendimus ordinare non examinatos, & approbatos*, eum, qui furtivè se ingessit, non esse ordinatum defectu intentionis in ordinante. Hæc enim vel intrinsecè pertinet ad valorem Sacramenti, ut satis communiter docent Theologi; vel certè est conditio *sine qua non*, aut terminus connexionis essentialis in aliquo pertinente ad substantiam Sacramenti.

Cœterùm occasione dictorum quæstio est, an *quatuor minores*, & *Subdiaconatus*, spectato jure communi, licitè conferantur, *uno eodemque die?* Responsio est affirmativa; quia id nullo hujus juris textu prohibitum est, cùm jus in contrarium asserti solitum expresè loquatur solùm *de duobus sacris Ordinibus* eodem die non recipiendis; non autem de minoribus, & uno sacro; quia

quia quatuor minores ordines non dicuntur *sacri*. Ita Rebuffus in praxi beneficiorum, Tit. de Clericis ad sacros Ordines malè promotis. Vasquez in 3. p. tom. 5. D. 246. c. 5. n. 47. (& ex illo Cotonius in summa Dianæ, V. *Ordinis subjectum* n. 27.) qui expressè tenet, nullo jure prohibitum esse, eodem die conferre unum Ordinem sacrum cum minori. Et testatur Vasquez se vidisse sic practicatum, & sine dubio sic fieri posse.

1134 Contrarium docet Joannes Maria Passerinus de Sextula Ordinis Prædicatorum, tom. 2. de hominum statibus, q. 189. Inspectione 10. c. 4. n. 839. dicens, suscipientem *sacrum ordinem simul cum uno minori*, esse suspensum ab eo, quem illegitimè suscepit ex c. *per literas*, de temporibus ordinat. citatque pro se, præter alios, Barbosam, de offic. Episcopi, allegat. 14. n. 1. & in Trid. Sess. 23. c. 13. n. 14. Sed c. *literas*, expressè loquitur *de duobus sacris* Ordinibus. Tridentinum nullum verbum habet, quòd eodem die conferri non possit unus ordo sacer cum altero minori. Barbosa in cit. loc. Trid. loquitur solùm de *duobus sacris*, non autem *uno sacro*, *altero non sacro*. Rectius afferri posset c. 2. de eo, qui furtivè; ex quo Pirhing h. t. n. 7. docet, quod Sub-Diaconatus eodem die conferri non debeat cum minori ordine, nisi alicubi vigeat contraria consuetudo, id, quod etiam tenet Barbosa in cit. c. 2. n. 2. Verùm cit. c. 2. ad hoc malè allegatur, cùm solùm loquatur de illo, *qui susceptis minoribus Ordinibus non contentus, eodem die Sub-Diaconatum ausu temerario* (seu furtivè) *suscepit*, ut exprimit ipse Barbosa cit. n. 1. & communiter Canonistæ, patetque ex titulo, sub quo ponitur c. 2.

Bz. 4. Episcopum posse dispensare cum 1135
illo, qui susceptis quatuor minoribus eodem die etiam furtivè Sub-Diaconatum suscepit, ut in illis, quos furtivè non recepit, ministret. Idem est de Abbate, qui cum tali Clerico, si Religionem ingressus est, etiam in furtivè suscepto ordine dispensare potest, ut dicitur cit. c. 2. cujus verba sunt: *Cùm H. lator præsentium, sicut nobis suâ quæstione monstravit, ad tuam* (ordinationis causâ) *præsentiam accessisset; juxta consuetudinem patriæ sibi quatuor minores ordines contulisti, quibus non contentus, Sub-Diaconatum temerario ausu recepit. Quia verò idem Clericus in hoc facto multum excessit, mandamus, quatenus eum in minoribus duntaxat Ordinibus celebrare permittas. Si verò domum Religionis intraverit, & vita, & mores ejus exegerint Abbas* (*si voluerit*) *in aliis poterit Ordinibus dispensare.*

QUÆSTIO XXXI.

IN TIT. XXXI. DE EXCESSIBUS PRÆLATORUM ET SUBDITORUM.

PRæmissis illis, quæ generaliter attingunt excessus, seu delicta tam Prælatorum, quam subditorum; nunc specialiter agendum est de excessibus Prælatorum in subditos, & horum in suos Prælatos; quos illi committunt, sibi subjectos gravibus mandatis, prohibitionibus, censuris, & aliis oneribus indebitè gravando; isti autem subjectionem, sub obligatione positam, negando.

ARTICULUS I.

Qualiter Prælati Ecclesiastici excedere, seu delinquere possint in Clericos sibi subditos?

NOn est dubium, etiam Prælatos Ec- 1136
clesiasticos, quandoque in tractandis suis subditis excedere, ipso jure id agnoscente, ut patet ex rubrica hujus tituli. Et quamvis *excedere*, alioquin idem significet, *ac superare*, & *antecellere*; hoc tamen loco idem

idem est, ac *transgredi limites, seu terminum debitum*; & talis transgressio hic vocatur *excessus*. Tales porrò excessus illis sub gravibus etiam pœnis prohibentur. Quarè dicendum. 1. Prælatis Ecclesiasticis cillitium esse, Clericos, vel Regulares, suæ jurisdictioni subjectos, talliis, vel exactionibus indebitis onerare, & nisi juxta ipsorum voluntatem solvant pecuniam, divinum officium interdicere; injustè, ac illicitè censuras in eos ferre, vel inhonestè eos tractare, ut Laicis despicabiles fiant; prout apertè decisum est in c. 1. h. t.

1137 Dicendum. 2. eisdem non licere, sine legitima causa, Ecclesiam alteri inferiori Prælato subjectam, ab ejus subjectione, & obsequio liberare, c. 2. eod. Unde, licet Archidiaconi vi consuetudinis legitimè præscriptæ possint acquirere servitia sibi præstanda ab aliis Ecclesiis in suo Archidiaconatu sitis; esto aliàs de jure communi, Archidiaconis non debeant aliæ Ecclesiæ, ac earum Rectores præstare servitia, & obsequia, nec jurisdictionem in illas habeant (cùm eorum officium plurimum consistat in consuetudinibus, gloss. *fin.* in cit. c. 2.) Episcopi tamen non possunt Clericos sibi subditos privare suis Ecclesiis, juribus, reditibus, vel consuetudinibus, nec etiam minuere. Sic Barbosa in cit. c. 2. n. 1.

1138 Dicendum. 3. non licere Episcopis, aliisque Prælatis, Ecclesias, vel beneficia, quorum ordinatio, vel collatio ad ipsos spectat, sibi retinere; hoc enim numeratur inter excessus illis prohibitos in c. *ad aures*, 3. h.t. quod procedit; etiamsi beneficium sit manuale, ut vult Pirhing h. t. n. 6. Ex quo sequitur, si Prælatus Episcopo inferior beneficium, cujus collationem, vel institutionem habet, sibi retineat, vel indigno conferat, jus conferendi, vel instituendi devolvi ad Superiorem; licet possit sibi retinere Custodiam Ecclesiæ vacantis, dum ei de Rectore provideatur. Gloss. in c. *ad aures*. V. *Intrudere*.

1139 Dicendum 4. excedere Episcopos, aliosque Prælatos, si Ecclesias, vel beneficia scienter conferant indignis, c. *inter dilectos* 11. h. t. Hic excessus frequens est; cùm reverà contingat, beneficia, etiam curata, conferri nonnullis amore sanguinis, vel ad preces aliorum, à quibus resulget spes reciproca, vel ob alios fines verè temporales, concedi notoriè indignis, qui communiter administrationi per se ipsos inepti, per vicarios quandoque rudes, magno animarum damno, satis miserè suis Ecclesiis deserviunt, contenti proventibus, DEI cultu postremum, aut quandoque nullum locum obtinente.

Dicendum 5. illos excedere, si injustè impediant privilegia subditorum à summis Pontificibus indulta. Unde si Episcopus aliquid à subdito contra ipsius privilegium exigat, v. g. contra libertatem sui ordinis, concessam à summis Pontificibus, non tenetur ei obedire, ut dicitur c. *Sanè* 5. h. t. & excommunicatio ab Episcopo lata, contra talem subditum, in dicto casu non parentem, est irrita, & nulla c. *cùm ad quorundam*, 7. eod. 1140

Dicendum 6. inter excessus numerari, adeoque jure communi etiam prohibitum esse Prælatis, Episcopo inferioribus, pœnitentias publicas, & solennes imponere ex c. *Accedentibus*, & c. *in capite* 64. dist. 50. vel concedere indulgentias; quia hoc est dignitatis Episcopalis, ut vult Azor p. 2. l. 3. c. 55. q. 3. etsi contrarium teneat Layman, Rodriquez, tom. 22. qq. Regul. q. 87. a. 1. 1141

Quoniam autem quandoque ab Episcopis, & aliis Ecclesiasticis personis, multum etiam contra Regulares exceditur (ut exponit Gregorius IX. in c. *Nimis iniqua*, 16. h.t.) iis præsertim, *qui cæcâ cupiditate*, ut loquitur textus, *seducti propriæ aviditati subtrahi reputantes, quidquid Religiosis virûs fidelium pietas elargitur*, quietem illorum multipliciter inquietant: ideo dicendum 7. non licere Prælatis Ecclesiasticis à Religiosis exigere, ut contra regulam à Sede Apostolica approbatam, & sui Ordinis instituta, etiam inviti debeant illis confiteri, pœnitentiam, ac Eucharistiam recipere. Illicitum pariter est. 1. Prælatis Ecclesiasticis, velle, ne corpus Christi *in Regularium Oratoriis* reservetur; 2. exigere, ut fratres ipsorum defuncti apud Ecclesias suas sepeliantur, nimirum talibus Prælatis subjectas; 3. cogere, ut si quis decedentium Fratrum alibi, quàm in suis Ecclesiis eligat sepulturam, funus primò ad Ecclesias suas deferatur, *ut oblatio suis eorum Prælatorum usibus cedat*. Præter hæc excedunt 4. quòd non sustineant Regulares habere campanam, vel cœmiterium benedictum; 5. quòd certis tantùm diebus permittant ipsos celebrare divina; 6. quòd velint in domibus eorum certum numerum fratrum,

trum, Sacerdotum, Clericorum & laicorum, nec non cereorum, lampadum, & ornamentorum, pro voluntate sua taxare, ac residuum cereorum, quando noviter apponuntur, exigant ab eisdem; 7. quòd non permittant, novos Sacerdotes eorum, alibi, quàm in Ecclesiis suis celebrare primas Missas, eos nihilominus compellentes, ut in quotidianis Missis, quas in suis locis, & Altaribus celebrant, *oblationes ad opus eorum recipiant & reservent*; 8. Quòd quidquid eis, dum celebrant Missarum solemnia, intra domorum suarum ambitum piâ fidelium devotione datur, ab ipsis extorquere *oblationis nomine* contendant; 9. Quòd eisdem, tam in ornamentis Altaris, quàm in libris Ecclesiasticis, absolutè collata, vindicent perperam juri suo. Sic Gregorius cit. c. *Nimis iniqua.*

1143 Idem Gregorius universis Ecclesiarum Prælatis scribens, c. *Nimis prava*, 17. eodem; enumerat alia duodecim gravamina, Prædicatoribus, & Minoribus intentata, præcipiens dictis Prælatis omnino abstinere. Illa porrò sunt sequentia, quòd eos cogant *ad Synodos suas accedere*, ac suis constitutionibus subjacere; nec his contenti, Capitula, & scrutinia in locis fratrum pro his corrigendis facturos se comminentur, fidelitatem juramento firmatam ab eorum Ministris & Custodibus exigentes; quòd eis, ut tam extra civitates, quàm intra, cum eis processionaliter veniant, ex levi causa mandent; excommunicationis sententiam fulminent in benefactores ipsorum; id ipsum fratribus comminentur; eos de locis, in quibus Domino famulantur, satagant amovere, nisi eis obediant in omnibus supra dictis. Quòd, ne fratres ad honorabiliores civitates & villas, ubi religiosè, ac honestè valeant commorari, à populis devotè vocati, accedere audeant, inhibeant. Quòd tam in accedentes fratres, quàm in receptatores eorum præsumant excommunicationis sententiam promulgare; ab eis, etiam de hortorum fructibus, decimas, nec non de habitaculis fratrum (sicut de Judæorum domibus) contendant reditus extorquere (asserendo, quòd nisi fratres morarentur ibidem, ab aliis habitatoribus proventus aliqui solverentur) volentes eos suæ totaliter ditioni subdere; eisdemque Ministros & Custodes præficere pro suæ arbitrio voluntatis.

Demùm in Clementina *frequens*, de 1144
excessibus Prælatorum, Clemens V. expresè ait: à plerisque Episcopis, ac eorum Superioribus, ac cæteris Ecclesiarum Prælatis dictorum Religiosorum quietem injustè in subsequentibus multipliciter inquietari: nimirum, quod exemptos capiant, & incarcerent in casibus non concessis à jure; per gravium interminationem pœnarum impediant, ne, qui debent exemptis decimas, seu reditus, illos solvant eisdem: neve aliqui missas eorum audiant; quòd molant in molendinis, & coquant in furnis eorum: *servientes* quoque, & *vasallos*, & *domesticos eorundem*, vel *alios qualitercunque contrahentes, & participantes cum ipsis*, suspendant, interdicant, & excommunicent absque causa rationabili, pro libito voluntatis; bona illorum nihilominus interdum illicitè occupantes, & appellationibus, quas prædicti exempti, ob prædicta, vel alia gravamina rationabiliter interponunt, quandoque minimè deferentes, appellantes occasione appellationum hujusmodi interdum capiant, aut capi faciant, & carceri mancipari.

Secundò, quòd Capellanos in Eccle- 1145
siis *pleno jure* spectantibus ad eos Regulares (licet nulla causa subsit legitima) celebrare non sinant, nec administrare parochianis Ecclesiastica Sacramenta; quidam etiam indebitè Abbates, Monachos, & Conversos exemptos, nec non & Clericos ipsis *pleno jure* subjectos (si eis non pareant) in iis etiam, in quibus non tenentur eisdem, *inconsultâ facilitate* suspendant, excommunicent, capiant, & incarcerent, ac loca, & Ecclesias ipsorum interdicant; in exigendo insuper ab ipsis exemptis, ipsorumque subditis, subsidia charitatis excedant nimium contra eos, & insolitas, ac indebitas ipsis, contra jura, exactiones imponant. Novos census, & indebita onera parochialibus imponant Ecclesiis, in quibus exempti jus obtinent patronatûs; Processus justè factos, seu sententias justè latas à delegatis Sedis Apostolicæ, vel à Conservatoribus pro exemptis, publicari, seu executioni mandari à suis subditis non permittant; Tabellionibus publicis inhibeant, ne instrumenta conficiant, & Judicibus, ne justitiam faciant; ac jurisperitis, ne consilium, vel auxilium præbeant in causis, seu negotiis eorundem.

Tertiò, quòd *præsentatos per exemptos* 1146

ad ordines, vel beneficia (quorum præsentatio ad eos pertinet) *admittere nolint*, nisi præsentantes ponant obedientiam in salutatione literarum, quas pro hujusmodi præsentatione transmittunt; Ecclesiis vacantibus, in quibus monasteria jus obtinent patronatus (repulsis personis idoneis præsentatis ad eas) personas instituant inhabiles, & indignas: quidam etiam Ecclesias, curam animarum habentes, ad mensam Abbatum spectantes, quarum fructus, quandoque Clericis secularibus tradunt, seu concedunt ad firmam, Clericis ipsis decedentibus, suis conferant Clericis, quanquam ipsæ propter hoc Ecclesiæ in veritate non vacent; Nonnulli in Ecclesiis Monachorum, jura ipsorum injustè sibi approprient, & de ipsorum reditibus, ut volunt, ordinent, ita, quòd Rectoribus earum non remaneat, unde valeant sustentari; quidam cum armis, & erecto vexillo, molendina, & alia bona contra justitiam destruant exemptorum; ea etiam, quæ tanto tempore possederunt, quòd de contrario memoria non existit: mittantque frequenter, ad monasteria suarum civitatum, & Diœcesium, suos consanguineos, & nepotes, & interdum animalia sua cum custodibus, ut eis de bonis monasteriorum debeat provideri: Abbas insuper, & Priores monasteriorum frequenter compellant, ut suis consanguineis, & nepotibus suorum, Monasteriorum, seu Prioratuum possessiones concedant in perpetuum, vel ad tempus; quas quidem concessiones, vel pensiones *Nos*, ut ibidem ait Clemens, *nullas esse volumus ipso jure.*

1147 Quartò, quòd eosdem Abbates, & Priores quandoque compellant ad præsentandum sibi ad Ecclesias vacantes, in quibus jus obtinent patronatus, & ad monachandum interdum suos familiares, consanguineos, vel nepotes: frequenter etiam permittant, & tacitè consentiant, quòd in suo dominio temporali per milites, vasallos, & ipsorum temporales officiales, Monasteriorum bona mobilia, & immobilia, per violentiam occupentur in casibus non permissis à jure, & aliæ variæ injuriæ personis Ecclesiasticis, & Monasteriorum hominibus irrogentur. Præterea, quòd interdum injustè Abbates, Priores, ac alios beneficiatos, beneficiis suis privent, ut sic fructus beneficiorum illorum percipere valeant, primo anno, prætextu privilegii, quod asserunt, se habere; quòd usque ad certum tempus fructus beneficiorum vacantium possint percipere primi anni; quibus non contenti, equos, boves, thesaurum, & alia bona Monasteriorum, & beneficiorum vacantium illicitè occupent, quæ essent fructus successoribus reservanda. Denique quòd quidam ejusmodi Prælatorum militibus, & aliis potentibus dignitatum suarum reditus, & proventus vendant ad tempus, ut per se ipsos exempti vicini fortius opprimantur; nonnulli etiam indebitè monasteria dirimant; alii domos, & hospitalia, & alia bona Monasteriorum mobilia, & immobilia frequenter occupent, & detineant occupata; pluries quoque sine causa justa impediant, ne exempti loca sua valeant reparare; quidam statuta faciant, per quæ derogetur privilegiis exemptorum: & generaliter quàm plures Prælati præsertim exemptis, & privilegiatis Religiosis; in personis, & rebus suis, ac juribus spiritualibus, & temporalibus, graves inferant contra justitiam, & eorum privilegia injurias, & jacturas.

Concludit tandem constitutionem su- 1148
am sequentibus verbis efficacissimis: *Verum, quia una est Regularium, & secularium Prælatorum, & subditorum exemptorum, & non exemptorum universalis Ecclesia, extra quam nullus salvatur, quorum omnium unus est Dominus, & una fides, & unum Baptisma: decet, ut omnes, qui ejusdem sunt corporis, unius etiam sint voluntatis, & sicut fratres ad invicem, vinculo Charitatis, sint adstricti. Decet igitur, ut & Prælati, & alii tam exempti, quàm non exempti, suis juribus sint contenti, & alter in alterius injuriam non prosiliat, seu jacturam. Universis itaque Prælatis Ecclesiarum præsentis Sanctionis edicto districtè præcipiendo mandamus, quatenus ipsi à prædictis gravaminibus omnino cessantes, & cessare suos subditos facientes, viros Religiosos, exemptos, privilegiatos & non exemptos, mendicantes, & non mendicantes, Charitativè tractent, & foveant, & sua jura, & privilegia inviolabiliter eis servent. Et quoniam plus solet timeri, quod specialiter, quàm quòd generaliter inhibetur, eisdem Prælatis districtissimè inhibemus, ut Abbates, Priores, & alios Religiosos, ne ad sua generalia, vel provincialia vadant capitula, impedire quomodolibet non præsumant.* Ex quibus satis apertè constat, prodictos Ecclesiasticorum

corum Prælatorum excessus gravissimè ipsis prohibitos esse.

ARTICULUS II.

De excessibus Subditorum contra Prælatos, seu Superiores suos.

1149 NOn est dubium, etiam subditos contra Superiorem variis modis excedere; reverentiam Superioribus denegando; coram secularibus contra eos super rebus spiritualibus deponendo; Dominos negando contra homagii fidem; eos invadendo; aut invasoribus eorum complicibus causam, vel consilium præbendo; de quibus c. 15. h. t. statuitur, ut perpetuò abscindantur ab Ecclesia, & eorum beneficia iis, qui digni sunt, assignentur. Similiter in Superiorem peccant subditi, si non sunt continentes, c. *Clerici* 4. h. t. Si Ecclesiam suam, vel sibi subjectam, citra consensum Episcopi subjecerint, vel univerint alteri, non obstante assensu, vel confirmatione Metropolitani, c. *sicut unire*, 8. eodem; si homicidio directè vel indirectè auctoritatem, vel consilium præstiterint, c. *ex literis* 10. eod. si sibi constituant collegium, vel fabricent sigillum, c. *dilecta*, 14. h. t. Personatum sibi falsò assumant; contra eos, quibus fide, & Sacramento adstricti sunt, se erigant, de quibus in c. 6. h. t. dicitur, ut in eo Episcopatu non admittantur ad officii sui executionem? Prohibentur etiam peccata aliena in confessione audita, revelare, ne quidem compulsi c. *dilectus*, 13. h. t. Secundò de suis delictis gloriari (v. g. de copula commissa cum aliena muliere) & hi ab officio, & beneficio sunt suspendendi, c. *quàm sit*, 9. h. t. Tertiò sectari libidines, maximè contra naturam, propter quas vel à Clero dejiciendi sunt, vel ad pœnitentiam in Monasterium detrudendi, c. 4. h. t. Quartò ea agere, unde scandalum oriri possit, v.g. frequentare ludos profanos, &c. de quibus agit titulus de vita, & honestate Clericorum. Excedunt præterea subditi contra suos Superiores, si Prælati Episcopo inferiores cognoscunt causas matrimoniales, c. *accedentibus*, 12. h. t. excipe nisi habeant proprium territorium, & jurisdictionem quasi Episcopalem, privativè ad Episcopum. Et ideo tales non veniunt nomine Prælati Episcopo inferioris, quando agitur de materia jurisdictionis. Vid. Pirhing h. t. à n. 21. Quintò, si Prælati Episcopo inferiores uniant Ecclesias sibi subditas sine consensu Episcoporum c. *sicut* 8. h. t. Ex quo colligitur Episcopum ex justa causa (de his, quæ à Prælat.) & consensu Capituli (arg. cap. *Pastoralis*, de donation. & Clement. 2. de rebus Ecclesiæ non alienan.) posse unire Ecclesias subjectas. Quod etiam procedit de Monasteriis illi subjectis, non tamen Ecclesiis Cathedralibus, ut docet Pirhing h. t. n. 19. Sed de hoc V. lib. 3.

QUÆSTIO XXXII.

IN TIT. XXXII. DE NOVI OPERIS NUNTIATIONE.

1150 NUntiare novum opus est, illi, qui de novo in alterius præjudicium ædificat, prohibere, ne tale ædificium fiat, vel in jam cœpto pergat, donec de jure ædificandi constet. Hæc novi operis nuntiatio, seu prohibitio est quædam extrajudicialis appellatio; & ideo, eâ pendente, nihil est attentandum, ut docet Andr. Gail. l. 1. observ. 16. n. 2. cum communi.

ARTICULUS I.

In quibus rebus, seu operibus locum habeat novi operis Nuntiatio?

REsp. quòd in solis rebus immobilibus, 1151
sive in solis illis operibus, quæ solo conjuncta, aut conjungenda sunt, & in eo sic fiunt, ut in eodem permaneant. Et ideo messem colligere, vel arborem succidere, non pertinet ad hoc edictum

L. 1. §. *hoc autem edictum* ff. h. t. junctâ Gloss. V. *In solo.* Novum tamen opus videtur facere, qui aut ædificando de novo, vel detrahendo, pristinam faciem operis immutat, cit. L. 1. §. *opus novum*, ff. eod. Quare in casu, quo quis vetus ædificium duntaxat fulcit, vel reficit, nihil addendo, vel demendo, hæc nuntiatio locum non habet, per cit. L. 1. §. *si quis ædificium.* Unde hæc nuntiatio datur solùm ad opera nova, seu futura impedienda, ne fiant, vel perficiantur. Nam in jam perfectis, recurrendum est ad interdictum, quod vi, aut clam, ut restituatur, quod illicitè factum est, L. 1. §. 1. ff. h. t. Nihil autem refert, quòd novum opus fiat in damnum alicujus *in*, vel *extra oppidum*, in publico, aut privato loco, nam hæc nuntiatio æquè locum habet, & dicitur cit. L. 1. §. *sive autem.*

Præter hæc notandum, nuntiationem novi operis non habere locum quoad rivos, vel cloacas reficiendas, aut purgandas; cùm hoc pertineat ad publicam utilitatem, & securitatem. L. *de pupillo* §. *si quis rivos*, ff. de operis novi nuntiat. Gloss. V. *securitatis*: extendi tamen etiam ad ædificationem novæ Ecclesiæ, quæ non debet exstrui in præjudicium tertii, vel alterius Ecclesiæ, c. *Intelleximus.* 1. h. t. Quo capitulo leges de novi operis nuntiatione canonizatæ sunt, ibi: *Quia verò, sicut leges non dedignantur sacros canones imitari, ita & Sacrorum statuta canonum, Principum constitutionibus adjuvantur: mandamus, quatenus diligenter considerans, quòd post denuntiationem operis sive jure, sive injuriâ aliquid construatur, legalibus debet constitutionibus demoliri; & quia nulla Ecclesia in præjudicium alterius est construenda, negotium ipsius, secundùm legum, & canonum statuta, non differas terminare.* Ex quo colliges, causas Ecclesiasticas, in defectu Canonum nihil de illa re statuentium, debere decidi secundùm jus civile. gloss. in c. *Intelleximus.* V. *adjuvantur.* Sed hoc accipe, quando jus civile non continet, aut fovet peccatum, nec aliquid, quod obviet Canonicis statutis. Collig. 2. Secundùm legales constitutiones debere fieri demolitionem ejus, quod ædificatum est, contra novi operis nuntiationem, L. *Prætor*, §. *ait Prætor*, ff. h. t.

ARTICULUS II.

Cui competat jus nuntiandi novum opus? ubi, & cui? quibus modis, & quando?

AD. 1. Rr. quòd jus nuntiandi novum opus competat 1. illi, ad quem res pertinet, cui exinde damnum, vel præjudicium imminet, ut dicitur cit. L. 1. §. *penult.* 2. Vero Domino fundi. 3. Etiam illi, qui ejus utile dominium habet, ut est feudatarius, emphyteuta, & superficiarius, L. 3. §. *Si ego.* Imò & creditori, cui prædium jure hypothecario subest. L. *creditori*, ff. h. t. 4. Habenti servitutem in fundo, in quo de novo ædificatur, ex cit. L. 3. §. *Si ego*, sive servitus sit urbana, sive rustica, per L. 3. cit. §. *penult.* & L. *non solum*, ff. eodem, quia utrique juri præjudicatur. 5. Habenti servitutem merè personalem, non tamen suo, sed proprietarii nomine, L. 1. §. *fin.* ff. eodem: 6. Procuratori, vel gestori negotiorum, sed solùm nomine Domini, si ad id habeat mandatum speciale. Molin. D. 706. n. 291. Denique servo, non tamen suo, sed Domini nomine, in re privata. L. *Si pupillo*, §. *servo*, ff. h. t. junctâ gloss. V. *non potest.* Pupillo autem solùm de authoritate Tutoris, ut dicitur L. cit. 1152

Ad 2. Rr. nuntiationem novi operis faciendam in re præsenti, hoc est, ubi novum opus fit, L. *de Pupillo*, h. t. Ad 3. Rr. non requiri, ut fiat Domino; sed sufficere, si fiat ei, qui ibi est existens ex fine operis (ut sunt fabri, & similes opifices) vel cuicunque etiam puero, vel mulieri, L. *de Pupillo.* §. *Nuntiari autem*, ff. h. t. imò etiam infanti, & furioso, modò alii adsint, qui intelligant, L. *cuilibet.* 11. ff. eodem, junct. Gloss. V. *etsi furiosum.* Quia nuntiatio fit in rem, seu rei; non personæ. L. *operis*, 10. ff. eodem.

Ad 4. Rr. quòd nuntiatio novi operis fiat tribus modis, ut dicitur cit. L. *de pupillo*, §. *meminisse*, 1. verbis, ut tale opus non fiat, vel continuetur in suum nuntiantis, vel publicum præjudicium; 2. manu, hoc est, lapilli jactu in eum locum, ubi opus fit, simul tamen additis verbis prohibentibus opus, aut ejus continuationem. Sic Hostiensis in Summa, n. 8. h. t. Dicunt tamen alii, ut Sylvester V. *de nuntiat. novi operis*, q. 4. ter fieri debere. 3. per Prætorem, 1153

rem, seu Judicem: ubi tamen nota, quòd inter primum, & duos posteriores modos nuntiandi, hoc sit discrimen, quòd, qui nuntiat simplici verbo, seu primo modo, si sit in ejus possessione, circa quod fit nuntiatio, hujus possessionem amittat, & adversarium, cui nuntiat, possessorem faciat, L. 1. §. *in operis*; & L. 5. §. *meminisse*, ff. h. t. si autem nuntiet uno ex posterioribus modis, possessionem retineat, Gloss. in cit. §. *in operis*, V. *adversarium*. V. Sylvest. cit.

1154 Ad 5. ℟. Quòd fieri possit quolibet die, etiam feriato, & DEo sacro. cit. L. 1. §. *item nuntiatio*; junctâ glosâ V. *omnibus diebus*, ff. h. t. quia fieri potest extra judicium. Et cùm fit per Judicem, non procedítur per causæ cognitionem, sed de plano. Sic Zoësius h. t. in ff. n. 12. Fieri quoque potest adversus absentes, quorum nomine ædificatur, & invitos, imò & ignorantes, cùm fiat *in rem*; non, *in personam*, cit. L. 1. §. *& adversus*; junct. gloss. V. *absentes*.

ARTICULUS. III.

Quis sit effectus hujus nuntiationis?

1155 REsp. effectum primarium esse, post factam nuntiationem, demolitionem eius, quidquid noviter ædificatum est, faciendam expensis ipsius ædificantis, sive justè, sive injustè nuntiatum sit, quod ex postfacto (scilicet cognitâ veritate) apparebit. Sic statutum est L. 1. ff. h. t. L. *Prætor* §. 1. & §. *ait Prætor*, ff. eodem. junct. Gloss. in cit L. 1. V. *sive jure*, & c. *Cùm ex injuncto*, 2. h. t. ibi: *mandamus, quatenus quidquid ædificatum est in Ecclesia de Lamech, post novi operis nuntiationem, expensis tuis facias penitus demoliri* &c. Ubi nota, si quis ædificium sui antecessoris, cui facta est nuntiatio novi operis, ratum habeat, vel prosequatur, etiam Successorem teneri ad illud suis sumptibus demoliendum, ut colligitur ex cit. c. *Cùm ex injuncto*. Unde hoc interdictum datur hæredi, & contra hæredem, quando in vitium succedit, nimirum sciens, nuntiationem esse factam, L. *Prætor*, §. *hoc interdictum*, ff. h. t. & quidem, etiam post annum, ex cit. L. *Prætor*, §. *fin.* imò etiam contra Successorem singularem, seu Emptorem; cùm detur, non in personam, sed rem, L. *fin.* ff. h. t.

1156 Is porrò, cui novum opus nuntiatum est, ante destructionem novi operis, volens probare, jus ædificandi sibi competere, non quidem ipso jure repellitur ab agendo, nisi priùs omnia reducat in pristinum statum; sed exceptione oppositâ ante litem contestatam; cùm sit exceptio dilatoria, ut patet ex cit. c. ibi: *actio ipsi denegari debet*. Si tamen hæc exceptio non opponatur; & is, cui novum opus nuntiatum est, docuerit de jure suo, sententia pro illo feratur, sine destructione novi operis (qualiter, si spoliatus non opponat exceptionem spoliationis, actore probante jus proprietatis) pro eo sententia ferenda est; cùm proprietas prævaleat possessioni. Dixi superius, *denuntiatum, post novi operis nuntiationem, debere ab ædificando cessare, & opus cæptum destruere, non solùm quando jure, seu justè facta est nuntiatio* (ut, cùm nullum jus habuit ædificandi) *sed etiam quando facta est injustè*, seu cum injuria ædificantis, qui scilicet habuit *jus ædificandi*. Cujus ratio est ex dispositione juris ob publicæ pacis bonum, ac rixas cavendas, ut pluribus colligitur ex legibus citatis. Nec enim is, cui fit nuntiatio, ex hoc injustè gravatur; cùm possit se tueri viâ juris, adeundo Judicem, petendo ab eo remissionem operis; Secùs enim, si viâ facti processerit, pergendo in ædificio, opus postea factum demoliri debebit, ob contemptam Prætoris auctoritatem, etiamsi jus ædificandi habuerit; ita Gail. cit. l. 1. Observ. 16. n. 2.

Si autem quæras, quibus casibus nuntiatio novi operis effectu careat, seu cesset? ℟. quòd in sex casibus. 1. Si nuntians ædificanti novum opus nuntiationem remittat. L. *Non solùm*, 8. §. *sciendum*. ff. eodem, ibi: *donec remissio nuntiationis fiat*. Hæc autem remissio fit, vel expressè (& tunc, si nuntiatus jus ædificandi habet, rectè perget in novo opere, L. *non solùm*, §. *morte ejus*, ff. h. t. junct. Gloss. V. *remissionem*) vel tacitè, ut patebit ex sequentibus, nimirum morte nuntiantis; tunc enim nuntiatio extinguitur, ut dicitur cit. L. *non solùm*, §. *morte ejus*: sed hoc (quòd morte nuntiantis extinguatur nuntiatio) intellige, si moriatur re adhuc integrâ, scilicet, antequam aliquid ædificatum esset; nam si moreretur re non integrâ; hæredi ejus competeret hoc interdictum; ut notat Pirhing hìc n. 15. Secus est mortuo nuntiato; nam ejus morte non extinguitur nuntiatio; cùm ex parte personæ nuntiatæ, nuntiatio sit 1157

realis, seu fiat *in rem*, ut dictum est, L. *operis*, ff. h. t. ex parte verò nuntiantis sit *personalis*, L. *non solùm*.

1158 Secundò cessat nuntiatio novi operis, si nuntians à nuntiato accepit cautionem de demoliendo, ubi constiterit, ipsum jus ædificandi non habuisse; vel etiam, si per nuntiatum non stet, quò minus satis det; ut, cùm competentem satisfactionem obtulit, quæ tamen acceptata non fuit, L. *de pupillo*, §. *si is*, *cui*, & L. *Prætor*, §. *deinde*, & §. *hoc interdictum*, ff. h. t. Ubi notandum, quòd nuntians ejusmodi satisdationem nuntiati non teneatur acceptare, si *Nuntians* in continenti, vel saltem intra tres menses, velit probare, se *jure* novum opus prohibere, c. *significantibus*, 3. h. t. & c. *fin.* eodem; atque adeo, (prout exhibet Summatio Rubricæ) in optione esse Nuntiantis novum opus, an intra tres menses de præjudicio suo debeat ostendere, & interim cessetur ab opere: an verò receptâ cautione de opere demoliendo, statim ædificare permittat? Secùs præstitâ dictâ cautione, & nondum factâ probatione de jure competentis nuntianti prohibitionis, pergere licet in ædificio, quamvis nuntians etiam post eum terminum in hujus probatione audiatur. Sic Pirhing h. t. n. 18.

1159 Cessat tertiò nuntiatio novi operis, si is, qui nuntiavit, exigente nuntiato, recuset juramentum calumniæ; hoc est, si nolit jurare coram Judice, se arbitrari, quòd habeat justam causam nuntiandi, seu prohibendi novum opus; nam tali casu à lege nuntiatio remittitur, & pro non facta habetur. L. *de pupillo*, §. *qui opus*, ff. h. t. Quartò cessat, si sit periculum in mora, hoc est, si nuntiatus ex hoc, quòd ædificium non faceret, aut suspenderet, grave damnum pateretur, vel probabiliter timeat. Sic Gail. cit. n. 8, quia quoties periculum est in mora, recedere licet à Regulis juris communis, & remittitur juris dispositio etiam prohibitiva, Gail. cit. n. 9. quod tamen Glos. in cit. c. 2. h. t. explicat de periculo *communi*, seu *universali totius civitatis*, vel *viciniæ*; non item speciali, & privato nuntiati, saltem regulariter.

Cessat quintò, si Prætor revocavit nun- 1160
tiationem permissam, L. *Si opus*, 16. ff. h. t. Sextò, si certò, & notoriè constet, nuntiato competere jus ædificandi, & consequenter nuntiationem esse manifestè injustam, ut docet Gail. cit. n. 4. Unde leges probantes nuntiationem, etiam injustam, intelliguntur de casu, quo de jure nuntiati non constat manifestè, sed aliquo modo dubitatur; aliàs leges faverent manifestæ injustitiæ.

Si quæras, an Nuntianti novum opus, 1161
liceat, etiam propriâ authoritate opus, à vicino factum in eo, quod possidet nuntians, destruere? R. quòd sic, modo in continenti fiat, & non ex intervallo, L. 3. §. *Cùm igitur*, ff. de vi, & vi armat. Videtur enim tunc vis vi repelli, quod licitum est; ita Zoësius in ff. h. t. n. 16. Cæterùm, etsi cuique licitum sit ædificium suum usque ad cœlum extollere, nec ob id possit impediri novi operis nuntiatione, ut notat Barbosa in c. *fin.* h. t. n. 6. ex L. *alius*, Cod. de servitut, & aqua: hoc tamen non procedit, quoties quis prope monasterium ædificat, quod sibi non prodest; Ecclesiæ verò, aut monasterio nocet; ita Gail. lib. 2. Observ. 69. n. 13. & quilibet vicinus potest impedire, ne alius de novo ædificet portas, vel fenestras directas adversus januas, vel fenestras, ut notat Barbosa cit. n. 6. nam ad æmulationem vicini ædificatio permissa non est, ut probat Menochius casu 156. n. 3. & de præsumpt. l. 6. præsumpt. 29. n. 28. Mascardus de probat. conclus. 620. n. 15.

QUÆ-

QUÆSTIO XXXIII.

IN TIT. XXXIII. DE PRIVILEGIIS ET EXCESSIBUS PRIVILEGIATORUM.

1162 QUælibet gratia, beneficium, favor, prærogativa, exemptio, indulgentia, & facultas, alicui specialiter concessa, privilegium dicitur; & quia ejusmodi gratiæ speciales, per rescriptum Principis, diploma, seu Bullam Pontificis, concedi solent, etiam rescriptum tale, privilegium appellatur; non, quòd sit *privilegium*, seu gratia; sed quia continet gratiam concessam c. *cùm dilecta*, 4. de confirm. util. vel inut. c. *ex parte* h. t.

ARTICULUS I.

Quid sit Privilegium?

1163 *PRivilegium* sumi potest latè, vel strictè: latè sumptum, dicitur *lex privata, specialem aliquem favorem, vel beneficium continens*; ut habetur c. *privilegia*, dist. 3. c. *cùm in his sunt*, c. *Abbate*, & c. *olim*, de verb. signific. Dicitur *lex*, non tamen propriè. 1. quia privilegium sæpe non est perpetuum, sed solùm ad tempus. 2. Quòd habenti non imponat necessitatem utendi eo favore, ut fit, cùm aliquid conceditur in favorem personæ privatæ; quia nemo beneficio uti cogitur, reg. 7. ff. de reg. Juris: est tamen *lex*, quia quamdiu durat, aliis necessitatem imponit, ne utentem in usu sui privilegii impediant. Dicitur lex *privata*. 1. quia regulariter personæ, vel communitati conceditur. 2. maximè, quia privatum, seu singulare, vel speciale aliquid per illam privilegiato conceditur, saltem præter, seu ultra jus commune; si enim nihil speciale concederet, sed tantùm id, quod aliunde jam licet, frustra concederetur, c. *in his*, 30. h. t. ibi: *in his, quæ ad cultum divinum facere dignoscuntur, non maligna, sed benigna est potius interpretatio facienda.* Et ideo Honorius III. privilegium Prædicatoribus, & minoribus à se concessum, ut, *ubicunque fuerint, sine præcialis juris præjudicio cum Altari valeant viatico celebrare*, reprobavit interpretationem, quæ dicebat, debere illos hoc facere *cum aliorum Prælatorum assensu, quòd aliàs nullam ex indulgentia Papali gratiam essent consecuti.* & c. *Abbate*, 25. de V. S. ibi: *cùm privilegium sit lex privata, nec esset privata, nisi aliquid specialiter indulgeret* &c. Hoc autem intelligi debet de *privilegio concessivo*: nam quando à Principe conceduntur illa, quæ aliunde jure communi concessa sunt, non tam est privilegium propriè *concessivum*, quàm solùm *declarativum*, quia declarat, quod fortè illis erat dubium, & obscurum; & hæc declaratio ex eo meretur dici privilegium, quia creat securitatem, & certitudinem in operante. Sic Azor p. 1. l. 5. c. 23. q. 3. Quando autem per aliquam concessionem non solùm securitas, & certitudo conceditur, sed etiam licentia, & facultas aliquid faciendi, vel omittendi; quin possit ab aliquo inferiori Prælato impediri, tunc est propriissimè privilegium, & ideo in concessione privilegii, de *concessivo* est intelligendum, quoad fieri potest. Sic Felinus in c. 1. de rescript.

Ex hoc colliges 1. privilegium concessum Episcopo, vel Clerico, ut possit testari, non intelligi de bonis patrimonialibus (hoc enim aliunde potest) sed acquisitis ratione Ecclesiæ, cui præest, sic Azor cit. q. 3. Deinde, si privilegium alicui concedat, ut in aliqua causa procedat, *appellatione remotâ*, non intelligitur de injusta appellatione, sed justa. Quia procedere rejectâ injustâ, & frivolâ appellatione, quilibet Judex potest. Sic Emman. Rodriq. tom. 1. quæst. Regular. q. 18. a. 13. Cæterùm Privilegium, strictè sumptum, est alicujus rei, vel juris concessio specialis contra jus commune, facta ex benevolentia Principis. Sic Gloss. in c. 1. de constitut. in 6. V. *Noceatur.* Idem tenet Alviset, de privil. 1164

Regul.

Regul. sect. 1. c. 1. n. 2. Pirhing tamen h. t. n. 2. censet, non requiri ad privilegium, ut aliquid *contra jus commune* concedat, sed sufficere, si concedat aliquid *contra*, vel *præter jus commune*, v. g. quod quidem jure communi concessum non est, sed nec prohibitum; id quod rectè procedit *de privilegio latè sumpto*; quod P. Josephus Gibalinus de Scientia Canonica, l. 7. c. 7. q. 2. n. 1. sic describit: *Privilegium, est concessio stabilis, & permanens alicujus specialis licentiæ, circa jus commune, ratione rei, vel personæ, ab eo solo, qui legem, aut jus commune condere potest, facta subdito, aut aliâ ratione inferiori; vel consuetudine parta*; ubi nota particulam *circa jus commune*; sic enim omnia privilegia comprehendit, sive sint *præter*, sive contra jus commune.

1165 Quæres: an ad substantiam privilegii pertineat, *quòd sit scriptum?* R. negativè, constat ex c. *Institutionis*, 25. q. 2. junct. Gloss. V. *Præsentia* Clem. 2. §. *nos etenim*, de sepulturis, ibi: universa privilegia, gratias, indulgentias, *verbo*, seu *scripto*, concessa. Sic. Azor p. 1. l. 5. c. 23. q. 11. Ejusmodi autem privilegia, non in scripto sed verbo concessa, seu vivâ voce à Pontifice, vocari solent *oracula vivæ vocis*. Etsi autem *ad substantiam* privilegii, seu ad valorem non requiratur scriptura, requiritur tamen interdum *ad probationem privilegii*, ac ejus firmitatem, ut colligitur ex c. *porrò*, 7. h. t. ubi dicitur: *inspicienda esse privilegia, ut eorum tenor servetur*, & c. *contra morem*, 8. dist. 100. ibi: *aut ex scriptis privilegiis se tueri.*

1166 Privilegium autem differt. 1. *à lege* in communi, quia hæc respicit jus commune, privilegium est contra, vel præter jus, & est jus speciale. 2. Lex stringit eos, ad quos fertur; privilegium autem privilegiatum eximit à Legis observatione. 3. Lex quandoque imponit pœnam transgressoribus, non item privilegium ei, cui conceditur. Differt 2. *à dispensatione*; quia latius patet, quàm dispensatio; hæc enim semper est contra legem; illud interdum etiam præter legem: Dispensatio regulariter est ad unum duntaxat actum v. g. ad tollendam unicam excommunicationem, irregularitatem, vel impedimentum matrimonii, & ideo est transiens; privilegium autem est aliquo modo permanens, & stabile. Differt *à gratiâ*, & *beneficio Principis*, tanquam inferius à Superiore; omne enim privilegium est gratia, & beneficium; sed non omnis gratia, & beneficium est privilegium. Differt 3. *à rescripto*; hoc enim, attento nomine, est responsum Principis scriptum, continens vel causam justitiæ, vel gratiæ. Hinc rescriptum justitiæ est rescriptum, ut jus alicui servetur; privilegium autem, continet gratiam, non justitiam, & rescriptum gratiæ est regulariter ad unum solùm actum, v. g. ad dispensationem in impedimento; privilegium autem continet plures actus. &c.

ARTICULUS II.

Quotuplex sit Privilegium?

PRivilegium est multiplex; nam aliud est 1167 *concessivum*, aliud *declarativum*, ut diximus; aliud *reale*, aliud *personale*; aliud *remuneratorium*, aliud *gratiosum*; aliud *purum*, aliud *sub conditione*; aliud *ob bonum commune*, aliud *ob privatum*; aliud *scriptum*, aliud *non scriptum*; aliud *temporale* aliud *perpetuum*. Quibus positis, quæstio est, 1. quando privilegium censeatur *personale*; quando *reale?* R. Privilegium *personale* esse, quando personæ ratione ipsius directè conceditur; *reale* autem, quod indirectè personæ conceditur, nimirum ratione alicujus rei ab ipsa distinctæ, v. g. ratione Religionis, civitatis, dignitatis, aut personæ fictæ, ut notat Gibalinus cit. q. 6. n. 1. vel quando datur certo generi personarum, v. g. maritis, uxoribus, Clericis. Hinc licet privilegium semper concedatur personæ (quia sola illa capax est beneficii, & favoris) sed aliquando *ratione personæ*, aliquando *ratione alicujus rei*. Hæc distinctio est in hac materia maximæ considerationis, propter diversos effectus privilegii *realis*, & *personalis*; nam privilegium *personale* personam sequitur, & cum ea extinguitur, ut dicitur, reg. *Privilegium*, de regul. Jur. in 6. & L. *unica*, §. *ne autem*, C. de caducis tollendis: privilegium autem *reale* durat toto eo tempore, quo durat res, cui annectitur, L. *Imperatores* ff. de publicanis. *Res* autem, quibus annecti solet privilegium, sunt in duplici differentia, nimirum aliquæ corporales, ut Ecclesiæ, Monasteria, alteria, agri, domus; aliquæ incorporales, ut Episcopatus, Clericatus, Doctoratus, officium, status &c. *personæ* autem, quibus annecti

solent

ſolent privilegia, ſunt vel perſonæ particulares, vel certum genus perſonarum, quo caſu deſcendit ad ſingulas perſonas ſub tali genere, non ratione communitatis, aut corporis myſtici (quod conſtituunt) ſed ratione ſui, & prout in uno quoque ex cauſa concernente ipſas perſonas, ut notat Zoëſius hìc n. 5. Ex hoc colliges, privilegium conceſſum Religioni, Univerſitati, Civitati vel Collegio, ut eo utatur, quatenus communitas eſt, *eſſe reale*; quia tunc non deſcendit ad ſingulas perſonas, ratione ſui, ſed ratione communitatis. Et eo caſu privilegium (ſicut ipſa communitas) eſt perpetuum. L. *proponebatur*, ff. de judiciis, L. *forma*, §. *quanquam*, ff. de cenſibus. Quarè Caſtropalaus tr. 3. D. 4. de priv. p. 2. §. 1. n. 2. cenſet, etiam privilegium reſpiciens ſingulas perſonas non ſecundùm ſe, & quà tales ſunt, ſed ratione qualitatis in illis cohærentis, eſſe reale, ut eſt privilegium conceſſum filiis-familias, ne ratione mutui poſſint obligari, aut fœminis, ne per fidejuſſionem obligentur; ſic etiam Azor cit. L. 5. c. 22. à quæſt. 2. eſto Zoëſius hìc n. 5. velit eſſe perſonale.

1168 Difficultas eſt, an privilegium cenſendum ſit *perſonale*, an *reale*, quando alicui perſonæ conceditur, ob aliquam illius excellentiam? v. g. ob partam inſignem in bello victoriam, ob ſingularem ſcientiam, vel ob merita in Eccleſiam, &c. R. ſi propter materiæ incapacitatem, privilegium tranſire non poteſt ad ejus, cui conceſſum eſt, hæredes, cenſendum eſſe perſonale, licet aliud verbis exprimatur; quia verba rebus accommodari debent; ita Suarez l. 8. de legib. c. 3. n. 13. Si autem tranſire poteſt ad hæredes, judicandum eſſe ex verbis de intentione concedentis, cui compertæ ſtandum eſt. Colligitur autem ejus intentio ex verbis, ſi attendas, ad quem ea verba dirigantur; nam ſi dirigantur ad aliquam perſonam exprimendo *ejus dignitatem, officium, munus, &c.* quod ad alios tranſire poteſt, colligendum eſt, privilegium dirigi in perſonam ratione rei, atque adeo reale eſſe, niſi addatur aliqua circumſtantia, ratione cujus intelligitur dirigi ad perſonam ratione perſonæ, ut ſi dicitur, concedo Epiſcopo Secovienſi facultatem diſpenſandi *in his caſibus*, idque ratione ſingularis prudentiæ, ſanctitatis, &c. tunc enim privilegium perſonale foret.

1169 Similiter privilegium erit perſonale, ſi verba communicationis dirigantur ad perſonam, non exprimendo ejus officium, vel dignitatem, ſed nomen v. g. *tibi Petro, tibi Paulo*; niſi ſimul addantur alia verba, quæ denotent perpetuitatem, & tranſmiſſionem ad poſteros; ut, ſi dicatur, *tibi & ſucceſſoribus tuis*, vel *tibi in perpetuum*; aliàs enim ly *in perpetuum* fruſtra poneretur, quod in legibus, & privilegiis omnino vitandum eſt, c. *Si Papa*, de Privilegiis in 6. ibi: *cùm verba aliquid operari debeant*, & L. 3. ff. de jurejurando; unde nec ſyllaba debet eſſe ſine effectu. Cujus ratio ulterior eſt (ut rectè obſervat Caſtropalaus cit. n. 4.) quia privilegium conceſſum ſine ulla temporis reſtrictione, intelligitur accipienti conceſſum ad dies vitæ; ergo ly *in perpetuum* extendi debet, ut intelligatur conceſſum etiam Succeſſoribus; ne alioquin effectu ſuo careat, vel non plus operetur, quàm conceſſio non reſtricta ad tempus. Si in privilegio exprimatur & nomen perſonæ, & officium, ex quo dubitetur, an conceſſio ſit realis, an perſonalis? dicendum eſt reale, cùm aliquid concedit, quod nec juri communi, nec juri tertii præjudicat; Sic Caſtropal. cit. n. 6. cum Thoma Sanchez l. 8. de diſpenſat. D. 1. n. 1. & 4. Nam aliàs in tali caſu expreſſio dignitatis, vel officii, & muneris, careret effectu, afficiente dignitatem &c.

Quæres, 2. quando privilegium cenſeatur *perpetuum*, quando *temporale*? R. 1170 privilegium cenſeri perpetuum, quod de ſe poteſt perpetuò durare, niſi à concedente revocetur; temporale verò, quòd conceditur ad certum tempus v. g. ad decem annos; quod tripliciter fit, 1. ex parte ejus, cui conceditur, ut ſi concedatur ſolùm perſonæ, quo caſu privilegium eſt perſonale ſingulare. 2. ex parte concedentis, ut ſi hic illud expreſſè limitet v. g. *ad beneplacitum ſuum*, vel *ad dies vitæ ſuæ*. 3. ex parte ipſius privilegii, ut ſi concedatur ſub conditione, vel potius uſque ad certi temporis adventum ut *donec meſſis veniat*. Privilegium perpetuum, ſemper eſſe reale docet Caſtropal. cit. §. 2. n. 1. & hoc ſolùm contingit, quando adhæret rei, de ſe perpetuæ, conceditur que abſque temporis limitatione. Tale privilegium eſt, quod conceditur monaſterio, Eccleſiæ, vel loco pio, c. *quæ ſemel*, 19. q. 3. item, quod conceditur dignitati, officio, & muneri, quod tranſit in alios; quia ſic ſucceſſione

ipsâ perpetuatur. Quæ autem certo hominum generi conceduntur (quæ supra diximus esse realia) Pirhing hìc n. 6. vocat *mixta*; quia conceduntur personis sic, ut multum de natura realium participent. Tale est privilegium ex Senatus Cons. Vellejano, concessum fœminis; ne ex sua fidejussione obligentur, vel ex S. C. Macedoniano concessum filiisfamilias; ne ex mutuo sine consensu Patris accepto obligentur. Sed cùm concedantur potissimum ratione rei v. g. sexûs, ætatis, statûs, rectius realia dicuntur.

1171 Quæres 3. quale privilegium censeatur *gratiosum*, vel *remuneratorium*? Ante resolut. not. quòd concedens privilegium, in eo concedendo possit se dupliciter gerere. 1. *cum respectu ad merita*, tanquam merita, seu tanquam pretium sic, ut in eorum quasi compensationem & satisfactionem privilegium concedat. 2. *merè gratiosè*, sic, ut licet consideratione meritorum *impellatur* ad concedendum, concessio tamen fiat merè liberaliter liberalitate excludente non tantùm obligationem concedendi; sed etiam redditionem meriti, pro eo, quod conceditur. Privilegium primo modo concessum dicitur *remuneratorium*; secundo modo, *merè gratiosum*. Illud hic nota, in literis revocatoriis, vel derogatoriis privilegiorum sub clausula generali: *non obstantibus privilegiis*, non tolli privilegia, quæ oneroso titulo comparata sunt. Sic Barb. de clausulis usu frequent. clausul. 83. n. 9. Sanchez de matrim. l. 8. D. 33. n. 3. privilegium autem remuneratorium censeri inter comparata titulo oneroso. Utrumque autem privilegium indifferens est, ut sit personale, vel reale; nec ex eo rectè personale dicitur, quia merita sunt *personæ*; hæc enim non sunt immediatum, seu directum subjectum concessionis, sed quandoque tota familia, Religio &c. quo casu privilegium, quantumvis remuneratorium, erit reale, ut rectè docet Gibalinus cit. q. 6. n. 2. ex Suarez l. 8. de legibus, c. 4. n. 8.

1172 Quæres 4. quale privilegium sit *conventionale*, vel *purum*? R. Conventionale privilegium esse, quod ex conventione, & pacto conceditur; quod sine his, dicitur *purum*, ut purum opponitur conventioni, & pacto. Nec privilegio nocet, *esse debitum ex pacto*, sed solùm, *esse debitum disponente jure*; in dubio autem, an privilegium conventionale sit reale, vel personale, regulariter censendum est reale, cùm sortiatur rationem contractus; remuneratorium autem personale, cùm ut plurimùm merita, in quibus fundatur, sint personalia; quod tamen intellige juxta num. præced.

Quæres 5. quid sit privilegium *affirmativum*, quid *negativum*? R. quando privilegium concedit facultatem ad aliquid faciendum, *affirmativum* dici, ad aliquid autem omittendum, *negativum*. Inter hæc discrimen est, quòd privilegium *affirmativum* aliquando sit contra jus commune (ut est facultas ingrediendi monasteria Monialium) aliquando præter jus commune, seu ab illo non concessum, ut est facultas eligendi confessarium, lucrandi indulgentias: negativum autem semper est contra jus certum, vel dubium, ut includatur æque privilegium declarativum, ac concessivum, ut supra dixi. 1173

Quæres 6. quid sit privilegium *commune*, quid *singulare*? R. privilegium *commune* dici, quod ob finem boni communis *immediatè* conceditur; quod autem ob bonum alicujus singularis immediatè conceditur, esse *singulare*. Dixi *immediatè*, nam mediatè, seu ultimatè utrumque respicit bonum commune, etiam illud, quod singulari personæ, vel loco conceditur, nec ob id est privilegium commune. Cœterùm privilegium commune, juxta datam definitionem, per se immediatè conceditur communitati, & indead singulos derivatur, non quia singuli sunt, sed quia partes sunt illius communitatis, quale est *privilegium fori*, concessum Clericis, ne ad tribunal seculare trahantur. Et ideo privilegio communi nemo particularis potest renuntiare ex c. *si diligenti*, de foro competente, ibi: *manifestè patet, quòd non solùm inviti, sed etiam voluntarii paciſci non possint, ut* (Clerici) *secularia judicia subeant; cùm non sit hoc beneficium personale, cui renuntiari valeat; sed potius toti Collegio Ecclesiastico sit publicè indultum, cui privatorum pacto derogari non potest*, &c. *contingit*, 36. de sent. excommun. ibi: *cùm ille canon non tam in favorem Clerici ordinati, quàm in favorem ordinis Clericalis fuerit promulgatus; ideo, & volumus, & mandamus, ut id de cætero prohibeas attentari, nimirum* subjectionem Clerici in percussionem etiam non violentam, quo alteri offenso satisfiat juxta morem illius patriæ. Privilegio autem 1174

singu-

ſingulari, ſeu in commodum perſonæ particularis conceſſo cadere quivis poteſt, L. *ſi quis in conſcribendo*, C. de pactis. Excipe, niſi privilegium conceſſum in gratiam unius, etiam alterius commodum, vel pœnam reſpiciat; quia tunc requiritur utriuſque conſenſus, ut patet ex præmiſſis, & c. *Ad Apoſtolicam*, 16. de Regularibus, ubi dicitur: quòd, licet profeſſioni religioſæ præmitti debeat annus probationis, idque *in favorem non ſolùm Converſi, ſed etiam Monaſterii*, ut & ille aſperitates iſtius; & iſtud mores illius valeat experiri, ſi tamen ante tempus probationis regulariter præfinitum, *is, qui converti deſiderat*, habitum recipit, & profeſſionem emittit, *Abbate per ſe, vel per alium profeſſionem recipiente monaſticam, & monachalem habitum concedente, videri utrumque renuntiare ei*, quod pro ſe noſcitur introductum, verumque Monachum eſſe cenſendum. Et ideo uxor, ſine conſenſu viri ſui, non poteſt renuntiare privilegio S. C. Vellejani; quia conceſſum eſt in favorem utriuſque.

1175 Quæres 7. quid ſit privilegium *favorabile*, quid *odioſum?* R. privilegium *favorabile* juxta communem cenſeri, quod ſic favorem continet, ut licet juri communi opponatur, nulli tamen alteri incommodum afferat; *odioſum* autem, quod ita favet privilegiato, ut ſimul alteri noceat. Exemplum privilegii favorabilis eſt, privilegium audiendi Miſſam tempore interdicti, veſcendi carnibus in quadrageſima: e contra exemptio à ſolutione decimarum, facultas habendi ſimul plura beneficia; reſcriptum ad lites, præſertim cum poteſtate procedendi *remotâ appellatione*, ſunt privilegia odioſa. Sic Panormit. in c. *quia*, de privil. & c. *olim*, de V. S. Azor l. 5. c. 23. q. 2.

1176 Quæres 8. quid ſit privilegium *ſcriptum*, quid *non ſcriptum? illud* eſſe, quod per ſcripturam conceditur; *non ſcriptum*, quod verbo Principis eſt conceſſum, vel conſuetudine introductum. Ad hoc autem, ut privilegium ſcriptum in foro externo probet, ſeu fidem faciat, requiritur, quòd ſit authenticum, & obſignatum Principis ſigillo; ut verò quis ex authentico deducat tranſumptum, requiritur citatio partis, cujus intereſt; alias tranſumptum non faciet fidem. Si autem nulli ſpecialiter opponatur privilegium, ſufficit edictum generale, ut, ſi quis fortè ſit, cui tale privilegium opponitur, compareat ad contradicendum, ut colligitur ex c. *Albericus*; de Teſtib. ſed hæc de Jure antiquo. Nam ex conſtitutione Clementis V. jam in omnibus privilegiis, præſertim conceſſis Religionibus, apponitur clauſula: *ut tranſumptis, etiam impreſſis habeatur integra fides*, modò ſint manu Notarii publici ſubſcripta, & ſigillo perſonæ in dignitate conſtitutæ munita. Imò, ut notat Emmanuel Rodriq. tom. 1. Quæſt. Regul. q. 8. a. 16. ex conſtitut. Jul. II. ſufficit *alterutrum*, ſcilicet, vel ſubſcriptio Notarii publici, vel ſigillum perſonæ in dignitate conſtitutæ. Hoc autem privilegium non cenſetur revocatum, etiamſi ſubſequentes Pontifices utrumque ad faciendam fidem exigant; quia ſubintelligitur, niſi aliud ſit ſpecialiter conceſſum, ſic Emmanuel cit.

Advertendum præterea, etiam con- 1177
ſuetudine privilegium comparari poſſe, ut docet communis apud Caſtropal. cit. §. 5. n. 2. nam legis abrogatio eſt verè privilegium: Conſuetudo autem legalis vim habet abrogandi legem, ſi de communitate procedat. Nec obeſt ad omne privilegium requiri favorem, ſeu conſenſum Principis. Nam ad hoc ſufficit conſenſus expreſſus in Lege, *de quibus*, ff. de Legibus, & c. *ult.* de conſuet. ubi exprimitur caſus prædictam vim tribuens conſuetudini, ad quam ex communi ſufficit legalis conſenſus Principis, de quo V. l. 1. tit. de Conſuetud. Talia porrò privilegia, quæ conſuetudine acquiſita ſunt, non cenſentur revocata, revocatione privilegiorum; cùm enim ea revocatio ſit odioſa, reſtringi, & intelligi debet de privilegiis ſpecialiter à Principe conceſſis. Ita Suarez l. 8. de Legibus, c. 7. n. 10. & 15.

Quæres 9. quid ſit privilegium datum 1178
pro foro conſcientiæ tantùm, & *datum pro foro fori?* R. privilegium, datum pro foro poli, ſeu conſcientiæ tantùm, id habere, ut vi ejus privilegiatus pro alio, quàm foro interno, nihil poſſit operari, ſed exterius ſe gerere debeat, acſi nullo privilegio gauderet: quod autem etiam in foro externo operatur, ſeu ſecurum reddit operantem juxta illud, eſſe datum pro foro externo. Si petas, *an privilegium datum pro foro conſcientiæ, intelligi debeat, tanquam datum pro foro Sacramentali?* Ante reſolutionem nota, triplex forum communiter diſtingui ab Authoribus. 1. contentioſum; 2. pœnitentiæ, 3. quaſi pœniten-

tiæ, seu forum conscientiæ. Sic Præpositus in c. *præterea*, & c. 2. de sponsalib. n. 5. *Forum contentiosum* est, in quo etiam contra invitum proceditur judicialiter, recipiendo probationes, testes, &c. *Forum pœnitentiæ* (licet includat etiam forum *Sacramentale*, seu *Confessionis*) ad hoc tamen non restringitur unicè; sed etiam includit actus pœnitentiæ Ecclesiasticæ, cùm pœna Ecclesiastica, & absolutio ab illa sæpe detur extra confessionem, & forum Sacramentale. *Forum* autem *conscientiæ* importat solum occultum usum, non deservientem foro judiciali; quibus positis, ad quæstionem propositam. R. negativè. Sic Thomas Sanchez de matr. l. 8. D. 34. n. 29. Nam *forum conscientiæ*, & *forum Sacramentale* non sunt idem; cùm quis plura possit exercere in occulto de Principis licentia & gratia, quin ullus actus Sacramentalis interveniat; ergo privilegium datum pro *foro conscientiæ* non rectè restringitur ad *forum Sacramentale*.

1179 Si autem quæras, an privilegium datum *pro foro pœnitentiæ*, necessariò intelligatur *pro foro sacramentali*? R. quòd affirmet Sanchez cit. Præpositus cit. Rodriq. tom. 1. quæst. Regul. q. 61. a. 10. Sed rectius negatur cum Castropal. cit. de privileg. tr. 3. D. 4. p. 2. §. 5. n. 6. *forum enim pœnitentiæ*, & *forum Sacramentale* non dicuntur convertibiliter, ut constat ex num. præced. Nam pœnitentia Ecclesiastica sæpe extra confessionem Sacramentalem imponitur, ut cùm aliquis ab excommunicatione solenniter absolvitur. Talis enim absolutio pœnitentialis est, & in foro pœnitentiæ datur, & tamen non datur in foro Sacramentali.

1180 Dices: hoc modo forum pœnitentiæ, à foro conscientiæ non differre. R. N. illatum; quia forum *conscientiæ* comprehendit, quidquid ad conscientiam pertinet, quod non solùm importat remotionem cujuscunque mali, vel peccati; sed etiam concessionem boni, & favorum, quorum capax est: forum autem *pœnitentiæ* comprehendit solùm culpam, vel malum aliquod, & vinculum, pro quo tollendo pœnitentia facienda est. Cùm autem hoc vinculum, & malum sæpe tolli possit extra Sacramentum pœnitentiæ, clarum fit, privilegium concessum *pro foro pœnitentiæ*, non semper importare forum Sacramentale, nisi quando malum tale est, ut tolli non possit, nisi confessione Sacramentali, quod malum solum est peccatum, non autem censura, & pœna. Ex hoc colliges, quòd, etiamsi privilegium, seu indultum committatur *Sacerdoti Confessori*, vel qui audit confessiones, non debeat ob id intelligi illius usum necessariò debere exerceri *in Sacramento pœnitentiæ*. Nam per illa verba solùm indicatur *qualitas personæ eligendæ* ad usum illius indulti; non autem *actualis usus confessionis*, ita Suarez l. 8. de legib. c. 6. n. 15. Sanchez de matrim. l. 8. D. 34. n. 29. Colliges 2. quando in Trid. Sess. 24. c. 6. de Reform. Episcopis conceditur potestas absolvendi in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus, & quibuscunque casibus occultis *in foro conscientiæ*, injunctâ salutari pœnitentiâ, hoc non necessariò intelligi de foro sacramentali, sed etiam extra Sacramentum imponi posse illam pœnitentiam, & illius absolutionis executionem; patet ex dictis. Ita Castropal. cit. p. 2. §. 5. n. 5. in fine.

Quæres 10. quid sit privilegium concessum *ad instantiam partis*? quid *motu proprio*? R. quando ad instantiam ipsius privilegiati, vel alterius, ratione ipsius petentis, Princeps concedit privilegium, aliàs non concessurus, dici *ad instantiam partis*; quando autem concedit non motus ab alio, sed à se ipso, quin ad hoc moveatur ex alicujus alterius intercessione, dici concessum *motu proprio*. Unde *motui proprio* non obstat, quòd vel ipse privilegiatus, vel alius pro ipso tale privilegium petierit. Nam adhuc stat quòd Princeps petitum privilegium concedat, non quia petitum est, sed quia sibi sic visum est concedere, sicut petitum est. Ita Menochius l. 2. de arbitrar. centur. 3. casu 201. n. 97. Thom. Sanchez l. 8. de dispensat. d. 1. n. 6. Suarez cit. c. 12. à n. 6. Nunquam autem censetur privilegium *motu proprio* concessum, nisi hoc ipsum Princeps exprimat in concessione, ut deciditur in c. *si motu proprio*, de præbend. in 6. ibi: *motu quoque proprio tunc solùm gratia fieri censeatur, cùm hoc expressè cautum fuerit in eadem*, quia aliàs constare non potest hæc universalis negativa: *à nullo moveri Principem in concessione*. Si tamen semel Princeps expressit, se concedere *motu proprio*, bene probari potest per testes, qui vel ipsum verbum Principis audierunt, vel in scripto legerunt, etiamsi tale scriptum postea casu fortuito perierit.

Not.

1182 Not. autem concessionem factam à Principe, posse quandoque laborare vitio, ratione cujus sit invalida, & nulla; hoc contingit, cùm in supplicatione committitur vel vitium subreptionis (hoc est, cùm intervenit taciturnitas veritatis necessariò exprimendæ) vel vitium obreptionis, hoc est, cùm in supplicatione exprimitur falsum. Sic si quis Papæ supplicet pro concessione beneficii, exprimendo esse beneficium *simplex*, cùm tamen sit *curatum*, committitur obreptio; similiter si petens jam habeat aliquod beneficium, & in supplicatione id non exprimat, committitur subreptio, quia in primo narratur falsum, in secundo tacetur verum, quod erat necessariò exprimendum. Unde quæstio est, an clausula *motûs proprii*; apposita concessioni privilegiorum, habeat vim sanandi dictum vitium, seu impediendi nullitatem aliàs subintraturam? R. quòd (licet exprofesso jam egerim de hac quæstione l. 1. decretalium tit. 3. de rescriptis) per dictam clausulam tollatur vitium *subreptionis*, ita communis, & constat ex c. *si motu*, de præbend. in 6. ibi: *si motu proprio alicui aliquod beneficium obtinenti conferamus aliud, de illo non habitâ mentione, gratiam hujusmodi, quæ de nostra mera liberalitate processit, non ob hoc invalidam volumus reputari.* Idem dicitur in Clem. *Si Romanus*, de præbend. quæ sic loquitur: *Si Romanus Pontifex de beneficio alicui, motu proprio, provideat, de beneficiis, quæ obtinet, non habitâ mentione, provisionem seu gratiam hujusmodi fore validam declaramus, qualiacunque fuerint beneficia, dignitates, aut personatus, cum cura, & sine cura, & in numero quantocunque, quæ is habebat, cùm sibi provisio facta fuit.* Cœterùm dicta clausula *motûs proprii* non sanat vitium *obreptionis*; ita Pirhing de rescript. n. 111. quia sic narrata continent positivum errorem, atque adeo in concedente arguitur defectus consensûs; nam *errantis non est consensus*, ut dicitur L. *non idcirco*, C. de juris & facti ignorantia, V. Barbos. de clausul. usufreq. clausul. 79. n. 23. Advertendum tamen, quòd, licet *motus proprius* à concessione tollat vitium *subreptionis*, & consequenter eo titulo ejusmodi concessio non irritetur; tamen ex aliis causis, & vitiis, quæ *motus proprius* non tollit, irrita esse possit, v. g. ex inhabilitate personæ, &c. Unde etiam non operatur in præjudicium tertii, ut constat ex Barbosa cit. ibidem plurimos hujus clausulæ effectus referente.

Quæres 11. quid sit privilegium *con-* 1183
cessum absolutè, vel *sub conditione*, aut *modo*? R. quando privilegium conceditur sine ullo onere accipientis, vel eventu, a quo concedentis voluntas pendeat, dici concessum absolutè: si autem cum aliquo ejus onere ab ipso præstando, vel ejusmodi eventu, concessum dici sub conditione, vel modo; sed difficultas est, an omissio talis operis præstandi, usum privilegii, sub onere talis operis concessi, reddat irritum? R. vel exigitur, ut opus illud præstetur *ante usum* privilegii, vel sufficit, *si fiat post*? si primum? communis opinio tenet, illum usum privilegii esse irritum, quia tunc concedens censetur concedere sub conditione illius operis, quo non posito deficit consensus concedentis, atque adeo privilegium non operatur effectum. Ita Suarez l. 3. c. 13. à n. 4. Si autem secundum? usum valere; excipe, nisi opus postulatum jure insit privilegio, & petatur à jure, tanquam forma actus, non ut merum accidens; quia sic jam supponitur usus legitimus, cùm non petat opus illud fieri *ante usum* privilegii. Sic tempore Jubilæi absolutus, validè absolutus est, licet postea non præstet opera reliqua in Jubilæo præscripta, & absolutus à reservatis cum onere se sistendi manet absolutus, licet postea se sistere omittat, quamvis peccet, &, ut ab hoc se liberet, se sistere debeat. Hinc si alicui detur privilegium v.g. dispensandi, vel absolvendi aliquem, *cum consilio alicujus*, & is omittat ante dispensationem, vel absolutionem petere consilium, dispensatio, vel absolutio sic facta est nulla; quia *consilium petere*, naturâ suâ antecedit actum, ex c. *cùm in veteri*. 52. de elect. ibi: *si in tractatu electionis non fuisset illorum consilium requisitum, nec etiam exspectatum responsum eorum, quod de ipso factum fuerat, tanquam invalidum irritarent.* Ex hoc autem, quòd quis teneatur consilium petere, ut validè tunc agat, non sequitur, quòd debeat illud sequi; nam hoc non est inclusum in illo. Sic Gloss. in cit. c. 52. Secus tamen est, si detur privilegium aliquid agendi, *cum: vel de consensu alterius*; tunc enim ad valorem operis necessariò sequi debet ejus beneplacitum; aliàs enim opus non fieret *de illius consensu*, sed potius cum dissensu vel non consensu, Gloss. in c. *si*

pro te, de rescript. in 6. V. *assensu*; & in c. *ex parte*, de constitut.

1184 Quæres 12. quid sit privilegium *ad instar*? R. esse privilegium, quod datur respectivè, & ad imitationem alterius; quibus vocibus non significatur *similitudinarium* duntaxat, & *fictum privilegium*, & quod jus duntaxat fictum conferat: est enim verum privilegium, quod ad perfectam quandam alterius imitationem confertur, verumque jus, quod ipsius exemptoris loco habet; quanquam, quia aliquando in exemplari, ad cujus instar aliud datur, est naturalis aliqua conditio, aut proprietas, vel ex origine, vel ex antiquo, & ordinario jure, quæ non est in exemplato, nisi ex privilegio, tunc privilegium *ad instar* dicitur constituere aliquid in privilegiato *fictione juris*, ad instar sui exemptoris, quomodo privilegium legitimationis dicitur ad instar legitimorum: non facit autem legitimum privilegiatum nisi fictione juris, quod tamen accipe juxta lib. 4. tit. 17.

Hac ratione intelligendus est Pius V. in Bulla, *dum indefessæ*, qua concedit privilegia Ordinum Mendicantium Societati JESU, *non solùm ad illorum instar, sed fermè pariter, & æquè principaliter*: quia cùm jam declarasset Societatem esse Mendicantem, ne quis existimaret, illam tantùm hoc habere ex fictione juris, & privilegio, atque idcirco concedi illi Mendicantium privilegia, solum ad similitudinem, & instar verarum Mendicantium Religionum, expressit se ea privilegia juri conformiter, & *æquè principaliter*, & absque ulla differentia concedere. Loquimur autem de privilegio *ad instar* in ordine ad jus, quod confert; quod verum, & non tantùm similitudinarium esse dicimus, illisque verbis nihil aliud præter perfectam, & adæquatam imitationem indicari.

Ex dict. sequitur 1. quòd aucto exemplari, non augeatur privilegium *ad instar*; quia fuit concessum ad instar alterius privilegii, *tunc existentis*; non autem, *futuri*: neque enim imitatio est rei nondum existentis, sed extituræ; nisi exprimatur, ita concedi *ad instar*, ut semper & ubique inter ejusmodi privilegiatos futura sit in privilegiis similitudo & æqualitas; Sequitur 2. aucto privilegio *ad instar*, non augeri privilegium exemplare; quia sunt simpliciter diversa, & sola similitudo rationis ad extendenda privilegia non valet. Quarè licet exemplatum ad futura quædam extendatur, non tamen exemplar; & destructo, revocato, aut quomodolibet amisso exemplari, non perit aut revocatur exemplatum, seu *ad instar*, quia diversa sunt, neque exemplatum pendet in conservari ab exemplari, neque etiam confirmato exemplari confirmatur *ad instar*, aut per communicationem, nisi communicatio sit de privilegiis concessis, aut *concedendis*. Fusè Suarez l. 8. de legib. c. 19. à n. 8.

Sequitur 3. quòd, si nullum sit privilegium, *ad cujus instar* aliud fuit concessum, si exemplatum sit tantùm expressum generale, nullum esse, quia habetur tunc concessio duntaxat generalis, quæ ad nulla particularia determinari debet, ac proinde ad actiones morales, & humanas inutilis est. Si autem in illa concessione exprimantur singillatim favores & gratiæ, quæ conferuntur, sicut aliàs concessa sunt aliis, & *ad instar* earum, valebit quoad ea, quæ exprimuntur; quia particula *sicut*, vel *ad instar*, non conditionalis, sed exemplificativa, & demonstrativa est. Cùm itaque voluntas concedentis absoluta sit, & non conditionata, ac proinde non pendeat ab exemplari, & aliunde sit determinata concessio, non est, ut annulletur privilegium illud, etsi exemplar quod ad majorem duntaxat exemplificationem, aut ne nova videatur concessio, non reperiatur.

Quæres 13. quid sit privilegium *per viam communicationis*? R. sæpè fieri, quod communicetur alicui privilegium alteri concessum, & hoc contingere tripliciter. 1. per extensionem subjecti, cui concessum est, v. g. si augeatur numerus earum personarum, quibus privilegium primitus concessum est. 2. Per extensionem subjecti non principaliter, sed secundariò; qualiter privilegium concessum viris Religiosis, extenditur ad Moniales, & concessum Domino, extenditur ad ejus servos, saltem accessoriè, non tamen æquè principaliter. 3. Demum, quando alicui conceditur, ut gaudeat eodem privilegio, quod habet alter. Et hæc communicatio postrema vix differt à privilegio *ad instar*. Quod igitur alicui hac ratione indulgetur, dicitur concessum viâ communicationis.

Ubi tamen not. 1. quòd, quando una Religio in privilegiis cum altera communicat, non tamen communicet nisi in privilegio illius Religionis, ex quo propria obser-

observantia Regularis non minuitur; ita Suarez lib. 8. cap. 17. àn. 3. non enim debet esse in detrimentum, quod in favorem conceditur. Not. 2. quando in privilegiis, uni Religioni concessis, *specialiter cavetur*, ne hoc, vel illud censeatur alteri communicatum, eò ipso non communicari alteri, aliàs in privilegiis cum ea Religione communicanti, nisi expresè illi prohibitioni derogetur; ita Suar. cit. n. 6. Quia tunc in concedente deficit voluntas respectu exclusorum. Not. 3. Privilegium, viâ communicationis alteri concessum, debere intelligi secundùm statum, quem habuit tempore communicationis, nisi addatur clausula, extendente privilegium communicationis, non solùm ad concessa, sed etiam *in futurum concedenda*; uti fecit Pius V. in bulla *cùm indefessæ*, ubi Societati nostræ concessit, non solùm omnia privilegia aliis Religionibus concessa, *sed & concedenda.*

1186 Quæres 14. Quid sit privilegium concessum *in forma communi*, vel *ex certa scientia?* Hoc contingit solùm in privilegiis, jam concessi, confirmatione, quam facit Princeps dupliciter. 1. exprimendo in confirmatione privilegii, *se id facere ex certa scientia* (nimirum cognoscendo qualitatem & circumstantias privilegii, quod confirmat) vel id non exprimendo; si confirmet; primo modo dicitur *ex certa scientia*; si secundo, dicitur *in forma communi.* Dixi exprimendo, *se id facere ex certa scientia*, nimirum his ipsis verbis: *ex certa scientia*, vel saltem æquivalentibus; qualia sunt hæc: *non obstante quâlibet aliâ lege contrariâ, vel de plenitudine potestatis*; vel denique, si confirmationi inseratur ipse tenor privilegii, quod confirmatur; sic gloss. in c. *Venerabilis* de confirmat. utili: Bartol. in L. *privilegia*, C. de sacrosanctis Eccles. Suarez lib. 8. de legib. c. 18. à n. 5. Per confirmationem autem *in forma communi* privilegium solùm approbatur, prout tunc est; sic, ut si nullum sit, etiam confirmatio nulla sit; &, si valet, id solùm habeat, quod habet, adeoque nihil novi juris tribuat, nihil revalidet, & relinquat rem, prout eam invenit.

1187 Si petas, quam vim habeat clausula *ex certa scientia?* R. quod Barbosa de clausulis usu frequentatis, clausulâ 59. satis multos illi effectus attribuat. Dicit enim, quòd renovet privilegium jam amissum; actum nullum, & invalidum confirmet, & idem operetur, quod clausula *de plenitudine potestatis*; & idem, quod clausula *pro expressis habentes.* Item, quòd operetur quoque in tollendo jus alteri quæsitum, si præjudicium non sit magnum, & præcessit causæ cognitio, & tertius fuit citatus; quòd contraria censeantur oblata, etiam absque clausula derogante, 3. quod concessio Principis non extinguatur morte concedentis. 4. Quòd cum hac clausula de plenitudine potestatis operetur validitatem, & sanationem, etiam circa defectum intrinsecum. 5. Quòd tollat omne juris obstaculum. 6. Quòd apposita confirmationi privilegii, præstet novam concessionem. 7. Quòd nullus audiatur, contra factum Principis *ex certa scientia.* 8. Quòd tollat omnem erroris præsumptionem.

Limitat tamen prædicta 1. quod clausula *ex certa scientia* nihil operetur, quando nulla præcessit causæ cognitio 2. quòd non operetur in his, quæ in facto consistunt, de quibus Princeps præsumitur nullam habuisse notitiam 3. quod nihil operetur in his, in quibus in Principe deficit potestas; nec ubi adest duplex defectus; nec in his, quæ sunt contra æquitatem naturalem; nec ubi constat de errore, nec quando constat rem aliter se habere 4. quod prædicta clausula non suppleat erroneam, & falsam informationem, nec purget falsitatem narratorum; nec suppleat defectus substantiales, saltem juris naturalis; nec operetur in præjudicium concedentis, quoad non expressa 5. nec, quando Princeps non informatus processit, tollat vitium subreptionis, nec operetur in dispensationibus sinè causa factis, nec demum in illicitis, cùm hæc confirmari non possint sic Barbos. cit. à n. 29.

Circa dictos effectus mihi dicendum videtur, quando privilegium laborat de- 1188
fectu, supplebili per potestatem ejus, â quo vel confertur, vel confirmatur, aut, quantum opus est innovatur cum clausula *ex certa scientia*, per talem concessionem omnino suppleri ejusmodi defectum ab illo supplebilem, quo cæteroquin stante, spectato jure communi nullum foret. Cùm enim hæc clausula significet, concedentem procedere in concessione, confirmatione, vel innovatione *ex certa scientia*, seu notitia omnium eorum, quæ jure communi necessaria sunt, ut ejusmodi concessio valorem, ac licitum ejus usum obtineat (hoc enim concedens per verbum

bum *ex certa scientia* significat) &, quòd exprimit, efficaciter concessum velit, eo ipso tollit omnem obicem à se tollibilem, qui alioquin de jure communi valori concessionis obesse posset. Dico 1. *de jure communi.* Nam quæ pendent à statutis locorum, aut particulari consuetudine, scire non præsumitur; Dico 2. *nisi casus esset alio jure exceptus.* Nam etsi verum sit, quòd motus proprius sanet vitium *subreptionis*, quando Pontifex aliquid in causis *beneficialibus* concedit ex sua liberalitate, excipitur tamen concessio *ad instantiam* ut expresse dicitur in c. *Si motu*, 23. de præbend. in 6. ibi: *secùs, si ad petitionem illius, vel alterius pro eod. oblatam gratiam hujusmodi facimus, tunc enim quantumcunque modicum beneficium taceatur, in ea, ipsam veluti surreptitiam vires obtinere* nolumus.

1189 Ex hoc colliges, privilegium, si fortè usu, vel aliâ viâ sit amissum, confirmatum à Principe cum clausula *ex certa scientia*, rursum innovari, ita Castropalaus p. 1. d. 4. p. 2. §. 10. n. 3. Cùm enim cognoscat defectum, & nullitatem privilegii confirmandi (hoc enim significat per illam clausulam) &, hoc non obstante, tamen confirmet, hæc confirmatio utique novæ concessioni debet æquivalere; cùm possit, & intendat illi dare firmitatem quoad possit, aliàs intenderet facere actum superfluum, inutilem, & frustraneum. Hoc tamen juxta Suarez l. 8. c. 19. n. 4. non procedit, si ei per privilegiatum sit *renuntiatum*, vel si *specialiter sit revocatum*, nisi exprimatur renuntiatio facta, vel mentio fiat talis revocationis, quia, cùm hi actus sint res specialis pertinens ad factum, censentur non esse cogniti, sed ignorati Confirmanti per c. 1. de constitut. in 6. Verùm cùm Suarez c. 18. n. 5. dicat, responsionem principio datam procedere etiam in hoc casu, modò confirmans addat clausulam, *non obstantibus &c.* vel *de plenitudine potestatis*: videtur probabilius illud dicendum, etiam in casu prioris clausulæ. Nam hæc clausula illi æquivalet secundùm multos, & quod contra hoc ponit Suarez, etiam reperitur appositis illis clausulis, ut patet consideranti. Utrobique autem significat, *se velle efficacem concessionem ejus, quod confirmat*, quo tacitè innuit, se tollere omnem defectum, quoad potest, qui obstaret valori. Et ideo à fortiori, privilegia prius concessa, & postea generali revocatione sublata, per posteriorem Pontificem, secutâ rursum eorum confirmatione *ex certa scientia* per successorem reviviscunt, vel potius de novo conceduntur.

Si autem privilegium foret revocatum à Concilio generali, non innovari ea per confirmationem *ex certa scientia*, nisi expresse derogatio hujus revocationis addatur, docet Castropal. cit. n. 4. citans pro eodem P. Suarez l. 8. de legib. c. 19. n. 3. &c. eo quòd majori revocatione indigeat, quod majori authoritate est firmatum: Sed hoc complures negant, ut ostendimus l. 1. de constit. qui docent, ut per constitutiones Apostolicas derogetur decretis Concilii generalis, etiam Tridentini, non esse necessariam derogationem *cum expressa mentione talis Concilii*; sufficereque clausulam generalem: *non obstantibus constitutionibus Apostolicis*, cùm ipsum Tridentinum Sessione 25. de reform. c. 21. *in omnibus decretis* voluerit, *salvam semper esse Sedis Apostolicæ auctoritatem*, de quo videri potest Barbos. in cit. c. 2. plures pro hac sententia adducens.

Si quæras, an privilegium in re invalidum, quod confirmandum proponitur, innovetur, vel evadat validum secutâ illius confirmatione *ex certa scientia?* ℣. distinguendum, an in principio fuerit validum, & vel postea invalidum, vel sublatum uno ex prædictis modo? vel etiam irritum, & nullum in principio factæ confirmationis? in primo casu affirmandum est juxta dicta à n. 1188. in secundo autem casu negativam sequitur Castropal. cit. n. 4. si nullitas ortum habeat ex falsa causa, nisi confirmans adderet expresse, *non obstante subreptione priori*, id, quod in tali casu rectè dicitur, quia non potest præsumi, Princeps velle dare firmitatem privilegio impetrato ex falsa causa; seu, quod idem est, ex causa nulla, & prius nunquam concessa: secùs tamen foret, si nullitas privilegii semel concessi facto, aliunde proveniret, ex vitio non redundante in actum confirmationis, sicut fieret, si falleretur in causa motiva, & finali.

Notandum præterea 1. quòd, quando 1190
privilegium confirmandum inseritur confirmationi, cum clausula *ex certa scientia*, confirmatio probabilius valeat in vim novæ concessionis, nisi privilegium prius nullum sit; ita Castropalaus cit. n. 5. Not. 2. quod clausula: *ut omnes defectus juris, & facti*

facti ſuppleantur, æquivaleat clauſulæ *ex certa ſcientia*. Sic Caſtropal. cit. n. 6. Not. 3. ex Alviſet. de privil. ſect. 1. c. 4. n. 9. omnia privilegia Regularium, eſſe à Summis Pontificibus confirmata *motu proprio*, & ſub aliis clauſulis efficacioribus; & cùm ab Urbano VIII. an. 1633. confirmarentur, hæc addita fuiſſe verba: *quatenus ſunt in uſu, & non adverſantur Tridentino, & Sacris canonibus*. Circa quæ Not. 4. ut aliquod privilegium dicatur *in uſu*, non requiri, quòd ſit in uſu *in omnibus ordinibus*, ſeu *ordinum Monaſteriis*; Sed ſufficere, ſi in aliquo; Sic Alviſet. cit. n. 13. Not. 5. per illam clauſulam: *modò non ſint contraria Tridentino*, eo ipſo ſignificari, quòd privilegia aliis Conciliis contraria, vi dictæ confirmationis, factæ ab Urbano VIII. *motu proprio*, & *ex certa ſcientia*, ſint ſpecialiter confirmata; & ſi prius fuiſſent antiquata, fuiſſe rurſum innovata. Not. 6. quantum ad ipſum Tridentinum, hanc clauſulam privilegiis Regularium non officere in illis terris, & provinciis, in quibus non fuit receptum; quia illa exceptio, appoſita in confirmatione privilegiorum fuit, ad Concilii, & decretorum ejus manutentionem; manuteneri autem non poteſt, quod non extat. Addit Alviſet. cit. n. 16. licet in aliqua diæceſi Epiſcopus, aut Abbas, conetur introducere tridentinum, & ſe illius diſpoſitionibus conformare, adhuc prædictam limitationem nihil obſuturam; quia privata voluntas particularis non facit Concilium eſſe receptum. Not. 7. illam clauſulam: *modò non ſint contraria ſacris cononibus*, non referrri ad ſacros canones in corpore juris Canonici, ſed ad clauſulam præcedentem de Tridentino, ut ſenſus ſit: *modò non ſint contraria Tridentino, & ſacris Canonibus ejusdem Concilii.*

ARTICULUS III.

De Conditionibus Privilegiorum.

1191 QUamvis ad valorem privilegii in foro conſcientiæ non requiratur Scriptura, ut diximus ſupra; (unde, cùm dicitur, *ante literarum expeditionem, privilegium, ſeu gratiam eſſe informem, & imperfectam*, intelligitur in ordine *ad judicium*; non in ordine ad forum conſcientiæ. Sic Caſtropal. cit. de privileg. tr. 3. D. 4. p. 3. §. 1. n. 2.) requiri tamen ſcripturam in beneficiis collatis, confirmatis, vel unitis à Sede Apoſtolica, ut eorum poſſeſſio capiatur, dicitur Extravag. *Incurriſti* de Elect. junct. conſtit. Pauli III. incipiente, *cùm nobis*, & Julii II. incip. *Romani Pontificis*. 2. in facultate non reſidendi in beneficiis curam animarum habentibus per Trident. Seſſ. 25. c. 5. de reform. 3. in facultate ingrediendi ſepta Monaſterii per idem Trident. cit. c. 1. 4. In Judicibus ſignatis à Pontifice, & ad judicandum electis, &c. V. Azor p. 1. l. 5. c. 2.

Secundò, ad privilegium, in quantum 1192
alios obligat, ne impediant privilegiatum in ejus uſu, requiritur promulgatio; nam reſpectu horum habet vim legis, ut diximus l. 1. tit. 2. de conſtitut. Sufficit autem pro foro conſcientiæ ea manifeſtatio, quæ virum prudentem, de illius conceſſione certum reddat; pro foro autem externo, quæ fiat inſtrumento publico. Suarez l. 8. de legibus c. 24. Tertiò requiritur poteſtas legitima in concedente. Unde privilegia diſpenſativa legis, ſeu contra jus, concedi ſolùm poſſunt à legislatore, neque aliis niſi ſubditis; ſi autem ſint conceſſiva facultatis, etiam non ſubditis. Ad privilegii *licitam* conceſſionem ſemper aliqua cauſa requiritur; ſecùs ad valorem, ſcilicet in his, quæ pendent ab ejus voluntate; aliud tamen eſt in indulgentiarum conceſſione; quia ſic diſponit nomine Chriſti, de meritis ejus, ac aliorum Sanctorum, cui Chriſtus ſine rationabili cauſa non præſumitur conſentire.

Si petas 1. an privilegium valeat pro 1193
omni loco concedentis? R. affirmativè, niſi ab hoc limitetur ad certum duntaxat locum: ſi autem privilegium ſit diſpenſativum alicujus impedimenti, privilegiatum reddit habilem pro omni loco, ac ſi impedimentum non fuiſſet; hinc etiam ſequitur, quòd, ſi uſus privilegii, tibi conceſſi, non ſit extra territorium concedentis prohibitus jure communi, vel ſpeciali conſtitutione illius loci, etiam in hoc illo poteris uti; ſecùs eſt, ſi obſtet legibus & conſtitutionibus, quæ contractum reſpiciunt, vel commune bonum talis loci; nam etiam peregrini ligantur his legibus juxta dicta l. 1. tit. 2. de conſtitut. Si petas 2. an, ſi quis habeat privilegium, ab Epiſcopo conceſſum, eo uti poſſit, ſi adverſetur ſpecialibus conſtitutionibus loci, per quem privilegiatus tranſit? R. eſſe probabilius quod non; ſecùs, ſi communibus.

Nam virtute privilegii ab obligationibus communibus exemptus est. Sic Castropal. de privilegiis, tr. 3. D. 4. p. 6. n. 6.

1194 Si petas 3. an quis *teneatur* uti suo speciali privilegio? videtur negandum ex c. *si de terra*, de privileg. quia, quod in alicujus favorem factum est, non debet in ejus odium, vel damnum retorqueri, ut dicitur regul. 61. de reg. juris in 6. Sed hanc universalem doctrinam limitant aliqui, ut non procedat in casu quo quis facto sibi privilegio subjicitur legi, cui prius subjectus non erat. Nam tempore interdicti excusatur quis à lege audiendi missam; si tamen quis per privilegium solvatur ab interdicto, tenetur audire; Sic Bonac. d. 1. q. 2. p. 4. Similiter conjunx, qui cum voto simplici castitatis, illicitè, validè tamen, contraxit matrimonium, innocenti petenti debitum licitè reddit; Si tamen hic adulteretur, ille per privilegium tali casu concessum liberatur ab onere reddendi, & tenetur non reddere, adeoque privilegio uti; ita Sanch. l. 9. de matrim. d. 6. n. 15. Verùm hæ instantiæ non evincunt, quòd quis teneatur uti privilegio sibi specialiter concesso. Nam quòd in dato casu conjunx, qui cum voto castitatis contraxit matrimonium, teneatur non reddere debitum alteri petenti, postquam hic commisit adulterium, non est obligatio ex vi privilegii, sed voti, quod obligat, quoties servari potest, ut contingit in dato casu. Similiter in altero casu nascitur obligatio audiendi missam, non vi privilegii, quo solveris ab interdicto; sed vi præcepti quo teneris ad audiendum sacrum, quando citra grave damnum potes.

1195 Si petas 4. an habens privilegium (v. g. *ne solvat decimas*) eo uti poterit adversus pariter privilegiatum, tum in eadem re (ut si etiam habet privilegium non solvendi decimas) tum etiam in re diversa, ut si habeat privilegium exigendi decimas à quolibet intra suum territorium existente, quin per hoc specialiter derogetur illius privilegio; nam in concessione generali, excepti censentur privilegiati. R. in privilegiis sibi contrariis, ubi non apparet via, ea in concordiam reducendi, videndum quod sit antiquius, vel à majori Prælato concessum? & illud prævaliturum. Ita Suarez l. 8. de legib. c. 23. à n. 5.

ARTICULUS IV.

De Interpretatione Privilegii.

PRivilegium claris verbis concessum, in- 1196
interpretatione non indiget; in dubio autem, menti, ac intentioni potius, quàm verbis inhærendum est, & concessio ex supplicatione colligenda c. *in his* de verbor. Signif. ibi: *non fermonis res, sed rei est sermo subjectus, & non intentio verbis, sed verba intentioni servire debent.* Ubi autem verba sunt obscura, & incerta, tunc supplicatio attenditur; nam Princeps precibus sibi factis se accommodare solet ex L. *si preces* ff. de legit. & c. *inter dilectos* §. *cæteri*, de fide instrument. Attendi quoque debet initium indulti, seu privilegii; quia juxta illud reliqua solent adjungi L. *ult.* C. de hæred. instit. Præterea ex materia (circa quam versatur supplicatio, & concessio) optimè investigatur mens Principis. Denique potest etiam colligi ex privilegio simili. Privilegium derogans juri communi, vel alteri nocens, secundùm hanc partem est odiosum; & quia frequenter, quod uni odiosum, alteri favet, privilegium tale mixtum erit juxta nonnullos; in re tamen simpliciter favorabile, si directè intendat favere accipienti; vel simpliciter odiosum, si gravare, punire, ut diximus à n. 724. & 735.

Etiam in privilegiorum interpretatio- 1197
ne servanda est verborum proprietas, quæ desumenda est ex usu, & stylo concedentis. Hinc privilegium minuendi numerum Ministrorum Ecclesiæ *ob penuriam*, non intelligitur concessum, ad eum *augendum*, etiamsi reditus crescant, quia *minuere* non significat propriè *augere*. Similiter privilegium dans facultatem ascendendi, ad *majorem dignitatem*, non intelligitur ad *accipiendam æqualem* c. *licet.* de Translat. Episcopi, & privilegium datum Regularibus, ut possint transire ad *arctiorem Religionem*, non intelligitur de *æquè arcta* c. *licet*, de Regularibus. Sic privilegium *accipiendi primam præbendam*, quæ vacabit per *decessum*, seu *mortem* obtinentis eam præbendam, non intelligitur concessum ad præbendam vacaturam *renuntiatione*, vel *cessione præbendarii*. Nam *vacare per decessum*, & vacare *per renuntiationem*, sunt distincta c. *susceptum.* de præbend. in 6.

Non tamen facienda est adeo stricta in- 1198
terpre-

terpretatio, ut privilegium reddatur inutile, & careat effectu. L. *non dubium.* C. de legib. & ideo, si alicui concessum sit privilegium, *faciendi aliquid*, quod ei antè non licebat, interpretatio extendi debet, ut hunc effectum obtineat; nec restringi, ut dicatur solùm confirmare, quod aliàs privilegiato licebat, nisi ad hoc manifesta ratio cogat. Ex hoc fit, quòd, licet *dispensatio* aliàs odiosa sit, & restringenda; tamen extendi debeat ad necessariò connexa, & sine quibus illa suum effectum habere non potest; sic dispensatus ad plura beneficia, residentiam exigentia, simul dispensatus est in utriusque residentia. Similiter illegitimus, vel irregularis, dispensatus ad omnes sacros Ordines, eo ipso est dispensatus ad beneficium simplex; quia sine hoc non potest ordinari per se loquendo; nam titulus patrimonii, vel pensionis per se non sufficit, nisi simul adsit necessitas, vel utilitas Ecclesiæ, ut dicitur in Trident. Sess. 21. de Reform. V. quæ lib. 1. diximus de legis interpretat. his præmissis:

1199 Quæres 1. quale privilegium latè, vel strictè sit interpretandum? *lata interpretatio est*, quæ accipit privilegii concessionem pro quolibet, tam quoad rem concessam, quàm quoad personas, quantum verba patiuntur, seu de quo verba concessionis verificari possunt in sua significatione naturali, usuali & juridica: quæ verò restringit quantùm fieri potest, nimirum ad solam significationem naturalem presè, & non ultra sumptum, est *interpretatio stricta*, hoc est, ut, quoad fieri potest salvo verborum sensu, minimùm noceatur alteri. c. *cùm dilect.* de consuet. Hinc dicendum 1. privilegium, quod in nullius præjudicium cedit, latè interpretandum esse, c. *olim.* de V. S. quia sic est purum beneficium Principis, quod latam admittit interpretationem; L. *beneficium* ff. de constit. Princip. Nec obstat huic regulæ, nullum privilegium esse adeo favorabile, quin aliis præjudicet, 1. Principi, qui ejus concessione privatur potestate, id ipsum aliis donandi. 2. aliis, propter suam singularitatem & exceptionem. Nam præjudicium concedentis est ab ipsomet concedente intentum; singularitas autem, nascens ex justa causa, non nocet aliis, sed potius illis prodest; cùm hac ratione magis incitentur ad simile privilegium merendum. Suarez l. 8. de legib. c. 27. n. 3.

1200 Dicendum 2. privilegium, derogans juri communi, *regulariter* esse strictè interpretandum c. *sanè.* c. *porrò*, de privileg. nam quâ parte derogat juri communi, includit dispensationem, quæ strictè interpretanda est, ut aliàs dixi. Deinde in dubio bonum commune particulari prævalet, ac proinde in casu dubio præsumendum est pro jure communi, non privilegio; ita Thom. Sanch. l. 8. d. 1. n. 1. & 5. Ex hoc inferes, quando alicui *illegitimo* conceditur privilegium ad *Ordines*, restringi concessionem ad solos minores; quia tale privilegium est contra jus commune; excipe, nisi privilegium illud concederetur jam habenti minores ordines; tum enim de majoribus debet intelligi, ne privilegium redderetur inutile. Hæc regula extenditur etiam ad casum, quo privilegium est contra statutum, vel consuetudinem specialem, non contrariantem juri communi; sic enim tale statutum, & consuetudo, est instar juris communis, adeoque in dubio præfertur juri speciali privilegii: secùs est, si statutum, vel consuetudo contrarietur juri communi; tum enim privilegium contra statutum, vel consuetudinem talem, favet juri communi, cùm per ipsum ad jus commune redeatur, adeoque est interpretationis latæ.

Dixi, *regulariter*; nam ea regula fallit 1201
1. principaliter, quando tale privilegium cedit in favorem Religionis, vel causæ piæ; nam tali casu habet latam interpretationem, quia summum jus est, quod pro Religione facit. L. *sunt personæ.* ff. de Relig. & sumptibus funerum. Tale privilegium est, quod conceditur militibus, & Religiosis, aliisque similibus, cùm plurimum prosit bono communi, Reipublicæ ac Religioni, talibus personis favere; cum hoc ipso bono sufficienter compensetur vulneratio juris communis dispensatione inducta. Ex quo vides, quòd ea Regula fallat 2. & locum non habeat, quando privilegium cedit in favorem boni communis. Fallit 3. quando privilegium est insertum juri communi, quia sic constituit jus commune; & ideo illa regula procedit solùm de privilegiis non insertis juri communi. Fallit 4. in privilegio concesso *motu proprio*, vel *ex certa scientia*, hoc enim latam recipit interpretationem; cùm sit proprium beneficium Principis, cujus liberalitatem talis interpretatio docet.

Ex hoc colliges, omnia privilegia Re- 1202
gularibus concessa in perpetuum esse latè

interpretanda; tum, quia favent Religioni ut diximus; tum quia ob suam perpetuitatem perinde se habent, acsi forent juri communi inserta. Ita Sanch. cit. d. 13. Colliges 2. privilegia super materia juris communis, esse latè interpretanda, quia sic secundùm jus intelligi debent; ita Sanchez cit. n. 8. Ex dictis sequitur 1. dispensationem concessam in tertio consanguinitatis gradu, extendi ad secundum cum tertio, quia est conforme juri communi, ut gradus desumatur ab eo, qui à stipite remotior est, juxta c. *fin.* de consang. Sequitur 2. licentiam testandi concessam Episcopo, prodesse, ut testamentum, antè illam factum, valeat; quia juxta jus commune valet testamentum, si tempore mortis facultas testandi existat. L. *si quis filio exhæredato.* §. *irritum.* ff. de injustit. rapto testam.

1203 Dicendum 3. privilegium derogans juri alterius, restringendum esse, quantum patitur proprietas verborum; quia non præsumitur Princeps velle derogare juri alterius, nisi id expresserit, prout habetur L. 2. §. 1. V. *meritò.* ff. ne quid in loco publico L. *nec avus.* C. de emancipat. liberor. c. *licet in corrigendis* 12. de officio Ordinarii ibi: *quia tamen intentionis nostræ* (per mandatum Parisiensi Episcopo datum) *nec fuit, nec esse debuit, jurisdictioni tuæ per mandatum hujusmodi derogare &c.* Sic Innocentius III. ad Archiepiscopum Senonnensem. c. *ex Tuarum*, de usu, & author. pallii, ubi, cùm Pontifex Archiepiscopo Compostellano ex speciali gratia indulsit, ut, cùm ad Ecclesiam sibi subjectam forsan accedere non posset, pro suis suffraganeis consecrandis, vel Clericis Ordinandis, in aliena Ecclesia uti possit pallio, statim addit: *dummodo is, ad quem Ecclesia pertinet, permittat.*

1204 Si petas an, ut privilegium deroget juri communi, indigeat expressâ clausulâ derogante? R. quòd non; quia non præsumitur Princeps ignorare jus commune, sed potius illud scire, ut dicitur in c. 1. de constit. in 6. adeoque dans privilegium contra jus commune, præsumi velle illi derogare, ne præsumatur nihil velle concedere; nisi jus commune privilegiis resistat expressè derogando. Rationem dant aliqui; quia eo casu Princeps non præsumitur velle illi derogare, etiamsi apponat clausulam derogantem expressè, sed potius velle satisfacere importunitati petentium. Verùm ubi Princeps illi derogationi sibi notæ nihilominus per contrariam concessionem derogat, oppositum dicendum est, cùm ponatur concessionem suam velle efficaciam obtinere. Ut autem deroget juri speciali aliorum, statuto, vel consuetudini, omnino requiritur clausula derogans; quia jura specialia aliorum, vel statuta, & consuetudines particularium locorum Princeps non præsumitur scire, ut dicitur cit. c. 1. de constit in 6.

Si quæris, an privilegium, seu po- 1205
testas dispensandi, vel absolvendi à reservatis, sit latè, vel strictè interpretanda? R. distinguendum, ac dicendum affirmativè, si concedatur *non expressis personis dispensandis*, vel absolvendis, esse latè interpretandum, quia nulli juri contraria est ejusmodi potestas, cùm sit delegata, & nullus Judex ordinarius prohibeatur potestatem suam ordinariam delegare. V. Castropal. de privil. tr. 3. d. 4. p. 11. à n. 1. si autem potestas dispensandi concedatur *expressâ personâ*, Castropal. cit. n. 5. censet strictè interpretandum esse, sive concedatur in gratiam dispensantis, sive dispensandi? Sanchez autem l. 8. de matrimonio D. 2. à n. 6. distinctione utitur, & dicit eam potestatem concessam *in gratiam dispensandi*, strictè; concessam verò *in gratiam dispensantis*, latè interpretandum esse, argumento sumpto ex c. *si cui nulla*, de præbend. in 6. ubi favorabilis censetur, & non exspirare morte concedentis, etiam re integrâ, gratia alicui concessa, ut providere possit personis idoneis in certa Ecclesia *personis non expressis*, secùs, si personæ essent expressæ. Et ideo facultas Episcopis concessa in Trident. Sess. 24. de reform. c. 6. latè interpretanda est, quia conceditur *non expressis personis*. Præterquam, quòd ea potestas concessa sit directè causa boni communis, & inclusa in corpore juris. Similiter facultas absolvendi à reservatis, concessa in jubilæis, est latè interpretanda, quia personæ non sunt expressæ, finis Jubilæi non est privatum commodum accipientis, sed potius commune bonum Ecclesiæ, & subventio illius in aliqua necessitate, ut exprimitur in ipsis bullis. Ita Castropal. cit. n. 6. contra Sanch. cit. n. 7. censentem oppositum.

Si quæras, an facultas alicui concessa, ut sibi eligat confessarium, qui ipsum absolvat à reservatis, sit strictè, vel latè inter- 1206

interpretanda ? Strictè interpretandum esse, atque adeo limitandum ad sola peccata, & casus præcedentes facultatem (nisi concedens aliud exprimat) docet Azor l. 5. c. 23. q. 2. quia si daretur pro peccatis etiam committendis, daretur ansa liberius peccandi. Sed hæc ratio non rectè probat; nam ea liberius peccandi ansa nascitur ex malitia, & abusu facultatis, non ex ipsa facultate, quæ tendit & respicit bonum animæ. Unde Bonacina, & Salas, apud Castropalaum cit. p. 11. n. 8. docent, eam facultatem esse latè interpretandam, ut comprehendat etiam peccata, post acceptam facultatem committenda, dum fiat usus concessæ facultatis; cùm faveat saluti animæ, ne talis in peccatis sordescat. Esto Castropal. cit. id neget ex fundamento non convincente, cum concessio generaliter loquens, generaliter intelligenda sit.

1207 Præter dicta, not. 1. privilegium, etiam favorabile non extendi ad alios, quàm expressos. Nam tota vis privilegii pendet ab intentione concedentis; hanc autem concedens exprimit verbis; satis autem est exprimi *virtualiter*, scilicet titulo connexionis; Sic privilegium celebrandi tempore interdicti concessum *sacerdoti*, extenditur ad Ministrum; quia celebratio sacerdotis exigit ministrantem. Et ideo privilegium concessum *Religiosis* talis ordinis, etiam extenditur ad Religiosas, seu Moniales ejusdem ordinis, in his, quorum sunt capaces illæ. Sic enim per verbum *Religiosis* satis exprimitur intentio concedentis, quòd non attendat sexum, sed qualitatem personarum illius ordinis; secùs est, si diceret *viris Religiosis*; ita Suarez l. 8. de legib. c. 10. n. 7. sic etiam privilegium concessum *filiis*, etiam filias comprehendit; nam sub nomine Filii etiam Filiæ veniunt in favorabilibus, ut constat ex L. *Justa* L. *Filii*, L. *Cognoscere*, ff. de verborum signif. secùs est de privilegio concesso *Filiis masculis*. Quamvis Emmanuel Sà V. *gratia n.* 11. in privilegiis nomine *marium* velit etiam fœminas intelligi, & sub nomine *Masculino*, etiam venire fœmininum, ut habet V. *interpretatio* n. 3. intellige in favorabilibus, non autem in contractibus, & odiosis. Et privilegium datum fratribus, etiam sororibus est commune. Nam sub nomine fratrum in gratiosis veniunt etiam sorores, ut dicitur in L. *Lucius* 93. §. *quæsitum* ff. de legatis 3. L. *tres fratres* ff. de pactis.

Si petas 1. an Privilegium concessum 1208
Filiis extendatur ad nepotes? &c. negari à Rebuffo, nisi aliunde, vel ex juris dispositione, vel aliâ viâ id esse de mente concedentis colligatur. Quia *Filius* nec formaliter, nec virtualiter nepotem significat in significatione propria, sic Rebuffus in L. *liberorum* ff. de verb. signif. Barbos. in L. *Maritum* ff. soluto matrimonio. Dixi, *nisi ex juris dispositione*. Nam privilegium Nobilitatis concessum, Viro, vel Patri extenditur etiam ad Uxorem & Filios, non vi privilegii, sed ex dispositione juris concedentis, ut nobilitate concessâ Viro, etiam Uxor, & Filii gaudere possint L. *fœmina*. ff. de Senatorib. & L. 1. C. de dignitatib. intellige, si Nobilitas sit perpetua, non autem solùm ratione officii, ut hoc deposito etiam Nobilitas deponatur. Prædictorum ratio, quia quotiescunque lex (consequenter etiam privilegium, quod est lex quidem privata) per se non est odiosa, extendenda est ad omnia, quæ ferre potest naturalis verborum proprietas, ac significatio v. g. si agatur de Filiis, *Filiæ* quoque comprehendendæ sunt, quia, cùm homines vulgò verba propriè usurpent, id maximè in legibus fieri debet; quare ab illa significatione extrahi non debent, nisi aliqua ratio injustitiæ, vel absurditatis, quæ alioquin ex significatione sequeretur, ad id cogat; neque propter eandem causam debent in suam significationem coarctari. Quando autem non tantùm non odiosa, sed etiam favorabilis est, extendi debet ad omnem proprietatem verborum, tum naturalem tum iuridicam & civilem; nunquam tamen ad impropriam significationem, nisi gravis urgeat ratio: quia nempe alioquin inutilis tota lex redderetur: melius enim fit tunc eâ interpretatione leges valere, quàm omnino perire, quod contingeret, si aut injusta, aut impossibilis, aut inutilis redderetur. Extensio autem illa ad significationem civilem suadetur facilè, quia lex omnis sua habet sibi accommodata verba, quibus uti solet. Neque cogendus est legislator, ut semper verbis in naturali acceptione utatur, & quoties agit de filio adoptivo v. g. semper addat *adoptivum*, & nunquam communi voce *filii*, quâ in naturali & vulgari usu, filii naturales primò indicantur, utatur; quare, cùm lex in favorem *filiorum* loquitur,

adoptivi solent comprehendi; & servus, factus ingenuus, nomine etiam ingenui intelligitur; legitimatus, nomine legitimi: quia videlicet hi omnes participant dispensationes in gratiam ingenuorum & legitimorum à jure factas, unde lex loquens propriis verbis de casu vero, extenditur etiam ad fictum, ut in exemplis allatis constat.

1209 Si petas 2. an privilegium ob similitudinem, vel majorem rationem extendatur ad alios casus, vel personas, quam expressas? R. negativè; quia tota vis privilegii pendet ab intentione concedentis expressâ, vel significata verbis; ita Castropal. cit. p. 13. contra Sanchez l. 8. D. 1. à n. 33. qui eam extensionem concedit in favorabilibus. 1. Quando concessio exprimit rationem concedendi. 2. Quando favor inducitur à lege, vel canone. Ratio autem est, ex Suarez. l. 6. de legib. c. 3. n. 10. quia extensio, quæ fit tantùm per similitudinem rationis, *purè extensiva est*; ergo non est licita. Consequentia conceditur passim, & sanè, cùm mens seu voluntas legislatoris sit ratio formalis, & constitutiva legis, quidquid ea voluntate non clauditur, non clauditur etiam lege, ac proinde in ejus oblationem non cadit. Antecedens est etiam manifestum; quia *sola similitudo rationis non ostendit aliquid comprehendi voluntate legislatoris*: potuit enim ille circa unum aliquid ordinare, & non circa aliud pro arbitrio; imò aliqua ratio potest occurrere, propter quam velit illud fieri Princeps, & non aliud simile, etsi appareat similis ratio aliud præcipiendi; quia ratio sola non constituit jus aut legem, nisi accedat legislatoris voluntas: alioqui non posset, etiamsi vellet, impedire legislator, ne lex extenderetur secundùm totam amplitudinem rationis, hoc est ad ea omnia, in quibus similis ratio reperietur; quia similem rationem in quibusdam inveniri, est quid illis intrinsecum, & à legislatore independens, hoc tamen nullus dixerit, cùm totam suam efficacitatem obligandi lex sumatà voluntate ferentis illam: atqui non constat in hoc casu de legislatoris mente, cùm ea nulla ratione verbis significetur; & quamvis non dicat, se nolle eum casum, ad quem fit extensio, non dicit etiam se velle illum. Ad obligationem autem inducendam opus est positivâ voluntate, & non tantùm negativâ, ut ita dicam, seu opus, Principem statuere, non autem contrarium non statuere. Si dicas: Ratio similitudinis est sufficiens signum voluntatis in Superiore. R. negando dictum; jam enim ostensum est posse Principem pro arbitrio circa unam materiam, & non circa aliam illi similem, quidpiam statuere; ut taxare pretium panis, & non vini; imponere tributum pro aliquo genere mercium, & non pro alio; etsi æquè utiles, aut extraneæ, aut expetitæ sint. Atque hæc ratio procedit circa omnes leges odiosas & favorabiles, correctorias & non correctorias, quoad vim decretivam, & obligationem in conscientia, seu vim præceptivam, aut prohibitivam.

ARTICULUS V.

De Desitione Privilegii.

PRivilegium duobus modis desinere 1210
potest. Primò quasi ab intrinseco per desitionem causarum conservantium, *finalis* nempe, & *effectivæ*, à quibus in suo esse pendere videtur; adeoque cessatione causæ finalis, vel morte concedentis, aut privilegiati; Secundò per actum quasi intrinsecè corrumpentem, qui esse potest tantùm, vel per renuntiationem privilegii, vel revocationem Superioris: Si autem privilegium sit concessum ad certum tempus, vel sub certa conditione, illo elapso, vel hâc non purificatâ, privilegium cessare, clarum est. Not. tamen, quòd conditio se tenere potest, vel ex parte concessionis, vel ex parte privilegii, vel ex parte usus, & exercitii ejus. Si tenet se ex parte concessionis (ut *libero te à decimis, si Episcopus consenserit*) præstito semel hoc consensu, privilegium stat, esto postea consensus Episcopi deficiat; si tenet se ex parte privilegii, concedens indicat, se privilegium concedere, quàm diu conditio extat, & non ultrà, ut eximo te à jurisdictione Episcopi, *si sis Monachus*. Idem enim est, ac, *quàm diu fueris Monachus*: si tenet se ex parte usus, & conditio facilè possit redire, eâ pereunte privilegium non perit, sed solùm suspenditur. Hinc:

Quæres 1. an, & quomodo privilegi- 1211
um desinat cessatione causæ finalis? R. 1. privilegium gratuitum, quando est purus favor, & nulli alteri derogat, non cessat desinente causâ, quæ movit adæquatè principem ad ejus concessionem; quia non pendet ab ea causa *in conservari*: semel enim concessum beneficium principis manet, etsi ratio, quæ ad primo conferen-

dum

dum impulit, non maneat; prior enim voluntas fuit absoluta, & non conditionata, neque proinde à futuro eventu, aut motivi mutatione, aut permanentia pendens.

1212 Ꝛ. 2. Privilegium, quòd unico actu consummatur, etsi rigorosum sit, juri communi, vel privato alterius derogans, non perire desinente causa; quia jam privilegium transiit, ac proinde irrevocabile est, sicut & actus præteritus v. g. legitimatus est aliquis, aut habilis redditus ad aliquem actum, actione principis privilegiantis: jam verò habilis redditus est, neque est, cur suam habilitatem amittat, cessante motivo, quod impulit, principem ad ipsum ex privilegio habilitandum. Quod intelligo etsi nondum actum, ad quem habilitatus est, exercuerit; nam in ea executione est tantùm *usus privilegii*, non *ipsum privilegium*, quod jam suum proximum actum habuit, ut alias dixi de dispensatione, quam imitatur hoc privilegium; atque id à fortiori valet in privilegio, quo confertur potestas ad unicum tantùm actum: nam eo actu posito jam consummatum est totum privilegium, & præteriit, neque proinde ampliùs revocabile est, ac proinde multò minus pendet à permanentia sui motivi.

1213 Ꝛ. 3. Ut privilegium, quod habet tractum quendam successivum, desinat in ordine ad futuros actus, causa ejus debet è contrario, & non tantùm negativè desinere, neque ad aliquod tempus, sed in perpetuum: positâ autem cessatione contraria, & perpetua causæ, cessat. Utraque pars hujus conclusionis perspicua est ex notitia terminorum: causam enim *cessare contrariè*, est, usum privilegii, fieri ob mutationem materiæ, & circumstantiarum, illicitum: *Cessare è contrario*, est, causam, quæ principem inducit non amplius subsistere, quamvis nihilominus privilegii usus nullam injustitiam, aut turpitudinem contineat: tunc autem dico non desinere privilegium; v. g. domus religiosa ratione paupertatis à solvendis decimis libera per specialem concessionem, etiam ubi abundat opibus, retinet duo beneficia, quæ simul possidere licebat, ob insufficientiam unius eorum ad sustentandum, & etiamsi alterius proventus crescant, retineri tamen possunt vi prioris concessionis: quia in his, & similibus ex cessatione causæ non est factum iniquum privilegium. Non est igitur, unde dicamus cessasse: quia non fuit datum conditionatè, ut duraret quamdiu ea causa duraret; Sed simpliciter ex tali causa, cui alligatum deinde non est *in suo conservari*, aut ex natura rei, aut ex voluntate concedentis, quam constat potiùs fuisse absolutam, neque ex ulla juris dispositione: qua ratione alibi dixi legem non desinere ex cessatione negativa causæ ejus in particulari.

Et sanè, quis dicat fœminam, quæ 1214
in voto castitatis dispensata est propter incontinentiæ periculum, tanquam unicam, & adæquatam causam, etiam indulto expressam, ubi contracto matrimonio, cessatione solà debiti cessat totum illud periculum, teneri non petere, quod tamen dicendum esset? nam ut se habet totum ad totum, ita pars ad partem. Si igitur causâ totius cessante cessat totum, cessabit etiam pars illius causâ desinente. Deinde, si fuerit illa fœmina absolutè dispensata ad nubendum sine ulla limitatione, poterit prioribus nuptiis dissolutis iterum nubere, alioquin nihil amplius daret dispensatio absoluta voti castitatis *ad nubendum*, quàm dispensatio *ad nubendum semel*, & tamen viduari potest eâ ætate, aut in eo statu, in quo propter varias circumstantias nullum sit ampliùs periculum incontinentiæ, quod fuerat unica causa hujus dispensationis. Quod si id valeat in dispensatione, multò magis in privilegio, & sicut, qui debitori remisit debitum ob paupertatem, ubi ille in pinguiorem fortunam rediit, suum debitum repetere nequit, ita ubi Princeps debitum & obligationem remisit, eam deinde non contrahit iterum subditus, nisi per novam legem, & revocationem privilegii revocetur, quod tamen facere nequit creditor debitori.

Ratio à priori est, quia conservatio 1215
privilegii est tantùm permanentia juris per illud acquisiti, non autem aliqua actio concedentis, quæ per mutationem causæ, facta sit illicita, sicut fuisset prima ipsa concessio, si nullam habuisset causam: hæc enim conservatio veluti positiva, & influxus concedentis, & conservantis fictitius est. Neque dicas, datam esse primam concessionem cum illa conditione virtuali, *ut solùm duret durante causâ*, quia seclusâ eâ conditione fuisset illicita prima concessio: id enim falsum est; quia sicut multa illicitè

fiunt;

fiunt; quæ tamen licitè conservantur in esse: ita etiam multa aliquando licitè conservantur, quæ tunc licitè primò fieri non possent: & ita privilegium, quod modo licitè durat, non licitè eo ipso tempore, quo durat, primò concederetur; decet enim Principis beneficium esse mansurum, & causa præterita sufficere potuit ad dandum privilegium perpetuum.

1216 Quæres 2. an desinat privilegium per mortem concedentis? R. privilegium semel ritè comparatum, & non restrictum ab ipso concedente ad tempus vitæ, non amitti morte concedentis etiam re integrâ, ut habetur c. *si super gratia*, de officio delegati, in 6. & c. *si cui*, 36. eod. Et sanè privilegium non solvendi, aut exigendi decimas, eligendi confessarium, aut audiendi confessiones, licet hoc posterius deroget juri communi, & auctoritati Ordinariorum non exspirant morte dantis eas facultates, quod de casu posteriori ostendunt Suarez tom. 4. in 3. p. d. 26. 53. & Sanchez lib. 8. de mat. d. 28. n. 72. & 75. Ut autem intelligas, quando privilegium censeatur *ritè comparatum*? Notandum 1. *gratiam* aliquando dici *factam*, aliquando *faciendam*. Not. 2. gratiam alicujus facultatis concessivam, aliquando respicere solùm illum, cui talis facultas conceditur, quin sit in favorem tertii directè, aliquando verò concedi directè in favorem tertii. Not. 3. quandoque concedi gratiosè facultatem aliquam ad usum indefinitum, tam quoad personas, quàm quoad rem præstandam (ut *concedo tibi facultatem absolvendi, quemcunque petentem, à casibus Pontifici reservatis*) aliquando autem ad usum circa certam & determinatam, atque designatam personam, vel rem; ut concedo tibi facultatem providendi *Titio de beneficio. A.* Not. 4. hoc postremum posse dupliciter fieri. 1. ut delegato maneat liberum providere, vel non providere Titio de tali beneficio. 2. ut ei non sit liberum, sed eligatur tanquam necessarium, & obligatum instrumentum ad conferendam alteri gratiam commissam, quibus positis:

1217 Dicendum, privilegium tunc censeri *ritè comparatum*, sic ut morte concedentis non exspiret, quando gratia ex juris dispositione jam est facta; non autem quando adhuc non est facta, sed facienda; ita Sanchez l. 8. de matr. d. 28. n. 48. Censetur autem *gratia facta*. 1. Si totus quantus favor consistit in prima concessione, & non in aliqua delegatione; Sic Gibalin. tom. 2. de scientia canonica, l. 7. c. 7. n. 8. atqe adeo, quando conceditur independenter ab eo cui facienda committitur. 2. Si facultas delegetur indefinitè respectu personarum, ut colligitur ex c. *si cui* 36. de præbend. in 6. & hoc procedit esto delegans moriatur re adhuc integra, hoc est antequam delegatus usus sit facultate sibi concessâ. 3. Quando ei, per quem facienda est, non præcisè mandatur, ut faciat, sed in ejus favorem directè potestas faciendi conceditur; ita Suarez l. 8. de legib. c. 31. n. 18. aliud est, si directè in favorem tertii, sicut etiam si facultas delegetur ad usum delegato liberum circa personam determinatam; tunc enim gratia est facienda, & morte delegantis perit, si hoc contingat re adhuc integrâ, ut dicitur in *fin.* dicti c. *si cui*, intellige autem, si facultas ea concessa sit non in favorem delegati, sed illius tertii designati.

Si facultas designetur ad usum necessarium, & obligatum circa personam determinatam, præcisè in hujus favorem ipsa tamen forma rescripti directè fertur ad delegatum, Censet Sanchez, Castropalaus, & Garcia apud Haunold. tom. 1. de Just. tr. 1. c. 1. controvers. 5. n. 233. esse gratiam factam, atque adeo non exspirare morte concedentis. Hanc opinionem censet Haunoldus esse tutam; esto ipse judicet probabilius esse quòd regulariter sit gratia solùm facienda, atque adeo illam, si concedens moriatur re integrâ, hujus morte finiri, quia licet in tali casu delegatio gratiosa conjuncta sit cum necessitate, & obligatione v. g. dispensandi, illa tamen necessitas, quæ delegato imponitur, transit in mandatum; at mandatum morte mandantis re adhuc integrâ exspirat; ergo. Deinde in cit. c. *si cui*, dicitur, quòd quando alicui mandatur *provisio certæ personæ facienda*, non ob suam, sed ejus, cui provideri mandatur, gratiam, vel favorem, illa exspiret omnino, si concedens re integra moriatur. Meritò tamen ab illa Haunoldi opinione excipitur potestas absolvendi concessa, quæ sive dirigatur ad Confessarium, sive ad pœnitentem, semper est gratia facta; quia judicium pœnitentiæ semper est magis gratiæ, quàm justitiæ. Si autem rescriptum directè alloquatur privilegiandum, concedens-

cedendo illi facultatem aliquam, jam eſt gratia facta, licet ea facultas indigeat ad executionem aliquâ cooperatione delegati; ut, ſi concedatur facultas confitendi confeſſario, quem ipſe ſibi elegerit. Cùm enim acceſſorium ſequatur ſuum principale, & in hoc caſu delegatus ſit acceſſorium, gratia etiam in illo firma erit, cum firma ſit in principali.

1219 Præter dicta not. adhuc ex Sanchez D. 8. n. 80. quòd, licet opinio Haunoldi de qua n. 1218. ſit communior; valde tamen etiam probabile ſit, quamlibet facultatem conceſſam alicui ad effectum cauſandum in alio, eſſe gratiam factam illi, cui talis facultas eſt data, etiamſi ex ſpeciali intentione ad alium referatur, atque adeo non extinguatur morte concedentis, niſi in duobus caſibus ex conſtitutione juris; primus eſt in materiâ ambitioſa, qualis eſt beneficiorum. c. *ſi cui nulla* de præbend. in 6. & c. *ſi ſuper gratia*, de offic. & poteſt. Jud. delegat. in 6. Alter eſt in materia fori contentioſi, quo etiam reducuntur contractus, & negotia humana. Ad hoc autem, ut gratia conceſſa ſit firma; nec ad libitum, & ſine cauſa ſit revocabilis, requiritur acceptatio ejus, cui gratia offertur; non tamen ut gratia ſit facta, & non exſpiret morte concedentis, unde etiam poſt mortem hujus acceptari poteſt; ſic Haunoldus cit. n. 138.

1220 Quæres 3. an privilegium extinguatur finitâ juriſdictione concedentis? R. reſcriptum Juſtitiæ, ſeu juriſdictionem delegatam finitâ juriſdictione in delegante, re adhuc integrâ, exſpirare in delegato; non autem, ſi res non ſit integra, expreſsè deciſum eſſe in c. *gratum*, c. *relatum*, c. *licet*, *undique* de offic. deleg. & c. *ult. §. fin.* de offic. Legat. c. *ſi cui nulla* de præbend. in 6. L. Et quia ff. de juriſdictione omnium Jud. id, quod procedit de ceſſatione ipſo jure, ut probat Caſtropal. cit. de privileg. tr. 3. d. 4. p. 16. §. 3. n. 1. licet delegatus ignoret juriſdictionem in delegante exſpirâſſe; quia juriſdictio delegata, eſt delegantis, & non eſt propria delegati, antequam illa uti cœpit. Igitur ſi in hoc nulla ſit, nulla etiam erit in delegato: ſecùs tamen eſt in caſu, quo res adhuc eſt integra, ſi ignorantiam delegati comitetur error communis, ſeu ignorantia populi de ſublata juriſdictione in delegante, ut multis probat Sanchez. l. 3. de matrimonio. d. 22. n. 59. quia error communis facit, ut tali caſu geſta per delegatum valeant, jure ſupplente defectum juriſdictionis. Sed de his plura l. 1.

Si autem reſcriptum ſit gratiæ, conſe- 1221
quenter conceſſivum privilegii, regula communis eſt, ſi gratia *facta* ſit, non exſpirare finitâ jurisdictione concedentis; ſecus verò, ſi ſit *facienda*, colligitur ex c. *ſi ſuper gratia* 9. de offic. delegat. in 6. ibi: *ſi ſuper gratia cuiquam ab Apoſtolica Sede facta executores fuerint deputati: æquum eſſe cenſemus, ut ſicut ipſa gratia (licet nondum ſit in ejus executione proceſſum) morte non perimitur concedentis; ſic nec etiam re integra perimatur executoribus data poteſtas, quam veluti gratiæ prædictæ acceſſoriam, naturam ſequi congruit principalis. Ne gratiam eandem, vel reddi, quandoque omnino inutilem, vel ipſius effectum in tempus longius (cum illius diſpendio, cui facta extitit) differri contingat.* Quod etiam colligitur ex cit. c. *ſi cui*, de præbend. in 6. ſic gloſſ. in c. *ſi cui* ibid. verſ. *Secùs facienda*, Sanch. l. 8. matr. d. 28. n. 64. Suarez l. 8. de Legib. c. 31. à n. 1. & alii. Hinc probabilius eſt, licentiam tibi datam à Pontifice, Epiſcopo, vel Parocho, in favorem pœnitentium ad audiendum eorum confeſſiones eſſe gratiam factam, quia talis conceſſio eſt potius favor factus ipſi Sacerdoti, quàm pœnitentibus cum nulla certæ perſonæ mentione. Nec juvat paritas deſumpta à reſcriptis juſtitiæ, cùm hoc apertè deciſum ſit in jure, ut diximus n. 1220. quin aliquid determinetur de reſcriptis gratiæ. Et licet communis ſententia, quam cum aliis tenet cit. Sanch. d. 28. n. 23. ſi ea facultas conceſſa ſit expreſſis certis perſonis velit, eſſe gratiam *faciendam*; & Caſtropalaus dicit tr. 3. d. 4. p. 16. §. 4. n. 5. cenſeat, ab ea in praxi non eſſe recedendum; oppoſitum tamen judicat non carere ſuâ probabilitate.

Quæres 4. an deſinat privilegium per 1222
renuntiationem expreſſam? ante reſolutionem not. ſolum *non uſum* privilegii, eſſe renuntiationem ſolùm impropriam, & conſiſtere cum retentione privilegii. *Idem* eſt, ſi quis ſe obliget ad non utendum privilegio; hæc enim obligatio, ut eſt manifeſtum in multis caſibus, ſtat cum jure ad validum uſum privilegii, quæſtio igitur procedit de renuntiatione propriè dicta, nimirum *expreſſâ*, quæ continet voluntatem formalem, licet non neceſſario ſpecificam, abdicandi à ſe totum jus privilegii, exterius

aliquo modo proditam, & à concedente acceptatam, aut ab alio tertio juxta naturam privilegii, cui renuntiatur; debet autem acceptari illa voluntas formalis: quia ab ea totam vim habet renuntiatio; debet etiam esse de abdicando jure privilegii; nam si *de non-usu* duntaxat proponendo, scilicet se nunquam usurum privilegio, poterit mutari voluntas, & usus privilegii erit licitus: non tamen est necessaria *specifica*, quia non confunditur cum *formali*, quo nomine intelligo expressam voluntatem, quæ potest esse etiam generica, quæ est ipsum genus, & species in eo confusè contentas formaliter & expressè vult, licet cognitio proponens objectum distincta non sit, sed confusa, ratione rei repræsentatæ; sed tunc erunt servandæ vulgares juris regulæ, videlicet: *sub generali concessione non veniret, quæ in specie non esset quis concessurus*; item, *clausula generalis comprehendit species*; *quantum potest*, salvâ ratione juris, & recti sermonis; quo posito, &c. nullum privatum renuntiare posse privilegio concesso *statui*, vel bono alicujus communitatis; quia non sunt propria cuique bona, sed communitatis. L. *cùm publicum* ff. de pactis c. *si diligenti* de foro competente. Hinc nullus Clericus renuntiare potest privilegio fori, & Canonis; quia statui clericali concessum est. Idem est de privilegio concesso pluribus pro indiviso; quia nullus potest præjudicare juri alterius. Hinc nullus filiorum, vel nepotum, potest renuntiare privilegio non solvendi laudemium ex vinea v. g. quam acceperunt à parentibus jure hæreditario, quàmdiu illam in communione, seu pro indiviso retinent; prout tale privilegium in Styria illis concessum est specialiter ex declaratione LEOPOLDI I. Cæsaris, de quo pluribus egi olim in tractatu de Jure & Justitia. Similiter nemo renuntiare potest privilegio sibi concesso in favorem alteri[9], sic filius-familias non potest renuntiare privilegio concesso ex Senatus-Consulto Macedoniano, ne possit ex mutuo obligari, quam diu est sub patria potestate; quia tendit præcipuè in favorem parentum, ut illorum indemnitati consulatur.

1223 &c. 2. Vinculum, sublatum semel per privilegium, non posse redire, etiam factâ renuntiatione expressâ, quia cassam reddere dispensationem, quæ jam semel sortita est effectum, non amplius est in potestate dispensati; quis enim faciet, ut, quod factum est, infectum sit. Ex hoc fit, quòd, si dispensatus sis, ut consanguineam possis accipere in uxorem, esto accipias aliam, hâc mortuâ possis uti dispensatione, & illam accipere. Unde quamvis Gibalinus cit. l. 7. c. 7. n. 12. dicat, quando privilegium est permanens, & habet tractum successivum, posse illi in ordine ad futuras actiones renuntiari ab eo omni, qui est immediatum & adæquatum subjectum ejus, intelligi debet, *si acceptetur à concedente.*

Not. autem 1. quòd ad renuntiationem privilegii, vi cujus hoc cesset, requiratur talis voluntas renuntiantis, per quam redeat ad obligationem legis, prout erat ante privilegii concessionem; eamque voluntatem liberam, non coactam. Difficultas autem est, an hæc sola sufficiat, ut cesset privilegium, si talis renuntiatio etiam exterius manifesta cedit in aliorum utilitatem? ut si renunties privilegio *non solvendi decimas*; &c. non fortiri effectum, sine aliorum acceptatione; cùm sine hac renuntiatio semper revocari possit. Si autem privilegium spectet solùm privilegiatum (ut est privilegium eligendi confessarium) nec alteri noceat, nec talis renuntiatio facit cessare privilegium sine concedente, renuntiationem acceptante. Nam sine hoc stat voluntas concedentis, à qua suam vim, & efficaciam habet privilegium, colligitur ex c. *licet*, de Procurat. in 6. 1224

Quæres 5. an amittatur privilegium per tacitam renuntiationem? per quam intelligitur ea, quæ desumitur ex quibusdam actibus positivis, vel negativis, qui non videntur stare posse cum voluntate subeundi, vel retinendi privilegium, seu facultatem gratiosè concessam. Quidam volunt ejusmodi renuntiationem maximè colligi ex non usu, vel actu contrario, aut abusu. Procedit autem hic quæstio de non usu privilegii *affirmativi*, seu concedentis facultatem faciendi actum aliquem positivum v. g. accipiendi decimas, comedendi carnes diebus prohibitis, eligendi ad beneficia &c. Communis regula, ut ait Castropal. hîc p. 18. n. 1. est, *per non usum* amitti ejusmodi privilegia. Sed hæc regula multas habet limitationes. 1225

Nam. 1. certum est, non amitti *per non usum necessarium.* v. g. quia nunquam eve-

evenit casus, quo quis uti potuisset; quia talis non usus non potest significare voluntatem internam se abdicandi eo jure. Et ideo servitus aquæ ducendæ non amittitur per non usum, si ideo non duxisti, qui fons exaruit L. 35. ff. de servit. præd. rustic. Idem est, si non usus proveniat ex pacto. 2. Nec per *non usum diuturnum* amittitur privilegium, absolutè, & non sub conditione usûs concessum, si in nullius gravamen tale privilegium cedat; quia talis non usus, nec ex natura rei, nec ex juris dispositione inducit voluntatem abdicantem se privilegio, aut renuntiationis acceptationem in concedente. Dixi si non sit concessum *sub conditione usûs*, quale est privilegium de nundinis, ut habet L. 1. ff. de nundinis, ibi: *nundinis impetratis à Principe, non utendo, qui meruit, decennii tempore usum amittit.* Si autem sint privilegia, quibus alii gravantur, amittuntur legitimâ præscriptione partis gravatæ, nisi habeant clausulam, *ut iis uti possis tuo arbitratu.* Ex quo vides, quod non usus occasio esse possit, quòd amittatur privilegium, per præscriptionem à gravatis factam, & hoc tandem sensu procedere eam regulam: *privilegium non usu* amitti; dixi: *quibus alii gravantur.* Nam privilegia, quæ sunt meri favores non amittuntur per non usum neque per modum præsciptionis, nec per modum tacitè renuntiationis.

1226 Ratio primi est. Quia, cùm à gravatis præscribitur privilegium ipsis onerosum, ex eo est, quòd talia privilegia, quæ alios gravant, redundent in quandam aliorum servitutem, & obligationem; & quæ jure disponunt de amissione servitutum per non usum, locum habeant in similibus privilegiis; at quando sunt meri favoris, non gravant alios; ergo. Ratio secundi est, quia non usus privilegii affirmative (non enim obligat semper, & pro semper) non est signum sufficiens voluntatis renuntiantis juri utendi privilegio, sed tantum ipsius usui; quæ renuntiatio impropria est, & insufficiens ad deperditionem privilegii, seclusâ dispositione juris, ejus *non usum* tacitam renuntiationem interpretantis. Et hæc est de mera amissione usûs privilegii ad actum aliquem positivum exercendum concessi.

1227 Si autem loquamur de amissione privilegii per actum illi contrarium, locum duntaxat habet in privilegiis negativis, quibus ab onere aliquo liberemur, v. g. non solvendi decimas, tributa &c. & communis regula est privilegium amitti per actum contrarium, c. *cùm accessissent*, de constit. c. *si de terra*, c. *Accedentib.* de privil. junct. gl. in c. *ex ore*, de his, quæ fiunt à majore. V. *renuntiasse*; & in c. *gratum*; de offic. deleg. verb. *recessum.* Verùm & hæc regula fallit in aliquot casibus, & ideo limitatur, ut non procedat. 1. In privilegio absolutè concesso, quo nemo gravatur; nam contra tale privilegium nemo præscribit, & actus contrarius fieri potest ex aliis causis, quàm animo non habendi tale privilegium, intellige tamen, ut dixi, si respiciat solùm favorem privilegiati. 2. Ut non procedat in privilegiis cedentibus in aliorum gravamen, si habeant tractum successivum, hoc est, si dentur ad plures, & non ad unum tantùm actum, nisi à gravatis contra illa legitimè præscribatur. In eo tamen casu, quo per actus in contrarium exercitos privilegium desinit, cessat quidem privilegium, ut à te non possit allegari, (sic Castropal. p. 19. n. 4.) sed solùm quoad eos actus, quibus positivè contradixisti privilegio; non autem quoad alios. Dixi, *nisi à gravatis legitimè præscribatur.* Ut autem hoc contingat, sufficit unus actus contrarius, non retractatus, tempore sufficiente ad præscriptionem factus à privilegiato; ita Suarez l. 8. de Legib. c. 35. n. 20.

Quæres 6. an, & qualiter amittatur 1228
privilegium per ejus abusum? R. abusum privilegii contingere posse tripliciter. 1. Extendendo privilegium ultra id, quod concedit: 2. Ex illo sumendo occasionem delinquendi: 3. Si tuis pravis moribus resistas fini ob quem tibi privilegium datum est. v. g. tibi Canonico datum est privilegium, ut abesse à tua Ecclesia possis, & in absentia beneficii reditus percipias, hoc fine, ut vaces literis; & tu in absentia vageris, & occuperis rebus vanis; his præmissis: R. quocunque tali abusu privilegiatum reddi dignum, ut privilegium amittat. Nam *privilegium meretur amittere, qui concessâ sibi abutitur facultate.* ut dicitur c. *ubi*, dist. 74. c. *licet* 18. de Regular. ibi: *non obstante protervâ indiscreti Prælati contradictione*, c. *ut privilegia*, 24. de privil. ibi: *ne minus sanè illata pertrahantur ad abusum, propter quem possint merito revocari*; ratio utrobi-

que redditur: quia privilegium meretur amittere, &c. Ubi tamen notandum, privilegiatum, per ejusmodi excessum aliquem, seu abusum privilegii, privilegium non amittere ipso facto; cùm in allatis textibus solùm dicatur, quod *mereatur privari*, nisi ex ipsa concessione privilegii aliud colligatur, ut fit in c. 2. de postulat. Prælat. ubi habetur, quòd, *qui postulatum cassatum vitio personæ innovat, sit eligendi, & postulandi potestate privatus.* c. *cùm in cunctis* 7. §. *ult.* de elect. ibi: *Clerici sanè, si contra formam istam quemquam elegerint, eligendi tunc potestate se noverint privatos:* id, quod etiam dicitur in c. *Cùm Vintonensis*, eod. & hoc de abusu primo modo. Si quis autem abutatur secundo modo, non privatur privilegio ante sententiam declaratoriam criminis, ut colligitur c. *ex literis* 16. de vit. & honest. Cleric. ibi: *mandamus, quatenus, si tales tertiò à te commoniti, ab hujusmodi non resipuerint, cùm facto abjiciant privilegium clericale, tu, quòminus, dum his se implicant, de suis facultatibus, statutis, & consuetudinibus patriæ subjaceant non defendas eosdem.* & c. *fin.* de immunit. Ecclesiar. ubi dicitur, quod sub spe immunitatis delinquens in Ecclesiis, vel cœmiteriis, immunitate non gaudeat. Abutens tertio modo privatur privilegio, pro tempore, dum finis cessat; & quidem in totum, vel partem, si vel in toto, vel in parte finis cesset; de quo amplius videri potest Castropal. doctrinam exemplis illustrans p. 20. à n. 9.

1229 Quæres 7. qualiter desinat privilegium revocatione? Not. quod ex privilegiis aliud sit merè *gratuitum*, id est liberâ Principis voluntate concessum, vel consistens in potestate delegata ad aliquem usum contra, vel præter legem, vel jus aliquod transferens in privilegiatum; aliud *oneroſum*, & *lucrativum*, quod datur ob onus aliquod, aut lucrum exhibitum à privilegiato; aliud, quod datur in *præmium meritorum*, vel servitiorum exhibitorum à privilegiato, aliud *antidorale* datum ex gratitudine, quod ferè cum priori coincidit; quibus positis: Rz. 1. privilegium, *merè gratuitum*, cum translatione juris, non posse validè revocari *sine causa*, sive datum sit subdito, sive non subdito; quia nemo hominum habet potestatem sine causa privandi alterum jure suo. *Ex causa* verò (ut si talis concessio vergeret in grave damnum coronæ, Sedis, aut jurium ejus, propter quod, si fuisset prævisum, ea gratia facta non esset) revocari posse, datum non subdito; Unde non tenetur Princeps contractibus in grave præjudicium initis, cùm ad dilapidanda bona Regni, careat facultate. Hinc talis revocatio privilegii erit impropria, & potiùs declaratio, primam concessionem non fuisse extensam ad eum eventum. Sic Gibalinus cit. c. 7. q. 10. n. 1. Si autem datum sit subdito, etsi revocari possit ex qualibet causa, quæ in Repub. sufficit ad aliquem privandum jure suo. At si ei concessum sit solùm ad aliquem usum, sine translatione ullius juris, valide quidem, etiam sine causa revocari potest, cum peccato tamen, saltem veniali, ob levitatem animi eo casu relucentem in revocante; datum autem non subdito, non revocatur validè, cum transierit in pactum.

Et ideo non potest revocare pro libitu, etsi privilegium sit lucrativum; quia non potest subditum exuere ad libitum jure, aut bonis suis; cùm ex naturali justitia teneatur servare pacta atque contractus etiam cum subdito. Et ideo privilegium gratis concessum, & dominium alicujus in privilegiatum transferens, est irrevocabile. Ita Gibalinus cit. c. 7. q. 10. n. 3.

Rz. 2. privilegium oneroſum revocari non posse, nisi ex legitima causa boni communis; quo casu revocans reddere debet pretium, si quod accepit pro concessione; vel si opus jam præstitum, compensare; alias ea potestas esset contra rectam gubernationem, & violaret contractum oneroſum. Idem censendum est de privilegio remuneratorio, & antidorali, quando privilegium non excedit merita, & obsequia, præsertim expressa in concessione; Sic Haunold. cit. n. 263. Princeps enim non potest revocare privilegia, vel concessiones illas, quæ in naturam, vel vim contractûs transeunt; vel pro quibus pecunia intervenit, vel conceduntur in compensationem meritorum, saltem extra casus, quibus id ratio boni communis, & Reipublicæ, præponderans favori talium contractuum ex jure naturali, postulat; ita etiam Barbos. in c. 1. de probat. n. 9. si autem Inferior dispensat in lege Superioris, privilegium concessum non potest sine causa validè revocare; quia ponitur dispensâsse ex causa; ergo ex causa debet revocare si revocare vult.

Not.

1231 Not. præterea eſſe tacitam quandam privilegii revocationem, quoties Princeps facit aliquem actum, qui non poteſt ſubſiſtere, niſi alicui privilegio, vel adæquatè, vel inadæquate deroget, ita tamen, ut ſciat privilegium, faciatque actum illi repugnantem, volens non obſtante ejusmodi privilegio; cum enim ſint tunc in Principe duæ voluntates ſeſe deſtruentes, & contradictoriæ; poſterior priorem excludet ac proinde ejus effectum tollet. Sed circa hoc vide dicenda à n.

1232 Not. 2. privilegia, quæ revocabilia ſunt, revocari poſſe à concedente, & ejus ſucceſſore; quia ſic habet eandem cum eo poteſtatem. Si Prælatus inferior concedat privilegium, ſummus Pontifex valide illud poteſt revocare, cùm ab eo omnis poteſtas in inferiores dimanet, & poſſit novam legem privilegio derogativam concedere; id, quod non poteſt concedente Superior, ſed Pontifice inferior, cùm talis non poſſit juſtè prælatum inferiorem ſuâ jurisdictione ordinaria ſpoliare; niſi in ea pendeat immediatè à tali Superiore; ita cum communi Sanchez D. 33. n. 7. Gibalinus dict. c. 7. q. 10. de Revocat. privil. n. 1.

1233 Ut autem cum effectu revocatio privilegiorum fiat, not. 3. privilegium corpori juris inſertum, non revocari, per diſpoſitionem aliquam particularem, eſto revocationi privilegiorum apponatur clauſula generalis: *non obſtantibus privilegiis, quibuſcunque contrariis*; quia ſic privilegium habet vim legis communis, ac ejus naturam ſequitur; & correctio legis vitanda eſt, niſi ſpecificè ponatur; id, quod etiam dicendum eſt de privilegio ex contractu oneroſo. Nam tale privilegium eſt ſimpliciter irrevocabile, niſi ex cauſa graviſſima; nec, niſi factâ compenſatione, ut diximus in præced. Similiter privilegium habens clauſulam, ut ei derogari non poſſit, niſi ejus de verbo ad verbum ſpecifica mentio fiat, non revocatur prædictâ clauſulâ generali; nec aliter, niſi revocetur cum clauſula, priori reflexè derogativâ; ne prior clauſula ſit otioſa. Unde Gibalinus cit. n. 4. cenſet, requiri ſaltem hanc, vel ſimilem clauſulam derogatoriam non obſtante tali clauſulâ, aut privilegio, *quacunque verborum formâ concepto*. Et ideo privilegium clauſulatum: *ut ſine ſpeciali mentione, vel etiam de verbo ad verbum relatione, non cenſeatur revocatum*, habet ſufficientem clauſulam, reflexè doregativam priori ſub his terminis: *non obſtantibus quibuſcunque contrariis, ſub quacunque forma conceptis; vel etiamſi debeat eorum ſpecifica mentio fieri, aut de verbo ad verbum referri.* Nam ſic ſatis conſtat de mente revocantis; nec anteceſſor, ſucceſſoris poteſtatem potuit reſtringere; vel obligationem imponere, ſciendi omnes clauſulas.

Præter hæc not. 1. juxta nonnullos 1234
privilegium, Concilio generali ſtabilitum, non revocari; niſi in revocatione fiat mentio illius Concilii, ſaltem ſub his terminis: *non obſtante quacunque conſtitutione, etiam in Concilio generali edita*, ut colligitur ex c. *Ex parte*, 3. de Capell. Monachorum, ubi, cùm Honorio III. intimatum eſſet, quòd Monachi in Prioratibus, ſinguli habitarent, & ſine ſociis, & illi in favorem ſuum allegaſſent reſcriptum Apoſtolicum, quòd in Prioratibus ſinguli habitare poſſint, Pontifex reſcripſit Epiſcopo Venetenſi: *cùm id obviet Lateranenſi Concilio, de quo nulla mentio eſt in literis antedictis, Fraternitati tuæ reſpondemus, quòd hujuſmodi literas ab Apoſtolica Sede non credimus emanaſſe*; id, quod etiam habetur in c. *fin.* eod. Dixi: *juxta nonnullos*. Nam alii, ut diximus l. 1. t. 2. ſentiunt oppoſitum, niſi forſan tale reſcriptum aliquid indulgeret contra generalis Concilii Decretum, quo aliquid ſpeciale ſtatueretur, tanquam proprium certi ſtatûs; cujuſmodi eſt in caſu præſenti. Nam Concilium Lateranenſe, ut patet ex c. 2. de ſtatu Monachorum, ſtatuit, ut Monachi non ponantur in Parochiis, villis, oppidis, atque adeo Prioratibus ſinguli, hoc eſt, ſine ſociis, ne ſoli inter ſeculares homines ſpiritualium hoſtium conflictum exſpectent; ſed cum ſuis fratribus, cum quibus poſſint ducere vitam regularem, ut dicitur cit. c. fin. *quod* eſt proprium ſtatus Monachorum.

Not. 2. Privilegium, Corpori juris in- 1235
ſertum, tacitè revocari per *legem* aliam *univerſalem*, illi contrariam, etiamſi nulla privilegii mentio fiat; quia Princeps non præſumitur ignorare, quæ juri communi inſerta ſunt. Idem procedit, ſi contra tale privilegium concedatur aliud perpetuum, & illi contrarium; quia ſic præſumitur conceſſum etiam factâ conſideratione prioris; Secus autem eſt de privilegio, non inſerto Corpori juris, hoc enim nec revoca-

tur vel lege universali, vel mandato, aut rescripto hominis *expresse* illud non revocante; quia Princeps præsumitur talia privilegia ignorare; ac ideo, nisi exprimat, nolle revocare. Unde hujusmodi privilegia, Corpori juris non inserta, nunquam revocantur privilegio, nisi prioris mentionem faciat, sive utrumque sit generale; sive secundum generale, & primum speciale: ratio est eadem; si autem prius privilegium est generale, & posterius speciale, illi derogatur solùm, in quantum est huic contrarium. Nam generi per speciem derogatur; & posterius est quædam exceptio ab illo generali.

1236 Not. 3. Per sententiam datam contra privilegium, hoc non revocari tacitè; quia vel sententia pro pœna infligit privationem privilegii? & sic est expressa revocatio; vel solùm dicit, quòd in eo casu privilegium non obstet? & sic non est revocatio, sed reprobatio, seu judicialis declaratio, quòd privilegium ad eum casum se non extendat: si autem privilegium revocetur per legem, ut hæc revocatio valeat, requiritur ea promulgatio, quæ generaliter requiritur, ut lex incipiat obligare: Si autem fiat privatim, vim non habet, donec innotescat privilegiato. Nam notitia revocationis debet haberi a privilegiato, ut illa sortiatur effectum, de qua notitia discurrendum est proportionaliter, sicut de notitia legis, ut vim obligandi obtineat, juxta dicta l. 1. tit. 2. de constitut. Et hæc de privilegiis in genere.

ARTICULUS VI.

De Privilegiis in specie.

Cùm hoc titulo pluribus locis agatur de certis privilegiis in specie, cujusmodi sunt privilegia exemptionis à jurisdictione Ordinariorum; immunitatis à solutione decimarum, etiam novalium; facultatis celebrandi, vel audiendi divina tempore interdicti; celebrandi in altari viatico &c. de singulis in particulari aliquid dicendum venit.

§. 1.

De Privilegio Exemptionis à jurisdictione Ordinariorum.

1237 Cùm jam lib. 1. tit. 2. de Constitutionibus, egerimus de lege Episcopali, tam jurisdictionis, quàm Diœcesana, ibidemque resolverimus, an & qualiter Regulares exempti sint ab ejusmodi legibus? an à jurisdictione Legatorum Papæ? qualiter eximantur à jurisdictione Ordinariorum quoad punitionem, si delinquant in loco non exempto? &c. tangemus hìc ea tantùm, quorum specialis mentio fit hoc titulo in materia Exemptionis.

Quæstio igitur est, 1. an ex solutione censûs annui, qui Papæ solvitur, rectè probetur privilegium exemptionis ab Ordinario? R. Ex hoc præcisè non probari, ut habetur in c. *Recepimus*, 8. h. t. quia cùm Ecclesia possit censualis esse Papæ, quin hoc sit in signum *exemptionis*, sed solùm *protectionis*, ut ait textus, ex dicta solutione census præcisè, non rectè infertur exemptio: Sic Alexander III. cit. c. 8. Et ideo exemptio, nec ritè probatur ex literis Apostolicis per hoc præcisè, quòd quis nominatim cum omnibus rebus suis sub Apostolicæ Sedis *protectione* existere declaretur, ut apertè resolvit Innocentius III. in c. *Ex parte*, 18. eod. Hinc aliud est, quando in privilegio, vel scripto non principaliter collato ad dandam libertatem, seu exemptionem, solùm narrat, talem Ecclesiam ad jus, & protectionem Ecclesiæ Romanæ pertinere; aliud, si in eo de negotio exemptionis agatur, & disponat, aut decernat per suam sententiam asserens illam *exemptam esse, juris D. Petri existere, ad jus, vel Romanam Ecclesiam simpliciter, vel immediatè pertinere*; Si primum? ex eo non rectè probatur exemptio ex tali scripto; quia talis narratio potest procedere ex errore facti; & pertinere ad Ecclesiæ Romanæ *protectionem*, stare potest *sine exemptione*: secus est, si secundum, sic enim significat modum specialem, quo pertineat ad Ecclesiam Romanam ultra illum, qui convenit omnibus aliis Ecclesiis (omnes enim aliæ Ecclesiæ per totum orbem generaliter illi subsunt) aliàs enim ea verba nihil operarentur. Sic c. *si Papa*, 10. h. t.

Eandem *exemptionem* significant hæc 1238
verba in rescripto expressa: quòd Ecclesia sit libera, seu quòd potiatur Ecclesiæ Romanæ libertate, vel quoad hoc prærogativâ gaudeat speciali: vel etiam, si indefinitè dicatur, quòd Ecclesiæ Romanæ annuum censum solvat, ad indicium *perceptæ libertatis*, vel quòd Ecclesiam illam eximat ab Ordinarii potestate, vel quòd non audeat illis

illic Epiſcopus Cathedram, ſeu ſedem collocare (in locis enim exceptis hoc non poſſunt Epiſcopi. Gl. hìc. V. *Collocare*) vel quòd in ea Epiſcopus non poſſit quidpiam imperare, vel ordinare, aut ullam juriſdictionem exercere. Similiter ſi aliqui à Papa recipiantur in proprios, & ſpeciales ſubjectos, cenſentur exempti, non item ſi in proprios, & ſpeciales filios Romanæ Eccleſiæ ſint ſuſcepti, tales enim non ideo ſunt exempti. Si verò dicatur ſimpliciter, quòd aliqua Eccleſia Romanæ Eccleſiæ annuum cenſum ſolvat, non propterea Eccleſia exempta dici debet (non enim omnes Eccleſiæ exemptæ ſolvunt cenſum, nec omnes, quæ ſolvunt, ſunt exemptæ, gl. hìc V. *Cenſum*) ſed neque dici debent exempti, ſi aliquibus privilegium concedatur circa aliqua, ut quòd non poſſint excommunicari, ſuſpendi, vel interdici ab alio, quàm à Papa, vel ejus Legato, vel quòd in ſpeciales Romanæ Eccleſiæ filios ſint aſſumpti, vel aliquid aliud ſpecialiter à Sede Apoſtolica eis ſit indultum, etiamſi poſtea in privilegio ſequatur, quòd Eccleſiæ Romanæ ad indicium perceptæ libertatis, annuum cenſum ſolvant: his enim, & ſimilibus caſibus ſic inſertis articulis privilegiati, quantum ad alia, jurisdictioni Ordinariorum ſunt ſubjecti. Additur in fine hujus c. quòd per prædicta (quæ exempli causâ allata ſunt) Papa non intendat aliis exemptionum, vel libertatum modis, ſi reperiantur in literis Apoſtolicis privilegiorum, vel eorum effectibus derogare. Sic dictum c. 10. h. t.

1239 Ex dicto textu colliges 1. cùm in quæſtione, an ex hoc, vel illo rectè colligatur alterum, Pontifex per quædam exempla ſtatuit, ex quibus affirmandum? quædam, ex quibus non affirmandum ſit? ea non poni, ut alios modos excludant, vel non includant, ut patet ex c. poſtremis verbis cit. c. 10. Collig. 2. ex eo, quòd in aliquo ſcripto, vel diſpoſitione Papæ incidenter aliquid referatur, non autem principaliter de eo, de quo agitur, non rectè probari (narrata ſic eſſe) ex tali ſcripto, licet narrans ea poſſet concedere. Narratio enim naturâ ſuâ non probat, ſed probanda eſt. Collig. 3. non probari plenam exemptionem ab Ordinario per hoc, quòd in privilegio dicatur in ſignum exemptionis, ne quis poſſit excomunicari ab Ordinario, vel cenſuris ſubjici, ſolvi cenſum Papæ; ſed ſolùm exemptionem ab illo juriſdictionis actu expreſſo.

Quæſtio eſt 2. an exemptio ab Ordina- 1240
rio rectè probetur ex eo, quòd alicui v. g. Collegio, vel Monaſterio, à Summo Pontifice conceſſum ſit, fructus Eccleſiæ ſibi ſubjectæ in ſuos uſus convertere? De hoc agitur in c. *Paſtoralis*. 19. h. t. ubi Pontifex Epiſcopo Elidenſi ſic reſcribit: interrogâſti, utrum viris religioſis, quibus à Sede Apoſtolica eſt indultum, ut Eccleſias ſuas in proprios uſus poſſint convertere decedentibus perſonis earum, liceat auctoritate propriâ poſſeſſionem earundem intrare, vel per diœceſanum Epiſcopum in ipſa ſint potius inducendi. Ad quod reſp. niſi fortè in indulgentia ſummi Pontificis id contineatur expreſſum, ſuo Epiſcopo inconſulto, in poſſeſſionem ipſarum eis non eſt licitum introire? *quia per indulgentiam hujuſmodi Epiſcopali juri non credimus derogari.*

Ex hoc c. ſequitur ad propoſitam quæ- 1241
ſtionem dicendum negativè, niſi fortè in indulgentia Summi Pontificis id contineatur expreſſum: *ſuo Epiſcopo inconſulto*. Sequitur 2. ejuſmodi Religioſos authoritate propriâ non poſſe tales Eccleſias ingredi, ſed inducendos Epiſcopi authoritate, cui aliàs ſubjecti ſunt, vel erant; quia per illam indulgentiam convertendi fructus ejus in proprios uſus, Epiſcopali juri non derogatur; id, quod etiam conſtat ex c. 7. de offic. Archi-Diacon. c. *Placuit*, 16. q. 6. gloſſ. in dict. c. 19. V. *Poſſeſſionem*; & L. 7. C. unde vi. Sequitur 3. per illam indulgentiam non mutari qualitatem Eccleſiæ, ut ſi prius fuit Collegiata, deſinat eſſe talis; vel ſi fuit curata, & ſecularis, Monaſterium liberetur ab onere ibi tenendi perſonas, quæ faciant Collegium, vel exerceant curam, & quidiem dependenter ab approbatione Epiſcopi, & inſtitutione, ſi ſit Patronata.

Quæſtio eſt 3. an exemptus realiter, ni- 1242
mirum ratione unius loci, vel rei, eo ipſo etiam exemptus ſit ratione alterius loci, vel rei? R. negativam eſſe definitam in c. *Cùm Capella*. 16. h. t. ubi ponitur, quòd cùm Capella Ducis Burgundiæ gauderet ſpeciali privilegio, vi cujus nullus Ordinarius poſſet cenſuram ferre in perſonas Canonicorum dictæ Capellæ, quidam Canonici ejus vi præfati privilegii dixerint, ſe in omnibus exemptos à juriſdictione Ordinarii; quo ad Pontificem delato per Epiſcopum Linganenſem (ſub quo illi aliquas Parochias obtinebant) Innocentius III. mandavit Epiſcopo, ut, in quantum exempti ſunt ratione illius

illius Capellæ, reverenter deferant Apostolicis privilegiis; sed ratione aliarum Parochiarum, & locorum, quæ aliàs ad jurisdictionem dicti Episcopi pertinerent, ex debito officii sui contra eos liberè procedant.

1243 Ex hoc textu sequitur 1. exemptum realiter, nimirum ratione certi loci à correctione Ordinarii, si delinquat extra talem locum, non esse exemptum, sed posse corrigi ab Ordinario; quia pro loco non exempto non patrocinatur ei exemptio realis, ratione alterius loci. 2. Sicut Capellas Principum, & Capellanos eorum in spiritualibus subesse jurisdictioni Ordinariorum æquè, ac ipsorum Principes; cùm Episcopus intentionem quoad exercitium suæ jurisdictionis in tota diœcesi fundatam habeat in jure, per c. *Cùm Episcopus*, 7. de offic. Ordin. in 6. & dicens, se exemptum, id probare teneatur. An autem privilegium exemptionis concessum Monasterio, & omnibus ejus Capellis etiam porrigatur ad eas, quæ primum postea extructæ sunt? sub opinione est, affirmante Gloss. in cit. c. 16. V. *In quantum exempti*; negante Pirhing h. t. n. 40. & volente probabilius privilegium cadere solùm super præsentes; arg. L. 7. ff. de auro & argent. legat. ubi dicitur, si ita legatum sit: *vestem meam, & argentum meum tibi lego*, intelligi solùm aurum præsens; præsertim cùm hujusmodi privilegia sint odiosa, utpote restringentia jus Ordinariorum.

1244 Sed hæ rationes non præponderant opinioni Glossæ. Nam argumento à dicta L. 7. in præsenti casu non est locus; cùm enim, quod testatoris auro accrescit primum à morte, non sit sub ejus dominio; dum vivit, & post mortem non sit ipse, nunquam verificatur ly *meum*; econtra Monasterium etiam in nova capella verificat ly *meum*, præsertim, cùm ædificium factum in fundo meo, fiat meum. Alterum autem, quod dicitur, exemptionem à jurisdictione Ordinariorum, odiosam esse, simpliciter negatur; nam in quæstione, num hæc vel illa dispositio favorabilis, aut odiosa sit, non attenditur, nisi finis directè intentus à disponente; qui si sit *favere*? (præsertim causâ Religionis, & meritorum in Ecclesiam DEI) dispositionem facit simpliciter favorabilem; si *gravare*? simpliciter odiosam, ut colligi potest ex dict. àn. 724. & 735.

Quæstio est 4. an exempto capite censeantur etiam exempta membra, seu exempto Monasterio, aut Ecclesia; etiam exemptæ censeantur capellæ illi subjectæ? Ante resolut. not. ad cognoscendum, an Ecclesia aliqua Prælato inferiori, pleno, vel non pleno jure subjecta sit? attendendum, an Episcopus loci in illa nullum jus exerceat, vel aliquod? si primum? censeri subjectam illi *pleno jure*; si secundum? *non pleno jure*. Sic Gloss. in c. *Quoniam*, 21. h. t. & Abbas ibid. n. 1. Hinc quando alicui Ecclesia conceditur, utroque jure, nimirum in temporalibus, & spiritualibus, idem esse vult Pirhing cit. n. 44. h. t. ac concedere, *pleno jure*. Censetur autem concessa *jure in spiritualibus*, cùm illi datur potestas instituendi, & destituendi Clericos, aliaque jurisdictionalia exercendi: *in temporalibus* autem, quando habet jus percipiendi temporales reditus, vel saltem exigendi rationes rerum temporalium; quibus positis:

1245 R. Per exemptionem, à Papa concessam Monasterio, non censeri exemptas capellas illi subjectas jure non pleno; secus, jure pleno. De primo casu agitur in c. *Ex ore*, 17. h. t. ubi membra Monasterii Evasinensis, vel eorum loco Abbas, Vigorensi Episcopo jubentur exhibere reverentiam, obsequium, & honorem, quia non probavit se *exemptum pleno jure*; sed solùm *in aliquibus*, in aliis Ordinario exercente suam jurisdictionem. De secundo autem casu agitur in c. *Quoniam* 21. eod. ubi cùm Monasterium, in diœcesi Episcopi Nepesini situm, Ecclesiam S. Basilii de Flageno vellet omnino exemptam propter productum aliquem articulum, Monasterio, & Ecclesiis suis satis favorabilem; Procurator autem Monasterii in judicio confessus esset, quòd Episcopus in dicta Ecclesia percipiat jus Episcopale, consequenter actum aliquem suæ jurisdictionis in ea exerceat, Pontifex decrevit; dictam Ecclesiam ab Episcopo posse interdici, & excommunicari Monachum, seu Clericum ad ejus regimen deputatum; rationem reddens, quia ille articulus, seu capitulum ex privilegio à Procuratore Monasterii productum, intelligendum est *de subjectis Monasterio, utroque jure*; id quod non habebat Ecclesia S. Basilii.

Præter

1247 Præter hæc not. 1. exemptâ Ecclesiâ censeri etiam exemptos eâdem Exemptione omnes Clericos, vel Regulares illius Ecclesiæ; quia nomine Ecclesiæ veniunt omnes ejus ministri, ac personæ deputatæ ad ejus servitium, excepto Presbytero ibidem Curato, quoad ea, quæ ad curam animarum pertinent, ut constat ex c. *Per exemptionem*, 9. h. t. in 6. ubi, cùm tres quæstiones essent propositæ; prima, quid intelligatur per Ecclesiam, quando illa eximitur? 2. quando eximuntur ejus Canonici? 3. quando Clerici? ad singulas respondet Pontifex c. 9. h. t. in 6. his verbis: per *exemptionem Ecclesiæ* concessam, ipsa *Ecclesia*, & *ipsius Monachi* vel *Canonici, Clerici* etiam & *conversi*, *perpetuoque oblati* (*non* autem *Ecclesiæ ejusdem Presbyter*, qui parœcianorum curam habet, quoad ea, quæ ad curam eandem pertinent, *nec ipsi parœciani* etiam) *intelliguntur exempti.* Verùm *si Canonici alicujus Ecclesiæ* eximantur: ipsi *soli Canonici*, *non* autem *Ecclesia*, vel *alii ejus Clerici sunt exempti.* Si autem *Clerici cujusvis Ecclesiæ* eximantur: tunc *tam Canonici*, quàm *alii Clerici eximuntur*, *non* tamen *Ecclesia*: nisi aliud in exemptionis privilegio exprimatur.

1248 Ex hoc textu sequitur 1. responsionem datam numerò præcedente clarè approbari. 2. per hoc, quod exempta sit Ecclesia à jurisdictione Ordinariorum, non censeri exemptos Parochianos talis Ecclesiæ 3. si eximantur *Canonici* alicujus Ecclesiæ non censeri eo ipso exemptam Ecclesiam, nec alios ejus Clericos; sed solos Canonicos. 4. si eximantur Clerici alicujus Ecclesiæ, censeri etiam exemptos tam Canonicos, quàm Clericos ejusdem, non tamen Ecclesiam; nisi aliud in exemptionis privilegio exprimatur. Hæc tamen omnia videntur intelligenda de personis, quæ sunt de Corpore talis Ecclesiæ. Unde, si Prælatus, vel Vicarius non forent de corpore Ecclesiæ, non intelligerentur exempti etiam exemptâ Ecclesiâ, ut docet Erasmus Cochier de Jurisd. Ordin. in Exemptos, p. 4. q. 37. à n. 1. apud Barbos. in cit. c. 9. n. 2. Et quamvis Pirhing. h. t. n. 48. in fine velit, exemptis Clericis alicujus Ecclesiæ, non censeri exemptos Conversos, & Oblatos non Clericos; quia cùm exemptio sit odiosa, strictè accipienda sunt ejus verba; rectius tamen negatur allatæ rationis suppositio, quòd exemptio Ecclesiarum sit odiosa, ut diximus supra, & alibi; tenetque Suarez l. 8. de Legib. c. 27. Sylvester V. *Privilegium*, q. 3. Sanchez de matrim. l. 8. D. 1. D. 1. n. 13. Layman l. 1. tr. 4. c. 23. & complures alii; cùm summa ratio sit, quæ pro Religione facit, L. *sunt personæ*, ff. de Relig. & sumptib. funerum. Ad rationes autem in contrarium respondimus l. 1. tit. 2. de Constitut. Unde, quando dicitur: Episcopum super subjectione omnium, in sua diœcesi, in jure communi fundatam habere intentionem, verum est contra illos, qui suam exemptionem probare non possunt; prout hoc ostendimus ibidem, ipso jure communi faciente hanc exceptionem. An autem, & qualiter exempti coram Ordinario possint conveniri, ac ab eo corrigi, & puniri, si delinquant? jam expositum est à nobis l. 1. tit. 2. ubi etiam declaravimus, respectu quorum exemptorum, & causarum locus sit c. *Volentes*, 10. h. t. in 6. & aliis dispositionibus super eo fundatis.

Alia quæstio est, an in eos, qui di- 1249
cunt se exemptos ab Ordinatiorum jurisdictione, nihilominus possit Ordinarius exercere jurisdictionem suam, dum privilegium fuerit exhibitum, & probatum? ex. de hoc casu tractari in c. *Cùm personæ*, 7. h. t. in 6. ubi tres quæstiones sibi propositas resolvit Clemens IV. Prima erat, quid juris sit, quando quis solo privilegio se dicit exemptum? Ad hanc, postquam dixisset, *prætextu exemptionis à personis Ecclesiasticis multa præsumi, quæ ipsis infamiam pariunt; & alis lasionem, Ordinariorum correctiones & ordinationes subterfugiendo, ac eorum forum, sive judicium declinando; & propterea super hoc de salubri remedio providere se velle*, sic respondet in cit. c. 7. §. *statuimus*, ibi: statuimus, ut ii, qui se asserunt per privilegia, seu indulgentias Apostolicæ Sedis exemptos: *à locorum Ordinariis requisiti*, hujusmodi privilegia, & indulgentias (quibus dicunt se fore munitos) ipsis Ordinariis *in loco congruo*, *& securo*, *aut aliquibus prudentibus viris*, *omni suspicione carentibus*, *ad hoc per dictos Ordinarios deputatis* intra terminum competentem pro facti qualitate, ipsorum Ordinariorum, vel delegatorum suorum arbitrio moderandum, justo impedimento cessante, *ostendere*, *ac ad legendum integraliter exhibere: nec non de articulis, de quibus controversia fuerit, transcriptum tradere teneantur. Si autem* ad fundandam intentionem super hujusmodi libertate *solummodo præscriptionem canonicam* duxerint apponendam: eisdem Ordinariis,

vel delegatis ab eis viris prudentibus non suspectis, de præscriptione hujusmodi facere debent fidem.

1250 Ex hoc textu sequitur, 1. qui volunt, se contra Ordinarios tueri eò, quòd habeant exemptionem à Sede Apostolica concessam, *nisi aliàs notorium sit*, exemptionem illis legitimè competere, teneri ad ejus probationem. Quia privilegia sunt quid facti; ea verò, quæ facti sunt, non præsumuntur, sed probari debent, L. *si quis* ff. de Judiciis; nisi aliunde notoria sint; quia *notoria non indigent probatione* per. c. *Evidentia*, de accusat. c. *Manifesta*, 2. q. 1. Unde *notorium* non debet probari, sed allegari, secundùm Doctores in Rubr. tit. de Probat. Allegatio enim notorii, dicitur probatio. Appellatione autem *notorii*, venit omne illud, quod aliquâ tergiversatione celari non potest; Sic Menoch. de arbitr. casu 166. n. 4. vel, quod ex actis judicii constat; Sic Mascard. de probat. conclus. 1101. à n. 13. vel confessione in judicio; Farinac. in praxi crimin. p. 1. q. 21. n. 31. V. infra n. 1259. & seq.

1251 Sequitur 2. volentem se tueri contra Ordinarium propter exemptionem *allegato solo privilegio*, ubi hoc non est notorium quoad titulum, & possessionem, nec insertum est juri communi, teneri privilegium justo impedimento cessante, intra terminum ab Ordinario præfigendum, in loco congruo, & securo, edere, & exhibere ipsis Ordinariis integraliter ad legendum, vel aliis prudentibus omni suspicione carentibus per Ordinarios deputatis; & de articulis, de quibus controversia fuerit, transcriptum tradere; patet ex præcedente textu. Dixi 1. *integraliter*, seu totum, nimirum, ut ex antecedentibus & sequentibus articuli controversi melius declarentur; Dixi 2. teneri, tradere transcriptum, seu copiam, vel transumptum ex instrumento privilegii; intellige, *non totum*, sed solùm quoad eam partem, quâ controversi articuli continentur, ut patet ex textu; & constat ex c. *Contingit*, 5. de fide instrumentorum, ubi super hac quæstione Cœlestinus III. Abbati S. Secundi sic rescribit:

1252 Contingit interdum, ut dicitis, quòd, quandocunque cum aliquo litem habetis, privilegium vestrum adversæ parti cogimini plenius exhibere: unde accidit, quòd occasione unius capituli, super quo convenimini: plurima litigia suscitantur: Consul: tuæ taliter respondemus: ut, *quandocunque super exhibendo privilegio*, vel indulgentia, *seu instrumento fueritis requisiti*, præsente judice, aut aliquibus prudentibus viris deputatis ab ipso, *audiente parte contrariâ, tantummodo recitetur, ita, quòd si tantùm super uno Capitulo quæstio fuerit, illud solummodo describatur: & adversæ parti copia ejus fiat.* Ex quo textu clarum est, cùm quis asserit aliquid sibi competere vi privilegii, & hoc ipsum probandum est ab asserente, hunc non teneri omnia, quæ sunt in privilegio contenta, sed ea tantùm, quæ pertinent ad quæstionem controversam, ex privilegio, vel instrumento recitare coram Judice, vel aliquibus prudentibus Viris, audiente parte; & eam solummodo descriptam, parti adversæ copiam esse faciendam.

Altera quæstio erat, an Ordinarius 1253
possit suam jurisdictioem exercere in exemptos, donec exemptionem probent, si *solam præscriptionem* pro sua exemptione allegent? & ad hanc quæstionem constat resolutio Clementis IV. ex allegatis supra verbis ejus n. 1249. in fine; nimirum eos pariter teneri ad probandam præscriptionem. Si autem (quæ erat tertia quæstio) tales asserant se *privilegio & præscriptione* munitos; ac privilegium exhibeant, at libertatem non probent plenè, sed tantùm causam præscribendi, eos teneri ad probandam præscriptionem 40. annorum, non utcunque, sed simul, quòd non fuerit violenta, clandestina, vel precariò concessa. Sic enim loquitur in cit. c. *Cùm personæ*, 7. §. *quod si tales*. ibi: quod si tales *privilegio & præscriptione* asserant se munitos privilegium quidem ipsum exhibeant, ut in primo hujusmodi constitutionis articulo superius est expressum. Et si privilegium exhibitum non ad plenum per se sufficiat ad exemptionem, seu libertatem hujusmodi comprobandam, sed tale est, quod saltem causam præbeat præscribendi coram personis prædictis annorum 40. præscriptionem teneantur probare; præscriptioniúque probatione pendente, licet ordinariorum intentio de jure communi fundetur: tamen quia de privilegio (quod saltem causam præscribendi præbet) faciunt fidem in libertatis, vel exemptionis possessione, non violenta, non clandestina, non concessa precariò, de qua fidem coram eis-

dem

dem fecerint, *non turbentur*: ſi verò privilegium per ſe ſufficiens, quando ſolo privilegio ſe defendunt, vel ſaltem tale, quod præſcriptioni canonicæ cauſam præſtet, cùm præſcriptionem allegant, non exhibuerint, ut eſt dictum (cùm de jure communi Ordinariorum intentio ſit fundata) ſua juriſdictione uti poſſint in eoſdem liberè: donec de præſcriptione Canonica (ut præmiſſum eſt) fecerint plenam fidem.

1254 Ex dictis reſolvi poteſt quæſtio in n. 1249. propoſita. Nam (cùm hæc quæſtio fieri non poſſit, niſi quando dubitatur de exemptione; quia ſi notoria eſt exemptio, clarum eſt, non poſſe Ordinarium uti jurisdictione ſuâ in taliter exemptos; quia probatione non indiget, per dicta n. 1250.) eo ipſo in caſu exemptionis non notoriæ, ſed primùm probandæ, Ordinarius poterit quidem ſtante dubio de illorum exemptione, uti jurisdictione ſuâ in eos, qui dicunt ſe exemptos, vel ſolo privilegio, vel ſolâ præſcriptione canonica, dum vel hanc, vel illud legitimè probent; non autem allegato utroque ſimul, ſi privilegium, eſto non plenè probet libertatem, ſeu exemptionem, probet tamen cauſam, ſeu titulum præſcriptionis eâ probatione, quam ſinguli caſus exigunt, ut diximus à n. 1250. Ratio reſponſionis noſtræ eſt ex claris verbis Papæ præcedente numero allegatis.

1255 Præter datam reſolutionem ex cit. c. 7. notandum ulterius 1. eſto jus commune reſiſtat præſcribenti, non obſtare, ſed ſufficere præſcriptionem 40. annorum cum titulo, ut in præſenti caſu, ubi ad probandam exemptionem à jurisdictione Ordinariorum, qui cæteroquin ſuam jurisdictionem in jure communi fundatam habent ſuper omnes in ſua diœceſi, ſufficit probata præſcriptio 40. annorum, non violenta, non clandeſtina, non precariò conceſſa.

1256 Notandum. 2. Judices Ordinarios poſſe cognoſcere, an ſua ſit jurisdictio, conſequenter exceptiones declinatorias ſui fori, & incompetentiæ, quando ſe opponentis exemptio non eſt notoria; quia ille intentionem ſuam fundatam habet in jure communi. Nam tali caſu non dicit jus in propria cauſa, ex qua principaliter intereſſe prætendat; ſed ſolùm in conſequentiam; cùm jura ſui muneris, jure communi fundata, tueri teneatur; & directè agatur ad commodum Eccleſiæ. V. Layman. l. 3. tr. 6. & conſtat ex L. *Literis*, de Reſcript. ac L. *Si quis ex aliena*, ff. de re judicata.

Not. 3. manutentionem Ordinariorum non evitari per hoc præcisè, quòd privilegium exhibeatur; ſed requiri ſimul adeſſe quaſi poſſeſſionem exemptionis ab eius jurisdictione; quia, cùm Pontifex in cit. c. *Cùm perſonæ*, dicit, *non eſſe turbandos*, qui pro exemptione ſua exhibent privilegium, & allegant præſcriptionem, ſi de privilegio (quod ſaltem cauſam præſcribendi præbet) faciant fidem *de libertatis*, *vel exemptionis poſſeſſione*, licet Ordinariorum intentio de jure communi fundetur; neceſſariò præſupponitur ad hoc exemptionis *poſſeſſio probata*. 1257

Not. 4. hanc quaſi poſſeſſionem exemptionis non rectè probari ex eo, quòd Ordinarius in eos (qui dicunt ſe in poſſeſſione exemptionis) nullum exercuerit actum juriſdictionis; ſed requiri, quòd probetur, veniſſe caſum exercendi talem actum, & volentem exercere illum, fuiſſe repulſum, quin aliquid jure moverit in contrarium contra talem repulſionem, ut conſtat ex dict. ſupr. Dixi autem probandam eſſe quaſi poſſeſſionem exemptionis cum titulo; aliàs enim ſola poſſeſſio, contra Ordinariorum intentionem in jure communi fundatam non relevat, ut patet ex illis verbis cit. c. *Cùm perſonæ*, ibi: *quod ſaltem cauſam* (hoc eſt, titulum) *præbeat præſcribendi*. 1258

Not. 5. quod diximus ſupra n. 1250. quando exemptio eſt notoria, taliter exemptum non teneri ad exhibendum privilegium, probari etiam ex Clement. *Paſtoralis*, de ſent. & re judicat. ubi dicitur, ſententiam latam contra citatum, extra citantis territorium exiſtentem, nullam eſſe ipſo jure, ut exponit Joannes Andreas in Rubrica, ſed ubi privilegium exemptionis eſt notorium, pariter notorium eſt, privilegiatum, ac taliter exemptum exiſtere extra citantis territorium, quantum eſt in ordine ad effectum ſubjectionis relatè ad juriſdictionem ordinariam ejus, à quo notoriè exemptus eſt, ergo. Ita Sylveſter V. *Exemptio*, q. 7. & 8. & complures alii. 1259

Not. 6. idem dicendum eſſe, quando Judici eſt notum privilegium; tunc enim non tenentur privilegiati illud exhibere. Patet ex c. *ſi duobus*, de appellat. ubi dicitur, quòd ſi quis appellaret ad Papam, & citatus à judice ſuo non comparuit, nec reſponſalem miſit, tenet ex- 1260

communicatio contra eum pro contumacia lata, *nisi judex sciret eum appellâsse.* Ubi Glossa verf. *nisi*, dicit, quòd si notum illi erat, quòd non erat de sua jurisdictione, non tenet sententia, nec alius tenebatur comparere, quia, qui scit, certiorari non debet.

1261 Ex hoc infertur, Mendicantes non teneri exhibere privilegium suæ exemptionis, nec citatos ab Ordinario teneri comparere; quia sua exemptio est notoria, & sunt in longo tempore possessionis. Sic Sylvest. q. 7. præsertim quia Mendicantes habent privilegium, ut non teneantur exemptionem suam; utpote *notoriam*, allegare, quod refert Tabiena, Armilla n. 1. Compendium Minorum V. *exemptio*, n. 23. Corduba in additionibus ad Compendium Minorum, V. *privilegia Fratrum*, verf. *quoad*, §. 10.

1262 Not. 7. à compluribus in dubium verti, an Episcopus per censuras compellere possit Exemptos in omnibus illis eventibus, in quibus jurisdictionem habet erga ipsos? Nam potest quis exemptus esse à jurisdictione Ordinarii, ne possit ab illo censuris compelli, licet exemptus non sit in aliis. Sic potest Episcopus contra Exemptos Regulares procedere, quando injustè detinent conjugem alterius, de quo Sanchez l. 7. matr. D. 33. n. 22. Ordinario enim competit jurisdictio contra extraneos, & exemptos impedientes suam jurisdictionem per c. *dilectus*, in fine de Pœnis, ibi: *ne judicialis evanescat auctoritas*, cùm de litigatoris improbitate constiterit, adversus assertionem judicis temerè prorumpentis, juxta Superioris arbitrium digna poterit animadversione puniri. Quo posito:

1263 R. non posse Episcopum prædictos Exemptos censuris compellere, si privilegium speciale habeant, ne possint excommunicari, suspendi, vel interdici; nisi expresè illi concedatur, ut possit in tali vel tali casu contra illos etiam per censuras procedere. Ratio sumitur ex c. 1. de privileg. in 6. §. *In eos autem.* Nam postquam ibi dictum fuisset, habere Episcopum jurisdictionem in Exemptos delinquentes, aut contrahentes extra locum exemptum (de quo jam diximus l. 1. tit. 2. id procedere solùm *de exemptis tantùm localiter*) statim in textu subjungitur: in eos autem, quibus ne interdici, suspendi, vel excommunicari à quoquam valeant, à Sede Apostolica est indultum (sicut sunt religiosi quàm plures) in quorum privilegiis continetur, ne quisquam Episcopus, vel Archiepiscopus monasteriorum tuorum monachos pro ulla causa, ullove loco interdicere, suspendere, vel excommunicare præsumat, *iidem Ordinarii jurisdictionem suam, quantum ad ista, ubicunque illi fuerint, penitus exercere non possint.*

Confirmari hoc potest 1. ex eo, quia 1264
licet Episcopus exemptos citare possit, quando eorum exemptio non est notoria, sed dubia, juxta dicta à n. 1250. consequenter uti jurisdictione suâ, donec de sua exemptione legitimè doceant; nequit tamen eos *compellere per censuras*, ut compareant, si notorium sit, aut ipsi notum, eos speciali privilegio munitos esse, ne possint excommunicari, &c. cum clausula irritante. Sic Joannes Andr. c. *Scienti*, de regul. juris in 6. n. 7. Rosella V. *Exemptus*, & complures alii.

Confirmari potest 2. quia quoties 1265
Tridentinum in decretis subjecit Exemptos Episcopis, ut contra eos procedere possint etiam per censuras, *id explicuit*, ut constat ex ejus decretis; ergo in aliis, ubi hoc non explicat, non voluit eis hanc jurisdictionem concedere. Ant. pat. Nam Sess. 25. de Regul. c. 16. conceditur Episcopis, ut per censuras cogant Exemptos restituere bona Novitiis resipiscentibus, & c. 5. ut Moniales impositioni Clausuræ inobedientes, aut contradicentes per censuras compellant; & Sess. 22. in decreto de vitand. & observand. in celebrat. missæ, ut per censuras procedant contra Exemptos celebrantes in Oratorio privato, aut horis non debitis, &c.

Econtra in aliis decretis ejusdem Sess. 1266
25. in pluribus subjiciuntur Episcopis Exempti, quin addatur, quòd eos ad eorum observantiam per censuras compellere possint, ut constat ex c. 13. de processionibus publicis, & controversiis super præcedentia componendis; c. 14. de potestate puniendi delinquentes in certo casu; c. 17. de exploranda voluntate puellæ professionem edituræ &c. Unde licet verum sit, ei competere jus compescendi per censuras, qui habet jurisdictionem specialem cogendi in foro externo; cùm datâ cuipiam jurisdictione ad aliquid, videantur quoque data omnia, sine quibus ea exerceri

ceri non potest, juxta c. *Pastoralis*, & c. *Præterea*, de offic. delegat. ac L. 2. ff. de jurisdict. omnium Judic. (aliàs enim inutilis, & frustranea foret) id tamen procedit solùm in casu secluſæ specialis exemptionis ab ea jurisdictione cogendi per censuras; relictâ potestate aliarum pœnarum; quo jam fit, dictam potestatem non esse inutilem. Privilegium porrò speciale, ne ab Ordinariis compelli possint per censuras, habere Mendicantes, liquet ex eorum Compendio, V. *Exemptio*, & testatur Sanchez cit. l. 7. D. 33. n. 23. & nostræ Societati concessit specialiter Paulus III. 1549.

§. 2.

De privilegio immunitatis à solvendis Decimis.

1267 QUæstio est, an privilegium alicui, v. g. Ecclesiæ concessum, ne teneatur solvere Decimas Episcopales, intelligendum veniat non solùm de bonis, & possessionibus, quæ tunc erant, quando tale privilegium concessum erat; sed etiam futuris, & deinceps acquirendis? De hoc agitur h. t. in c. *Quia circa*, 22. ubi Papa dictam quæstionem resolvit affirmativè (ut patet ex textu supra relato) sub duplici tamen conditione. 1. si ea decimarum remissio facta extitit secundùm canonicas Sanctiones. 2. si facta sit, indefinitè Decimas remittendo; cujus causam ibidem reddit Pontifex; *cùm nihil exceperit, & potuerit excepisse, ac in beneficiis plenissima sit interpretatio adhibenda, nec debeat una eademque substantia diverso jure censeri, intellexisse videtur, non solùm de decimis possessionem illius temporis, sed futuris.*

1268 Dicitur autem remissio decimarum Episcopalium *facta secundùm canonicas sanctiones*. 1. si facta sit cum consensu Capituli, c. *sine exceptione*, 12. q. 2. c. *Cùm nos*, 3. de his, quæ à Prælato sine consensu Capituli. 2. si causâ necessitatis, vel utilitatis, vel pietatis, sine gravi damno Ecclesiæ remittentis, per c. *Apostolicæ*. 9. de donationib. junctâ Gloss. V. *Secundùm canonicas*. Per *decimas* autem *Episcopales*, intelligitur quarta canonica, quæ juri communi, ad onera Episcopatûs sustinenda, solvenda est Episcopo ex omnibus decimis, pertinentibus ad Ecclesias inferiores, c. *de quarta*, 4. de præscript. c. Conquerente, 16. de offic. Ordin. ubi tamen adverte, resolutionem de remissione decimarum ex possessionibus etiam futuris procedere, quando ipse, cui aliàs solvi deberent, indefinitè illas remittit. Nam ibi procedit ratio, quod, cùm nihil exceperit, & potuerit excipere, videatur concessionem intellexisse de decimis ex possessionibus etiam futuris.

Si quæras, quid dicendum de remissione solvendi decimas *Novalium*, seu possessionum, quæ primum accesserunt ex terris antea incultis, quando decimas alii jure poterant percipere, & antè perceperunt à tali v. g. Monasterio, vel Ecclesia. Hæc quæstio mota fuit apud Gregorium IX. à Monachis contra Moniales, quæ illis, licet aliàs ab earum Monasterio cum pacifica sui juris possessione percepissent, negabant solvere decimas novalium, eò, quòd credebant se munitas privilegio de decimis *novalium* non solvendis. Ad hanc quæstionem respondit Gregorius, ut habetur in c. *Dudum*, 31. h. t. De consilio Fratrum nostrorum decernimus juri prædictorum Prioris & Conventûs super decimis novalium, in quarum erant possessione tempore illo, quo indulgentiæ Apostolicæ impetratæ fuerunt, à parte altera decimis novalium non solvendis *non debere per eas non facientes de hoc aliquam mentionem, præjudicium generari.* 1269

Ex hac resolutione sequitur, in privilegio de decimis novalium non solvendis, non comprehendi decimas, tempore privilegii impetrato possessas ab aliis, nisi de possessione alterius fiat expressa mentio; quia Pontifex juri alieno, cujus pacificam possessionem quis habet, non intendit derogare per favorem alteri factum, quando id non est expressum. Unde quando uni Ecclesiæ concedit jus exigendi decimas ab alia, concessio intelligenda venit de solvendis decimis possessionum, & novalium existentium tempore concessionis; non autem eorum, quæ primò accesserunt, nisi & de his in concessione cautum sit expressè. Hinc si Ecclesia B. sit in possessione percipiendi decimas ab Ecclesia C., & hæc impetret privilegium non solvendi decimas novalium, primò natorum post concessionem factam Ecclesiæ B. privilegium tenet; nam in hoc casu non impetratur privilegium subreptitiè, tacitâ nimirum veritate, quòd Ecclesia B. sit in possessione percipiendi decimas ex dictis novalibus; hoc enim verum non est, cùm ponatur, ea novalia primùm nata esse post concessionem factam Ecclesiæ B. quin hæc extenderetur ad futura. Si au- 1270

tem alicui concedatur privilegium, non solvendi decimas simpliciter, cùm hoc ipso tacitè insinuetur, jus eas percipiendi, esse penes aliquem possessorem, non vitiari privilegium, etiam tacitâ hac possessione; quia sufficienter insinuatur petendo liberationem ab onere illas persolvendi.

1271 Quæri ulterius potest, an privilegium non solvendi decimas novalium perpetuò duret? Ad hanc quæstionem respondit Gregorius IX. ut habetur c. *fin.* h. t. Consultationi Vestræ respondemus, quòd *terra, de qua non extat memoria, quòd aliquando culta fuisset, redacta per religiosos viros noviter ad culturam, perpetuò debet quoad immunitatem de non solvendis decimis novalium jure censeri.* Cùm aliàs nonnunquam contingeret, indulgentiam de novalibus plus eis dispendii, quàm utilitatis adferre. Ex quo textu sequitur ad datam quæstionem affirmativè sic resolvente textu relato. Ubi tameo nota per *novale* juxta jus canonicum intelligi terram, vel agrum de novo ad culturam reductum, de quo non extat memoria, quòd aliquando cultus fuisset, ut dicitur c. *Quid per novale* 21. de Verb. signific. Not. 2. terram, quæ semel est *novale*, retinere deinceps semper rationem *novalis*, quoad effectum, seu immunitatem de non solvendis decimis *Novalium*; adeoque semel exemptum à solutione decimarum ex Novalibus, censeri exemptum semper, nisi talem immunitatem, seu privilegium perdat.

§. 3.

De Privilegio celebrandi in altari viatico, seu portatili.

1272 ANte resolut. not. 1. missam & celebrari & audiri debere regulariter in Ecclesia consecrata, vel benedicta, idque per c. 1. dist. 1. de Consecr. ibi: Missarum celebrationes, *non alibi, quàm in sacratis Domino locis absque magna necessitate fieri debere, liquet omnibus*; & c. *sicut.* 11. eod. dist. ibi: *sicut non alii, quàm sacrati Domino Sacerdotes debent missas cantare, nec sacrificia super altare offerre, sic nec in aliis, quàm Domino sacratis locis*, id est, *in tabernaculis divinis, precibus à Pontificibus delibutis, missas cantare, aut sacrificia offerre licet, nisi summa coëgerit necessitas. Satius ergo est missam non cantare, aut non audire, quàm in illis locis, ubi fieri non oportet: nisi pro summa contingat necessitate*: quoniam necessitas legem non habet. Unde scriptum est: Vide ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris, sed in omni loco, quem elegerit Dominus DEus tuus. *In Dominibus* tamen *ab Episcopis, sive Presbyteris oblationes celebrari, nullatenus licet.* c. *Missarum*, 12. ibid. ibi: missarum solemnia non ubique, sed in locis ab Episcopo consecratis, *vel ubi ipse permiserit*, celebranda censemus, & c. 33. ibi: *Unicuique fideli. um in domo sua oratorium licet habere, & ibi orare: Missas autem ibi celebrare non licet.* Ex quibus textibus colligitur, etiam extra Ecclesiam, in casibus jure, vel privilegio permissis, licitum esse celebrare, non tamen sine ara portatili, ut constat ex c. *Quoniam* 12. h. t. de quo dicemus infra.

Not. 2. per decretum Concilii Trid. 1273
Sess. 22. de observand. & evitand. in celebr. missar. statui, ne locorum Ordinarii patiantur *privatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam, & ad divinum tantùm cultum dedicata oratoria, ab eisdem Ordinariis designanda*, & visitanda, *sanctum hoc sacrificium à sæcularibus, aut regularibus quibuscunque peragi.* Sub hæc ad finem illius decreti subjungitur: Hæc igitur omnia, quæ summatim enumerata sunt, omnibus locorum Ordinariis proponuntur, ut non solùm ea ipsa, sed quæcunque alia huc pertinere visa fuerint, ipsi pro data sibi à Sacrosancta Synodo potestate, ac etiam, *ut delegati Sedis Apostolicæ*, prohibeant, mandent, corrigant, statuant, atque ad ea inviolatè servanda censuris Ecclesiasticis, aliisque pœnis, quæ illorum arbitrio constituentur, fidelem populum compellant, non obstantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus, ac consuetudinibus quibuscunque. Censent autem aliqui, facultatem Ordinariis concessam in cit. c. *Missarum*, per quam ex justa causa possint licentiam dare, celebrandi extra Ecclesiam, v. g. sub dio, vel in capella domus privatæ, etiam adhibito utroque altari, firmo scilicet, & portatili, per hoc decretum sublatam esse, pro qua opinione referuntur à Barbosa in hunc locum Trid. n. 18. Azor p. 1. l. 10. c. 26. q. 3. Valer. Reginald. l. 29. n. 179. & alii: Sed contrarium demonstrat usus, & praxis. Unde decretum illud (*ne patiantur*) negant esse prohibitivum etiam pro casu, quo est justa causa concedendi, Navarrus, Sayrus, Zerola, Bonacina, & alii apud Barbos. cit. n. 18.

n. 18. idem ſentientem de poteſt. Epiſcopi p. 2. allegat. 23. à n. 8. & dato, quòd decretum illud ſe porrigeret etiam ad hunc caſum; non eſſe tamen ubique receptum cum eo rigore, demonſtrat praxis contraria, quibus poſitis:

1274 Rz. 1. Epiſcopis, & his Superioribus conceſſum eſſe privilegium, cum altari viatico celebrandi, vel faciendi ſibi celebrari, ubicunque; quin tamen violent interdictum, id nimirum agendo in locis interdicto ſuppoſitis. Ita c. *quoniam*, 12. h. t. in 6. ibi: Quoniam Epiſcopi, eorumque Superiores ſe habent, diverſis ex cauſis à ſuis Eccleſiis, & diœceſibus abſentare frequenter, nec ſemper poſſunt commodè ad Eccleſias accedere pro miſſa celebranda, vel audienda in ipſis, *ſine qua eos tranſire non decet absque cauſa rationabili ullam diem:* præſenti conſtitutione *indulgemus eiſdem, ut altare poſſint habere viaticum, & in eo celebrare, ac facere celebrari ubicunque absque interdicti transgreſſione illis permittitur celebrare, vel audire divina.* Et quamvis etiam hoc privilegium Epiſcopis ſublatum eſſe velint aliqui apud Barboſam in cit. loc. Trid. n. 16. alii tamen negant; cùm Concilium per illud decretum ſolùm intendat non tolerari *irreverentiam* & *abuſum*, paſſim, & ſine cauſa celebrandi extra Eccleſiam; quando autem Epiſcopi id agunt ex cauſa, quam inſinuat ipſe textus in cit. c. *quoniam*, abuſus non eſt; ergo.

1275 Rz. 2. c. *In his*, 30. de privileg. Fratribus Minoribus indultum eſſe, ut ubicunque fuerint, ſine parochialis juris præjudicio cum altari valeant viatico celebrare; & cùm nonnulli hoc privilegium ſtrictius interpretandum vellent, dicentes, quòd per eam indulgentiam prædicti Fratres, *præter Epiſcoporum, Abbatum, & aliorum Prælatorum aſſenſum facere hoc non poſſint*, propter quod eos celebrare juxta indulgentiam Apoſtolicam non permittebant: reſcripſit Pontifex: *ſi res taliter ſe haberet*, nihil eis conferret indulgentia memorata, ſine qua id Epiſcopis, & aliis Prælatis annuentibus liceret eisdem. Quâ declaratione poſitâ, ſubjungit: mandamus, quatenus interpretatione hujusmodi reprobatâ, dum tamen ab aliis, quæ à jure parochiali proveniunt, ſe prorſus abſtineant, datam eis ſic licentiam celebrandi auctoritate noſtra non differas publicare, ità, quòd dicti Fratres aliquam ex indulgentia noſtra videantur in hoc gratiam conſecuti. Hoc privilegium à Gregorio IX. datum etiam eſſe Fratribus Prædicatoribus, tradit Gonzalez in cit. c. 30. n. 2. idque ex c. 7. de celebrat. miſſar. in 5. compilat. aſſerens in c. 1. de conſecr. Eccleſ. n. 8. dictum privilegium confirmatum à Sixto IV. & Alexandro VI. quamvis apud Barboſ. in cit. loc. Trid. n. 19. velint hoc privilegium illis ademptum eſſe per dictum decretum Trident. aliis contrarium ſentientibus, de quibus Barboſa ibid. n. 19. §. contra.

Pro ſententia, quæ dictorum privile- 1276
giorum revocationem affirmat, videtur ſatis multum facere, quod habetur in Brevi Gregorii XIII. 1579. 1. Octobr. quo uſus Altaris viatici Societati prius conceſſus à Paulo III. eidem quoad Miſſiones reſtituitur, ubi expreſsè dicitur: *Uſum Altaris viatici à Concilio Tridentino universè ſublatum eſſe.* Cœterùm noſtræ Societati idem Gregorius XIII. in Bulla incip. *Decet*, 1575. 1. Maji, *poſt Tridentinum* conceſſit, quòd in Oratoriis, & Capellis, quæ in Societatis Domibus, Collegiis vel Reſidentiis per Provinciales approbatæ fuerint, & ad divinum duntaxat cultum deſtinata, miſſæ, & alia divina officia, ſine alterius requiſita licentia celebrari poſſint.

§. 4.

De Privilegiis Prælatorum Eccleſiaſticorum.

LOquimur de privilegiis competentibus 1277
jure communi; pro quibus not. 1. quatuor eſſe inſignia pontificalia, mitram, pedum, ſeu baculum paſtoralem, annulum & ſandalia. *Mitra*, ſeu apex nuncupatur multiplici nomine, ſcilicet *corona ſacerdotalis*, ſertum cum gemmis, Pileus, Tiara, Cidaris, Phrygium, Lorum, Auriphrygium circulare, Infula, Diadema, Vitta, ut cùm variis Authoribus probat Gavantus p. 2. tit. 1. n. 6. Eſt ornamentum capitis, habens duo redimicula per axillas fluentia: item duo cornua accepta, à Cidari Hebræorum, referente quaſi cornua Moyſis ex conſortio DEI. Sic Pereyra in Elucidario n. 857. quamvis alii velint per duo cornua ſignificari duo Teſtamenta, vetus & novum, utriuſque ſcientiam deſignantia.

Baculus ſignum eſt auctoritatis ſeu po- 1278
teſtatis & diſciplinæ, c. 1. de ſacra unct. ubi habetur: quòd *Romanus Pontifex non utatur baculo* paſtorali tum propter Myſti-

cam

cam rationem. Quia baculus est potestas data per hominem, & Summus Pontifex à solo DEO potestatem accipit; ita Glossa ibidem. *Annulus* datur Prælatis Ecclesiasticis in signum matrimonii spiritualis inter ipsos, & Ecclesiam initi. *Sandalia*, & *caligæ* apud D. Hieronymum in Isai. l. 5. c. 20. pro eodem reputantur: verùm distinguuntur in habitu Episcopali juxta Innocent. III. l. 2. c. 48. nam *Caligæ* primùm induuntur usque ad genua: at *Sandalia* pedes tantùm contegunt. Dictæ *caligæ*, quia ligantur, ex Isid. lib. 19. orig. c. 34. Cæterùm etiam alia sunt ornamenta, quæ specialiter ornant Episcopum, ut sunt *Tunicellæ*, *Dalmaticæ*, *chirotecæ*, *gremiale*, *pluviale*, *crux pectoralis* &c. de quibus videri potest Pereyra cit. à n. 857. & Ascanius Tamburin. de jure Abbat. tom. 1. dis. 20. q. 1. à n. 3.

1279 Not. 2. insignia Pontificalis dignitatis esse duplicia 1. quædam, quæ denotant solam *dignitatem*, quin adjuncta sit jurisdictio; quædam verò dignitatem cum *jurisdictione*, vel *officio*, ut potestate ordinandi, Chrismate inungendi, &c. Unde, cùm permittere, *crucem deferri ante se* sit signum potestatis, & jurisdictionis, Archiepiscopis id non permittitur extra suam provinciam, ut dicitur c. 1. Ut lite pendente; quod universim intelligendum est, nempe nulli licere, extra suam provinciam, vel diœcesin propriam, sine licentia diœcesani, seu Ordinarii, uti Pontificalibus, quæ jurisdictionem denotent, aut ea exercere, prout etiam habetur in Clement. 2. h. t. ibi: *suæ provinciæ, & suæ diœcesis*

1280 Si autem quæras, quid sit Pontificalia exercere? R. id explicari à P. Benedicto Pereyra in Elucidario exponente universum idioma, seu proprietatem sermonis Theologici, Canonici, & civilis l. 3. elucidat. 5. sect. 3. n. 1663. ubi ait: *Pontificalia exercere*, est ordinare clericos, conficere chrisma, Episcopos consecrare, dedicare basilicas, & convocare ad Concilium, ut ex c. *quod sicut*, de elect. tradit Sanchez l. 7. dub. 16. n. 9. Unde, cùm *Pontificalia exercere*, alicui prohibetur extra suam provinciam, vel diœcesin, seu territorium sine licentia Ordinarii talis loci, eoipso dictos actus jurisdictionis, & potestatis exercere illi interdictum est; quibus præmissis:

1281 Quæstio 1. est, quæ privilegia jure communi concessa sint Archiepiscopis? R. de hoc agi in Clement. *Archiepiscopo*, 2. de privilegiis, ubi Clemens V. prout habetur in Concilio Viennensi, approbante Sacro Concilio concessit Archiepiscopis 1. quòd per quævis loca exempta suæ Provinciæ transeuntes, vel ad ea fortè declinantes, *Crucem ante se portari*, liberè facere possint; 2. ibi *populo benedicere*; *divina officia privatim, vel publicè audire, & ea in Pontificalibus etiam cum pallio celebrare diebus permissis* (ut notat. Gloss. hic V. eod.) *& facere in sua præsentia celebrari*, non obstante quovis privilegio contrario. Ex quo deducunt aliqui Archiepiscopum jure communi, posse Pontificaliter celebrare in quolibet loco, etiam exempto suæ Provinciæ, etiam absque licentia Prælati loci exempti.

Dices: hoc ipso, quòd aliquis locus sit 1281 *exemptus* ab Ordinario alicujus provinciæ, vel diœcesis, talis locus non est in provincia, vel diœcesi; ergo supposità tali exemptione non potest Archiepiscopus, vel Episcopus Pontificaliter celebrare in ejus. modi loco exempto sine licentia Prælati loci exempti. pat. conseq. 1. ex Trid. Sess. 6. de Reform. c. ult. ibi: *Nulli Episcopo liceat cujusvis privilegii prætextu Pontificalia in alterius Diœcesi exercere, nisi de Ordinarii loci expressa licentia & in personis eidem Ordinario subjectis tantùm*: si secus factum fuerit, Episcopus ab exercitio Pontificalium, & sic Ordinati ab executione Ordinum sint ipso jure suspensi. Secundò, quia privilegium jure communi illis concessum loquitur solùm *de locis propria Provinciæ*, vel *Diœcesis*.

Ante respons. nota, *locum exemptum* 1283 *à Diœcesano*, ex hoc, quòd exemptus sit, non propterea non esse *in ejus Diœcesi*, nimirum *materialiter* & *physicè*, sed tantùm *formaliter*, nimirum *quoad effectum subjectionis*, relatè ad jurisdictionem, quam aliàs, seclusâ tali exemptione, Ordinarius in eo loco exercere posset; & locus, quilicet materialiter, non tamen formaliter est in ejus diœcesi, dicitur quidem *in*, sed non *de diœcesi ejus*, prout colligi potest ex c. *Cùm Episcopus*, 7. de offic. Ordin. in 6. ubi dicitur: *cùm Episcopus in sua tota diœcesi jurisdictionem ordinariam noscatur habere*: Dubium non existit, quin in quolibet loco ipsius diœcesis non exempto pro se, vel per alium possit pro tribunali sedere, causas ad Ecclesiasticum forum spectantes audire:

dire: personas Ecclesiasticas (cùm earum excessus exegerint) capere, ac carceri deputare: nec non & cætera, quæ ad ipsius spectant officium, liberè exercere.

1284 Nam si Episcopus posset suam jurisdictionem etiam contentiosam exercere in quemlibet locum, qui solùm materialiter est *in ejus diœcesi*, eo ipso id posset etiam *in loco exempto*, quia exemptio non facit talem locum esse extra ejus diœcesin materialiter & physicè, seu localiter; sed hæc sequela in cit. c. *Cùm Episcopus*, negatur, cùm expresè dicatur *in quolibet loco suæ diœcesis non exempto*; erga cum dicitur, quòd Episcopus jurisdictionem non possit exercere in loco suæ diœcesis exempto, intelligitur de exempto, exemptione, quâ locus constituitur *formaliter extra diœcesim*, licet materialiter, seu localiter sit in ea. Unde quando dicitur: paria sunt, *esse extra territorium*, & *esse in loco exempto*, verum est, si intelligatur *formaliter esse extra*, non autem *si materialiter*; quo posito:

1285 R. antecedens verum esse, quòd talis locus non sit formaliter, bene tamen materialiter in ejus provincia, vel diœcesi; hinc N. conseq. ad 1. hujus probat. R. Tridentinum loqui de loco, qui nec materialiter est in ejus provincia, vel diœcesi; ad 2. prob. R. textum illius privilegii necessariò debere intelligi de loco, qui non tantùm materialiter, sed etiam formaliter est in ea provincia, vel diœcesi. Cùm enim loquatur de loco etiam exempto illius provinciæ, intelligi necessariò debet de exemptione cæteroquin tali loco concessa, sed exemptio, quâ locus existens physicè intra Provinciam, sit physicè extra illam, non est ulli loco data, nec dari potuit, pro tempore, quo in ea physicè est; ergo solùm loquitur de concessione, seu exemptione, quâ non sit *de diœcesi*, seu qua non sit formaliter & juridicè in ea. Nec sibi contradicunt Tridentini prohibitio, & privilegium juris communis, de quo n. 1281. illud enim loquitur de actu jurisdictionis contentiosæ, vel cum insignibus, qua denotant jurisdictionem, in loco exempto non exercendo; non autem istud; cùm loquatur solùm de actibus cum insignibus Pontificalibus, qui fiunt sine jurisdictione.

1286 Quæstio est 2. quæ privilegia de jure communi concessa sint Episcopis? R. in cit. c. *Archiepiscopo*, illis idem quoad potestatem benedicendi populum, audiendi divina, vel faciendi sibi celebrari, aut personaliter celebrandi etiam in Pontificalibus in locis suæ diœcesis, quantumvis privilegiatis, & aliàs exemptis, concessum esse quod Archi-Episcopis; quia textus loquens de Episcopis, postquam egit de Archi-Episcopis, utitur verbis posteriora cum prioribus connectentibus, ibi: *simili modo*, cum ea tamen clausula, quæ non tantùm afficiat Episcopos, sed etiam Archi-Episcopos, si tamen quod prætextu concessionis hujusmodi, in locis ipsis exemptis, vel circa hoc privilegiatis, nullam aliam jurisdictionem idem Archi-Episcopus, vel Episcopus exerceat, nec personis exemptis, vel privilegiatis molestiam inferat, vel gravamen, nullumque exemptioni, vel privilegiis eorundem aliud præjudicium generetur, nec ipsis Archi-Episcopo, vel Episcopo jus aliud quomodolibet acquiratur.

Quæstio est 3. quæ privilegia de jure communi concessa sint Abbatibus, & aliis Ecclesiarum Prælatis, Episcopo inferioribus? R. reperiri duo; de primo sic loquitur textus in c. *Apostolicæ* 6. h. t. in 6. Ut Apostolicæ Sedis benignitas (quæ nonnullis Abbatibus, aliisque Prælatis, quibus non competit ex propria dignitate, concessit in Ecclesiarum suarum gloriam, & honorem, quod mitrâ, & aliis Pontificalibus uti possint) provideat, ne inde scandala oriantur, sic tamen, quòd ipsi privilegiati suorum privilegiorum non frustrarentur effectu, & ex majoritate ac decore majori ornatuum, majoritas appareat dignitatum: De fratrum nostrorum consilio præsenti decreto statuimus, *ut Abbates, & alii, quibus mitræ usus est ab eadem Sede concessus, exempti quidem in provincialibus Conciliis, & episcopalibus Synodis* (quibus nonnulli eorum interesse tenentur) *mitris tantummodo aurifrisiatis* (non tamen aureas, vel argenteas laminas, aut gemmas habentibus) *uti possint: Non exempti verò simplicibus, & albis, ac planis utantur.* In aliis verò locis exemptis, & non exemptis mitris liceat illis uti, prout concessa eis ab eadem Sede indulta permittunt. 1287

Secundum habetur in c. *Abbates*, 3. h. t. in 6. ibi: Abbates, quos Apostolica Sedes in exhibitione benedictionis super populum speciali privilegio insignivit: in Ecclesiis, quæ ad eos pertinent *pleno jure*, 1288

quando in eis divina officia celebrant, possunt post Missarum solennia, & vespertinas, ac matutinas laudes benedictionem solennem super populum elargiri. Alibi autem publicè aut per vias, civitates, castra & villas, populis & plebibus benedictionem facere, vel impartiri non valeant. Nisi hoc eis expresso Apostolico privilegio sit concessum. Nec eis licitum sit aliis, quàm Monasteriorum suorum conversis, & qui ad illa convolaverint, & in quos Ecclesiasticam, & quasi Episcopalem jurisdictionem obtinent, primam clericalem conferre tonsuram. Nisi eis id competat ex pleno præfatæ Sedis indulto.

1289 Ex dictis juribus sequitur. 1. Abbates, & alios Episcopis inferiores Ecclesiarum Prælatos, quibus à Sede Apostolica concessus est usus mitræ, hac uti posse etiam in provincialibus Conciliis, & Episcopalibus Synodis, eo tamen discrimine, ut, si non sint exempti, utantur mitris simplicibus, albis, ac planis; si autem exempti, tantùm aurifrisiatis, non tamen aureas, vel argenteas laminas, vel gemmas habentibus.

1290 Sequitur 2. quamvis non omnibus Abbatibus, & aliis Ecclesiarum Prælatis Episcopo inferioribus, *ratione dignitatis propriæ* competat usus mitræ, & Pontificalium (ex cit. c. *Ut Apostolicæ*, ibi: *quibus non competit ex propria dignitate, quòd mitrâ, & aliis Pontificalibus uti possint*) posse tamen illis de jure communi uti *ex privilegio* concesso in Ecclesiarum suarum gloriam, & honorem in propriis Ecclesiis; in aliis autem locis exemptis, & non exemptis mitris uti eis licere, prout concessa eis ab eadem Sede indulta permittunt, jure nimirum speciali.

1291 Sequitur 3. Abbates, & Prælatos prædictos, qui habent jus mitræ, ac Pontificalium, & Ecclesiæ suæ *pleno jure* præsunt, ex privilegio de jure communi præter facultatem post missarum solennia, vespertinas, ac matutinas laudes, benedictionem super populum elargiendi, posse conferre primam tonsuram suorum Monasteriorum Conversis (non autem aliis;) nisi plus competat ex indulto Apostolico. Et quamvis aliqui hoc extendant ad ordines etiam minores, textus tamen de hoc nihil dicit. Unde necesse est hanc potestatem, quoad *minores ordines*, ex aliis indultis esse concessam, cùm generali consuetudine, ac praxi confirmetur, de quo Sylvester V. *Ordo*, 3. q. 2. Nec juvat, quod in textu sermo sit de habentibus jurisdictionem quasi Episcopalem; hæc enim non importat potestatem *ordinis*.

Not. autem ea verba in cit. c. *Abbates*, 3. *Nec eis liceat aliis, quàm suorum Monasteriorum Conversis, & qui ad illa convolaverint, & in quos Ecclesiasticam, & quasi Episcopalem jurisdictionem obtinent, primam clericalem conferre tonsuram*, ex Trid. Sess. 23. c. 10. intelligenda, ne cuiquam, qui Regularis subditus non est, tonsuram, vel minores ordines conferant, ut rectè notat Wagnereck in Exegesi ad cit. c. *Abbates*. 1289

ARTICULUS VII.

De Excessibus Privilegiatorum.

PEr *excessum*, quem faciunt Privilegiati, ratione, vel occasione privilegiorum, intelligitur *abusus*. Pro intelligentia illius regulæ, quæ habetur c. *privilegium*, 11. q. 3. & statuit, *privilegium amitti per abusum*, Suarez l. 8. de Legibus c. 36. triplicem *abusum* distinguit: unus est *quasi formalis* in ipso actu, privilegii excedendo usum, nempe faciendo plus, quàm privilegium concedit, ad quem proinde spectat omnis injusta, & irrationabilis extensio privilegii. Secundus abusus dici potest *occasionalis*, in quo privilegium se habet per modum objecti, seu potius occasionis moventis; ut cùm quis ex privilegio sumit occasionem delinquendi. Tertius est, cùm quis suis pravis moribus directè repugnat fini privilegii, seu destruit fundamentum illius: sic beneficiarius habens privilegium, ut sit absens propter studium, dicitur eo abuti, quando neglecto studio aliis actionibus inutiliter occupatur. Quamvis autem multa jam dixerimus supra de abusibus privilegiorum; & consequente illorum ex ea causa amissione; in sequentibus tamen attingemus in particulari ea tantùm, quæ in hoc titulo à sacris canonibus insinuantur. Complures ejusmodi excessus, per Ordinarios ad Pontificem delati habentur in c. *Cùm & plantare*, 3. h. t. nimirum, quòd Regulares aliqui privilegiis sibi à Sede Apostolica concessis abutentes, Ecclesias, & decimas de manu Laicorum sine consensu Episcoporum recipiant; quod excommunicatos & interdictos ad Eccle- 1293

Ecclesiastica recipiant Sacramenta, & ad sepulturam admittant in cunctis Ecclesiis suis præter eorum conscientiam; & instituunt, & amovent Sacerdotes; & fratribus eorum ad eleemosynas quærendas euntibus est indultum eis, ut in adventu eorum jucundo semel in anno aperiantur Ecclesiæ: atque in eis Divina celebrentur officia, plures ex eis de una sive de diversis domibus ad interdictum locum sæpius accedentes, indulgentia privilegiorum nostrorum in celebrandis officiis, & sepeliendis mortuis abutuntur, & mortuos apud interdictas Ecclesias sepelire præsumunt. Occasione quoque confraternitatum, quas in pluribus locis faciunt, robur & auctoritatem Episcopalem enervant, dum contra eorum sententiam, sub aliquorum *privilegiorum obtentu* munire cunctos intendunt, qui ad eorum fraternitatem voluerint se conferre.

1294 Contra hos excessus Alexander III. in Concilio Lateranensi statuit sequentia 1. Ne Regulares *quicunque* Ecclesias, & decimas recipiant à Laicis sine consensu Diœcesanorum; 2. Ne excommunicatos, & interdictos admittant ad divina, etiamsi ejusmodi Regulares sint exempti. 3. Ne iidem in Ecclesiis ad ipsos non pertinentibus pleno jure, instituant, nec destituant Clericos, inconsultis Episcopis, licet hi teneantur ipsis rationem competentem reddere de temporalibus. 4. Quòd Confratres, etiam exemptorum Regularium: seu oblati eorum, qui in totum se non transtulerunt, judicari possint ab Ordinariis, sicut alii Parochiani; ut habetur in cit. c. *Cùm & plantare*, cujus clausula est: *quod autem de prædictis Fratribus* (nimirum Templariis, & Hospitalariis) *dictum est, ab aliis quoque Religiosis, qui præsumptione suâ Episcoporum percipiunt jura, & contra canonicas eorum sententias, & tenorem privilegiorum nostrorum venire præsumunt, præcipimus observari. Si enim contra institutum hoc venerint, & Ecclesiæ, in quibus ista præsumpserint, subjaceant interdicto: & quod egerint, irritum habeatur.*

1295 Circa istam constitutionem not. 1. quòd Pontifex expressè loquatur de illis *solum* Regularibus, qui *præsumptuosè*, sicut Fratres Templi, & Hospitalis (nam de his potissimæ querelæ allatæ sunt quoad excessum in usu privilegiorum, ut ex ipso textu patet) jura Episcoporum percipiunt, & *contra* canonicas eorum sententias, ac *tenorem privilegiorum à Pontificibus concessorum* venire præsumunt; igitur non de illis, *qui juxta tenorem privilegiorum sibi concessorum* procedunt; & validè, ac licitè illis utuntur, quantum est vi hujus decretalis Constitutionis, quæ non agit contra utentes jure sibi specialiter concesso, si usum exerceant juxta tenorem privilegii sibi facti.

Cœterùm not. 2. quando dicitur 1296
Regulares non posse Ecclesias, vel decimas recipere de manu Laicorum sine consensu Episcopi, id in multiplici sensu posse intelligi. 1. quando illas Laici violentè, ac injustè sine omni titulo detinent; 2. quando quidem injustè, tamen cum aliquo titulo, saltem de facto, habito ab inferioribus Prælatis. 3. quando habent justè in proprietatem, puta Pontificis dispensatione & concessione. In primo casu Regulares non possunt eas recipere à Laicis, nisi restituant his, quibus debentur; nam alia Laicis dispositio nulla competit de Ecclesiis, & rebus earum, ne quidem de consensu Episcopi, ex c. *Inter dilectos.* 6. §. *Cæterùm*, de fid. instrum. in secundo autem casu, accedente Episcopi consensu possunt; quia sic revertuntur ad usum Ecclesiasticum, licet reddantur alteri Ecclesiæ, vel loco Religioso, per c. *Cùm Apostolica*, 7. de his, quæ fiunt a Prælato; c. *fin.* 16. q. 1. cum c. 2. de decimis, in 6. id, quod etiam procedit in tertio casu; quia tunc ejusmodi proventus, ac decimæ sunt laicales, de quibus Laici disponere possunt.

Not. 3. ex cit. c. 3. §. *Excommunicatos*, 1297
quòd Regulares, etiam exempti, teneantur vitare excommunicatos ab Episcopis, non toleratos, exemptione in ordine ad hunc effectum illis non patrocinante; cùm illa obligatio, *vitandi tales*, non fundetur in potestate Episcopi, à quo exempti sunt; sed in lege, ut dicemus tit. 39. Et ideo excommunicatio minor, quam incurrunt ex illicita communicatione cum excommunicatis, pariter à jure, non ab Episcopo illis infligitur.

Not. 4. ex hoc, quòd Regulares, etiam exempti habeant Jus Patronatus respectu alicujus Ecclesiæ, sibi non subjectæ pleno jure, nimirum etiam quoad populum, etsi eis competat jus præsentandi Clericum ad eam Ecclesiam vacantem, institutionem tamen, ac destitutionem præsentati pertinere ad Ordinarium, in cujus diœcesi est

ea Ecclesia, licet ab instituto in illa exigere valeant rationem temporalium, ut constat ex dict. n. 1294. Ubi tamen nota, si Regulares huic contravenirent, etsi eorum Ecclesiæ, in quibus ista præsumpserint, interdicto supponantur, non esse tamen ipso facto, sed per sententiam Judicis, ibi: *subjaceant*, quod imperativi est, ac executorem respicit; Sic Hostiens. & Abb. in cit. c. *Cùm & plantare. §. Religiosi.*

Not. 5. quando dicitur, oblatos quarundam Religionum etiam exemptarum, etiam gaudere istarum privilegiis, debere intelligi de his, qui se, & sua in totum transtulerunt in ejusmodi Religionem; secus manere subjectos jurisdictioni Ordinariorum, sicut alios eorum Parochianos, ex cit. c. 3. §. *Confratres.*

Not. 6. Regulares, quibus ex privilegio competit, posse mortuos ad sepulturam recipere, excedere recipiendo defunctos in excommunicatione, & in suis cœmiteriis, vel Ecclesiis tumulando, c. *ad hæc*, 5. h. t. cùm grave sit, eis in morte communicare, quos, dum viverent, Ecclesia à suo sinu pro suis excessibus segregavit.

1298 Not. 7. excedere Regulares, si in Oratoriis suis privatis campanas habeant, easque publicè compulsent, ex c. *Patentibus*, 10. h. t. ubi Cœlestinus III. Episcopo Abulensi hac super re ad ipsum recurrenti, rescripsit: *respondemus autem consultationi tuæ, quòd non licet eis hoc agere quin potius per te, per censuram Ecclesiasticam, appellatione remotâ, coërcendi sunt, ut ita sint suo jure contenti, quòd justitiam non impediant aliorum.* Ubi nota, quòd licet hic textus videatur contrarius alteri, in c. *Nimis*, 16. de excessib. Prælator: ubi inter alias querelas Regularium contra Prælatos Ecclesiasticos, fuit, *quòd non permittant eos habere campanam in suis Ecclesiis, vel oratoriis*, ut notavimus in superior: facile tamen ambo concilientur observando cum Abbate in c. *Nimis*, n. 2. & 5. quòd c. *Nimis* loquatur de campanis in Ecclesiis, vel oratoriis *publicis*, quæ sunt in Regularium Monasteriis, vel Collegiis; & c. *Patentibus*, de campanis, in Ecclesiis, vel Oratoriis eorum *privatis*, existentibus in privatis eorum Monasteriis.

1299 Not. 8. in c. *Tuarum*. 11. h. t. inter excessus privilegiatorum numerari 1. si falso cruce signatos *Laicos illiteratos* mittant ad colligendas eleemosynas vi privilegii, quo ad eum finem licet eis mittere *Clericos, & Fratres ex ordine suo.* 2. si in Ecclesia sibi non plenè subjecta sanguinis effusione pollutâ, & necdum reconciliatâ, etiam contra interdictum Ordinarii divina officia celebrent. 3. Si vi privilegii, *Confratres suspensos restituendi ad divina officia*, ad eadem restituant *extraneos*, & non Confratres, suspensos ab Episcopis. 4. Quòd Laicos quosdam cum Uxoribus in domo propria commorantes (à quibus annuatim aliquid accipiunt) ab Episcoporum potestate eximant. Hos excessus Fratribus Hospitalis S. Joannis Archiepiscopus Lugdunensis objecit, & ad Innocentium III. detulit.

Ad quæ respondens Pontifex statuit, 1300
1. ut his, qui commiserint primum excessum, mittendo pro eleemosynis Crucefalso signatos, Ordinarius interdicat officium prædicationis in tota sua provincia; missos autem, si Laici sint, excommunicet; si Clerici, ab officio, & beneficio suspendat, non obstante privilegio, & appellatione. Eos, qui delinquunt in secundo, suspendat, & divina celebrare non permittat, dum Ecclesia sit reconciliata. Illos, qui in tertio, pariter suspendat, & restitutos in eandem suspensionem reducat. 4. Demum taliter exemptos, etiam appellatione remotâ, ad parendum compellat; sic Innocentius III. in cit. c. *Tuarum.*

Not. 9. Exemptis non licere in loco non 1301
exempto Ecclesias, Oratoria, vel Capellas ædificare, sine Diœcesani licentia, ut habetur c. *Auctoritate*, 4. de privileg. in 6. nec in sic constructis, tempore interdicti, exceptis casibus expressis in jure, celebrare, aut facere celebrari divina; secus ab Ordinariis compescendos; item sententias, quas talium Exemptorum Conservatores in Ordinarios prædicta illis inhibentes tulerint, revocari, ac nullas esse, ut dicitur in cit. c. 4. §. *Et si quas.*

Not. 10. Privilegiatis, seu exemptis, nec in locis exemptis licere construere Ecclesias, Oratoria vel Capellas, nisi super hoc habeant speciale privilegium Sedis Apostolicæ; sic Alexander IV. in cit. c. *Auctoritate*, §. *Inhibemus insuper.* Nam in loco etiam exempto Summus Pontifex est Diœcesanus, seu Ordinarius, ut notat Gloss. in dict. c. *Auctoritate*, V. *compescantur*; ergo cùm generaliter prohibitum sit, ne

ne quis ædificet Eccleſiam, Oratorium, vel Capellam ſine licentia Ordinarii, ut dicitur c. *Nemo*, 19. diſt. 1. de Conſecrat. neceſſaria illis in eo caſu erit licentia Papæ.

Not. 11. Etiam exemptis non licere comparere in judicio agendo, vel defendendo cauſas hominum liberorum in propriis eorum cauſis, hoc eſt, quarum commodum & incommodum ad hos ſpectat; quia ſic redderent aliis collitigantibus cauſam difficiliorem, in ſe illam aſſumendo contra ipſos, ut dicitur dicto c. *Auctoritate*, §. Cauſas quoque.

Not. 12. in c. *Epiſcoporum*, 8. h. t. in 6. Clementem IV. Epiſcoporum, & aliorum Prælatorum querelis frequentibus excitatum, ſtatuiſſe, ne alieni, ſeculares aut regulares, quantumcunque exemptionis, ſeu libertatis Sedis Apoſtolicæ privilegiis communiti, cujuſcunque Ordinis, religionis, ſtatus vel conditionis exiſtant, ſcientes celebrent, vel faciant celebrari divina in civitatibus, caſtris, villis (niſi quatenus eis à jure conceditur) ſeu locis aliis *interdictis ab Ordinariis*, ſive delegatis judicibus, vel à jure, aut excommunicatos publicè, vel interdictos ad divina officia, ſeu Eccleſiaſtica Sacramenta, vel Eccleſiaſticam ſepulturam admittant. Qui verò contra præſumpſerint (præter alias pœnas à jure ſtatutas) ingreſſum Eccleſiæ ſibi noverint interdictum: donec de transgreſſione hujuſmodi ad arbitrium ejus, cujus ſententiam contempſerint, ſatisfecerint competenter.

1302 Ex hoc autem textu naſcitur controverſia, an hæc conſtitutio decretalis, ac ejus pœna, ſolùm procedat contra *Exemptos?* an etiam contra *non exemptos?* Barboſa in dict. c. 8. n. 3. ait, ſententiam, quæ tenet comprehendi Exemptos, & non exemptos, in rigore juris veriorem eſſe, & magis aptari literæ hujus textûs, *quantumcunque Exempti*; oppoſitam autem (quòd comprehendat ſolos exemptos) benigniorem eſſe, & graviſſimorum auctoritate ſuffultam, in praxi defendi poſſe. Mihi videtur comprehendi eâ decretali ſolos non ſubjectos, conſequenter exemptos; videtur poſſe probari 1. ex textu, ibi: *ne alieni ſeculares, vel regulares*, quantumcunque exempti, celebrent, &c. ubi nota, *alienos* propriè dici extraneos, ut notat Pereyra in Elucidario n. 1766. ex Spigel. V. cod. ſubjectus autem, ſeu diœceſanus, reſpectu ſui Epiſcopi non eſt extraneus; adeoque nec *Exemptus*; ergo textus loquens de *alienis* intelligi non debet (maximè in diſpoſitione pœnali) de diœceſanis, ſed tantùm non ſubditis, ac Exemptis. 2. cùm hæc conſtitutio lata ſit ad querelas Epiſcoporum, ne ipſorum ſententiæ contemnantur, in eo cenſendus eſt Pontifex, per hoc decretum pœnale medelam conſtituere voluiſſe, contra quos Epiſcoporum querelæ erant, ut à Summo Pontifice coërcerentur; Sed pro ſubditis propriis Epiſcopi hoc auxilio non egebant; ſecùs pro non ſubditis, & Exemptis; ergo.

Dices: particula *quantumcunque exemptis* 1303 non eſt reſtrictiva, ſed magis ampliativa; ergo cùm textus indefinitè loquatur de ſcienter divina celebrantibus in loco interdicto, ampliativè ſumi debet, quando additur ad verbum *celebrantibus* in loco interdicto, ut comprehendat quoſcunque taliter celebrantes, etiamſi ſint exempti quocunque demum exemptionis privilegio; ſed ſic includit etiam non exemptos; ergo. R. Dato anteced. diſt. conſeq. ergo ampliativè ſumi debet, quando additur celebrantibus in loco interdicto, intra latitudinem termini *celebrantes*, de quibus loquitur textus C. Secus, N. conſeq. diſt. ſubſumptam: ſed ſic comprehendit etiam non exemptos, ſi ſunt alieni C. ſi non ſunt alieni, N. ſubſumptam; quia textus expreſſè loquitur de celebrantibus non indefinitè, ſed *de alienis celebrantibus* in loco interdicto; inter hos autem ſunt privilegiati, & non privilegiati; ergo rectè adhuc, ſalvatur etiam illius particulæ ampliatio, ſi dicatur eam conſtitutionem cadere *in omnes alienos, etiam eos, qui cæteroquin privilegiati ſunt.*

Not. 13. Religioſis ſub pœna excom- 1304
municationis reſervatæ ipſo facto incurrendæ interdictum eſſe, 1. ne Clericis, vel Laicis miniſtrent Sacramentum extremæ Unctionis, & Euchariſtiæ tanquam viatici; 2. ne matrimonia ſolennizent, ſeu ſolenniter benedicant ſine obtenta expreſſa licentia Presbyteri Parochialis; 3. ne excommunicatos à Canone, vel ſententiis per ſtatuta provincialia, aut Synodalia promulgatis à culpa, & pœna abſolvant; & ſic incurſam ab eis excommunicationem, per Ordinarios poſſe denuntiari, nullo illis quoad hoc ſuffragante exem-

ptionis, vel alio privilegio; sic etiam statutum est in Clement. *Religiosi*, 1. de privileg.

1305 Circa istam constitutionem advertendum, 1. illam procedere in Religiosis etiam exemptis, ibi: *nullo suffragante exemptionis privilegio.* 2. quando dicitur in textu: *vel Sacramentum Eucharistiæ ministrare*, intelligi vi verborum, tam sanis, quàm moribundis; sed de sanis, imò etiam infirmis usus obtinet contrarium; his enim licitè præbent communionem in suis Ecclesiis, imò etiam, ubi licitè celebrant, dummodo non tanquam viaticum. 3. dictas pœnas non esse sublatas per Tridentinum, quod Sess. 24. c. 1. de Reform. matr. statuit suspensionem in Regulares, qui sine licentia proprii Parochi sponsos solenniter benedicunt. Nam lex etiam pœnalis, priorem non revocat, nisi exprimat; vel ei in totum, vel partem contrarietur. 5. Dictam constitutionem pœnalem in Clement. cit. expresè solùm loqui de Religiosis, quo nomine non veniunt Clerici non Regulares. 6. Textum non statuere illas pœnas in prædictos actus exercentes, nisi id faciant *præsumptuosè*, ut patet ex textu ibi: *præsumpserint.*

1306 Advertendum 7. Regularem non agere contra dictam constitutionem, exercercendo illos actus (v. g. assistendo matrimonio, vel moribundo extremam unctionem ministrando) si eos exerceat, *credens Parochiano dicenti, se habere licentiam à suo Pastore, recipiendi ab aliis etiam Regularibus*; quia tunc non agit *præsumptuosè*; ita Sanchez l. 3. matr. D. 37. n. 1. & alii qui addit n. 8. sufficere licentiam Parochi, esto nondum sacerdos sit; quia solùm exigitur licentia *proprii Sacerdotis*, quo nomine venit *proprius Parochus*, licet Sacerdos non sit, ut notant communiter Doctores apud Barbos. n. 13. in Clement. *Religiosi*; id, quod etiam procedit de licentia Episcopi, vel Vicarii generalis. 10. Dictæ constitutioni pœnali non esse locum, in casibus jure, vel speciali privilegio, potestate Regularibus competente ad illos actûs, v. g. ut *suis familiaribus* ministrent ea Sacramenta, ut constat ex textu, ibi: *præterquam in casibus à jure expressis, vel privilegiis Sedis Apostolicæ concessis eisdem.* 11. Nec esse illi locum, si Regularis absolveret excommunicatum ab homine; textus enim expresè loquitur tantùm de excommunicatis à canone, vel statutis provincialibus, aut Synodalibus.

Not. 14. in eadem Clementina, §. 1307
Quibus, dictis Regularibus sub præcepto obedientiæ, & comminatione maledictionis æternæ, inhiberi, 1. *ne Prælatis Ecclesiarum detrahant in sermonibus*, hoc est, in prædicationibus, & concionibus suis, & quidem adeo, ut delinquentes per duos menses subjacere debeant illis pœnis, quæ secundum regulam, vel statuta propter gravia delicta, vel culpas eis imponi consueverunt. Sic §. *Quibus.*

Secundò, ne Laicos ab Ecclesiarum suarum accessu, vel frequentia retrahant, intellige modis illicitis; 3. ne indulgentias indiscretas (nimirum, ut notat Glos. sa hìc V. eodem) non concessas, falsas, suppositititias, vel legitimè revocatas, aut suspensas, promulgent, in quo non est dubium à nonnullis vehementer excedi; 4. ne quando intersunt testamentis conficiendis, testatores retrahant à debitis restitutionibus, à faciendis legatis Ecclesiis matricibus, seu Cathedralibus, & aliis.

Quintò, *ne legata, debita, vel ablata incerta* fieri, seu erogari *procurent sibi, aut aliis singularibus sui ordinis Fratribus, vel Conventibus, in aliorum præjudicium*, nimirum eorum, quibus debentur, vel quibus legare volebant, vel quibus competit dispositio de incertis malè obtentis, ut notat Glossa ibid. V. *in aliorum.* 6. Ne præsumant quemquam à casibus Sedi Apostolicæ, vel locorum Ordinariis reservatis absolvere. 7. Ne contra personas etiam Ecclesiasticas (præsertim coram delegatis Papæ) suam justitiam prosequentes, eas indebitè vexare, aut ad plura loca (causâ eas conveniendi) trahere præsumant.

Not. 15. de secus agentibus in cad. 1308
Clement. sic loqui Pontificem: Si qui verò præmissa, vel aliquod de præmissis, attentare præsumpserint, per duos menses subjaceant pœnis illis, quæ secundùm eorum regulam, vel statuta pro gravibus criminibus, seu culpis eis consueverunt imponi; Super quibus absque manifesta necessitate cum eis non valeat dispensari. Cæterum Prælati eorum, nisi de iis, quæ occasione præmissorum excessuum, ad eos quoquo modo pervenerint, Ecclesiis, aut personis Ecclesiasticis damnificatis, vel læsis satisfactionem plenariam exhibuerint

intra

intra mensem, postquam super hoc fuerint requisiti, suspensionis sententiam usque ad satisfactionem debitam eo ipso incurrant, non obstantibus præmissis statutis, aut quibuslibet privilegiis, cujuscunque tenoris existant.

1309 Not. 16. Prædictæ constitutioni ad finem ejusdem Clementinæ in §. *sanè*, apponi hanc moderationem: sane Religiosis illis, quibus est ab Apostolica Sede concessum, ut familiaribus suis domesticis aut pauperibus in hospitalibus suis degentibus, Sacramenta possint Ecclesiastica ministrare: nullum ex præmissis volumus quoad hoc præjudicium generari. Quid porrò in hoc privilegio veniat nomine familiarium domesticorum, dicemus infra à n. 2351.

ARTICULUS ULTIMUS.

De privilegiis vivæ vocis oraculo concessis.

1310 PRivilegium *vivæ vocis oraculo* concessum dicitur, quod Pontifex Romanus concedit vocetenus, & non scripto proprio. Non est dubium plura Regularibus privilegia solo vivæ vocis oraculo esse concessa. Quia tamen postea Gregorius XV. & sub hoc Urbanus VIII. ea revocavit, ille quidem quibusdam exceptis (illis nempe, quæ concessa, ad instantiam Regum, vel manu alicujus Cardinalis firmata sunt) iste verò omnia sine ulla exceptione: à nonnullis disceptatur, an jurisdictio, quæ in iis privilegiis concessa fuerat, etiamnum licitum usum habeat? quibusdam affirmantibus, negantibus aliis; ideo ad calcem hujus tituli breviter subjungemus ea, quæ in utramque partem disputantur. Quæstio igitur præsens est, an non obstantibus dictorum Pontificum constitutionibus, privilegia Regularibus vivæ vocis oraculo concessa, consequenter facultates in illis concessæ maneant revocatæ?

§. 1.

Proponitur sententia affirmans revocationem.

1311 IN hac controversia, opinionum sibi oppositarum, Cardenas in Crisi Theolog. ad propositiones damnatas ab Innocentio XI. dissertat. 2. c. 6. §. 2. n. 315. de sententia negantium revocationem sic loquitur: *Nunquam potui mihi in animum inducere, eam opinionem esse verè probabilem, sed semper existimavi, eam certò falsam; mihi enim evidens est, privilegia Regularibus vivæ vocis oraculo concessa à Romano Pontifice, ex constitutione Urbani VIII. manere revocata. Sed quia multi Scriptores præfatam opinionem propugnant, nolo appellare absolutè improbabilem, sed solùm asserо, eam esse tenuiter probabilem, & dubiæ probabilitatis.* Et pro sua opinione citat Cardinalem de Lugo in respons. moralib. l. 4. d. 33. n. 2. Quintanaduennam tom. 1. tr. 9. sing. 3. Baldellum tom. 2. l. 3. D. 34. n. 19. Antonium Escobar Theol. moral. t. 1. l. 6. s. 2. c. 3. problem. 16. n. 144. & c. 16. problem. 3. n. 195. Dianam, & alios. Sed Card. Lugo loc. cit. super hoc nihil habet.

Ratio ipsius est. Quia Urbanus VIII. 1312
expressè revocat omnia privilegia, vivæ vocis oraculo Regularibus concessa, *quæ non reperiuntur expressè, ac singulatim scripta in literis Apostolicis sic, ut ex his de illis constet*; sed privilegia vivæ vocis oraculo Regularibus concessa, quamvis per alias Bullas in genere confirmata, non reperiuntur scripta in literis Apostolicis, ut per ejusmodi literas constet de illis; ergo privilegia vivæ vocis oraculo Regularibus concessa, quamvis per alias Bullas in genere confirmata, sunt revocata. Minor, inquit, & consequentia sunt evidentes. Quòd autem præfati Pontifices, & præcipuè Urbanus expressè intendat revocare privilegia, quæ non constant ex literis Apostolicis, constat ex motu proprio Urbani, illis verbis: *Cùm autem experientiâ rerum magistrâ compertum sit, concessiones, & gratias vivæ vocis oraculo, etiam à S. R. E. Cardinalibus obtentas, & ipsorum manu firmatas, sæpe ab his, in quorum favorem emanarunt, minus canonicâ interpretatione extendi, & perperam in disciplinæ Ecclesiasticæ detrimentum executioni demandari; idcirco quantum cum Domino possumus, his & aliis malis occurrere volentes; motu proprio, &c.*

Nam ex his verbis deducitur 1. Pon- 1313
tificem intendere revocationem omnium privilegiorum vivæ vocis oraculo concessorum, ne, dum non constat *de terminis formalibus*, quibus facta est à Pontifice concessio, illi, in quorum favorem facta est concessio, apponant alios terminos, qui sibi videantur æquivalentes, & sic extendant facultatem ultra mentem Pontificis. Et quidem non est dubium, longè diverso modo fieri interpretationem privilegii, si ap-

si apponantur diversi termini, quamvis, narranti privilegium videantur æquivalentes; nam ipsi termini, qui communiter *æquivalentes*, alii majorem, alii minorem extensionem recipiunt. Ex quo manifestè colligitur intendere Pontificem, quod certum constet de terminis formalibus, quibus Pontifex fecit concessionem, quod non aliter constat, nisi per ipsas literas Apostolicas.

1314 Deducitur, 2. ex ipso Romani Pontificis testimonio, cui refragari nefas est, experientiâ compertum esse, ejusmodi oracula ab aliquibus extendi ultra id, quod creditur fuisse de mente Pontificis, & ultra id, quod permittit canonica interpretatio. Ex quo manifestè infertur, quòd intendit Pontifex, privilegia constare de verbo ad verbum ex literis Apostolicis, nedum proponuntur, seu referuntur privilegia per alios terminos diversos ab iis, quibus Pontifex ea concessit, facilius trahantur ad diversum sensum.

1315 Deducitur, 3. quamvis confirmata sint in genere per alios Pontifices: & non inveniantur scripta in literis Apostolicis, sed solùm scripta per privatam personam, idem subire periculum, quòd extendantur minus canonicâ interpretatione; & quòd cum detrimento Ecclesiasticæ disciplinæ executioni mandentur: Ergo Pontifex expressè vult revocare omnia privilegia, quæ non reperiuntur scripta in literis Apostolicis; neque eximuntur à revocatione, per hoc quòd sint confirmata in genere.

1316 Deducitur, 4. voluisse Pontificem occurrere aliis malis, quæ ex concessione privilegiorum vocetenus facta, & non scripta in literis Apostolicis, oriri possunt, ut dicitur in clausula supra relata: ergo manifestum est, quod intendit Pontifex, quòd privilegia inveniantur scripta in literis Pontificis, & ex illis clarè constet, ut prædictis malis occurratur.

1317 Sed quænam sunt hæc mala, sive inconvenientia? sanè non est leve inconveniens, quòd in tota Ecclesia deducantur ad praxin privilegia, de quorum concessione non est plena probatio, & vix est semiplena, qualia sunt non pauca ex his oraculis. Nam licet quàm plures sint Scriptores, qui testentur dari ejusmodi privilegia vivæ vocis oraculo concessa, authoritas tamen omnium illorum reducitur ad illum unum, qui vel immediatè accepit ab ore Pontificis, vel immediatè accipit ab eo, qui obtinuit à Pontifice concessionem. Cui tam tenuem fidem habet Urbanus, ut licet sit S. R. E. Cardinalis ille, qui testatur privilegium, non velit istud esse validum. Et meritò; quia dum non plenè constat de verbis formalibus Pontificis, potest ille, qui testatur privilegium, addere, aut minuere, aut in alio sensu intelligere. Et quidem quamvis in aliqua causâ deponant viginti testes, si omnes se referant ad dictum unius, non faciunt majorem probationem, quàm ille unus.

§. 2.

Proponitur sententia negans revocationem.

CArdenas in Crisi Theologica, ubi agit de diplomate Innocentii XI. damnante 65. propositiones differt. 2. n. 314. refert complures ex Scriptoribus, qui negant etiam post dictas eorum Pontificum constitutiones manere revocata Regularium privilegia vivæ vocis oraculo concessa. Quintanaduennas m. supr. cit. pro ead. n. 5. pro eadem sentent. refert Lezanam qq. regul. c. 3. n. 21. & Peyrin. tom. 3. c. 12. const. 18. Notandum tamen non omnium esse doctrinam indefinitam; quidam enim volunt revocata solùm ea quæ ante revocationem non fuerunt bullata, seu in scriptum redacta, & sub hoc à Summis Pontificibus specialiter confirmata; non autem prius bullata: alii aliter restringunt, ut revocatio non cadat super privilegia remuneratoria, vel ex quasi contractu concessa, ut notavimus supr. 1318

Prima probatio desumitur à distinctione privilegii vivâ voce concessi, in id, quod tunc etiam, quando facta est ea revocatio, adhuc fuit *purè oraculum vivæ vocis*; & illud, quòd tunc, quando facta est revocatio, *non amplius fuit purum oraculum vivæ vocis*, sed exuit naturam vivæ vocis oraculi, & induit naturam privilegii Bullati, sic, ut in tali Bulla habeantur pro expressis, tanquam de verbo ad verbum forent inserta; videtur autem certum, quòd expressa in literis Apostolicis non sint mera vivæ vocis oracula; quo posito: arguunt: Per constitutiones Gregorii XIII. & Urbani VIII. tantùm sublata sunt privilegia Regularium puro vivæ vocis oraculo concessa; ergo, quæ tunc non amplius erant pura vivæ vocis oracula, per constitutiones dictorum Pontificum non sunt subla-

ſublata; ſed multa privilegia, quæ prius vivâ voce Regularibus conceſſa fuerant, adhuc ante revocationem factam ſunt Bullata, conſequenter, quando facta eſt revocatio, non fuerunt pura vivæ vocis oracula; ergo ea per conſtitutiones dictorum Pontificum non ſunt ſublata. Subſumpta patet ex facta diſtinctione privilegii in purum, & non purum vivæ vocis oraculum. Ant. prob. quia cùm dicta conſtitutio expreſsè ſolùm loquatur *de privilegiis vivæ vocis oraculo conceſſis*; & ſit odioſa, utpote privans omnes Regulares jure quæſito, ex liberalitate Summorum Pontificum, & tot meritis in Eccleſiam DEI; ſtrictè interpretanda eſt de privilegiis vivæ vocis oraculo conceſſis, eo nempe, quod fuit, ac permanſit purum oraculum uſque ad revocationem.

1320 Ad hoc argumentum reſpondet Cardenas n. 320. non ſufficere, qualitercunque illa eſſe, vel haberi pro expreſſis, & ideo illam acceptionem fallacem eſſe, & laborare in æquivoco; quia Gregorius & Urbanus *expreſſis verbis intendunt*, quòd, ut privilegia valeant, *conſtare debeant ex literis Apoſtolicis, & in illis reperiri expreſsè, & ſingillatim ſcripta*: quid ergo prodeſt, quòd dicant alii Pontifices Prædeceſſores per clauſulam generalem, *ea habenda eſſe pro expreſſis*, ſi per hanc clauſulam non conſtat de talibus privilegiis, neque ea inveniuntur ſcripta expreſsè, & ſingillatim in ejuſmodi literis? Sed ad hoc dicemus infra à n. 1336. Illud hìc duntaxat annoto, in Bulla Urbani VIII. quam dabimus n. 1330. non inveniri, *quòd expreſſis verbis exigat, ut privilegia valeant, conſtare debere ex ipſis literis Apoſtolicis, ac in illis reperiri expreſsè, ac ſingillatim.* V. n. 1331. nam valde diverſa ſunt, *aliquid expreſſis verbis contineri in textu*, &, *aliquid deduci ſolùm, ex verbis expreſſis in textu.*

1321 Alterum negantium argumentum eſt, quod affert ipſe P. Cardenas cit. n. 330. quod ſic habet: Omnia privilegia Ordinibus Mendicantibus conceſſa ſunt irrevocabiliter; ergo privilegia vivæ vocis oraculo conceſſa eiſdem, non revocantur per conſtitutionem Urbani, aut Gregorii. Antecedens probatur 1. Nam B. Pius V. in quadam Bulla, in qua conceſſit, & confirmat privilegia pro quibuſdam Mendicantibus, decrevit, ea privilegia nullo unquam tempore per Sedem Apoſtolicam revocari poſſe, & ſub aliis revocationibus non comprehendi præfata privilegia. Quod ſi ea revocari contingat, ea Pontifex denuo concedit; etiam ſub data ab ipſo Mendicantium Generali eligenda. Et confirmatur. Nam Gregorius XIV. & Paulus V. confirmavit eadem privilegia eodem modo, ac Pius V. Ex hac benigna B. Pii V. conceſſione, negantes deducunt 1. dicta Regularium Mendicantium privilegia nunquam revocari poſſe, conſequenter ab omnibus revocationibus fieri ſolitis excepta eſſe; imò eſto fortaſſis revocarentur, ſtatim iterum à Generali Ordinis, poteſtate dignitati Generalatûs conceſsâ, reſuſcitari poſſe.

Reſpondet Cardenas cit. n. 342. con- 1322
cedendo privilegia vivæ vocis oraculo Mendicantium Ordinibus conceſſa, non eſſe revocabilia, *poteſtate ordinariâ*, non autem *de plenitudine poteſtatis*; quia B. Pius V. non potuit ligare *plenam* poteſtatem, quàm à Chriſto Domino habituri erant ejus Succeſſores. Sed reponunt contrarii, id quidem verum eſſe; at eodem modo ſequi, quòd nec *ordinariam* eorum poteſtatem ligare potuerit; adeoque ſi non plenè caſſetur conſtitutio Pii V. non rectè dici, ea privilegia vi dictæ conceſſionis à Pio V. eſſe irrevocabilia tantùm de poteſtate ordinaria. Obſervari etiam poſſet, quòd fortaſſe facultas: à Pio V. Mendicantium Generalibus conceſſa, ad privilegia, ſi revocata forent, denuò revalidanda, non ſit vivâ voce, ſed bullâ, vel Brevi Pontificio conceſſa, quo caſu non caderet ſub dictas conſtitutiones Gregorii XIII. & Urbani VIII. quæ ſolùm loquuntur de conceſſis vivâ voce.

Tertium negantium argumentum eſt 1323
ex natura privilegii *remuneratorii*; quia privilegia remuneratoria ſunt irrevocabilia; quæ ſi de plenitudine poteſtatis revocantur, debet fieri compenſatio: ſed omnia privilegia Regularium, atque adeo vivæ vocis oracula, ſunt remuneratoria; cùm conſtet ex Bullis Apoſtolicis, concedi ea privilegia propter magna merita; & nulla data eſt compenſatio pro ejusmodi oraculis revocatis: ergo manent non revocata. Ma. conſtat. 1. Quia talia privilegia tranſeunt in naturam contractûs; 2. Quia ſunt quædam donatio, & directè tendunt ad Dei cultum, ac ſalutem animarum, ut patet ex ipſis literis conceſſionum: at contractus etiam inter Principem, & Subditum irrevocabiles ſunt;

& donatio acceptata à donatario est verus contractus; ergo.

1324 Ad hoc argumentum respondet Cardenas, privilegia remuneratoria esse quidem irrevocabilia *per se*, & quando non apparent noxia utilitati publicæ; non autem *per accidens*, & ex quo apparent noxia utilitati publicæ. Revocationem autem in præsenti casu solùm cadere super privilegia vivæ vocis oraculo concessa, ex quo apparebant noxia utilitati publicæ, ut constat ex verbis Bullæ Urbani VIII. referendis infra 1331. adeoque in præsenti casu privilegia illa, per se irrevocabilia, bene potuisse per accidens revocari. Hæc tamen responsio ad summum probat, ea per accidens revocari solùm in eo, quo publicæ utilitati noxia sunt, nimirum, quorum extensionem ultra verborum significationem, quam non admittit recta verborum interpretatio in favorabilibus; at cum hoc stat substantia privilegii.

1325 Ad ma. 1. prob. respondet, negando privilegia remuneratoria transire in naturam contractus, quando non sunt circa rem, cujus acquiritur dominium, ut de castro, jure percipiendi vectigalia &c. cùm non maneat obligatus Princeps ex justitia commutativa, ex qua obligat contractus. Ad alteram similiter negat, concessionem ejusmodi privilegiorum esse donationem, nisi solùm analogicè, aut metaphoricè; & ait, hanc secundam probationem solùm habere vim in privilegiis, in quibus conceditur dominium rei, v. g. juris vectigalium &c. Ea enim est propriè donatio, & verus contractus gratuitus, qui revocari non potest, nisi propter publicam necessitatem, facta compensatione, si fieri potest; aut propter alias causas jure permissas absque compensatione. Ad 3. pariter negat; ex illis verbis Pauli V inferri, quòd data sint privilegia Mendicantibus ad promovendum cultum divinum; sed ad summum, quòd data sint in præmium iis Religiosis, qui se optimè exercuerunt in cultu DEI promovendo.

1326 Demum addit: Sed esto data sint propter cultum DEI promovendum: id quidem intelligi debere, dum ea privilegia judicio Principis Ecclesiastici nullum afferunt inconveniens, quod noxium sit utilitati publicæ. Nam ubi reperitur ejusmodi inconveniens, non promovetur cultus DEI per ea indulta, quæ cedunt in damnum spiritualis gubernationis. Cùm ergo privilegia vivæ vocis oraculo concessa, sint in damnum spiritualis gubernationis; nam ut testatur Urbanus, ea privilegia, quia non constant ex literis Apostolicis, extenduntur pro libito à privilegiatis, & alia mala inde sequuntur; inde est, quòd per ea non ritè promoveatur cultus DEI, & fidei augmentum. Quare minor ejus Syllogismi distinguenda est: omnia privilegia concessa sunt illis ad cultum DEI, & augmentum fidei (dum nullum afferre conspiciuntur incommodum contra spirituale gubernationem) concedo (dum id afferre cònspiciuntur) nego; Sic ille.

Verùm, cùm concedat, privilegia remuneratoria transire in naturam contractûs, quando sunt circa rem, cujus acquiritur dominium, ut est castrum, jus percipiendi vectigalia, &c. non est, cur excludat jus exemptionis, in quo quis legitimè possidet, aut quasi possidet facultatem exercendi aliquos actûs, aut recipiendi aliquid ab aliis, citra onus, quod carentes tali favore subire debent; ergo sicut illa, citra compensationem auferri non possunt à Successore concedentis etiam exigente utilitate publicâ, ut concedit Cardenas cit. n. 365. & 367. sic idem dicendum erit de illis: at hoc in dicta revocatione non est factum; ergo. 1327

Deinde immeritò videtur merè liberalis concessio jurium eorum, quorum quis non habet dominium, quale datur circa rem corporalem v. g. castrum, excludi à donatione propriè dicta; cùm illi revera competat definitio donationis strictè talis, ut constat ex lib. 3. tit. 24. de Donationibus. Nam, cùm concedat, ut diximus, liberalem concessionem juris percipiendi vectigalia, esse donationem non revocabilem, non factâ compensatione; non est, unde id negetur liberali concessioni juris incorporalium. In utroque enim casu is, cui tale jus aufertur, perdit aliquid de jure suo. 1328

Denique licet verum sit, privilegia remuneratoria Mendicantibus data esse in præmium iis, qui se optimè exercuerunt in cultu DEI promovendo; hæc tamen ratio non est unica, ut vult Cardenas; nam præter eum finem, qui fuit compensare labores præteritos tanquam justo eorum præmio, propter merita jam posita, intentio concedentium etiam erat, eosdem excitare ad continuandum Zelum in promoven- 1329

movendo DEI cultu, & lucranda salute animarum, quod importat remunerationem meriti in spe, seu ponendi; quod sonat etiam dare, ut facias. Quod autem dicit, dato, quòd essent concessa propter cultum DEI promovendum; non propterea fieri irrevocabilia per accidens, quando judicio Principis fiunt noxia utilitati publicæ, salvatur 1. responsione datâ n. 1324. Deinde si fiat compensatio, quod in præsenti factum non est; nec enim ex qualicunque bono publico, infringi potest jus acquisitum ex contractu oneroso, præsertim, si malum, cujus cautela quæritur, sit è paucorum duntaxat abusu.

§. 3.

Respondetur ad fundamenta Sententiæ affirmantis revocationem.

1330 ANtequam hoc præstemus, cùm P. Cardenas potissimum se fundet in Bulla Urbani VIII. (quæ incipit: *Aliàs felicis*, & inter Constitutiones hujus Pontificis in Bullario est 121. edita anno 1631. 20. dec.) illam in formalibus referre visum est, & sic habet §. 1. *Aliàs felicis recordationis Gregorius Papa XV. prædecessor noster, ut subnascentibus jugiter variis difficultatibus, & abusibus ex privilegiis à Sede Apostolica vivæ vocis oraculo sæpenumero concessis obviam iret, Constitutionem edidit tenoris subsequentis*, videlicet: *Gregorius Papa XV. Ad perpetuam rei memoriam. Romanus Pontifex in specula militantis Ecclesiæ.* &c.

1331 Subjungit §. 2. *Cùm autem experientiâ rerum magistrâ compertum sit, concessiones, & gratias vivæ vocis oraculo, etiam S. R. E. Cardinalibus obtentas, & ipsorum manu firmatas sæpe ab his, in quorum favorem emanârunt, minus canonica interpretatione extendi, & perperam in disciplinæ Ecclesiasticæ detrimentum executioni demandari: idcirco, quantum cum Domino possumus his, & aliis malis occurrere volentes, motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, & de consilio nonnullorum Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, quibus negotium hujusmodi maturè discutiendum commisimus, omnia, & singula privilegia, facultates, licentias, & quascunque per Summos Pontifices prædecessores nostros, ac per Nos vivæ vocis oraculo, & S. R. E. prædictæ Cardinalium quorumcunque manu firmata, quibuscunque Generalibus, Provincialibus, cæteris*que *Superioribus, & personis cujuscunque Ordinis, Congregationis, Instituti, & Societatis, sive secularibus, sive regularibus, vel etiam ipsis Ordinibus, Congregationibus, Institutis, & Societatibus, etiam Societati JESU aut ejus Clericis, seu Presbyteris, aliisque personis prædictis quacunque de causa, etiam de necessitate exprimenda, occasione, prætextu, vel colore, etiam intuitu, contemplatione, seu ad instantiam Imperatoris, Regum, & Principum quorumcunque, aut aliàs quomodolibet concessa, illorum tenores præsentibus pro expressis habentes, tenore præsentium revocamus, cassamus, tollimus, abrogamus, & annullamus, ac de cætero revocata, cassa, sublata, abrogata, & annullata, viribusque & effectu vacua esse, & fore, nullique prorsus deinceps suffragari posse, nec debere declaramus.*

In §. 3. *Præterea*, inquit, *ut præsentes* 1332
literæ omnibus & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, quanto citius innotescant, omnibus & singulis Generalibus & aliis quocunque nomine nuncupatis Superioribus quorumcunque Ordinum, Congregationum, Societatum, etiam Societatis JESU, & Institutorum, sub excommunicationis ac privationis officiorum & dignitatum, nec non vocis activæ & passivæ pœnis ipso facto incurrendis præcipimus & mandamus, ut infra tres menses proximos à die publicationis præsentium computandos, omnes, & singulos Provinciales eorundem suorum Ordinum, Congregationum, Societatum, etiam Societatis JESU, & Institutorum, de eisdem præsentibus literis certiores faciant, earundemque præsentium exemplaria illis transmittant, qui quidem Provinciales sub eisdem pœnis teneantur singulis Superioribus Monasteriorum, Conventuum, Collegiorum, Domorum & locorum regularium præcipere, ut easdem præsentes subditis suis, ut moris est publicent.

Et §. 4. *Decernentes, præsentes literas* 1333
etiam ex eo quòd, quicunque in præmissis interesse habentes, vel habere prætendentes ad hoc vocati, & auditi non fuerint, de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, seu alio quopiam defectu notari, impugnari, invalidari, redargui, in jus, vel controversiam vocari, aut ad viam, & terminos juris reduci, sive adversus illas quodcunque juris, gratiæ, vel facti remedium impetrari nullatenus posse, sed illas semper validas, firmas & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri,

& obtinere. §. autem 5. *Sicque per quoscunque judices ordinarios & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores sublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari & definiri debere, ac irritum & inane, si quid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.*

1334 Denique §. 6. addit clausulam derogatoriam, ibi: *Non obstantibus præinsertis literis hujusmodi, ac constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, & quatenus opus sit, etiam regulâ nostrâ de non tollendo jure quæsito, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis, eisdem Cardinalibus, ac Ordinibus, Congregationibus, Institutis & Societatibus, eorumque Superioribus, quocunque nomine nuncupatis sub quibuscunque verborum formis & tenoribus, ac quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.*

1335 Ex hac constitutione infert Cardenas cit. n. 372. constare, Pontificem Romanum habere Potestatem revocandi, & de facto revocasse ea omnia, quæ non sunt expressè scripta in literis Apostolicis, neque ex illis constat, ea esse concessa; idque propter inconvenientia, quorum experientiam testatur Pontifex. Quæ ratio facit certitudinem moralem, atque adeo de tali revocatione nullum esse potest dubium; ex quo tandem fit juxta hujus Authoris sententiam, opinionem affirmantium universaliter revocationem privilegiorum solius vivæ vocis, quæ in literis Apostolicis non sic expressa sunt, ut ex iis ipsa cognosci possint, esse moraliter evidentem; consequenter oppositam non esse verè probabilem; etsi dicat n. 315. quia multi scriptores illam propugnant, se nolle *absolutè* appellare *improbabilem*; & solùm asserere, esse *tenuiter probabilem*, seu dubiæ probabilitatis. At quoniam complures (ut dictum est) tradunt opinionem negantium non esse *dubiè*, sed *verè* probabilem; in præsenti solùm animus est inspicere, num hanc dubiam probabilitatem probationibus suis Cardenas evincat? Quarè:

Ad ejus fundamentum in n. 1312. 1335
contraria sententia &c. & 1. N. majorem sub illis terminis propositam, quòd Urbanus VIII. *expressis verbis* in sua constitutione revocet omnia privilegia vivæ vocis oraculo Regularibus concessa, *quæ non reperiuntur expressè ac singillatim scripta in literis Apostolicis, ut ex his de illis constet.* Nam hæc modificatio (*expressè, singillatim scripta, ut ex ipsis literis Apostolicis constet de illis*) non habetur expressè in Bulla Urbani, ut patebit legenti ejus §. 2. supr. in n. 1331. cujus ratio est ex n. 1320. Neque hoc probat deductio 1. in n. 1313. quam ex relatis inibi verbis facit Cardenas: Nam *aliud est*, privilegium corrumpi appositis aliis terminis, qui videantur æquivalentes, & secundùm illos facere interpretationem ultra id, quod permittit canonica interpretatio; *aliud*, privilegium sub terminis formalibus vivâ voce concessum, nihilominus interpretari ultra id, quod canonica interpretatio permittit; at primum, prout exponit Cardenas, non continetur in illis verbis; ergo nec deductio. Deinde, interpretatio ultra id, quod Canonica interpretatio permittit, multò frequentius contingit in privilegiis etiam expressis de verbo ad verbum, quin tamen de illis loquatur Pontifex non obstante identitate, vel majoritate rationis; ergo volens tollere tales interpretationes non canonicas, non intendit tollere vivæ vocis oracula semel bullata, & in Bulla pro expressis, acsi de verbo ad verbum inserta essent, habita; Sed tantùm ea oracula, quæ talia non sunt. Ideo:

&c. 2. cum dist. ma. Urbanus VIII. ex- 1337
pressè revocat omnia privilegia *mero & puro* vivæ vocis oraculo Regularibus concessa, quæ non reperiuntur expressè ac singillatim scripta sic in literis Apostolicis, ut ex his de illis constet, transeat ma: omnia privilegia vivæ vocis oraculo Regularibus concessa, prius, quàm fieret revocatio, bullata, sic, ut in bulla haberentur pro expressis, acsi de verbo ad verbum inserta es-

ta eſſent, N. ma. Hinc tranſmiſsâ minore, N. conſeq. hæc enim eſt indefinita, reſpectu omnium vivæ vocis oraculorum; & major permittitur ſolùm non quoad omnia indefinitè, ſed ſolùm quoad oracula, quæ merè ac purè talia ſunt. Ratio autem conſtat ex dictis n. 1319.

1338 Ad 1. probat. majoris in n. 1313. reſpondent, illam deductionem non eſſe æquipollentem verbis contentis in §. 2. Bullæ, ut diximus n. 1321. Nam in dicto §. 2. quem refero n. 1331. nullatenus *expreſſis verbis* exigunt, quod Cardenas citatis locis relatus ait; nempe, non ſufficere, quòd deſierint ante revocationem eſſe vera vivæ vocis oracula, & ſint bullata, ſic, ut pro expreſſis habeantur, & haberi debeant; ſed *inſuper requiri, ut in ipſis bullis ſpecificè exprimantur; ut legi, & ſciri poſſint, quæ, & qualia ſint?* ſi enim hoc requiſitum rectè deducitur ex §. 2. Bullæ, quia per experientiam compertum eſt, cæteroquin *fieri eorum interpretationes non canonicas*, idem etiam de illis privilegiis dicendum erit, quæ prius vocetenus tantùm conceſſa, & poſtea etiam in Bullis formaliter expreſſa, ſæpius à nonnullis accipiuntur interpretatione, quæ non ſit canonica, ut eâdem & majori experientiâ compertum eſt; ſed verba dicti §. 2. nullatenus ex ea ratione extendunt ſe ad hæc privilegia in ſenſu, quo ea accipit Cardenas; ergo nec ad illa. Satis igitur factum erit dictis conſtitutionibus, eas accipiendo de privilegiis, quæ tunc erant vera oracula, ac eorum extenſione, vel interpretatione non canonica, ſi quæ fiat, etiam poſtquam bullata fuerunt; ita illi.

1339 Ad 2. deductionem in n. 1314. ℟. omnino concedi; vivæ vocis oracula per nonnullos extendi ultra mentem concedentis, & interpretationem canonicam (hoc enim etiam fit, & factum eſt, etiam poſtquam in Bullis nominatim expreſſa ſunt, ut conſtat etiam ex ipſis Authoribus, imo Rotæ deciſionibus, & declarat. Cardinal. ſibi quandoque contrariis) ſed negari, ex hoc exigi *eam expreſſionem*, quam vult Cardenas, ut diximus numero præcedente. Idem contra eundem inſtatur in eo, quod adducit n. 1315. & ſeq. Non enim negatur, ex prava interpretatione privilegiorum, quæ viva voce conceſſa ſub ſuis terminis formalibus non conſtant jam, vel tunc, quando revocatio facta eſt, naſci periculum interpretationis non canonicæ; hoc autem periculum etiam ſubeunt, quando ſub ſuis terminis formalibus expreſſa ſunt; id, quod conſtat ex tanta varietate opinionum non modò privilegiorum in ſcriptis conceſſorum (ut teſtatur Gregorius XIII. in ſua conſtitut. *Aſcendente Domino*, §. *quia tamen non defuit temeraria quorundam audacia*) ſed aliarum quoque conſtitutionum Apoſtolicarum (ut liquet ex Commentariis ſcribentium in ſacros canones) quin propterea dicantur revocata intuitu talis periculi, & uſus ex interpretatione non canonica; ergo. Hinc ad id, quod contra primum argumentum negantium revocationem adducit Cardenas ſupra relatus n. 1320. negant Patroni opinionis negativæ à Gregorio & Urbano *expreſſis verbis* intendi, quòd, ut privilegia valeant, conſtare debeant ex literis Apoſtolicis *expreſsè*, & *ſingillatim*; Videantur verba formalia Bullæ in n. 1331. His in utramque partem conſideratis, etſi omnino ſentiam, opinionem, quam propugnat Cardenas, eſſe valde probabilem; non tamen obtinere tantam vim, quâ contrariam negantium opinionem oſtendat certò falſam, vel ſolùm tenuiter probabilem; id, quod collatis utrinque rationibus deduci poterit; præſertim, ſi conſideretur tot annorum uſus contrarius apud multos; & publicationis in ſententia plurium requiſitæ defectus earum conſtitutionum.

Præter hæc, quæ de privilegiis præ- 1340
miſimus, not. 1. quando alicui, vel privato, vel etiam communitati (qualiter fit in jubilæis) conceditur privilegium eligendi ſibi Confeſſarium *ex approbatis ab Ordinario*, moveri poſſe quæſtionem, an Confeſſarius electus debeat eſſe approbatus ab Ordinario illius diœceſis, in qua actualiter moratur Confeſſarius? Affirmativam tanquam ſibi certam, tenet Cardenas in Criſi ad propoſitiones ab Innocentio XI. damnatas diſſertat. 2. c. 6. a. 7. q. 3. §. 2. n. 271. idque poſt Bullam Clementis X. quæ expedita fuit undecimo Calendas Julii, 1670. ubi, ut refert Cardenas cit. n. 274. Clemens hac generali, & perpetuò valiturâ conſtitutione (quæ ſunt verba Bullæ) decernit, & declarat, Religioſos ab Epiſcopo ad Confeſſiones ſecularium in ſua diœceſi audiendas approbatos, non poſſe in alia diœceſi eas abſque Epiſcopi diœceſani approbatione audire; quibus

subjungit clausulam derogantem omnibus privilegiis, quæ huic generali constitutioni possunt obstare, & omnibus modis & clausulis, quæ excogitari possunt, evanescere facit omnes modos, quibus solent Jurisprudentes constitutiones Pontificias interpretari.

1341 Not. 2. Clementem in Constitutione, incipiente: *Superna magni Patrisfamilias*, de qua loquitur Cardenas, postquam §. 2. dixisset *varias dubitationes, & controversias perpetuò valiturâ constitutione se decernere, ac declarare*, subjungere in §. *Ad hæc*, 4. ac primò statuere & declarare, *Religiosos ab Episcopo ad confessiones secularium in sua diœcesi audiendas approbatos, non posse in alia diœcesi eas absque Episcopi diœcesani approbatione audire, quamvis pœnitentes subditi sint ejus Episcopi, à quo ipsi Religiosi jam fuerant approbati.* Secundò, *generaliter approbatos ab Episcopo ad personarum secularium confessiones audiendas, nequaquam censeri approbatos ad audiendas confessiones Monialium sibi subjectarum, sed egere quoad hoc speciali Episcopi approbatione:* atque *approbatos pro audiendis confessionibus Monialium unius Monasterii, minimè posse audire confessiones Monialium alterius Monasterii.* Tertiò, *Confessarios extraordinarios semel deputatos, atque approbatos ab Episcopo ad Monialium confessiones pro una vice audiendas, haud posse expletâ deputatione in vim approbationis hujusmodi illarum confessiones audire, sed toties ab Episcopo esse approbandos, quoties casus deputationis contigerit.*

1342 Quartò *in Monasteriis, ac etiam Collegiis, ubi juxta Regularia instituta vivitur, posse tam Prælatos Regulares, quàm Confessores Regularium eorundem Monasteriorum, seu Collegiorum audire confessiones illorum secularium, qui inibi sunt verè de Familia, & continui Commensales; non autem illorum, qui tantùm ipsis deserviunt*, illos autem *Religiosos, qui ad confessiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint, ab Episcopis generaliter quoque, & indistinctè absque alia limitatione temporis, certorumque locorum, aut generis personarum in diœcesi propria admittendos:* quoad cæteros verò, qui non adeo idonei reperiuntur, si petierint se admitti, arbitrio Ordinariorum relinqui, ipsos cum limitata facultate, prout eisdem Ordinariis magis expedire videbitur, probare & admittere; *semel autem simpliciter approbatos posse in diœcesi Episcopi approbantis quovis anni tempore, etiam Paschali, & quorumcunque etiam infirmorum confessiones audire absque ulla Parochorum, vel ipsius Episcopi licentia*; De qua tamen confessione teneri dictos Religiosos eorundem infirmorum Parochum illicò certiorem reddere. Et hoc posse illis ab Episcopo sub pœna suspensionis à facultate audiendi confessiones præcipi: sufficere tamen, ut certioratio hujusmodi fiat saltem per scripturam apud ipsum infirmum relinquendam.

Quintò in §. *Et eos*, 5. Eos, qui dictis 1343
Religiosis simpliciter approbatis Paschali tempore confessi fuerint, constitutioni, quæ incipit: *Omnis utriusque sexus*, quoad confessionem duntaxat, satisfeciisse censendos. Sextò, *Regulares ad ejusmodi confessiones audiendas prævio examine simpliciter, & absque ulla temporis præfinitione ab ipsomet Episcopo: secus autem ab ejus Vicario, aut ab Antecessoribus Episcopis approbatos, non posse ab eodem, qui sic approbavit, iterum examinari, aut ab eisdem confessionibus audiendis suspendi*; seu licentias illi concessas revocari, *nisi novâ superveniente causâ, quæ ipsas confessiones concernat.* De qua tamen haud necessarium esse, ut in actis constet; nec eam teneri Episcopum, ipsis Regularibus significare, sed Sedi Apostolicæ duntaxat, ubi eam sibi aperiri postulaverit.

Septimò in §. *Porrò*, 6. si Regulares 1344
cum scandalo, aut aliàs inhonestè vivant, vel aliquod delictum committant, per quod rationabili Episcopi judicio videantur à concessionibus suspendendi, in quo ipsius Episcopi conscientiam oneratam esse volumus, cum *præcipua, ministri Sacramenti Pœnitentiæ qualitas sit vitæ integritas, ac morum honestas; utique eam causam ad confessionis ministerium pertinere, ac proinde nihil obstare, quo minus ob eam possit Episcopus regulares à semet ipso approbandos suspendere, aut repellere à confessionibus.* Octavò *confessiones audiendi facultatem omnibus simul unius conventus regularibus confessoribus adimi ab Episcopo, inconsultâ Sede Apostolicâ*, nullatenus posse.

Nonò ex facultatibus per Mare Ma- 1345
gnum, aliave privilegia regularibus cujuscunque ordinis, instituti, aut Societatis, etiam JEsu concessis factam eis *non esse potestatem absolvendi in casibus ab Episcopo sibi reservatis*; & per confirmationes dictorum privilegiorum, quas regulares à Sede Apostolica post sacrum Concilium Tridentinum obtinuerunt, nequaquam revixisse privilegia prius ab eodem Concilio, aut deinde

deinde Apostolicis etiam decretis sublata, atque extincta, si quæ habebant, absolvendi à casibus Episcopo reservatis.

1346 Decimò in §. *Et habentes.* 7. *Habentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reservatis, non ideo à casibus Episcopo reservatis posse absolvere.* Undecimò, *Regularem Confessorem posse in ea diœcesi, in qua est approbatus, confluentes ex alia diœcesi à peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa, ubi idem confessor est approbatus, absolvere, nisi eosdem pœnitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam diœcesin pro absolutione obtinenda migrasse.* Duodecimò, vigore supradictorum privilegiorum nequaquam licere regularibus etiam satisfacta parte absolvere pœnitentes à censuris quoad externum & judiciale forum, & absolutos ab eis in foro pœnitentiali, utique non censeri absolutos in exteriori judicio & contentioso.

1347 Decimo tertiò, Censuris Ecclesiasticis irretitos & denuntiatos ab Episcopis cogi posse gerere se pro talibus, etiamsi à regularibus fuerint absoluti. Quoties autem exhibitis aliquibus regularium Apostolicis privilegiis coram Episcopo, ab eo indicetur ipsa non suffragari casui, de quo agitur, si dictorum privilegiorum verba obscura sint, & antiqua, non esse ad Metropolitanum provocandum, sed cùm ejus sit interpretari, cujus est condere: dictorum privilegiorum interpretationem Sedis Apostolicæ judicio, prout aliàs constitutione Prædecessoris nostri felicis recordationis Clementis IV. statutum fuit, esse requirendum.

1348 Not. 3. Circa dictam constitutionem Clementis, juxta diversorum Doctorum expositiones ex fundatis principiis juri conformibus, fieri posse verè probabilem interpretationem canonicam. Unde quod Cardenas relatus n. 1340. in fine affert dicens, per clausulas dictæ constitutioni appositas evanescere omnes modos, quibus Jurisprudentes solent constitutiones Pontificias interpretari, non habet locum, ubi talis interpretatio est interpretatio verè canonica, & juxta sacros canones etiam in legum Ecclesiasticarum expositione observandos facta: certum autem est, ut constitutiones Apostolicæ vim obtineant obligandi in actu secundo, à multis Doctoribus, etiam stando in principiis juris Ecclesiastici, exigi publicationem earum in provinciis; ab aliis autem (quos lib. 1. tit. 2. de Constitut. secuti sumus) saltem authenthicam publicationem Romæ cum latitudine temporis, intra quod ea publicatio moraliter diffundi possit ad alia quoque loca, seu provincias, & diœceses, ita, ut in tali communitate moralem certitudinem, aut culpabilem ignorantiam causare possit, & si hæc non sint, vim illis proximam obligandi in actu secundo negari, ut diximus cit. loc. libr. 1. Accedit, quòd Constitutiones Apostolicæ, licet vim obligandi obtinuissent positis omnibus ad hoc requisitis; usu tamen contrario, & desuetudine perfectâ vel ex toto, vel in parte (secundùm quod desuetudo inducta est) possint abrogari, ut diximus cit. l. 1. tit. 2. Quare, si alicubi contraria consuetudo legitimè inducta foret, vel deficeret debita ejus publicatio ad inducendam vim obligandi necessaria, non foret locus opinioni relatæ ex mente Patris de Cardenas.

Cœterùm, quidquid sit de his Doctorum interpretationibus, mihi videtur dicendum, quando in dicta constitutione dicitur, Confessarios ab Episcopo ad confessiones secularium in sua diœcesi audiendas approbatos, non posse in alia diœcesi eas absque Episcopi diœcesani approbatione audire, non aliud intendi quàm approbationem pro una diœcesi datam ab illius Ordinario, non sufficere pro quavis alia; Sed in qualibet requiri approbationem Ordinarii illius loci, in quo fit confessio. Cùm enim approbatio, *præter judicium idoneitatis de persona, tui animarum cura committitur*, importet etiam *voluntatem & consensum Ordinarii, quo tali approbando subjicit, pro foro Sacramenti pœnitentiæ, oves sibi concreditas*; hic autem consensus extendere non possit sese *ad oves alienas, & alteri diœcesano subjectas*; rectè sequitur, approbatum in una diœcesi pro illis secularibus, qui de tali diœcesi sunt, ex vi hujus approbationis non posse in alia diœcesi audire confessiones secularium, absque Episcopi diœcesani approbatione; quia ex vi illius nec expressè, nec tacitè, seu implicitè habet authenticum testimonium de idoneitate, ad oves alterius diœcesis, seu personas seculares audiendas. 1349

Hæc expositio videtur valde congrue- 1350
re intentioni, ac menti dictæ constitutionis, in qua Clemens §. 2. præmittit, se illa, quæ per subsequentes §§. *statuit*, & *decla-*

declarat, ſtatuere, & declarare, ut magis magiſque diſſenſionum tollantur ſemina, & impoſterum in agro Dominico pax floreat; cùm enim diſſenſiones iſtæ inter Ordinarios, & Regulares natæ ſint non tantùm ſolâ Regularium quorundam quarundam facultatum extenſione (quia non deerant, qui vellent, *ſemel ſimpliciter approbatum ab uno Epiſcopo in ſua diœceſi, eſſe hoc ipſo approbatum pro qualibet*, vel ſemel approbatum pro confeſſionibus Monialium, eoipſo cenſeri approbatum ſemper, & deinceps) ſed etiam Ordinariorum aliquorum rigore nimio, vel facili ſuſpenſione ab audiendarum confeſſionum munere, etiam ex cauſis *non pertinentibus ad miniſterium confeſſionis*, meritò repugnantibus aliis: hac autem expoſitione quoad punctum approbationis, tollatur ea diſſenſionum radix contra Regulares in querelam ab Ordinariis deducta, plus in eo puncto, quàm dictum ſit, ab ea conſtitutione poſtulari non videtur.

1351 Not. 4. *Aliud eſſe*, quòd quis ab Epiſcopo approbetur, ſeu publico judicio declaretur ſimpliciter idoneus ad audiendas ſecularium confeſſiones; *aliud*, quòd ei ſubjiciantur omnes Chriſti fideles undecunque accedentes ad eos à peccatis abſolvendos; hoc ſecundum jure ſuo nullus Epiſcopus dare poteſt Regularibus; poteſt tamen Summus Pontifex; & Epiſcopus ſolùm quoad oves ſuæ paſtorali curæ commiſſas; illi enim omnes fideles; iſti autem ſoli ejus diœceſani commiſſi ſunt. Ex quo ſequitur, *aliam eſſe approbationem*, quâ approbandus accipit teſtimonium ab Ordinario *de ſuâ idoneitate ad miniſterium Sacramenti pœnitentiæ*; *aliam*, quâ ipſi Ordinarius ad idem miniſterium ſubjicit oves ſuas. Ex hac obſervatione plures caſus reſolvi poſſunt, qui cæteroquin, ſtando in nudis diverſarum conſtitutionum verbis, dubitabiles eſſe poſſunt, & hoc loco prætermittuntur.

1352 Not. 5. Quòd occaſio & cauſa diſſenſionum inter Epiſcopos & Regulares cum primis fuerit controverſia circa confeſſiones audiendas, *ſine approbatione Epiſcopi diœceſis, in qua commorantur*, tradi ab ipſo Patre de Cardenas cit. n. 283. 287. cùm ergo, ubi Regulares non habent approbationem ab Ordinario loci *quoad ſubjectionem ſuorum in ordine ad exercendam circa illos juriſdictionem Sacramentalem in foro pœnitentiæ*, nec implicitè habeant teſtimonium de ſua idoneitate ad audiendas illorum confeſſiones; conſequenter neceſſarium eſſe dicamus, etiam hanc approbationem accipiendam ab Epiſcopo, atque adeo, Regulares ab uno Epiſcopo pro ſua diœceſi approbatos, non eoipſo poſſe confeſſiones ſecularium audire illorum, qui ſunt alterius diœceſis, vel in ea diœceſi, etiam alios, ſufficienter conſulitur intentioni, quæ erat reſcindere dictas diſſenſiones, præſertim ex eo natas, quòd quidam Regularium titulo exemptionis noluerint, ſe ſubjicere approbationi in aliis diœceſibus accipiendæ ab Epiſcopis locorum, modò ſemel in una diœceſi approbati ſint ab ejus Ordinario. Nam hoc omnino negandum eſt, ubi vigorem habet Conſtitutio Clementis; & ſubditi alterius diœceſis ab Ordinariis talium locorum illis ſubjecti non fuerunt; nec ipſi de iis approbati.

1353 Not. 6. Nomine Ordinarii locorum, etiam, & ſingulariter intelligi Summum Pontificem; hic enim reſpectu omnium fidelium veriſſimè eſt Ordinarius, & Summus Paſtor. Quarè, qui approbationem ſumptam pro utroque, vel alterutro actu, quem importat approbatio, pro cura animarum, haberet à Summo Pontifice, citra id, quòd eam reciperet ab inferiore, miniſterium Sacramenti pœnitentiæ juxta facultatem ſibi conceſſam exerceret. De aliis porrò in dicta Clementina contentis plura diximus lib. 1. tit. 2. & l. 3. cùm ageremus de Regularibus, tit. 31. Ut igitur paucis complectar, quæ diximus à n. 1348. aduſque, omnino tenendum, in audiente confeſſiones Secularium, nunc neceſſariam eſſe approbationem ordinarii loci, in quo fit confeſſio, etiam in Confeſſore Regulari.

QUÆ-

QUÆSTIO XXXIV.

IN TIT. XXXIV. DE PURGATIONE CANONICA.

1354 ABsoluto tractatu de delictis, agendum est de illorum pœnis, quibus coërcentur & puniuntur. Cùm autem pœna infligi non debeat, nisi delicto, luce meridianâ clarius probato, per L. *ult.* C. prob. & econtra delicta non debeant manere impunita; deficientibus probationibus, introducta est *purgatio*, quâ reus, à criminibus sibi objectis, se immunem esse ostendat. Igitur purgatio Canonica est *innocentiæ alicujus criminis, de quo quis infamatus est, Canonica* (hoc est, juxta præscriptum Sacrorum Canonum) *facta ostensio, seu demonstratio*; quo posito:

1355 Quæres 1. à quo indicenda sit purgatio canonica? R. quòd à judice competente; aliàs non relevat, c. *cùm dilectus*, 15. h. t. ibi: *cùm judicio pendente coram delegatis, non debuerit Ordinarius purgationem indicere infamato.* Et notandum, nec esse indicendam, nisi *infamato apud graves* viros cit. c. *cùm dilectus*, ibi: *si ipsum inveneritis apud bonos & graves de prædictis criminibus infamatum, purgationem ei canonicam indicatis*; quod etiam habetur in c. *Inquisivisti*, de accusat. adeoque solùm ubi sunt probabiles suspiciones admissi criminis, c. 4. h. t. quæ scilicet ortum habent ex probabilibus conjecturis, c. *cùm in juventute*, eod. & crimen aliter probari non potest; quia accusator deest, c. 2. & 8. eod. Hæc enim purgatio tantùm subsidiaria est; & ideo Judicis est, præmittere causæ cognitionem super infamia, ne quid temerè fiat, & viri boni vita in dubium vocetur, ut dicitur c. 12. eod. quamvis etiam indici possit ad instantiam purgandi, per cit. c. 12. Confessio autem extrajudicialis in criminalibus vix sufficit ad purgationem Canonicam indicendam; Pirhing de Confess. n. 40. in fin.

1356 Quæres 2. quæ sit forma hujus purgationis? R. ex præscripto Canonum esse 1. quòd reus, si non sit vilis persona, ut dicitur c. 1. h. t. tactis Evangeliis *juret, de veritate*, nimirum, se objectum crimen non commisisse per se, aut aliam personam ipso sciente, c. *quoties*, 5. h. t. & c. *fin.* eodem. Secundò ut adhibeantur etiam *Compurgatores*, famæ honestæ, & vitæ probæ c. 7. & 11. h. t. & si haberi non possint, Reo subveniatur, ut docet Abbas in c. 10. h. t. Et ideo ubi pro Compurgatoribus non possunt haberi Clerici, etiam Laici admitti possunt; & in defectu Virorum, etiam fœminæ; aliàs soli juramento Rei standum est, per Gloss. in. c. 10. de accusat. Horum munus est, *jurare*, non de veritate, sed credulitate, quòd scilicet putent Reum verum jurâsse, & super objecto crimine temerè infamatum esse, dict. c. *quoties* 5. & c. *de Testibus*, 13. h. t. Numerus eorum non est determinatus, sed relinquitur arbitrio Judicis pro criminis enormitate, infamiæ modo, & personæ qualitate, c. 8. & 10. eod.

Olim frequens etiam erat modus se 1357
purgandi, susceptione Venerabilis Sacramenti, ut notat Hostiensis in Summa h. t. §. *fin.* vel celebratione missæ, ut habetur c. *fin.* 2. q. 5. vel juramento ad Martyrum reliquias, ut patet ex variis capitulis, 2. q. 4. Hic tamen modus fragilis est, fallax, & incertus & remedium periculosum. Cœterùm usus purgationis Canonicæ etiam in foro seculari receptus est; teste Julio Claro; non tamen passim, ut habet in pract. Crimin. §. *fin.* q. 63. n. 5. nec tantùm viros gravat, sed etiam fœminas, c. 3. h. t. ibi: *Moniales, si libidinibus inservire accusentur, & manifestè detegi non valuerint, erga regulam suæ opinionis malam famam Canonicè purgare cogantur.*

Quæres 3. quis sit effectus purgationis 1358
Canonicæ, si legitimè facta sit? R. quòd Reus absolvatur, ex c. 8. h. t. & c. *habet* 2. q. 4. nisi fortè aliqua qualitas siniſtram causans suspicionem, mereatur pœnam, ut

scandalum sopiatur, c. 10. h. t. ibi: *purgatione verò receptâ, beneficium ei restituere non postponas: in pœnam autem familiaritatis illius, quam cum hæreticis scienter habuisse dignoscitur, eum ab officio volumus manere suspensum, donec scandalum sopiatur.* Nec postea accusari denuò poterit Reus. Gloss. *fin.* in c. *Mennam*, 2. q. 4. & Gloss. in c. 8. h. t. Si autem in purgatione defecerit, pro convicto habetur, & punitur *pœnâ Canonicâ hoc est, per Canones præscripta* tali delicto, c. 10. h. t. ibi: *Quod si forsan in purgatione defecerit, eum Ecclesiasticæ disciplinæ mucrone percellas, & ab officio, & beneficio depositum, ad agendam pœnitentiam in arctum Monasterium detrudere non omittas.*

QUÆSTIO XXXV.

IN TITUL. XXXV. DE PURGATIONE VULGARI.

1359 HÆc est probatio, vel ostensio suæ innocentiæ super crimine objecto, nullo legitimo usu inducta, sed vulgi quadam usurpatione, observationeque superstitiosâ potius, quàm Religiosâ. Ejus modus olim fuit multiplex juxta diversos gentium mores. Unde si quis de crimine aliquo fuit infamatus, nec convinci posset, infamatus innocentiam suam ostendere, ac probare cogebatur, vel per duellum, vel per ignes, aut prunas ardentes, vel ferrum candens &c. quæ si illæsus tractavit, innocentem; si secùs, reum probabant. Sed cùm hæc media sint perquam fallibilia, & sæpe contingat innocentem ex iis condemnari, vel Reum absolvi, multumque superstitionis habeant, jure Canonico meritò prohibita sunt, ut liquet ex hoc, tit. & sæpe cit. caus. 2. q. 4. Et ideo absolutio Rei facta per purgationem vulgarem, non tenet; câque non obstante illi de novo indici potest purgatio; & super eodem delicto admittitur accusatio per c. *Ex tuarum*, 8. de purgat. Canonic. & in c. *dilecti*, 3. de purgat. vulgari, ab Honorio III. judicium, per ejusmodi purgationem factum, est penitus interdictum, tanquam id, *in quo DEUS tentari videtur.*

QUÆSTIO XXXVI.

IN TITUL. XXXVI. DE INJURIIS, ET DAMNO DATO.

1360 CÙm ex delictis frequenter nascantur injuriæ, & damna, postquam de illis actum est, etiam de his præsenti titulo agitur, quæ materia etiam tractatur in 6. not. autem *injuriam* aliter accipi à Jurisperitis; aliter à Theologis. *Theologicè*, est alieni juris violatio, seu actio, vel actionis omissio voluntaria, contra jus alterius; apud Juristas autem accipitur quadrupliciter, ut constabit ex sequentibus.

ARTICULUS I.

De Injuriis.

EX l. 1. ff. de injuriis, ac eodem tit. in 1361
Institut. constat, injuriam *juridicè* sumi primò *generaliter*, prout opponitur juri, sive privativè, sive contradictoriè, & dicitur, quidquid non fit jure. 2. *specialiter* pro culpa,

culpa, ut in L. *Aquilia*, & est, quidquid opponitur juri contrariè. 3. pro iniquitate judicantis, & sic injuria dicitur quasi *iniqua jura*, consistitque in juris abusu. 4. pro contumelia, seu læsione honoris. *Contumelia*, seu honoris læsio contingit primò *re*, ut si quis alteri manum injiciat percutiendo, pudicitiam attentando; prohibendo uti re suâ, vel jure publico; *non debitoris*, quasi debitoris bona occupando, infamandi causâ, aut pignus proscribendo; vestem ad invidiam alicujus mutando, fidejussorem idoneum recusando; eum, qui idoneum dabat, in jus rapiendo; alium infami picturâ notando, &c. Secundò *verbis*; ut cùm alicui præsenti, vel absenti fit convitium; & generatim, quoties aliquid, moribus Regionis probrosum, objicitur. Tertiò *literis*, sive per libellum famosum, seu carmen, aut historiam, ad alicujus infamiam pertinentem. Hinc *in ordine ad civiles effectus* injuria alia est *realis*, alia *verbalis*, alia *scripta*. Illa est, quæ fit *re*; altera, quæ *verbo*: postrema, quæ scripto.

1362 Advertendum autem 1. injuriam dividi in *levem*, & *atrocem*. Hæc æstimanda est vel *ex facto*, ut si quis fustibus cædatur, aut vulneretur; vel *ex loco*, & *tempore*; ut si fiat in templo, in foro, in theatro; vel *ex persona*; ut si civis Magistratui, plebejus Senatori: liberi parentibus injuriam faciant. Advertendum 2. sine dolo, & animo injuriandi, non committi juridicè injuriam, l. 5. C. h. t. talis autem animus præsumitur, si verba, vel facta suâpte naturâ sint injuriosa. Hinc ea proferens probare debet, talem animum abfuisse; cùm contra eum stet præsumptio juris. Sic Glossa in cit. L. 5. V. *probare debet*; ubi addit, idem esse, si quis dicat, se per jocum dixisse; Sic Julius Clarus §. *Injuria*, n. 12. Advertendum. 3. *injuriam*, juxta Theologos, distingui *ab offensa*, quòd illa violet jus alterius, atque adeo rigorosam justitiam, atque adeo sit strictè injuria; offensa autem sine violatione juris reddat alium rationabiliter aversum, & opponatur virtuti, quæ est pax quædam tollens querelas, & rationabiles offensiones aliorum; Sic Pereyra in Elucidar. l. 2. Elucidat. 10. de injuriis, sect. 1. n. 882. ex Cardin. de Lugo, qui D. 2. de pœnitent. sect. 4. n. 50. qui hoc discrimen sic exponit: aliud est, inquit, *aliquem offendere*, aliud *inferre injuriam*: injuria quippe est contra jus strictum, & proprium, quod alius habet: offensa verò contingit sæpe sine injuria, v. g. si amicus à me petat librum commodatum, quo ipse valde indiget, & quem ego sine incommodo possum commodare, & tamen nolo id facere, procul dubio offendo amicum, & reddo aversum à me rationabiliter; licet reverà nullam irrogem ei injuriam contra justitiam; quibus positis:

§. 1.
De Actione injuriarum.

SUpponendum speciali juris providen- 1363
tiâ, injuriam passo concessum esse remedium adversus injuriantem, quo se tueri possit, & injuriam abolere, nimirum actionem injuriarum, quæ dupliciter intentari potest 1. *civiliter*, nimirum æstimando injuriæ maculam, & certam pecuniæ Summam loco pœnæ petendo imponi Reo, læso adjudicandam, salvo moderamine Judici reservato; 2. *criminaliter*, si petat Actor condemnari Reum ad pœnam Judicis arbitrio, vel officio infligendam. Sed unâ harum actione intentatâ recurri non potest ad alteram, cùm utraque tendat ad pœnam, & non sit Rei persecutoria, & ideo cumulari non possunt, nisi cum actione ex L. *Aquilia*, nimirum pro æstimatione damni pecuniarii, si læsus per contumeliam aliquod ejusmodi damnum insuper passus est. Per *cumulationem* autem *actionum* aliud non intelligitur, quàm unius actionis ad aliam adunatio, seu coacervatio, contra eundem in judicio legitimè proposita. Ratio hujus est; quia quamvis actionum cumulatio fieri possit, quando res, ad quas tendunt, sunt diversæ (ut si actor certam pecuniæ Summam petat ex causa mutui, & aliam ex causa venditi) ut dicitur L. 11. ff. de jurisdictione: imò etiam si quando ad eandem rem tendant ex diversa causa, ut dicitur L. 84. ff. de Legatis, 1. Secùs tamen est, quando ex eadem causa tendunt ambæ ad eandem rem, sic, ut si quis obtineat in una, hoc ipso tollatur altera, qualiter fit datâ satisfactione pro injuria reali, vel personali; notandum tamen, cùm dicitur actiones non posse cumulari, intelligi, *non posse utramque, & quamlibet earum intentari principaliter, & successivè in eodem judicio.* Si enim secunda accessoria sit, & cum priore proponatur per modum unius, & simultaneæ petitionis; vel si secunda institueretur, solùm conditionatè (v. g. *peto mihi restitui fundum; & si in hoc obtinuero,*

peto etiam restitui fructus interim perceptos) cumulari possunt, ut notat Haunoldus tom. 5. de Jure, & Just. tr. 2. à n. 280.

1364 Præter actionem injuriarum, passo injuriam, conceditur aliud duplex juris remedium, nimirum actio ex L. *diffamari*, C. de ingenuis manumissis; & altera ad *Palinodiam*, seu recantationem. Finis remedii ex L. *diffamari* est, ut diffamator citatus præfixo termino coram Judice causam diffamationis probet sub pœna perpetui silentii; & si causâ non probatâ nihilominus malignè infamationem prosequatur, pro injuriæ atrocitate coërceatur, arg. L. unic. *unic.* ff. si quis jus dicenti: Actio autem ad palinodiam per se loquendo, tendit non ad vindictam publicam, & pœnæ persecutionem; Sed honoris ablati restitutionem; & ideo criminalis non est, & cum actione pœnæ persecutoria cumulari potest; quamvis enim hæc actio, legis dispositione infamet; id tamen non habet ex Actoris intentione; aliàs etiam actio pro Socio, mandati, Tutelæ, vel depositi pœnalis esset, cùm & hæc infamet, non actoris, sed legum constitutione.

1365 Observandum præterea, Judicium diffamatorium, quod scilicet nascitur per intentatam actionem ex L. *diffamari*, juxta communem sententiam (ut testatur Andr. Gail. l. 1. observ. 9. n. 7.) institui debere apud Judicem diffamati. Nam in hoc judicio diffamator habetur potius pro Actore; cùm *diffamare* sit tacitè ad judicium provocare; quamvis hoc remedium non sit tam actio, quàm imploratio officii Judicis. Licet autem jure communi, actione injuriarum convictus, sit infamis, infamiâ juris, ex L. 1. ff. de his, qui not. infam. in pluribus tamen casibus ea infamia declinari potest; puta si Judicis authoritate transegerit; si non in propria persona, sed per Procuratorem comparuerit in judicio, prout illustres personæ solent: si ob dubium judicii eventum ante sententiam, æstimationem injuriæ solverit &c.

1366 Observandum. 2. Si quis alteri loquatur verba injuriosa (idem dic de factis) teneri actione injuriarum, licet antè, vel post addat protestationem, *salvo tuo honore*, vel *salvo statu tuo*; quia protestatio facto contraria non relevat. Similiter quando quis alicui objicit verum crimen, sed occultum, publicationem non exigente bono communi, tenetur actione injuriarum; Secus est, si bonum commune id exigat L. 18. ff. h. t. Hodie tamen in omnibus fere judiciis usu receptum est, ut is, qui injuriam passus est, agat ad reclamationem, seu revocationem verborum injuriosorum.

§. 2.

Quibus concedatur actio injuriarum?

REsp. remedium actionis injuriarum 1367
concedi non solùm illi, qui injuriam immediatè in se passus est, si injuriam statim ad animum revocaverit, nec postea remiserit; sed etiam Patri, si filium contumeliam passum habeat in sua potestate; Marito ratione uxoris, Socero ratione nurûs, si filium maritum habeat in patria potestate: cæteris verò conjunctis non nisi, quando injuria etiam in illos redundat, ut dicitur §. 2. Institut. de Injuriis. Et ideo docet Hostiensis in Summa h. t. n. 5. posse quem proprio nomine agere pro injuria alteri illata; quia ratione conjunctionis, vel affectûs, quod illi factum est, mihi factum censetur. Quibus adde 1. etiam filium emancipatum posse injuriam *atrocem* persequi contra Patrem, non autem levem: neutram autem, si adhuc sub patria potestate constitutus sit, ut habetur L. *Prætor*, 7. §. 8. ff. de injuriis, ibi: *sed etsi quis ex liberis, qui non sunt in potestate, cum parente velit experiri, non temere injuriarum actio danda est, nisi atrocitas suaserit; certè his, qui sunt in potestate, prorsus nec competit, etiamsi atrox fuerit.* Adde 2. juxta communem Doctorum opinionem, filio familias injuriam irrogatam, ex qua Pater contra injuriantem agere potuisset, remitti posse etiam invito filio, ut habetur L. 17. §. 12. ff. eod. ibi: *Plane, si præsens* (Pater) *agere nolit, vel quia differt, vel quia remittit, atque donat injuriam, magis est, ut filio actio non detur; nam & cùm abest, idcirco datur filio actio, quia verisimile est, patrem, si præsens fuisset, acturum fuisse*; ubi tamen excipitur 1. nisi Pater respectu filii, esset persona vilis; 2. nisi injuria foret talis, ut ob eam filio competeret actio ex L. *Cornelia*; quia tunc Pater nec agere (nisi actione prætoriâ) nec remittere posset, ex L. 5. §. 6. ff. eod. Adde 3. actionem injuriarum, origine suâ fuisse civilem, ex L. *Cornelia*, sed non nisi, quando quis pulsatus, aut verberatus sit, aut alter vi domum introierit; postea tamen extensam fuisse à Prætore, etiam ad injurias verbales, & se-

& secundùm hanc extensionem esse *Prætoriam.* Lex autem *Cornelia* dicta à Cornelio Sylla ejus latore est triplex: alia de *falsis*, & pœnam imponit falsum testimonium dicentibus, vel testamentum, aut quodlibet instrumentum falsum scribentibus, vel sigillantibus aut committentibus aliud falsum v. g. in mensura vel moneta: alia *testamentaria*, & servis ultimum supplicium, liberis deportationem irrogat, Institut. de publ. jud. §. *item Lex Cornel.* de falsis. Alia de *sicariis*, & procedit de his, qui dolo malo interficiunt, scilicet telo, vel jactu furtivè, & hujusmodi.

§. 3.

De Injuria per libellum famosum.

1368 *Libellus famosus* definiri potest parvus liber conscriptus ad alicujus infamiam, L. *lex*, §. *si ejus librum*, ff. de injur. per Molinam tom. 5. tr. 4. d. 35. n. 2. sic describitur: Libellus famosus est scriptura, sive carmine, sive solutâ oratione, quæ infamiam alicujus continet, nondum ante publicam: si enim jam publica erat, libelli famosi rationem non habet. Addit Haunoldus tom. 5. tr. 2. n. 580. sub hoc speciali modo infamandi, quem etiam jus civile considerat, contineri *picturam* ad alterum infamandum compositam; quibus positis:

1369 Quæstio est, quæ pœna sit libelli famosi? &c. in Constitutione Carolina A. 110. diffamatori, qui alicui in libello famoso imponit crimen falsum, constitui eandem pœnam, quâ puniretur diffamatus, si delictum verum esset; si autem crimen verum, sed aliàs occultum, pœnam arbitrariam. Eadem pœna constituta est ei, qui talem libellum famosum reperit, nec statim laceravit, vel ulterius evulgat; quia, dum authorem non prodit, ipse pro authore habetur, de quo vide L. *unic.* C. de injuriis, quæ sic habet: *Si quis famosum libellum, sive domi, sive in publico, vel quocunque loco ignarus repererit, aut corrumpat, priusquam alter inveniat, aut nulli confiteatur inventum; si verò non statim easdem chartulas, vel corruperit, vel igne consumpserit, sed vim earum manifestaverit, sciat se quasi authorem hujusmodi delicti capitali sententiæ subjugandum.*

1370 Ex dicta L. colligitur, eum, qui libellum famosum ab alio & compositum & conscriptum accepit, non esse dictæ pœnæ reum, si eum sic acceptum sibi describpsit, vel describi curavit, & legit, *si ulterius non publicavit.* Nam lex *unic.* cit. expressè ad pœnam requirit, quòd *vim ejus manifestaverit.* Si autem etiam aliis publicavit, sed simul paratus sit indicare nomen authoris, qui talem libellum famosum composuit, sed non vulgavit, probabilius est neutrum incurrere pœnam in Constitutione Carolina decretam. Non *authorem*, nam ad eam pœnam ibi requiritur, quòd ipse talem libellum vulgaverit; non *inventorem*, quia pœna, quæ statuitur ejus inventori, & publicatori fundatur in præsumptione, quòd ipse sit author, ut diximus; hæc autem præsumptio eliditur, si nomen authoris indicet, & hujus reipsâ opus esse, probet.

In eadem Constitut. Carolin. c. 34. 1371 Typographis statuitur ademptio officii Typographici, qui libellos famosos loci Magistratui (vel ad quos pertinet revisio) non ostensos prius excuderunt, nisi locum, & tempus, nomenve Authorum apposuerint. Jure autem Canonico, si res in libello contenta gravis est, diffamatori, vel ejus ulteriori evulgatori statuitur pœna flagellorum, mitior tamen, si se ipsum author manifestat, ut habetur 5. q. 1. c. 1. Et his pœnis subjiciuntur quoque, qui ejusmodi libellos famosos, emendos, vel vendendos curaverint. Sic Vallensis h. t. n. 2. in fin. ex L. *Lex Cornelia*, 5. §. *si quis librum*, 9. ff. h. t. nam sic & ipsi eos vulgant, & publicant.

§. 4.

Quibus modis actio injuriarum tollatur?

Resp. 4. modis 1. morte injuriantis, 1372 lite nondum contestatâ, ut cum communi notat Doctor Philipp. Braun, h. t. Deinde lapsu temporis, nimirum unius anni, si actio sit Prætoria, vel criminalis; nam civilis est prepetua. Sic Julius Clarus §. *injuria* n. 9. Tertiò per dissimulationem, non revocando eam statim ad animum, ut dicitur §. 12. Institut. h. t. Quartò transactione per L. 11. §. 1. ff. eodem. Advertendum autem provocatum injuriâ, licitè illam retorquere (quia scilicet teneatur actione injuriarum) si id facit in continenti, & non ex intervallo, sicut licitum est vim vi repellere. L. 3. ff. de Justit. & Jure. Et per talem retorsionem, quâ scilicet injuria verbalis, tuendi honoris causâ,

per modum defensionis naturalis, & moderaminis inculpatæ tutelæ, in ipsum injuriantem in continenti retorquetur, vel is ab injuriato mendacii redarguitur, actionem injuriarum quoque aboleri, notat Braun loc. cit. volens idem dicendum de repressaliis legitimè concessis. Repressaliæ autem (latinè pignorationes) vocantur literæ, in quibus Princeps, aut Respublica subditis aut militibus suis injustum damnum passis, dat potestatem, invadendi terras eorum, qui damnum intulerunt, & occupandi bona incolarum, etiam innocentium in compensationem bonorum ablatorum. Sic Sylvester V. *Repressaliæ*, n. 1. Layman l. 2. Summæ, tr. 3. c. 12. n. 13.

1373 Circa Repressalias quæstio est 1. an sint licitæ? 2. contra quos concedi possint? Ad 1. ℟. esse licitas his positis conditionibus. 1. ut fiant authoritate Principis potentis bellum indicere. 2. Ob justam causam. 3. Ex recta intentione illius, cui conceduntur. 4. Ut non excedant damnum datum, & interesse. 5. Ut non fiant in personis innocentibus, sed solùm in rebus. 6. Ut is, contra quem fiunt, admonitus recuset satisfactionem dare. V. Pirhing, h. t. à n. 21. Ad secundum ℟. Repressalias non posse concedi contra personas Ecclesiasticas, nec earum bona, & si alicubi concessæ sint, non extendi ad prædicta, ut dicitur in c. *unico*, h. t. in 6. & contra facientes (si sint personæ singulares) nisi intra mensem retractent, sunt excommunicati, & communitates interdictæ, ut pluribus ostendit Barbosa in cit. c. *unicum*, à n. 1.

ARTICULUS II.

De damno dato.

1374 *Damnum* sortitur nomen à demendo, & acceptum in tota sua latitudine, describi potest ademptio, vel diminutio patrimonii, juxta l. 3. ff. de damn. infect. quamvis aliqui etiam sub *damno* venire velint *lucrum cessans*, seu quod contingit in non acquirendo, ut notavimus supr. *Damnum* dividitur, sicut actio; quia alia est *de damno dato*; alia est *de damno infecto*; *damnum datum* est, quod jam de facto illatum est: *damnum infectum*, ut habetur L. 2. ff. de damno infecto, est nondum factum, quod futurum veremur, seu, quod pendet in futurum. Damnum infectum explicat Molina tom. 3. d. 703. quod imminet domui unius, ac rebus in ea contentis, vel plantis, aut cuicunque alteri ædificio, puta parieti, aquæductui, aggeri, aut alii simili, & denique cuicunque prædio ex domo, aut ex pariete, ruinosis alterius, quacunque de causa ruinam minentur, aut ex quocunque opere, alterius ut ex machina, vel alio opificio, sive sint in prædio urbano, sive rustico, in loco privato, vel publico.

Observandum autem, damnum non converti cum pauperie. Hæc enim in jure est nocumentum illatum sine ulla injuria, nempe ab eo, qui *nocere* potest, *injuriam* tamen inferre non potest, qualis est equus, vel alius quadrupes tuus, si segetem meam pavit, vel aliter nocuit. Non enim potest dici injuriam fecisse, cùm sensu careat; Instit. *Si quadr. pauper. feci. dicatur*, §. *pauperies*; unde patet distinctio inter damnum, & pauperiem: nam damnum rigorosum dicit in inferente animum injuriandi. Observandum 2. damnum Theologicè acceptum supponere pro damno injustè dato per injuriam, vel læsionem juris alieni, quod, in quantum graviter obligat ad damni dati reparationem, supponit læsò factam injuriam cum culpa Theologica mortaliter mala, de quo pluribus egimus in impress. tract. de Jure, & Just. q. 12. à n. 461. juridicè autem est delictum privatum, quo quis non jure, (nimirum sine jure, seu facultate legitimâ id agendi) patrimonium alterius, facto quodam (puta deterioratione, vel corruptione) diminuit, citra rei interceptionem. 1375

Observandum 3. ex damno dato nasci actionem, quæ dicitur damni injuriâ dati, aliàs, *actio ex L. Aquilia*, quæ una est ex celeberrimis juris Cæsarei, ab Auctore suo Aquilio, Tribuno plebis sic dicta, inter plebiscita originaliter recepta, ut habetur L. 1. ff. de obligat. ex L. *Aquilia*, in qua continentur tria capita, de quibus cavetur sub certa pœna; primum est de damno dato per cædem hominis alieni (nimirum servi) aut quadrupedis, quæ in pecudis est numero, uti sunt eæ, quæ simul pascuntur, ut boves, oves, capræ, equi, asini, muli, sues &c. secundum fuit de servitutibus, quarum usu contra consuetum modum, damnum datum est; tertium loquitur de omni alio damno, præter cædem servi, aut quadrupedis, qui est loco pecudis, in quamvis aliam rem quovis modo datæ, vulnerando, scindendo, collidendo, miscendo &c. intelli- 1376

lige

lige tamen, quatenus dolus ei causam dedit, ut notavimus supra; Sic Zoësius in tit. 3. de L. Aquilia, L. 4. Instit.

1377 Damnum igitur per injuriam datum, jure Legis Aquiliæ per obligationem ad pœnam vindicatur, & quidem, si sit ex primo capite, illius pœna inibi statuitur, ut quanti ea res in anno plurimi fuerit, tantum Domino dare debeat Reus; pœna verò contra secundum caput jam evanuit: ex tertio autem capite hujus legis datur actio pro quibuscunque damnis in re corporali factis, quâ petitur, ut Reus damnetur, quanti in diebus 30. proximis res damnificata plurimi fuerit, & in omnia damna secuta, ut habetur §. 13. & sequentibus. Instit. de L. Aquilia, ubi etiam exponuntur plures casus contra primum caput, quibus ex L. Aquilia succurritur. Primus est, si quis servum alienum, vel quadrupedem ex numero pecudum occiderit. Nam contra talem conceditur actio ad exigendam æstimationem rei, juxta dicta in præced., quod procedit, si Reus damnum fateatur; Si enim negat, & convincatur fecisse, condemnatur in duplum per L. 2. §. 1. ff. de obligat ex L. Aquilia. Idem est, si jaculando quis servum alienum læsit, aut quadrupedem trajecit loco & tempore prohibito, juxta §. 4. Instit. de L. Aquilia. Secundus casus est, si quis putando arborem, vel reficiendo tectum, occidat, ramo, vel tegulâ cadente, servum propè viam publicam, quin maturè proclamaverit, aut signum posuerit, ut dicitur §. 5. ibid. Idem dicendum est de medico servi curationem relinquente, vel imperitè curante, §. 6. & 7. ibid. &c. Quæ autem detur actio, & ad quem finem ex tertio capite? diximus paulò ante.

1378 Circa obligationes istas, & actiones ex L. Aquilia, not. 1. actiones ex dict. L. concessas læsis, in quantum pœnales sunt, etiam dari hæredibus defunctorum; non autem contra hæredes, nisi fortè ex damno locupletior factus sit hæres, ut expressè dicitur L. *Inde Neratius*, 23. §. *hanc actionem*, ff. h. t. Ratio hujus postremi ibidem redditur: *cùm sit pœnalis*, aut lis prius fuerit contestata. Nam hic est generalis effectus contestationis litis; hodiernis tamen moribus, ab æstimatione rei, secundùm meliorem statum præcedentem, de quo diximus, recessum est; & nunc solùm tanti res æstimatur, quanti eo die fuit, quo damnum datum est, sic tamen, ut etiam in æstimationem veniant, si agatur ob vulnera, membri mutilationem, mercedis Medicis solvendæ, operarum, quibus caret, aut cariturus est; item doloris, cicatricum, & deformitatis; ita complures; quos citat, & sequitur Haunold tom. 1. tr. 2. n. 164.

Not. 2. triplicem actionem esse ex L. 1379
Aquilia, directam, utilem, & Prætoriam; *directam*, quæ directis verbis Legis datur *respectu ladentis*, qui corpore suo in corpus damnum dedit, v. g. occidendo, frangendo, ut dicitur §. *fin.* Instit. de L. Aquilia, & *respectu læsi* cùm soli domino corporis deteriorati datur, ut si, antequam hæreditatem adeas, alius eam deteriorem reddat. *Utilis* autem actio est, quando datur adversus alterum, reum damni dati, non corpore suo, sed alio modo v. g. pecudem includendo, ut fame pereat; vel in locum editum adigendo, unde præcipitio intereat, juxta cit. §. *fin.* Instit. h. t. Hæc actio etiam conceditur ei, qui non est Dominus corporis injuriâ læsi; sed aliud in eo jus habet v. g. utile &c. si in eo damnificatus sit, ut usufructuarius &c. per L. 12. ff. eodem. Cùm autem injuriâ damnum datum est, aut neutro priori modo, sed alio v. g. solvendo servum compeditum, ut fugâ elabatur, datur actio *Prætoria* utilis in factum, ut dicitur L. 33. §. *fin.* ff. eod. & §. *fin.* Instit. eodem. Sed de his plura Legistæ.

De jure autem Canonico communis 1380
regula est, quòd delinquens cum damno alteri per injuriam dato, teneatur ad ejus reparationem, sive per se, sive per alterum damnum dederit. Igitur etiam per servos, aut animalia damnum alteri factum, resarciendum est à Domino, c. 3. h. t. nisi dando noxæ, servum vel animal, se liberare velit, c. *fin.* eod. Hæc tamen noxæ deditio non habet locum in animali fero, quod habuit, & damnum dedit, si id culpâ Domini factum est, aut non custodiendo, cùm sciret illud solere damnum dare, ut dicitur cit. c. *fin.* Quarè noxæ deditio solùm habet locum in casu innocentiæ Domini, cui non debet servi, aut animalis nequitia esse nociva, ultra eorum corpora, ut dicitur in Institut. de noxali act. Similiter pro jumento, quod depastum est alienam segetem, aut corrupit vineam, damni æstimationem restituit, c. 4. h. t. Tenetur autem, non tantùm damnum ipsum

ipsum restituere, sed etiam omne detrimentum inde secutum, c. 5. & 7. eodem, modò damnum dolo aut culpâ datum sit, etiam levi, & leviſſimâ secundùm contractûs naturam. Cisternam quoque fodiens, & apertam relinquens, si in eam inciderit alterius animal, tenetur reddere pretium, c. 2. eod. si eo loco fecit, ubi facere non licuit, L. *qui foveas*, cum L. sequent. ff. ad L. Aquiliam, & L. 7. §. *præterea*, ff. quod vi; intellige tamen, si non præcavit sufficienter, ne damnum contingeret; si enim per accidens contingat, non imputatur, c. *fin.* h. t.

1381 Præter hæc not. 1. ad quæstionem, *an quis ex delicto suo, alteri imputato, & inde gravia damna passo*, teneatur? R. teneri, si prævidit ea secutura; quia sic est sufficiens causa alieni damni; ita Zoësius h. t. n. 5. Annumerantur autem damnis etiam expensæ litis, quas temerè litigare convictus, meritò refundere cogitur. L. *properandum*, §. *sin autem*, C. de judiciis, & c. 4. de pœnis, ubi dicitur, quòd *in causis pecuniariis victus, victori in expensas condemnetur*; & in utroque jure regula est; victum esse victori condemnandum in expensas, c. *calumniam*, h. t. & cit. L. *properandum*. Hæc regula procedit 1. in litigantibus sine dolo, sed *temerè*, hoc est, inconsultò, nec adhibito consilio, L. *Eum*, *quem*, 79. ff. de judic. Procedit 2. licet victus ab initio litis juramentum calumniæ præstiterit; quia licet hoc juramentum excuset à calumnia, non excusat tamen à temeritate; Abbas hic n. 4. Covarruv. practic. quæst. c. 27. V. *Secundò*. Procedit 3. ut etiam locum habeat in causis criminalibus, juxta Covarruv. cit. n. 2. Sed, cùm c. *Calumniam* loquatur solùm de causis pecuniariis, Fachinæus l. 1. controv. 42. rectius censet oppositum.

1382 Ex his sequitur, eum non teneri ad expensas, qui justam causam litigandi habuit, L. *qui solvendum*, 78. §. Etiam, ff. de Legat. in dubio tamen, succumbens in causa, præsumitur temerè litigâsse. V. Covarr. cit. n. 3. Cœterùm Judex omnino tenetur victum in expensas condemnare, si victor id petat; non autem aliàs; ad hoc autem sufficit, quòd actor in libello petierit, *sibi jus & justitiam ministrari*; sic enim expensæ tacitè petitæ sunt; Pirhing hic n. 9. excipitur tamen Fiscus, qui, licet victus, non condemnatur in expensas; & justam causam litigandi censetur habuisse, qui pro se habet opinionem alicujus gravis Doctoris, Sic Barbosa hic à n. 4. Si autem victor solùm ex semiplena probatione, & delato juramento suppletorio causam obtinuit, nisi is, cui delatum est juramentum, plus, quàm semiplenè probaverit, & pars altera nihil, victus non tenetur in expensas; Sic Barbos. cit. Taxandæ verò sunt expensæ à Judice; & post taxationem à victore præstandum esse juramentum, se verè tantùm expendisse, quantum taxavit Judex, arg. c. *olim*, de Injur.

ARTICULUS III.

An damnum per injuriam datum pariat naturalem obligationem reparandi?

NOn est dubium, dari naturalem obligationem reparandi damnum læso per injuriam, si hæc intervenit cum culpa Theologica, de qua materia ex profeſso in tractatu de Jure, & Justitia, à q. 10. n. 439. in impresso egimus. In præsenti solùm quæritur, an leges humanæ, quarum plures sunt, quæ concedunt actionem contra aliquos ad reparandum damnum alteri datum sine omni culpa Theologica, obligent naturaliter, seu in conscientia, ante Judicis sententiam condemnatoriam? Inter ejusmodi obligationes aliæ sunt, *ex quasi delicto*, de quibus agitur tit. 5. Instit. l. 4. & tit. 3. in ff. l. 9. aliæ *ex læsione à Servo, aut quadrupede facta*, de quibus l. 4. Instit. tit 8. de noxalib. actionib. & 9. Si quadrupes pauperiem feciſſe dicatur, in ff. tit. & 4. l. 9. ac tit. 41. C. l. 3. aliæ *descendentes* ex L. Aquilia, de qua l. 4. Instit. tit. 3. l. 9. ff. tit. 2. & l. 3. Cod. tit. 35. De his igitur quæstio est, an obligatio, quam dictæ leges imponunt ad præstandum id, quod ipsæ statuunt, obligent in conscientia ante sententiam? 1383

R. Si damnum datum est sine omni culpa Theologica, obligationem exillis legibus descendentem non esse naturalem, seu conscientiæ ad præstandum id, quod ipsæ statuunt, ante Judicis sententiam; ita communis Theologorum, de quo pluribus egi cit. tract. de Jure & Just. à q. 10. Nam fini earum legum adæquatè satisfit per obligationem post Judicis sententiam; per hoc enim periculum subeundi judicium fori externi, sufficienter stimulantur homines ad majorem providentiam, & cautelam fortuitarum damnificationum, qui finis 1384

prin-

principalis est earum legum. Imponere etiam ad majorem stimulum per obligationem, etiam ante Judicis sententiam nec necessarium erat, nec utile. Non *necessarium*, quia, cùm dictæ leges conderentur, nondum constabat insufficientia prioris medii. Non *utile*; nam præterquam, quòd valde violentum sit, obligare hominem in conscientia, ut in se ipso exequatur reparationem damni sine omni peccato conscientiæ à se dati; longè probabilior est opinio Theologorum ex vero liberantium ab ejusmodi obligatione, præsertim, cùm leges illæ potissimum fundentur in præsumptione culpæ admissæ in actione, vel omissione damnificativa, quæ, ubi revera nulla subest, per veritatem eliditur.

1385 Dixi: *sine culpa Theologica.* Nam obligatio naturalis ad damnum, alteri factum, debitè reparandum, solùm nascitur ex re accepta, & injusta acceptione formaliter, ut ostendi in tract. de Jure & Just. q. 10. à n. 455. Ubi autem alter à nobis damnum patitur ex culpa merè Theologica, intercedit actio, seu acceptio formaliter injusta, sic enim scienter læditur jus alienum; ergo. Unde ibid. n. 455. docuimus, extra officium & contractum, neminem teneri naturaliter restituere damnum, citra culpam Theologicam alteri secutum; habet enim se perinde, acsi factum esset à natura, vel casu fortuito, ut rectè observat Esparza de Jure & Just. q. 26 & alii communiter. V. quæ dixi in eod. tract. Theolog. in impress. q. 12. à n. 524. Illud hìc adhuc not. nunquam extitisse, nec etiamnum existere jus naturale obligans ad reparandum damnum, sine omni culpa in conscientia datum. Nam jus naturale non imponit obligationem conscientiæ, passo damnum reparandi, quod factum est à natura, vel casu fortuito, sed si quod damnum evenit alteri externâ actione, vel omissione, sine omni tamen culpa in conscientia, perinde est, acsi esset à natura, vel casu fortuito, ut dictum, & probatum est loc. cit.

1386 Præter hoc not. obligationes descendentes cumprimis ex L. Aquilia, fundari in præsumptione culpæ Theologicæ. Nam damnum hoc, de quo agit Lex Aquilia, semper vocatur *damnum injuriâ datum.* Per *injuriam* autem propriè loquendo intelligitur *læsio cum culpa Theologica*, uti colligitur ex §. 3. Instit. de L. Aquilia, ibi: *ac ne is quidem hac lege tenetur, qui casu occidit, si modo culpæ illius nulla inveniatur*, ubi *culpa* contraponitur *casui fortuito.* Et ideo doli incapaces, aut necessitate compulsi ad aliquid faciendum, secundùm communem jurisperitorum opinionem, ex L. Aquilia non conveniuntur; cujus alia ratio non est, quàm quia tunc abest dolus, & culpa, seu injuria, nimirum formalis, quam supponit jus concedens actionem ex tali lege.

Not. 2. quando c. *fin.* h. t. Gregorius 1387
IX. cuidam pœnitenti, qui quærebat ex ipso, *an teneatur resarcire damnum, quod ignorans dedit?* sic respondit (*si culpâ tuâ datum est damnum, vel injuria irrogata, satisfacere te oportet: nec ignorantia te excusat, si scire debuisti, ex facto tuo verosimiliter injuriam posse contingere, vel jacturam*) colligi ex dato Papæ responso, in ejusmodi casu attendendum esse jus naturale, obligans ad reparationem damni, si quis in conscientia sua repererit, se culpabiliter illud dedisse; nam si factum, seu damnificatio processit ex scientia, vel etiam ignorantia, sed culpabili, locus est obligationi juris naturæ. Hinc negandum venit in textu haberi terminum ly *juridicâ*, tanquam Pontifex dixisset, *si culpa tua juridica datum est damnum*, prout aliqui volunt apud Haunold. tom. 1. tr. 2. à n. 181. Et quamvis Gonzalez ad cit. c. *fin.* n. 1. doceat, *culpam* in præsenti latè sumi, etiam pro *levissima*, explicat tamen se ipsum statim, dicens: id evenire, *cùm damnum datum est*, etiam per *savitiam*, *imperitiam*, *vel infirmitatem suam*, si affectaverit id, in quo intelligit, vel intelligere debet, imperitiam, aut infirmitatem suam alii periculosam futuram, quòd utique sonat culpam aliquam Theologicam.

QUÆSTIO XXXVII.

IN TITUL. XXXVII. DE POENIS.

1388 HOc titulo agitur de pœnis, & modo eas imponendi delictis. *Pœna* enim est coërcitio, seu vindicta delicti, inducta ad disciplinæ publicæ emendationem. Semper supponit culpam, non tamen semper culpam puniti, sed vel culpam, vel causam; ut cùm ob culpam Patris, puniuntur Filii, in crimine læsæ Majestatis, licet filii culpam non habeant; non tamen sine causa, quia in his exempla paterni, seu hæreditarii criminis metuuntur. Quarè Regula juris 23. in 6. *sine culpa non est aliquis puniendus* intelligi debet, *nisi subsit causa.*

ARTICULUS I.

De diversitate pœnarum.

1389 INter pœnas est aliqua diversitas, quæ sumitur à diversitate delictorum. *Capitalis* pœna est, per quam infertur mors naturalis, vel civilis, per mediam, vel maximam capitis diminutionem, per quam intelligitur immutatio prioris statûs, seu juris (hoc enim hic per *caput* notatur) quoad libertatem, civitatem, aut familiam. *Maxima* est, quæ libertatem tollit; quod contingit his, qui servi pœnæ efficiuntur atrocitate sententiæ; vel libertis, qui ut ingrati Patronis condemnantur; aut illis, qui se ad pretium participandum venumdari passi sunt. *Media*; quæ salvâ libertate jus civitatis adimit, quod accidit ei, cui aquâ, & igni interdictum fuerit; vel illi, qui in insulam deportatus est. *Minima*, quæ salvâ libertate, & civitate, statum familiæ mutat; hoc illis evenit, qui, cùm sui Juris fuerint, alieno juri subesse cœperunt; vel contrà, veluti, si filius familias à Patre emancipatus fuerit; sic enim est capite diminutus, ut exponit Strykius ad L. 1. Instit. tit. 16. Quamvis Zoësius in eundem locum, maximam capitis diminutionem exponat per jacturam libertatis, & civitatis. Pœna verò *non capitalis* alia est corporalis, sive corporis afflictiva, alia pecunaria. Deinde, inter pœnas alia *est civilis*, quæ applicari debet parti læsæ; alia *criminalis*, quæ ad vindictam publicam spectat. Tertiò alia pœna est *ordinaria*, seu legalis, quam lex, aut Princeps præscripsit, vel consuetudo induxit, alia *extraordinaria*, seu *arbitraria*; cujus qualitas & quantitas nullâ lege definita est, sed pro qualitate delicti Judicis arbitrio, seu prudenti consideratione definienda est. Inter has ipsas pœnas alia est *lata* à jure, & incurritur ipso facto; alia *ferenda* à Judice; alia *privativa juris acquisiti*, vel *acquirendi*; alia *positiva*, cujus executio ulteriorem actionem requirit; de quibus actum est alibi, præsertim l. 1. tit. 2. de Constitut. Cæterum, communis tenet, Reo sufficienter convicto teneri Judicem pœnam legalem imponere, c. *in istis*, dist. 4. nec illam excedere vel minuere posse, nisi aliud suadeant circumstantiæ, ut constabit ex seqq. Hinc

Quæres 1. quid dicendum de pœna 1390
pecuniaria? R. ad hanc quæstionem in præsenti solùm dicenda, secundùm quæ, in sacris Canonibus insinuatur. Ubi primò Archidiaconis, & Prælatis, Episcopis inferioribus de jure prohibitum est, pro corrigendis excessibus & peccatis, exigere pecuniam à Laicis, & Clericis, nisi aliunde pœna pecuniaria pro ejusmodi excessibus jure statuta sit; imò ejusmodi pecuniarum exactiones ex cupiditate, sub pœna excommunicationis ferendæ, sine appellatione, illis interdictas esse, etiam causâ correctionis, c. *Licet*, 3. h. t. quamvis Episcopis, Zelo correctionis, pœnâ pecuniariâ Clericos punire liceat, potissimùm, ubi ea magis timeretur; Sic Barbosa in cit. c. *Licet*, n. 2. & probatur ex c. *dilectus*, de offic. Ordin. c. *Si vos*, 23. q. 5. c. *Cùm sit nimis*, §. *fin. c. Postulasti*, de Judæis, c. *ad audientiam*, de præscript. c. *olim*, Jurejur: & alibi; quod intellige, si zelo justitiæ (quia illa magis timetur) pœnam talem imponant. Hanc autem pœnam Episcopus non potest convertere ad usus suos, seu

seu ad inbursandum, ne quidem in fabricam Ecclesiæ Cathedralis, aut mercedem Vicarii (sic enim præsumeretur manare ex fonte avaritiæ) sed in pias causas, ut monet & præcipit Tridentinum Sess. 25. de Reform. c. 31. nisi Episcopus esset admodum pauper; prout Congregatio Cardinalium, pro dub. Trident. declaraverat apud Barbos. cit. n. 4. ubi etiam addit, quòd Episcopus in prima admonitione concubinarum, pœnâ pecuniariâ punire possit.

1391 Dubitatur tamen, quis possit pœnam infligere, quam jus certis pro criminibus statuit infligendam? Respondet Pirhing h. t. n. 7. quòd is, qui potest cognoscere de talibus delictis, etiam possit illam infligere; Si autem jus statuat pœnam spiritualem vel corporalem, non posse illam ab alio commutari, nisi qui potest in tali delicto dispensare: Abbas tamen in cit. c. *Licet*, docet, quemlibet Judicem, qui potest de causa cognoscere, posse pœnam à jure statutam in pecuniariam commutare, dummodo id faciat in sententiæ prolatione, & causa cognita, ut notat Fagnanus in cit. c. *Licet*, n. 13. verùm hoc de jure Canonico sic indefinitè non procedit, ut constat ex duobus numeris præced. in Judicibus Ecclesiasticis; præsertim, si pœna lege definita sit; ex c. *in istis*, dist. 4. ubi dicitur, *de legibus, cùm instituuntur, posse judicari; cùm autem fuerint institutæ, & firmatæ, non licere Judici de ipsis judicare; sed secundùm ipsas*; Si autem de pœna criminis nihil definitum sit in jure, utrum pecuniaria, vel alia sit imponenda? Judicis arbitrio relinquitur, quam imponat. Sic Gloss. in cit. c. *Licet*, V. *Pœnam*. Episcopus tamen, vel alius Judex Ecclesiasticus in causis spiritualibus, vel mixti fori, Laicis, etiam non subditis in temporalibus, pœnas pecuniarias imponere potest, saltem post Trident. Sess. 25. de Reform. c. 3. Sic Fagnan. cit. à n. 22. maximè si talis plus timeatur, & conducibilior sit ad correctionem.

1392 Quæras 2. quid dicendum de pœna conventionali? Circa istam pœnam nota, etiam de jure Canonico licitè apponi pœnam contractui, & exigi, quæ tamen in effectu tollatur, si utraque pars non servet contractum. Desumitur ex c. *Constitutus* 7. h. t. ibi: *licet autem in instrumento Episcopi Lavitani expressa fuerit certa pœna, quam pars contractum non servans, solveret observanti: cùm tamen utraque pars venisset contra illum, ex confessione propria convincatur, cùm & pars vestra subtraxerit Episcopo pensionem, & Episcopus procurationem exegerit ab eadem Ecclesia, sicut œconomus proposuit memoratus, utramque partem ab ea reddimus absolutam,* Sed hoc accipe cum eo discrimine, quod, etsi de jure civili, & secundùm rigorem juris, qui certam pecuniæ quantitatem ad certum tempus sub pœna dare promisit, debeat in casu promissionis non servatæ totam pœnam solvere, licet aliquam partem sortis solverit, propter sortem non solutam integrè, L. *stipulationum*, §. *si sortem*, & L. *in excutione*, §. *item si ita*, de V. D. L. *Hæredes*, §. *In illa*. ff. Famil. herisc undæ: de jure tamen Canonico eo casu non committi, seu incurri totam pœnam; sed solùm pro illa parte, quæ respondet quantitati debiti non soluti; cùm neminem deceat inhonestis quæstubus cum aliena jactura ditari, c. *suam*, 9. h. t. ubi, postquam Rectores Clericorum S. Fortunati Episcopo Spoletano in 40. libris per quoddam arbitrium condemnati, adjectâ 30. librarum pœnâ, nisi eas solverent in termino constituto, solverunt in dicto termino 33. restantibus adhuc 7. persolvendis, dictus Episcopus occasione harum septem adhuc restantium ursit solutionem pœnæ arbitrio adjectæ de 30. libris in pœnam non soluti constituto termino integri debiti 40. librarum; & produxit literas Apostolicas, quibus *veritate tacitâ* impetravit, ut Rectores illi in præfatis 30. libris per Delegatos condemnentur: Dicti Rectores contra Episcopum ad Sedem Apostolicam suam querimoniam deduxerunt; quâ perceptâ, præfato Episcopo rescripsit Pontifex: *Quia igitur te non decet in tantum Pontificalis modestia oblivisci, ut inhonestis quæstibus anhelando desideres cum aliena jactura ditari: mandamus, quatenus septem librarum solutione contentus super pœna 30. librarum, memoratos Rectores de cætero non molestes.* An & qualiter pœnæ conventionali sponsalibus appositæ locus sit? diximus l. 4. tit. 1.

Si inquiras, an pœnæ conventionali 1393
locus sit, cùm non adjicitur alicui obligationi præcedenti? R. pro resolut. not. pœnam conventionalem definiri, quòd sit promissio confirmans præcedentem obligationem, vel causam, & ad ejus implementum impellens Reum, sub comminatione præstandi aliquid certum; talique obli-

obligatione confirmari priorem, ut docet Cujacius in L. *Si ita*, 97. & Donellus in L. *Si homo* 69. n. 5. ff. de verbor. obligat. Ex hoc respondetur ad quæstionem, quòd obligatio ad pœnam ex conventione statutam, non semper requirat determinatè priorem obligationem, quam confirmet; Sed vel illam, vel causam debendi. Nam si stipulator dixerit: *Si domum non fabricaveris, centum dabis*, fabricatio domus non est sub obligatione, cùm promissa non sit; est tamen causa debendi: & ideo fabricatio domûs peti non potest, vi hujus conventionis, & promissor se liberat, fabricando domum, de quo V. L. 24. ff. quando dies Legati cedat; & L. 24. §. *ita*, ff. de verbor. oblig.

1394 Talis pœna conventionalis erat illa, de qua dicitur c. *Constitutus*, 7. h. t. ubi dicitur, quòd, si uterque contrahentium venit contra contractum, uterque possit exigere pœnam ad invicem promissam ex conventione; quia tamen paria delicta, quoad pœnam privatam mutuâ compensatione tolluntur, *L. Viro*, ff. soluto matrimonio: ideo in dicto casu (cùm neuter contrahentium promissum adimpleverit) Innocentius III. in dicto c. *Constitutus*, utrumque à pœna per conventionem promissa absolvit. Ex hoc inferunt aliqui, pœnas conventionales quocunque eventu esse solvendas, licet nulla culpa possit imputari promissoribus; ita Sanch. l. 1. matrim. D. 126. n. 6. Fachinæus l. 3. Controvers. c. 10. & alii; quia non tantùm promiserunt diligentiam, sed præstationem, seu factum L. 9. ff. de nautico fœnore: videtur tamen excipiendo conventionalis pœna sponsalibus adjecta, solvenda à resiliente etiam ex justa causa, de quo casu diximus l. 4. tit. 1. p. 1.

1395 Quamvis autem jam dixerimus, obligatum ad certam quantitatem, certâ die sub pœna solvendam, si partem intra terminum solvit, ad pœnam integram jure Canonico non teneri, ut satis videtur colligi ex c. *Suam*, 9. h. t. ubi Innocentius III. Clericos Sancti Fortunati per quoddam arbitrium condemnatos in 40. libris Episcopo Spoletano persolvendis, sub pœna 30. librarum, nisi eas quadraginta solverent in termino constituto, postquam in hoc 33. persolverunt, absolvit à pœna 30. librarum, & Episcopum contentum esse voluit, si ei solvantur septem, totscilicet, quot solutæ non sunt ex debito in termino constituto: contrarium tamen communiter docent Legistæ, de quo videri potest Gonzalez in c. *Suam*, cit. à n. 1. saltem in casu, ubi quantitas sub pœna debita est individua; vel si dividua, indivisibiliter promissa; cujus rationem communiter reddunt ex voluntate contrahentium; quia, qui promisit pecuniam certâ die dare, & nisi dederit certam pœnam, totam summam promittit: Hinc nolunt pœnalem obligationem conditionalem esse, vel instar conditionalis pro casu non dationis, sed, licet pars persolvatur in termino constituto, adhuc verum est totam summam non esse datam; ergo non evitatur pœna, nisi principali obligationi satisfactum sit in totum.

Ut jus Canonicum cum civili concili- 1396
ent, varias expositiones illius textûs in c. *Suam* afferunt Authores. Bartolus in L. 4. §. Cato, ff. de verbor. obligation. censet omnino verum esse, quòd partis solutio eximat pro parte pœnæ, de jure Canonico; alii alias solutiones afferunt apud Barbosam in c. *Suam*, & alios. Mihi videtur præ cæteris ad mentem Innocentii rectior expositio, quæ dicit, in hoc c. *Suam*, casum esse specialem respectu *personæ*, cui Pontifex imposuit, ne totam pœnam exigat, quòd tota quantitas in termino constituto persoluta non sit. Quia, qui totam pœnam 30. librarum sibi solvendam exigebat, erat, ut dictum est, *Episcopus*, non obstante, quòd debitores, de quadraginta libris debitis, constituto termino persolverint triginta tres; hujus igitur petitioni ad totam pœnam, Pontifex modum statuit, de quo supra; rationem reddit ex circumstantiis, ibi: quia igitur *te non decet* in tantùm Pontificalis modestiæ oblivisci, ut, *inhonestis quæstubus anhelando*, desideres cum aliena jactura dictari, mandamus, quatenus, septem librarum, solutione contentus, super pœna triginta librarum, memoratos Rectores de cætero non molestes. Ex quibus verbis colligitur, nullum esse inter ea, quòd includat injustitiam ex parte Episcopi in hujusmodi pœnæ exactione; sed omnia duntaxat eò tendere, ut ostendant indecentiam, & quandam illius disconvenientiam respectu talis personæ, in qua considerari debet Pontificalis modestia, honestas, & eminentia statûs Episcopalis, cui quæstu non decenti, *qui arguit cupiditatem lucrandi*

crandi cum jactura aliena, talis exactio non potest decenter convenire.

1397 Quæres 3. quid dicendum de pœna depositionis? Ante resolutionem suppon. *depositionem* Clerici, aliam esse *verbalem*; aliam *realem*, seu *actualem*. Verbalis degradatio propriè est depositio Clerici criminosi ab exercitio ordinum, officio, & beneficio, facta per sententiam; si verò post hoc etiam privetur actu, & solenni ritu, vestibus, & insignibus Clericalibus, est degradatio realis. Pœna depositionis, nimirum ab officio, & beneficio, Clericis non nisi propter gravia crimina infligi solet v. g. latrocinia, quæ fiunt de die, & cum violentia &c. ut dicitur c. *quod in dubiis* 5. h. t. ibi: quia verò tam sacerdotes, qui gubernant naves ad pugnam, quam qui personaliter exercent conflictum, & hi, qui alios incitant ad pugnandum, omnes enormiter peccant: *de rigore canonico eos credimus deponendos*, & c. 6. eod. ibi: ad illud, quod à nobis tertio requisisti, qualiter Clerici in latrociniis, vel aliis magnis Sceleribus deprehensi puniri debeant? Respondemus, *quòd à suis ordinibus degradati, detrudi debeant in arcta monasteria ad pœnitentiam peragendam.*

1398 Modus degradationis tam verbalis, quàm realis, præscribitur c. 2. h. t. in 6. Qui, & quot Episcopi in degradatione tam verbali, quàm reali adhibendi olim fuerint, dicitur c. 4. & 9. 15. q. 7. quid verò statuerit Trident. constat ex Sess. 13. de reform. c. 5. & Sylvester V. *degradatio*; aliique. Dubitatur autem 1. an per degradationem seu depositionem verbalem amittatur privilegium fori, & canonis? R. negativè; quòd id nullo jure constitutum sit; secùs est, per realem, sic Barbos. de officio & potestate Episcopi, allegat. 110. Degradatio verbalis, seu depositio fieri potest ab Episcopo, etiam non consecrato, per se, non per alium; si autem sit confirmatus, licet nondum consecratus, potest eam facere etiam per alium, quia est actus solius jurisdictionis; potestas verò degradandi realiter, ex institutione annexa est Ordini Episcopali, potestque delegari alteri Episcopo, sed consecrato; Pirhing de pœnis n. 19. Si autem jure, vel constitutione aliquâ delicto reperitur imposita pœna degradationis, intelligendum venit de verbali, nisi clarè exprimatur realis; quia pœnæ restringendæ sunt.

Degradatio verbalis infligitur propter 1399
adulterium, concubinatum perseverantem, etiam post monitionem, simoniam notoriam, stuprum, incestum, furtum, perjurium, homicidium, & alia crimina gravia, quæ irregularitatem inducunt; Degradatio autem actualis non nisi propter crimina gravissima, quorum tria jure expressa sunt. 1. Manifestum crimen hæresis. 2. Crimen falsi commissi in literis Apostolicis. 3. Conspiratio in proprium Episcopum; intellige, si conjuncta sint cum incorrigibilitate; quibus accedunt alia. 1. Sodomia frequentata. 2. Crimen abortûs fœtûs animati; 3. solicitatio mulierum in confessione, 4. Celebratio non ordinati. 5. Non ordinatus audiens sacramentalem confessionem, & plura similia valde enormia, & Reipub. perniciosa: ut est homicidium qualificatum, &c. *actualiter* autem *degradatus*, per solum Papam restitui potest; *verbaliter* autem depositus, etiam per Episcopum, sed non per Episcopo inferiorem. V. Sylvest. cit. & Barbos. dict. allegat. 110.

ARTICULUS II.

De reliquis in hoc titulo.

QUæstio prima est, an ea, quæ frequenti prævaricatione iterantur, frequenti etiam sententiâ condemnari possint? R. 1400
affirmativè ex claro textu c. 1. h. t. Nam licet de eodem delicto non possit quis iterum accusari, postquam semel fuit absolutus, vel condemnatus, c. *de his*, de accusat. secundùm imbi dicta in tit. 1. supr. tamen, cùm novâ post hoc prævaricatione relapsus est, potest non modò iterum puniri, sed etiam gravius propter iterationem, ut colligitur ex c. *ad abolendam.* de hæret.

Quæstio 2. est, quæ pœna sit ejus, qui 1401
occiderit, vulneraverit, vel qualibet injuriâ, vel contumelia dehonestavit sacerdotem? R. de hoc casû responderi c. 2. h. t. & statui, si Presbyter occisus fuerit, totam compositionem esse persolvendam Episcopo, ad cujus provinciam, hoc est diœcesim, interfectus pertinet, medietate unâ cedente Ecclesiæ, cui servivit; alterâ in eleemosynam justè dispertiendâ; si autem in articulo mortis præventus obierit pretium Werigeldi tripliciter dividendum esse, sic, ut una pars cedat altari, hoc est Ecclesiæ, cui ordinatus fuerat; altera Episcopo, in

cujus diœcesi erat; tertia parentibus, de quibus ortus fuerat: denique si in atrio Ecclesiæ aliquid ex istis Presbytero factum fuerit, supradicto modo, Presbytero, & pro Presbytero compositionem esse solvendam, ut habetur in tota lectione dicti c. 2. apud Gonzalez h. t.

1402 Pro quo not. textum hujus capituli exponendum esse juxta consuetudinem Provinciæ, in qua Concilium hoc Tribuniense, ex quo desumptus est, celebratum fuit, videlicet Germaniæ. Sic Gonzalez in cit. c. 2. h. t. n. 3. Deinde apud veteres Germanos certâ pecuniæ summâ delicta fuisse æstimata, neque homicidium morte lui, legem fuisse, & facinorosos omnes (nisi læsæ Majestatis) solvisse pœnam pecuniariam; quæ dicebatur *compositio*. Per *VVerigeldum* autem, seu *VVerigildum*, hic intelligitur pretium, quod pro compositione judiciali persolvendum erat, in pœnam homicidii, aut alterius delicti, de quo plura Gibalinus tom. 2. de negot. l. 6. c. 9. a. 3. n. 11.

1403 Quæstio 3. est, quæ sit pœna subditorum occidentium Prælatum suum? R. de hoc agi c. *ad aures* 10. h. t. ibi: ad aures nostri Apostolatûs pervenit, quòd, cùm quidam Paræciani tui ausu diabolico (bonæ memoriæ) Vincentium Episcopum, Prædecessorem tuum nequiter peremissent, feuda, & beneficia, quæ illi à Vicentina Ecclesia obtinebant, ipsis per sententiam fuerant cum multa deliberatione sublata. *Quia igitur majori sunt animadversione plectendi, nos tam tibi, quàm successoribus tuis, autoritate Apostolicâ prohibemus, ne ipsis, aut hæredibus eorum beneficia prædicta restituantur; sed de novo eis alia quælibet conferantur.*

1404 Ex hoc textu in dicto c. coll. 1. ejusmodi occisoribus auferenda esse feuda, & beneficia, si quæ habent ab Ecclesia, sic, ut ne quidem eorum hæredibus sint restituenda; ubi Abbas n. 3. per beneficium intelligit quælibet bona, ex quibus aliquod temporale commodum in eos redundabat; & in Clement. *si quis* 1. h. t. præter dictam pœnam, in eos, qui Episcopum injuriosè occidunt, vel percusserunt, vel ceperunt, vel banniverunt, vel hæc fieri mandarunt, aut ab aliis facta, rata habuerunt, vel qui ad id dederunt consilium, aut favorem, vel scienter defenderunt, aliæ rursum graves pœnæ decretæ sunt. Prima est excommunicatio reservata Papæ; 2. Terræ, vel civitatis in hoc delinquentis interdictum, donec satisfecerit. 3. Excommunicatio Potestatis, Curialium & Officialium; 4. Ut hi absoluti in mortis articulo in eandem pœnam ipso facto reincidant, si convaluerint, nisi paruerint mandato Papæ.

Quæres 4. quæ sit pœna Patronorum, 1405
Advocatorum, & similium personarum, quæ jus aliquod habent in Ecclesia, si plus sibi arrogent, quàm ipsis jure concessum sit? R. hanc quæstionem resolvi c. *In quibusdam* 12. ubi statuitur, quòd *si tales in casu, quo vacanti Ecclesiæ de Pastore providendum est, non solùm difficultates ingerunt, & malitias; sed etiam de possessionibus, aliisque bonis Ecclesiasticis pro sua voluntate disponere præsumunt*, per censuram Ecclesiasticam compescantur. 2. Si per se, vel alios præsumpserint Rectorem, vel alium Clericum ipsius Ecclesiæ occidere, vel mutilare, prorsus amittant Patronatum, advocatiam & bona temporalia ipsis concessa ab Ecclesia, quin de prædictis aliquid perveniat ad ipsorum hæredes 3. Nullus ex posteris eorum usque ad quartam generationem admittatur ad Collegium talium Clericorum; nec in domibus Regularium alicujus Prælationis (seclusâ dispensatione) assequantur honorem.

Circa has pœnas not. 1. in textu non 1406
dici solùm simpliciter *amittant*, ex quo Azor p. 2. l. 7. a. 18. q. 1. deducit significari solùm sententiam ferendam, cùm non dicatur, amittant *ipso facto*, vel *ipso jure*, sed *prorsus amittant*; quæ dictio *prorsus* importat idem, ac ipso jure, ut docet Barbosa de offic. & potest. Episc. p. 3. allegat. 57. n. 239. consequenter significari privationem, seu pœnam latæ sententiæ; ita Sayrus in Clavi Regia l. 3. c. 8. n. 21. Sanchez l. 3. matr. d. 53. n. 8. Not. 2. pœnam impositam delinquenti *usque ad quartam generationem* (nisi aliud exprimatur) intelligi solùm de descendentibus per lineam masculinam, ut constat ex definitione Bonifacii VIII. in c. *Ubicunque* h. t. in 6. ibi: *Ubicunque alicui, & ejus filiis, seu posteris usque in certam generationem pœna imponitur ab homine, vel à jure, pœna ipsa eos tantum afficit, qui per masculinam; non per fœmininam lineam descendere dignoscuntur*, nisi aliud in jure, vel sententia sit expressum. Not. 3. quando in textu dicitur: nisi cum eis fuerit misericorditer dispensatum intelligi, *etiam per*

per Episcopum. Nam ubi jura absolutè dicunt *posse dispensari*, vel *nisi fuerit dispensatum*, intelligitur, non esse reservatum Papæ, consequenter *posse Episcopum*, ut notat Gloss. *fin.* in cit. c. 12. & Henriquez in Summa p. 2. l. 14. c. 19. §. 2. lit. P. Sanchez l. 8. Matri. d. 5. n. 1.

1407 Quæres 5. quæ pœna statuta sit litigantibus adversus assertionem Judicis, temerè prorumpentibus? 6. Pertinaciter in excommunicatione per annum persistenti? 7. Insectantibus, percutientibus, capientibus? vel occidentibus S. R. E. Cardinalem. 8. Subditis Episcoporum comprovincialium injurias inferentibus, Metropolitano, vel hominibus ejus? Ad 5. R. dictam quæstionem resolvi in c. *dilectus* 11. h. t. ibi: ne judicialis evanescat auctoritas, cùm de litigatoris improbitate constiterit, adversus assertionem judicis temerè prorumpentis, juxta superioris arbitrium dignâ poterit animadversione puniri. Ubi nota, per *injuriam* hìc etiam intelligi convitium, seu contumeliam, ut si litigans dicat: *quòd Judex mentiatur quòd nihil intelligat; quòd muneribus corruptus pronuntiaverit &c.* Not. 2. dici: *juxta Superioris arbitrium digna animadversione puniendum*; ubi dubitari potest, an ab ipso Judice injuriato? an ab alio Superiore?

Ad hoc R. distinguendum, an injuria sit notoria, nec ne? si est notoria, & pœna est legalis, ipse Judex injuriatus pœnam Reo infligere poterit; nam delictum notorium tollit suspicionem odii, & pœna lege statuta removet vitium excessûs in sententia, quod aliàs timeri posset; aliud est, si pœna foret arbitraria; nam tali casu Judicis offensi arbitrium suspectum foret; si autem non est notoria, rursus distinguendum est, an facta sit principaliter personæ? an dignitati? si hoc secundum? ipse quidem punire, sed recusari poterit tanquam suspectus; cùm saltem indirectè, & consequenter etiam tangat ipsius personam; si autem primum? non potest ipse punire; ne sit judex in propria causa, seu facto, contra c. *Inter querelas.* 23. q. 4.

1408 Ad 6. R. ex c. *Gravem* 13. h. t. ubi, cùm talis casus contigisset cum comite Registrensi, justè excommunicato, & in contemptum clavium Ecclesiæ biennio, & amplius pertinaciter parere recusante, re delatâ ad Honorium III. sic rescripsit Præposito, & Archidiacono Ecclesiæ Suessionensis: licet hujusmodi pertinacia non careat scrupulo hæreticæ pravitatis: volentes tamen nobilitati parcere comitis supradicti. disc. V. *mandamus*, quatenus, *si comes supradictus* post commonitionem vestram *non paruerit plenè juri, vos Ecclesias, in quibus aliquod jus habere dignoscitur, ab ejus debito absolventes, fideles ipsius (quàm diu in excommunicatione perstiterit) ab ejus fidelitatis juramento denuntietis penitus absolutos.* Ex hoc textu deducitur 1. Judices Ecclesiasticos in pœnis agere mitius, ne gravior pœna declinet in Schisma, vel alia Scandela, facilè oritura ex eorum irritata pœna. 2. Taliter contumaces & saltem per annum persistentes in ejusmodi censuris ex præsumpto contemptu potestatis clavium, esse suspectos de hæresi, prout etiam habetur in c. *Excommunicamus* 13. §. *qui autem*, de hæreticis.

Ad 7. R. super hac quæstione susè 1409
agi *c. fin.* h. t. in 6. ubi pœnæ gravissimæ, decernuntur in Reos, & complices hujus criminis, extensæ etiam in eorum filios, & nepotes, faventes, collaterales &c. iterum quam satisfactionem præstare debeant, cùm ablolventur; & quid per absolutionem consequantur &c. de quibus fusè textus. Ad 8. R. me quæstionem illam resolvisse in c. *Romana* 1. h. t. in 6. ubi Innocentius IV. sic rescribit Archiepiscopo Rhemensi: Licet autem Rhemensi Archiepiscopo suam provinciam visitanti eos, qui nunc sibi, vel suæ familiæ, aut aliis, quos propter hoc per eandem provinciam dirigit, & etiam quando Concilium convocat, eos, qui nuntiis suis, quos pro illo, vel aliàs per provinciam ipsam suâ debitâ jurisdictione utendo transmittit, in juriari præsumant: si hâc occasione suâ inhis impediantur jurisdictione, pro injuria hujusmodi (dummodo existat notoria) propriâ authoritate punire, nisi amplius ei de Rhemensis Ecclesiæ consuetudine competere dignoscatur. Sibi etiam, & Metropolitanis aliis in suis provinciis (dum sic in illis jurisdictionem exercent) puniendi manifestas, & notorias offensas tunc eisdem illatas, vel suis (etiamsi exinde impediri jurisdictione hujusmodi non contingat) libera sit de nostra speciali concessione facultas. Ubi tamen nota textum loqui de casu injuriæ, quæ notoria sit, & manifesta; de quo V. dicta in superior: & hoc

suppo-

suppoſito ſuperius concedi Archi-Epiſcopis poteſtatem procedendi non tantùm, quando contingunt, dum viſitat provinciam, ſi ejus juriſdictio impediatur, ſed etiam extra viſitationem, etiam, ſi non impediant ejus juriſdictionem, intellige tamen ſi ſuperior immediatus in hoc ſecundo caſu negligens ſit, ut notat Quaranta in Summa Bullarii n. 14.

QUÆSTIO XXXVIII.

IN TIT. XXXVIII. DE POENITENTIIS ET REMISSIONIBUS.

1410 POſt pœnas fori externi de quibus præcedenti titulo agitur, hic tractatur de pœnis fori interni, quæ per nomen *pœnitentiæ* ſignificantur. Per *remiſſiones* autem inrelligitur condonatio ſatisfactionis, ſeu pœnæ temporalis per applicationem meritorum Chriſti, & Sanctorum, quæ alio nomine *indulgentiæ* vocantur, juxta c. *quod autem.* h. t. & c. *indulgentiæ* eod. in 6.

ARTICULUS I.

De Pœnitentiis.

1411 NOmen *pœnitentiæ* generaliter, ſpectato vocis uſu, dicitur prioris ſententiæ, vel conſilii mutatio, & converſio; hinc generaliter *pœnitere* dicitur, qui mallet feciſſe, quod omiſit; & omiſiſſe, quod fecit, ſivè bonum, ſive malum, ut notat Zoëſius hìc n. 1. Non eſt de ratione pœnitentiæ generaliter acceptæ, ut contingat *cum dolore* (nam etiam Beati pœnitent de peccatis in ſtatu viæ commiſſis, de quo V. c. *Incommutabilis* 22. q. 4.) ſecus eſt in viatoribus, qui non ſolùm, dum rectè pœnitent, nolunt peccare deinceps, ſed etiam peccâſſe dolent. Et ſic intelligendus venit D. Auguſt. relatus in c. *pœnitentia* 4. de pœnit. diſt. 3. ibi: *pœnitentia eſt quædam dolentis vindicta*, puniens in ſe, quod dolet commiſiſſe. Sed nec eſt de ratione pœnitentiæ, prout exigitur in Viatoribus, ne ſemel commiſſa, iterum committant, licet petat propoſitum, ſeu intentionem illa amplius non committendi, quo ſenſu accipiendus eſt D. Ambroſius relatus in c. *quæ tum tempus*, 39. de pœnit. diſt. 1. & c. 1. ac 6. eod. diſt. 3. dicens: pœnitentiam agere, eſſe, *præterita mala plangere, & plangenda non committere*, intellige quoad propoſitum & intentionem.

Cœterùm *pœnitentia* quandoque ſumitur pro virtute ſpeciali, cujus proprium eſt tendere per ſuos actus in bonum deletionis peccati propter honeſtatem, quæ reperitur in quolibet actu honeſtè deteſtante peccatum (de qua multa diximus in tractatu Theologico de virtute pœnitentiæ) quandoque pro ipſo Sacramento pœnitentiæ, ut colligitur ex c. *quod in te* 11. h. t. ibi: in illo enim verbo, *per quod pœnitentiam morientibus non negamus*; viaticum etiam, quod verè poenitentibus exhibetur intelligi volumus, ut necipſum decedentibus denegetur: quandoque demum ſumitur pro poena, ſeu vindicta, ſive ſponte ſuſcepta, ſive per Sacerdotem impoſita in ſatisfactionem peccatorum. Poenitentia poſtremo modo accepta, alia eſt *publica*, quæ propter peccata publica, publicè commiſſa, imponitur, ut eo exemplo alii deterreantur, qui publicè peccare non erubeſcunt, quo ſenſu intelligendum venit c. 1. h. t. dicens: manifeſta peccata non eſſe occultâ correctione purganda; alia *privata*, ſeu ſecreta, quæ nec ſolennis, nec publica eſt, ſed privatim peragitur, vel ſuſcipitur, & imponitur etiam pro gravibus, ſed occultis, ut dicitur c. *quæſitum.* 3. h. t. 1411

Not. autem 1. publicam pœnitentiam aliam eſſe *ſolemnem*, aliam *non ſolemnem. Publica ſolemnis* eſt, quæ præſcripta eſt in Concilio Agathenſi, quod habetur c. *pœnitentes*, & c. *In capite* diſt. 50. & tam in impoſitione, quàm liberatione, fiebat cùm certis ritibus, & ſolemnitatibus; quæ autem fiebat ſine illis ſolemnitatibus jure præſcri-

scriptis, publicè tamen, & in facie Ecclesiæ, erat pœnitentia publica, sed non solennis. Not. 2. publicam pœnitentiam solemnem imponi potuisse solùm ab Episcopis, ut dicitur cit. c. *pœnitentes*. Dist. 50. non solemnem autem etiam à Sacerdote. Quando autem pœnitentia publica imponenda sit? V. Trident. Sess. 24. c. 8. Huc etiam pertinent canones pœnitentiales in fine Decreti, jussu Gregorii XIII. editi; nec sunt aliud, quàm quædam regulæ directivæ ad pœnitentias imponendas. Sed adverte istos canones jam venisse in desuetudinem, & in earum locum successisse *Remissiones*, seu *indulgentias*; his præmissis:

§. 1.

De Sacramento pœnitentiæ.

1414 NOn agimus hîc de partibus Sacramenti pœnitentiæ, vel ejus materia, & forma, qualiter nimirum contritio, confessio, & satisfactio instituenda sit; de his enim (cùm potissimum tangant forum conscientiæ) ex professo tractavimus in Theologia, tam morali, quàm Scholastica; ea solùm breviter relaturi, quæ hoc, & aliis titulis de hoc Sacramento memorantur. Quare not. 1. peccatum actuale aliud esse mortale, sic dictum, quia præsentem animæ mortem adfert (de quo V. c. *Unum Oratorium* dist. 25.) aliud veniale, sic appellatum, quia illi facilè tribuitur venia, v. g. per aspersionem aquæ benedictæ: c. *aquam*, dist. 3. de consecrat. vel orationem Dominicam c. *de quotidianis* dist. 3. de pœnit. Hinc venialia non sunt materia necessaria confessionis Sacramentalis, sed multis aliis modis expiari possunt, ut dicitur in Trident. Sess. 14. c. 5. eodem tamen attestante, utiliter ea Confessioni, & Sacramento subjici.

1415 Not. 2. quando in c. *perfecta*, dist. 3. de pœnit. dicitur: *Contritionem in corde, confessionem in ore, & totam humilitatem* (seu satisfactionem) *in opere, esse perfectam, & frugiferam pœnitentiam*, textum intelligi, prout exponitur in concilio Florent. in Instruct. Armenorum; & Trid. Sess. 14. dicente: *tres illos actus* (Contritionem, confessionem, & satisfactionem) *esse quasi materiam sacramenti pœnitentiæ, ac DEI institutione ad integritatem Sacramenti, & plenam, perfectamque peccatorum remissionem requiri*, ut dicitur c. 5. Dicuntur autem *quasi materia*, non quia non habent veram rationem materiæ in dicto Sacramento; sed quia non sunt talis materia, quæ extrinsecùs adhiberi solet, ut aqua in baptismo, Chrisma in Confirmatione, panis cum vino in Eucharistia; ita Zoësius h. t. §. 2. n. 4. ex gloss. in cit. c. *perfecta*. & c. 1. 2. & 3. dist. 1. de pœnitentia.

An autem satisfactio sit pars essentialis, 1416
& contritio, seu dolor debeat esse universalis? consequenter dari possit Sacramentum pœnitentiæ validum, & informe defectu talis doloris? exposuimus in tractatu Theologico de Sacram. poenit. amplexi sententiam, tanquam probabiliorem, quæ docet satisfactionem pertinere ad solam integritatem; dolorem *universalem* ad essentiam Sacramenti pœnitentiæ: quo posito. Not. 3. cùm in c. *quem pœnitet* dist. 1. de poenit. dicitur, *confessionem ore* (hoc est verbis ore prolatis) *faciendam* (ex quo Zoësius hîc n. 1. infert, *non esse faciendam per Scripturam vel nuntium*) intellige sic, ut non fiat absenti ab absente; cæterùm si pœnitens Sacerdoti præsens sua peccata in scripto legenda tradat, & de his, quæ inibi legerit, se accuset cum dolore, ac proposito debito, nihil invalidè, vel illicitè agitur, si semel præsens absolutionem suscipiat.

Not. 4. ex Vallensi h. t. §. 5. n. 1. Con- 1417
tritionem, seu dolorem peccati commissi esse necessarium ad salutem necessitate præcepti simul, & medii, prout colligitur ex Trident. Sess. 6. c. 14. & Sess. 14. c. 4. ubi definit, *contritionem omni tempore fuisse necessariam peccatori ad justificationem*, indicante simul se loqui de utraque necessitate, ex illo Lucæ 13. *nisi pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis*, quod tamen intellige *juxta hanc providentiam*; Nam DEus homini peccatum absolutè remittere potest, sine omni actu hominis, ut hîc suppono ex tractatu Theologico de pœnitentia. Cùm autem præceptum contritionis, sicut etiam confessionis, sit affirmativum (nam directè intendit positionem actûs) licet consultissimum sit, statim commisso crimine confiteri, non obligat semper, & pro semper, sic, ut statim post commissum peccatum confiteri sit sub obligatione gravi, sic Vallensis cit. n. 2. aliàs non esset præceptum affirmativum. Not. 5. quando in c. 2. de furtis videtur dici, etiam Diacono posse fieri confessionem, præsertim cùm Gloss. ibid. dicat, *valere confessionem*

nem in necessitate factam etiam Laico; ibi non esse sermonem de confessione Sacramentali per ordinem ad accipiendam absolutionem à peccatis ab eodem (cùm tales potestate clavium careant à Christo datâ solis sacerdotibus) sed solum de confessione ad indicandum desiderium confessionis sacramentalis, quod externè manifestatum sufficit in necessitate ad absolutionem impertiendam illi à sacerdote, licet superveniat ægro signum aliud edere impotenti. Neque alium sensum habent textus, quos allegat Gloss. cit. ex c. *quem pœnitet. §. quare.* Dist. 1. de pœnit. & c. *qui vult confiteri*, ibid. dist. 6. ubi Augustinus, seu auctor libri de vera, & falsa poenitentia sic ait: *tanta vis confessionis est, ut si deest sacerdos, confiteatur proximo*, id est laico, ut colligitur ex verbis sequentibus. Nam hoc non intelligitur *de confessione Sacramentali*, propter rationem supr. datam; sed solùm humili manifestatione suæ dolorosæ mentis. Deinde intelligi possunt de confessione, quâ etiam laico manifestet culpas suas per ordinem ad satisfaciendum damno aliis causato, quo collimare videtur c. 2. de furtis, & insinuat Zoësius h. t. n. 3. vel in ordine ad aliam spiritualem utilitatem, qualis est, si testimonium habeat, quod decedat poenitens, quod alias non haberet, si solùm foret verè contritus corde, nisi hoc ipsum etiam procederet ore.

1418 Not. 6. cùm mendacium semper sit peccatum (ut dicitur c. *Primum*, 23. q. 2. & c. *super eo*, de usuris) gravius esse, quod in judicio, consequenter in Sacramento poenitentiæ, committitur. Hinc scienter in confessione negare peccatum mortale commissum, grave peccatum est, ut communiter docent Theologi cum Vallensi h. t. §. 8. n. 1. intellige tamen per se loquendo, & non subsistente legitimâ causâ, de qua vide Navarr. in Manuali, c. 6. Inter causas legitimas quandoque dividendi, seu dimidiandi confessionem numeratur 1. necessitas poenitentis, ut si dicto uno, vel altero, etiam veniali, repentè infirmaretur, vel usu linguæ, aut rationis privaretur, cum probabili periculo mortis; vel si simili necessitas obtingeret sacerdoti. 2. Necessitas sociorum de vita periclitantium in bello, in naufragio &c. 3. Si ex confessione materialiter integra impenderet periculum vitæ corporalis, vel spiritualis, proprie vel alienæ. Sic Navar. cit. c. 7. n. 3. hoc extendens probabiliter n. 1. ad casum, quo quis non posset peccatum suum exponere sine gravi diffamatione complicis apud Confessarium, qui eum novit; nec est commoditas alteri confitendi. A fortiori autem sequitur, posse confessionem dimidiari, & licitè fieri solùm formaliter integram, quando Sacerdos non potest aliter confiteri peccatum suum, quam revelando alienum, auditum in confessione. Nam, ut rectè notat Navarr. cit. c. 8. n. 6. major est obligatio sigilli confessionis, quàm integritatis confessionis. An autem, & qualiter confessio dividi possit, quando poenitens habens aliqua reservata, confitetur inferiori? diximus in tractatu Theolog. de Sacramento poenitentiæ.

Quæri autem potest, an sit peccatum 1419
grave in confessione affirmare, se commisisse aliquod peccatum mortale, quod non commisit? Vallensis cit. §. 8. n. 1. affirmat, nisi excuset error, vel ignorantia, cùm quis dubitans de aliquo gravi peccato, accusat se de illo, putans se melius sic acturum. Nam etsi hoc casu falsum dicat, non tamen mentitur *perniciosè*, nimirum animo fallendi. Coeterùm, cùm sit bonarum mentium, timere culpam, ubi non est, ut dicitur c. *ad ejus* dist. 5. de poenit. consultius est in tali casu super eo sub dubio se accusare, quando nescitur commissum certò. Not. 7. actus, qui sunt peccata, diversis quandoque accidentibus affectos esse, quæ circumstantiæ vocari solent, & variæ sunt, ut habetur c. *aut facta*, 19. dist. 1. de poenitent. & c. *sicut dignum*, de homicid. de quibus videri potest Navarr. in c. *consideret*, de poenit. dist. 5. licet autem sub lite sit, an *circumstantiæ* (quæ peccatum intra eandem speciem solùm aggravant, non tamen ad novam peccati speciem transferunt) *sint de necessitate confitendæ*, communis tamen doctrina est, eam quoque circumstantiam esse confitendam cum ipso peccato, quando talis circumstantia speciali lege prohibita est; nam furtum v. g. *lege justitiæ* prohibitum, etiam ratione *loci* in quo committitur, præter malitiam *injustitiæ*, habet malitiam *sacrilegii*, cum speciali jure furtum *in tali loco* prohibeatur intuitu religionis; de quo vide dicta in tit. de furt. Talis quoque subinde est circumstantia *personæ*. Nam si sit persona sacra, vel voto continentiæ, aut conjugii ligata, & labatur in peccatum carnis,

carnis, v. g. fornicando, circumstantia quoque sub obligatione confessionis est, quod eo titulo speciali lege, ultra legem fornicationis, prohibeatur, & sic de aliis, quæ fusius exponunt Theologi.

§. 2.

Exponitur cap. omnis utriusque.

1420 HOc capitulum, quod est 12. h.t. in Rubrica dicitur famosum, & multùm allegabile. In eo statuitur 1. quòd omnis utriusque sexûs fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus, saltem semel in anno, fideliter confiteatur peccata proprio sacerdoti, & injunctam sibi poenitentiam propriis viribus studeat adimplere, suscipiens reverenter, ad minus in Pascha, Eucharistiæ Sacramentum, nisi forte de proprii sacerdotis consilio, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab hujusmodi perceptione duxerit abstinendum. Statuitur 2. quòd, si quis alieno Sacerdoti voluerit justa de causa confiteri peccata, licentiam prius postulet, & obtineat à proprio Sacerdote; cùm aliter ipse illum non possit absolvere, vel ligare.

1421 Circa præsentem materiam paucis exponemus, quæ vi hujus canonis ad rectam intelligentiam, vel dubitari, vel quæri possunt reliquis Theologorum tractationi remissis. Quare observandum 1. ex vi hujus cap. omnes Christi fideles, cùm ad annos discretionis pervenerint, obligatos esse, saltem semel in anno confiteri, si peccato mortali graventur, ut constat ex textu; at Trid. Sess. 14. de Sacram. Poenit. c. 5. ibi: *ad quos omnia mortalia crimina deferantur*; & infra, ibi: *omnia peccata mortalia:* Quando autem pueri, & puellæ dicendi sint ad eos annos pervenisse, etsi communiter id definiatur completo septennio, rectius relinquitur arbitrio prudentis confessarii.

1422 Not. 2. Sacramentum pœnitentiæ à Christo Domino, tanquam remedium necessarium, lapsis in mortale peccatum post baptismum institutum, & præceptum esse, ad consequendam cum DEO reconciliationem, uti docet S. Thomas Suarez tom. 4. de pœnitent. d. 35. sect. 3. à n. 2. & communis. Ex hoc autem sequitur, confessionem non esse necessariam ullo tempore vi juris divini, nisi illis, qui lapsi post baptismum in peccatum grave, indigent reconciliatione. Nam ex jure divino per se loquendo nullum tempus faciendæ confessionis sacramentalis determinatum est, etiamsi quis peccati Reus sit, nisi in mortis articulo, ut docuit Suarez cit. Sect. 3. n. 6. Layman l. 5. summæ tract. 6. c. 5. n. 5. & alii. Dixi 1. *ex jure divino*; nam aliud est suppositâ Ecclesiæ determinatione; Dixi 2. *per se loquendo.* Nam per accidens aliquando aliud est, ut si impendeat grave periculum mortis, vel ratione communionis; quod verum est, licet foret quis contritus ex Trident. Sess. 13. c. 7. & canon. 11. fundato in D. Paulo ibi: *probet autem se ipsum homo.* Hinc infert Castropalaus p. 4. tr. 23. d. unic. p. 20. §. 1. n. 7. habentes sola venialia, nec præcepto divino, nec Ecclesiastico adstringi ad Sacramentum pœnitentiæ. Nam si confessio venialium foret sub obligatione, verum non foret, quod dicit Tridentinum Sess. 14. c. 5. ea *citra culpam taceri posse, & multis aliis modis expiari.* Unde sequitur præceptum divinum confitendi mortalia post baptismum commissa (quod extra mortis periculum per se loquendo indeterminatum erat) quoad tempus, & *pro singulis annis saltem semel*, determinatum esse ab Ecclesia, in cit. c. *omnis utriusque*, solùm intelligi, de *confessione mortalium.* Hoc deducitur ex præmissis n. præcedente, & tenet Castropalaus cit. §. 2. n. 5. cum communi.

Not. 3. licet aliquibus videatur pa- 1423
schale tempus pro annua confessione determinatum ab Ecclesia, sicut idem determinatum est pro communione (ut vult Fagundez de secundo præcepto Ecclesiæ l. 1. c. 3. n. 5. & alii) contrarium tamen (nempe sufficere, quacunque parte anni fiat) probabilius est; ita Sotus in 4. Dist. 18. q. 1. a. 4. Layman l. 5. summæ tr. 6. c. 5. n. 10. & complures alii. Nam Concilium Lateranense in c. *omnis utriusque* pro communione, *tempus Paschale*, pro confessione autem, solùm tempus *intra spatium unius anni determinat*, ut constat ex textu suprà in n. 1420. Deinde Concilium Trid. Sess. 14. c. 5. in fine, declarans obligationem confitendi, à Christo impositam, ac ex determinatione Concilii Lateranensis quolibet anno exequendam, apertè distinguit *inter præceptum confitendi*, & *inter morem confitendi in quadragesima*, & de illo præcipit, implendam saltem semel in anno; de isto autem nihil præcipit, sed tan-

tùm tanquam morem pium, & meritò retinendum probat.

1424 Nec obstat, quòd Trident. loc. cit. canon. 8. anathematizet eos, *qui negaverint, fideles singulis annis obligatos esse confiteri, & ob id suadentes, ne tempore quadragesimæ confiteantur*; nam hoc contingit ex eo, quia suasio procedit ex errore, quòd obligationem non habeant, in anno semel confitendi, aliàs, si dicere, *non esse obligationem confitendi in quadragesima*, esset contra mentem Ecclesiæ, damnaret æque dicentes hoc, ac dicentes: non esse obligationem confitendi semel in anno. Quando autem in Extravagante, *Vices*, de treuga, & pace dicitur: parochianum de jure teneri saltem semel in Paschate, *proprio Sacerdoti* confiteri, non constituitur *tempus paschale*, cùm textus solùm se referat ad obligationem in c, *Omnis utriusque* (ut patet ex verbis, *de jure*) in quo nihil de Paschate quoad confessionem dicitur; quòd autem in hac Extravag. hoc tempus exprimatur, est, quia obligatio annuæ confessionis communiter eo tempore impletur.

1425 Not. 4. Cùm in c. *omnis utriusque* dicitur, *quòd fideles omnia sua peccata* (intellige *gravia*) *confiteri debeant*, solùm intelligi, tunc, quando confitentur. Nam hoc spectat ad integritatem confessionis: aliàs enim etiam in Paschate confessus, deberet vi ejus Capituli adhuc confiteri eo anno, si intra illum, post peractam confessionem paschalem, in grave peccatum, ultimo v. g. anni die, lapsus esset, quod tamen communiter negatur. Ex eo autem, quòd Parochi à suis exigant in Paschate Schedam confessionis, non probatur Pascha *esse tempus confessionis ex præcepto*; sed, cùm constare illis debeat de facta communione in Paschate, quæ est sub præcepto, & regulariter etiam confessio fiat eo tempore (licet sufficeret alio tempore illius anni factam esse, & afferre testimonium) illius occasione etiam hoc exigitur, cùm etiam de confessione semel saltem in anno peracta, Curatis constare debeat.

1426 Not. 5. *Annum*, in hac materia posse computari, vel ab ultima confessione; vel à Januario ad Januarium, vel ab Adventu ad Adventum, vel à Paschate ad Pascha, sic Castropal. cit. §. 3. à n. 10. qui quadruplicem hunc morem, *computandi annum*, probabilem censet; probabiliorem autem eum, qui fit à Januario ad Januarium, tum quia lex intelligi debet secundùm communem & frequentem usum; iste autem modus est frequens & communis; tum quia iste modus computandi annum recipitur ab Ecclesia etiam in aliis. Cæterùm in hoc rectè attenditur constans consuetudo, & usus cujusque diœcesis. Not. 6. esse in quæstione, an obligationi confessionis annuæ satisfiat qualibet confessione? R. cùm confessio mortalium semel intra annum, sit sub præcepto, ex dictis non satisfieri, si confessus es eo anno v. g. in Paschate sola venialia, carens tunc materiâ necessariâ, si postea intra eundem annum lapsus es in mortale; nam confessio venialium non est res præcepta, sed mortalium; sic Bonacin. d. 5. de pœnit. q. 5. §. 2. p. 4. n. 33. & alii. Hinc præceptum semel in anno confitendi omnia mortalia non intelligitur de omnibus absolutè, seu quæ toto anno commisisti; sed his, quæ nondum confessus es, & post diligens examen, dum confiteris memoriæ occurrunt; aliàs toties ex vi illius c. *omnis utriusque* tenereris confiteri, quoties legitimè confessus, denuo in peccatum grave lapsus es; sic Castropal. cit. §. 3. n. 3. Not. 7. etsi aliqui doceant, præcepto annuæ confessionis satisfieri per confessionem validam, & informem defectu doloris interni, imò per solam confessionem externam, de quibus videri potest Fagundez. in 2. præcepto Ecclesiæ, l. 1. c. 4. à n. 4. utrumque tamen absolutè negandum esse: primum quidem, quia probabilius est non dari Sacramentum pœnitentiæ validum & informe, ut exposui in tractatu Theologico de Sacramento pœnitentiæ, secundum verò ex eo, quòd hæc propositio, qui facit confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ, sit decima quarta inter damnatas ab Alexandro VII. 24. Sept. tum etiam, quia objectum directum, seu materia *præcepti Ecclesiastici* est circumstantia temporis *faciendæ confessionis jure divino debitæ*; ubi ergo non datur executioni materia præcepti divini, non ponitur etiam materia præcepti Ecclesiastici; cùm dari non possit duratio rei, ubi hæc non datur; at ponendo confessionem voluntariè nullam, non ponitur confessio jure divino debita; ergo. V. quæ dixi super hac materia l. 1. Decretalium tit. 2.

Not. 8. cùm in cit. c. *omnis utriusque* 142
fideles teneantur peccata sua confiteri *proprio sacerdoti*, ly *proprio* sufficienter verificari

cari de illo, qui habet potestatem absolvendi propriam, vel delegatam respectu talis hominis, aut etiam ex privilegio, vel ex permissione juris; ita Vallensis h. t. §. 6. n. 4. id, quod etiam constat ex usu, & praxi in Ecclesia passim recepta.

Not. 9. quamvis olim obligatio fuerit, ut fideles ter in anno sacram Eucharistiam sumerent, nimirum in Paschate, Pentecoste & Natali Domini, c. *Etsi* 16. dist. 2. de Consecrat. tamen vi c. *omnis utriusque* hodie satisfieri, si, ut minimum semel, illam sumant in Paschate, ut patet ex textu supr. n. 1420. Quantum autem tempus hic importet *Pascha*, notatur apud Barbos. hic n. 10. ex declaratione Eugenii IV. dicentis: satisfieri S. Eucharistiæ sumptione, si fiat intra hebdomadam sanctam, vel octavam Paschæ. Cæterùm tempus huic sacræ communioni sumendæ, de proprii sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam prorogari potest, ut loquitur textus.

1428 Not. 10. pro culpabiliter omittentibus communionem Paschalem statui pœnam in cit. c. *omnis utriusque*, ibi: *alioquin & vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur*; & *moriens Ecclesiastică careat sepultura*; & tales, qui annuam confessionem, & sacram communionem sine justa causa prætermittunt, juxta Barbos. cit. n. 11. suspecti sunt de hæresi.

1429 Not. 11. cùm in dict. c. dicitur: si quis *alieno sacerdoti* voluerit justâ de causâ sua peccata confiteri, *licentiam prius postulet, & obtineat à proprio sacerdote*; *cùm aliter ille ipsum absolvere non possit, vel ligare*; per *proprium Sacerdotem*, hic in ordine ad validè, ac licitè absolvendum, non intelligi tantum proprium Parochum, vel ejus ordinarium; sed alios etiam, jure, aut privilegio habentes potestatem absolvendi vel cunctos fideles, undecunque accedentes, aut pro tali loco ad omnes Ordinario subditos rite approbatos, ut ostendit recepta Ecclesiæ praxis.

1430 Sed quæres 1. quæ pœna decreta sit sacerdoti, violanti sigillum seu arcanum Sacramenti pœnitentiæ? R. de hoc ita statui in c. *omnis utriusque*: Caveat omnino, ne verbo, vel signo, aut alio quovis modo prodat peccatorem; sed, si prudentiori consilio indiguerit, illud absque ulla expressione personæ, cautè exquirat: *qui enim peccatum in pœnitentiali judicio, sibi detectum, revelare præsumpserit, non solùm à sacerdotali officio deponatur*; *sed etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum Monasterium detrudatur*. Consentit Trident. Concilium Sess. 14. c. 5. & can. 8. de Sacrament. pœnit.

Quæres 2. an ea pœna cadat tantùm 1431
in casum, dum revelatur peccator? vel etiam dum peccatum in confessione auditum? affirmativam sequitur Abbas hic n. 7. ex illis verbis in textu ibi: *qui etiam peccatum in pœnitentiali judicio sibi detectum revelare præsumpserit*: Sed negativam tenet Navarrus in c. 2. dist. 6. de pœnitent. à n. 75. Communior, & probabilior Theologorum sententia est, solùm revelationem peccatoris quem sacerdos in confessione audivit, cadere sub dictam pœnam, quem in notitiam personæ confessæ potest inducere; & sub idem sigillum cadere non tantum peccata declarata in confessione; sed etiam alia, quæ in notitiam eorum audientem ducunt, licet non fuerint de necessitate exponenda. Nam omne illud sub gravi obligatione confessariis cavendum est, quo securitas Pœnitentibus in periculum inducitur, & odium Sacramenti augescit V. Barbos. in c. *omnis utriusque* n. 20. & 22. Nam ex incautis narrationibus, rerum in confessione exceptarum, per combinationes dictorum non raro produntur pœnitentes; aut saltem gravium suspicionum vel judiciorum temerè conceptorum periculum subministratur.

Quæres 3. an admitti possit ejus con- 1432
fessio, qui quidem confitetur peccata sua, sed simul ait, se non posse ab illis abstinere? Super hoc consultus Pontifex, ut dicitur c. *quòd quidam.* 5. h. t. Episcopo Beluacensi sic rescripsit: respondemus, quòd *eorum confessionem recipere debes, & eis de criminibus consilium exhibere*: quia, licet non sit vera hujusmodi pœnitentia, admittenda tamen est eorum confessio, & *crebræ, & salubribus monitis pœnitentia indicenda*. Ex hoc textu sequitur 1. quod, etsi quis non sit verè pœnitens, h. e. etsi non habeat dolorem, & propositum requisitum, aut non deponat animum non peccandi, ejus tamen confessio audienda sit, non quidem ob recipiendam absolutionem Sacramentalem (hujus enim incapax est, ex defectu debitæ, ac substantialis dispositionis)

tionis) sed ut sanctis consiliis, & argumentis ad veram pœnitentiam disponatur. Sequitur 2. ut quis sit verè poenitens, non requiri credulitatem, seu quòd credat, se nunquam denuò mortaliter peccaturum; sed sufficere, quòd verè doleat de commissis, & proponat, deinceps cum divina gratia non peccare, licet metuat se propter suam fragilitatem, vel pravum habitum, præsertim relictum viribus suis, iterum lapsurum; ita Suarez tom. 4. d. 4. s. 2. n. 5. Reginaldus & alii apud Barbos. in cit. c. *quod quidam*, n. 3.

1433 Præter hæc not. 12. Militem ordinum militarium perdere privilegium, & cingulum militiæ, ac remanere perpetuò merè Laicum: si occidat presbyterum per c. 2. h. t. Eum verò, qui pro libertate sua se defendit, vel pro Ecclesia pugnat, si excedat moderamen inculpatæ tutelæ, atque adeo peccet, judicio Confessarii mitius esse puniendum, ne pœnæ asperitas alios retardet ab Ecclesiæ defensione, sic Alexander III. c. *significavit* 3. h. t. Not. 13. Medicum teneri deserere infirmum, qui tertia die à monitione Medici transacta, ut confiteatur, & provideat animæ suæ, fidem non fecerit, de monitionis executione, de quo videri potest motus proprius Pii V. incip. *Supra gregem Dominicum*, 1566. quem ad verbum refert Quaranta in Summa Bullarii V. *Medicus*.

1434 Not. 14. Quòd, etsi Bonifacius VIII. in extravag. *Super Cathedram*, de sepultur. statuerit, ut Mendicantes præsentent Ordinariis idoneos, qui ab eo acciperent potestatem audiendi confessiones; & postea Benedictus XI. in Extravag. *Inter cunctas* statutum illud sustulerit, concessâ Mendicantibus facultate confessiones audiendi sine eo, quòd Episcopo se præsentarent: statutum tamen Bonifacii rursus innovatum sit, per Clement. *Dudum*, de sepultur. & hodie omnino standum sit dispositioni Concilii Trident. Sess. 23. c. 18. Not. 15. Gregorium IX. in c. *fin.* h. t. ne pro dilatione pœnitentiæ periculum immineat animarum, permisisse Episcopis, & aliis Superioribus, nec non minoribus Prælatis exemptis, ut etiam, præter sui Superioris licentiam, providum & discretum sibi possint eligere Confessorem.

ARTICULUS II.

De Remissionibus.

PEr *Remissiones* hìc intelliguntur *indul-* 1435
gentiæ, quæ describi possunt, quòd sint *relaxatio temporalis pœnæ de communi Thesauro Ecclesiæ, pro peccatis actualibus, quoad culpam remissis, debitæ; facta ab eo, qui potestatem habet*; Sic Barbos. de Potestat. & offic. Episcopi p. 3. allegat. 88. n. 1. Layman l. 5. Summæ, tr. 7. c. 1. n 1. & alii ex c. *quod autem*, h. t. & c. de *Indulg.* eodem in 6. Cùm enim, remissâ culpâ necessariò etiam remittatur pœna æterna (quam inducit peccatum, in quantum est offensa DEI) remaneat tamen reatus pœnæ temporalis, (quam inducit peccatum, in quantum est transgressio legis) vel in hac vita, vel in purgatorio luendæ, nisi satisfactione debitâ, eâque propriâ, vel alienâ extinguatur; ideo in hunc finem *remissiones*, seu indulgentiæ ab Ecclesia conceduntur, nam per has intelligitur quidam actus specialis jurisdictionis, quo peccator in foro DEI liberatur à reatu, seu debito pœnæ temporalis extra Sacramentum; ita Suarez d. 49. de pœnitent. quibus positis:

§. 1.
Quotuplex sit indulgentia?

ANte resolutionem not. 1. *per commu-* 1436
nem Ecclesiæ thesaurum (ex quo depromuntur satisfactiones, pro pœna cæteroquin ob commissa peccata, licet extincta quoad culpam, luenda) intelligi cumulum infinitum satisfactionum, constantem satisfactionibus Christi, Beatissimæ semper Virginis, & immaculatè conceptæ Matris DEI, aliorumque Sanctorum, qui est basis, & fundamentum indulgentiarum. 2. Christum Dominum suæ Ecclesiæ reliquisse potestatem ex prædicto thesauro applicandi satisfactiones, quæ visæ fuerint convenientes Fidelibus, ut pœnæ pro peccatis debitæ remissionem obtineant, si illis applicentur vel per Sacramenta, vel Missæ sacrificium, vel indulgentiarum distributionem, de quo plura Bellarminus, & alii in Controversiis Fidei.

Not. 2. *Suffragium*, apud Canonistas, 1437
duce Gloss. ad c. *cùm creatura* de celebr. missar. & apud Theologos duce S. Thomâ in 4. dist. 45. esse auxilium quoddam, quod unus fidelis præstat alteri, ad obtinendam

à DEO

à DEO remissionem pœnæ temporalis, vel aliquod commodum spirituale, in c. *Animæ* 13. q. 1. Recensentur autem quatuor genera suffragiorum, 1. oblationes seu sacrificia sacerdotum, 2. preces sanctorum, sive ii in cœlo, sive in terra sint, 3. Eleemosynæ, quibus animæ juvantur, tum, quia eas excipientes moventur, ut orent pro defunctis, 4. jejunia, per quæ intelliguntur reliqua opera pœnitentiæ. Tribus autem modis juxta Suarez d. 48. de pœnit. potest opus unius fidelis *suffragari* alteri, 1. *ex opere operato* per sacrificium missæ, de quo supra, 2. per indulgentias, quæ etiam juvant per modum operis operati, de quibus infra, 3. ex opere operantis, de quo in præsenti. Certum etiam est ex fide, dari inter fideles aliquam bonorum operum communicationem, quibus se invicem juvare possint. Nam opus unius valet ad obtinendum alteri remissionem, alicujus pœnæ temporalis, id quippe postulat charitatis unio, quæ sicut efficit cor unum, & animam unam, ita omnia bona facit communia & communicabilia.

1438 Quæstio autem est, an hæc communio, seu communicatio fidelium, ad obtinendam alteri remissionem pœnæ temporalis debitæ pro peccatis in hac, vel altera vita, fiat per modum *satisfactionis*, seu debitæ solutionis? & affirmandum est cum vera sententia, quæ fundatur in divina institutione nobis per Ecclesiæ sensum, & Catechismum Pii V. declarata. Ex quo colligitur, quoties unus pro alio efficaciter satisfacit, seipsum privare fructu illius satisfactionis, quantum ad remissionem pœnæ. Hinc, quod attinet ad animas, in purgatorio detentas, de fide est ex Trid. Sess. 25. decreto 1. suffragia viventium illis prodesse, sed an per modum *impetrationis*, an condignæ *satisfactionis*, dubitatur.

1439 Suarez cit. sect. 5. sic resolvit: quamvis pium, & probabile sit, Deum interdum remittere gratis pœnam animabus purgatorii, propter operationes, & merita justorum; tamen hoc valde incertum est, & oppositum valde verisimile, nempe DEum nunquam remittere alicui pœnam pro peccatis debitam, *nisi oblatâ condignâ satisfactione*; hoc enim divinæ justitiæ vindicativæ magis consentaneum videtur; probabilius tamen esse, suffragia fidelium, pro defunctis in purgatorio existentibus, quoad satisfactionem *infallibiliter prodesse*, tenet Castropal. p. 4. tr. 24. D. unic. p. 1. §. 2. n. 8. cum D. Thoma Dist. 45. q. 2. à 1. q. 1. & 2. cujus probatio, & contrariorum solutio videri possunt loc. cit. Not. 3. ut suffragia fidelium pro defunctis vim habeant efficacis satisfactionis, requiri plures conditiones, tam ex parte offerentis, quàm ex parte illius, cui suffragium applicatur. *Ex parte hujus* requiritur, quod suffragio indigeat; ita Suarez cit. d. 48. §. 7. n. 3. Deinde, quòd decesserit in statu gratiæ, habeatque pœnam solùm temporalem à morte luendam; nam damnatis nostra satisfactio prodesse non potest, nec peccatoribus pro offensâ DEI, loquendo de condignitate, ut diximus in tractat. de Incarn. Tertiò demum, ut peccatum, cui prosit nostra satisfactio, sit remissum quoad culpam; hâc enim durante, solutio fieri non potest. Sic Castropalaus cit. n. 9. dicens: venialium remissionem, in puncto decessionis, fidelibus justis concedi; sed de hoc plura diximus in tractat. de Sacramento pœnit. *ex parte* autem *offerentis* suffragium, requiritur 1. intentio aliis favendi per tale opus, quoad vim satisfactivam; aliàs non donas alteri, sed tuum manet; ita S. Thomas in 4. dist. 45. q. 7. a. 4. Deinde, ut opus sit honestum, alias DEO placere non potest; tertiò, ut procedat ab homine in statu viæ; nam extrà statum viæ non est locus satisfactionis, aut meriti; tunc enim *venit nox*; *quando nemo potest operari*, Joan. 9. quartò, ut procedat ab homine justo, seu grato DEO; nam opera peccatoris, nec rationem satisfactionis, nec meriti habent, utpote mortua, & carentia vi, quâ possint placere DEO; his præmissis, de quibus fusè Castropalaus loc. cit.

Descendo nunc ad multiplicitatem 1440
Indulgentiæ, rectè hæc colligitur ex primario *ejus effectu*, qui est remissio pœnæ temporalis, relicta in foro DEI, ex peccatis remissis quoad culpam: qui effectus, licet unus sit in specie, est tamen multiplex in quantitate: juxta quem dividitur indulgentia, in *totalem* & *partialem*, ut habetur Clement. 6. in Extravag. *Unigenitus*, de pœnitent. & remiss. *Totalis* (quæ alio nomine dicitur *plenaria*) est illa, quæ totam pœnam remittit ei, cui applicatur: *partialis* est, quæ tantùm remittit partem. Si autem quæras, quibus modis indulgentia concedatur? R. de his latè agere Suarium D. 49. de pœnit. §. 5.

Ex

Ex illis omnibus (loquendo de indulgentia non totali) usitatissimus est ille, qui exponitur per numerum dierum, aut annorum, & sic concedi solet *Quadragena*, id est, quadraginta dies indulgentiæ, & *septenna*, id est, indulgentia septem annorum: vocarique solet *tarena*, quæ utramque prædictam complectitur; alter est, quando in concessione additur: particula *contritis & confessis*, tempus autem importatum per *quadragenam*, *septennam* vel *carenam*, non denotat durationem pœnarum in purgatorio, sed proximè significat durationem pœnitentialis satisfactionis, in hac vita exhibitæ pro peccatis, quasi per indulgentiam remittatur non sola satisfactio illa pœnitentialis, sed tanta pœna purgatorii, quanta per pœnitentiam unius diei, vel anni remitteretur. Olim enim pro gravioribus peccatis v. g. adultetio & similibus, solebant injungi pœnitentiæ septem annorum, & pro gravissimis longiores. c. *hoc ipsum*. 33. q. 2. junct. Gloss.

1441 Cùm autem indulgentia *plenaria*, totalis sit, ac proinde non recipiat magis aut minus, frustra volunt aliqui ponere discrimen inter indulgentiam *plenariam*, *pleniorem* & *plenissimam*, quibus vocibus utuntur Pontifices in variis textibus. Rectè igitur Bellarm. lib. 1. de indulg. c. 9. docet, has non distingui, sed Pontifices his uti formulis, ut ostendant se absolutè dare, quantas possunt maximas. Et Suarius disp. 56. sect. 4. n. 7. dicit, eas voces poni ad majorem rei declarationem, & ad tollendos scrupulos, qui ex variis opinionibus oriri poterant. Intelligitur autem, concedi indulgentia *plenaria*, quoties non additur signum, aut verbum determinans ad partem pœnæ: si autem obtingat (ut aliquando fit) quod ultra indulgentiam pleniorem concedantur *tot dies*, vel *quadragenæ* indulgentiæ? censet Suarez cit. sect. 4. n. 9. distinguendum esse. Si enim concessio ad diversa tempora, & actiones referri possit, dari dicendum est tunc duas indulgentias; alteram plenariam pro hoc tempore, & aliam partialem pro alio tempore; si verò concessio unica sit, ita, ut ad diversa tempora referri nequeat, sensum verborum esse, ut post plenariam indulgentiam, quam quis sibi lucratur, applicare valeat illos dies, vel annos indulgentiæ, *per modum suffragii*. Ratio est, quòd Pontifex non possit concedere indulgentias defunctis per *modum absolutionis*; sed *per modum suffragii*, ut bene docet & probat Suarez disp. 53. sect. 2.

Hic autem duplex modus, ex eodem, 1441
& sect. 3. sic explicandus est. Concedere per *modum suffragii*, est offerre DEO pretium æquivalens ex thesauro communi, cujus potestas, & dispensatio penes Pontificem est. Talis autem modus nec jurisdictionem in concedente, nec subjectionem in recipiente postulat. Not. 4. inter indulgentiam *plenariam*, & *jubilæum*, in ratione *indulgentiæ* non esse ullam distinctionem, nisi quandam accidentalem, ratione adjunctorum; quia in *jubilæo* præter indulgentias solet concedi etiam potestas absolvendi à reservatis casibus, vel censuris, & dispensandi in quibusdam votis. Jubilæum enim (ut docet Suarez disp. 50. sect. 4. n. 8.) ex prima impositione, significat annum remissionis, qui Romæ olim fuit centesimus; & modò post viginti quinque annos recurrit. Derivata deinde est vox ad significandam plenam, seu totalem indulgentiam, quæ sub plenissima forma conceditur maximè, quando cum illa adjunguntur alii favores, ut commutatio votorum, & absolutio à reservatis.

Not. 5. indulgentiam ulterius dividi 1441
in *personalem* & *realem*, seu localem. *Personalis* est, quæ personæ conceditur, ut eam, ubicunque sit, lucrari possit; *localis*, quæ alicui loco pio annexa est, quatenus in ejus favorem, hominibus ibi orantibus, conceditur, de quo vide dicenda in seqq. his præmissis:

§. 2.

Qui possint concedere indulgentias?

REsp. hanc potestatem concessam à 1441
Christo D. Petro, & successoribus ejus, ut colligitur ex Extravag. *Unigenitus* h. t. c. *cùm ex eo*, & c. *quod autem*, eod. item c. *quodcunque* 24. q. 1. Quæstio autem est 1. an eandem potestatem habeat concilium generale? affirmativam simpliciter tenet Vallensis h. t. §. 21. n. 1. Sed Castropal. cit. D. unic. p. 5. à n. 2. rectius distinguit, & affirmat, si consideretur, *ut unitum* Capiti, & ratione illius, ac ut ipsum includens; secus, in se spectatum, seu distinctum ab illo, ut contingit sede vacante; alias essent duæ universales potestates, & independentes.

Quæstio est 2. quam in hoc potesta- 1441
tem habent Episcopi? R. jure communi, & or-

& ordinatio, hanc potestatem competere Episcopis in sua diœcesi, c. *quod autem* 4. h. t. Archiepiscopis item in suis provinciis, modò tamen statutum Concilii generalis non excedant, c. *Nostro postulasti* 13. h. t. Ubi Honorius III. sic loquitur: *Nostro postulasti certificari responso, utrum per tuam provinciam possis concedere remissionis literas generales?* Nos igitur s. t. breviter resp. quòd per provinciam tuam liberè potes hujusmodi concedere literas: *ita tamen, quòd statutum generalis Concilii non excedas.* Statutum autem generalis Concilii habetur in c. *Cùm ex eo* 14. h. t. ubi Pontifex sic loquitur: ad hæc, quia per indiscretas, & superfluas indulgentias, quas quidam Ecclesiarum Prælati facere non verentur: & claves Ecclesiæ contemnuntur, & pœnitentialis satisfactio enervatur: *decernimus, ut, cum dedicatur Basilica, non extendatur indulgentia ultra annum, sive ab uno solo, sive à pluribus Episcopis dedicetur: ac deinde in anniversario dedicationis tempore XL. dies de injunctis pœnitentiis indulta remissio non excedat*: & infra, hunc quoque dicrum numerum indulgentiarum *literis præcipimus moderari*, quæ pro quibuslibet casibus aliquoties conceduntur: cùm Rom. Pont. qui plenitudinem obtinet potestatis, hoc in talibus moderamen consueverit observare; alioquin, *si excesserint, eas invalidas decernit* Bonifac. VIII. c. *fin.* h. t. in 6. quod intellige, quoad partem, quam dare non possunt; nam quoad eam, quam dare possunt, semper sunt validæ. Gloss. in c. *Indulgentia* h. t. in 6. & in cit. c. *cum ex eo*; quia utile per inutile non debet vitiari in separabilibus; ibi: *Indulgentiæ*, quæ ab uno, vel pluribus Episcopis in Ecclesiarum dedicationibus vel aliis quibuscunque casibus conceduntur *vires non obtinent, si statutum excesserint Concilii generalis.* c. *Utile*, de R. J. in 6. Legatus autem Summi Pontificis concedere potest indulgentias speciales, & certas in provincia sibi decreta. Gloss. in cit. c. *penult.* h. t. intellige tamen *non ultra facultatem expressam in literis.* Abbatibus verò, aliisque prælatis inferioribus non competit hæc potestas, nisi speciali privilegio, vel legitimâ consuetudine fuerint vallati c. *accedentibus*, sup. *de excessibus Prælator.* gloss. cit. c. *penult.*

1446 Not. autem 1. *concedere indulgentias* non esse actum jurisdictionis *coactivæ*, sed *voluntariæ*; quia non ligat, sed solvit, & non solvit, nisi volentem; adeoque non exercetur, nisi sub onere alicujus operis voluntarii; sic Layman l. 5. tr. 7. c. 1. n. 5. & alii. Et ideo summus Pontifex electus, ac Episcopus confirmatus, licet nondum consecratus, eas concedere potest. Sed advertendum, aliter mortuis, aliter vivis indulgentias concedi ab Ecclesia, seu summo ejus Capite. Vivi enim, dum tales sunt, subsunt tribunali Ecclesiæ; secùs est, de mortuis; ut diximus n. 1442. Hinc fit, cum potestas concedendi indulgentias pertineat ad clavim jurisdictionis (teste D. Thom. in 4. dist. 20. q. 3. à 3. & colligitur ex c. *quod autem* 4. h. t. cùm facultas concedendi indulgentias alicui *via absolutionis* extendat se tantùm ad subditos concedentis) Pontificem posse vivis concedere indulgentias *per juridicam absolutionem*; defunctis verò per solam satisfactionem. Juridica absolutio contingit, eos directè absolvendo à pœnis debitis, quamvis simul satisfaciat pro ipsis ex Ecclesiæ thesauro, ut dicitur in Extravag. *Unigenitus* cit. Ex quo fit, quòd non dimittat vivis pœnas debitas pro peccatis, merè gratis, sed absolvendo simul, & satisfaciendo pro ipsis. Econtra, cùm mortui non amplius subsint tribunali Ecclesiæ militantis, eis indulgentia conceditur per thesauri Ecclesiæ applicationem, absque juridica absolutione, solvendo scilicet pro eis ex illo tantum, quantum in vim satisfactionis pro eo pœnarum reatu, seu debito exigitur, qualiter nimirum alii ex operibus suis, in quantum explicant vim satisfactivam, illis tribuunt, atque donant, & hoc significatur, cùm dicitur, defunctis indulgentias concedi *per modum suffragii*, seu solius satisfactionis, sine juridica absolutione.

§. 3.

Quibus indulgentiæ concedi possint?

POtissima quæstio est, qui possint lucra- 1447
ri indulgentiam concessam hominibus alicujus civitatis? Nam indulgentias concedi posse fidelibus vivis & defunctis, ab eo, qui potestatem habet satisfactionem dispensandi ex communi Ecclesiæ thesauro, non est dubium, cùm autem quandoque contingat indulgentiam concedi hominibus, vel populo, seu communitati *certæ alicujus civitatis*, opus aliquod pium, in concessione præscriptum præstituris, v. g. qui talem Ecclesiam visitaverit, vel eleemosy-

mosynam dederit, &c. dubitari potest, an eandem etiam lucrari possint Clerici, Religiosi exempti, & advenæ?

1448 R. 1. Tales indulgentias etiam lucrari posse Clericos. Nam Clerici in favorabilibus sub populo comprehendi, non est dubium; sunt enim præcipua pars populi Christiani, ut dicitur c. *duo sunt*; 2. q. 2. licet secùs sit in odiosis, per c. *si sententia* de sentent. excommunic. in 6. at indulgentiæ inter favores veniunt, ergo. Et hoc etiam dicendum de Religiosis, etiam exemptis. Nam & hi nomine *Clericorum* veniunt in dispositione favorabili; quod etiam procedit, licet tales indulgentiæ concessæ sint ab Episcopo, à cujus jurisdictione exempti sunt, ut rectè docet Castropal. P. 4. tr. 24. D. unic. p. 3. n. 14. Nam exemptio, quæ in illorum favorem facta est, non debet in eorum detrimentum cedere; ita Suarez cit. d. 52. s. 1. n. 10. Layman l. 5. tr. 7. c. 1. n. 5. & alii.

1449 Quoad advenas pariter dicendum est, & illos lucrari posse talem indulgentiam, etiam ab Episcopo concessam hominibus, vel populo talis civitatis. Nam sicut in his, quæ specialiter respiciunt commodum talis populi, legibus etiam onerosis subduntur advenæ, ut diximus l. 1. tit. 2. Sic & favoribus. Ita Barbos. p. 3. de offic. & potestate Episcopi allegat. 88. n. 28. Layman. cit. & alii. Nec obstant ea, quæ diximus supr. à n. 1446. Hæc enim intelligenda sunt de concessione indulgentiæ per viam juridicæ absolutionis; non autem merè per solam donationem, quæ fit purâ satisfactione, quod est meræ gratiæ.

1450 Si quæras, an etiam ipse Episcopus, vel Pontifex omnibus Christi fidelibus, vel exercentibus præscripta opera concessas à se indulgentias, lucrari possit? R. quòd sic; nam & ipse est pars talis communitatis, capax bonorum communium, etiam favorabiliter obvenientium; nec in dato casu in se exercet jurisdictionem coactivam, sed voluntariam, secundùm quod continetur in toto, in cujus favorem disponit; ita Suarez cit. d. 52. s. 1. à n. 14. Azor p. 2. l. 3. c. 55. q. ult. & alii, his positis:

ARTICULUS III.

Qualis debeat esse executio operis injuncti?

1451 Cùm in concessione indulgentiarum injungantur communiter quædam opera, à lucraturo indulgentiam præstandâ v. g. jejunium, Ecclesiæ unius, vel plurium visitatio, ibidem oratio, eleemosyna, confessio, communio &c. Quæstio est, qualiter ea implenda sint, ut indulgentiarum consecutio, quantum ab illis pendet, subsequatur. Qua in re communis tenet, executionem operis injuncti esse conditionem ita necessariam, ut, si tale opus omittatur, etiam ob impotentiam, indulgentiam non consequaris. Nam concessum sub conditione, vel certâ forma, hâc non secutâ, nihil operatur, ut constat ex dictis l. 4. tit. 5. de Condit. opposit. Verùm hoc sic intelligendum venit, ut non procedat 1. si in concessione exprimatur, indulgentiam nihilominus concedi, si qui sint impediti, opus injunctum exequi, 2. nisi omissio foret rei, vel circumstantiæ tam levis, ut eâ etiam omissâ moraliter, seu judicio prudentum, seu communi hominum usu censeretur totum opus positum. V. Suarez. d. 52. s. 5. n. 3. Layman tr. 7. c. 6. n. 3. Bonacin. cit. D. 6. q. 1. p. 5. n. 20. & alii.

Cùm autem indulgentiarum concessio sit libera concedentis donatio, non est dubium, quòd opus injunctum possit exigere sub iis qualitatibus, quæ sibi ad finem intentum videbuntur deservire, & nolle illam facere, nisi opus taliter fiat. Ex hoc sequitur, posse illum indulgentias concedere sub conditione operis, etiam interni; qualiter fit cùm agonizantibus (qui nec ore, nec alio externo signo possunt edicere sacrosancta nomina JESUS & MARIA, vel alios affectus) indulgentiæ plenariæ conceduntur, si corde, & animo ea invocent. Supponendum præterea, non esse dubium, opus injunctum (v. g. Ecclesiæ visitationem) non debere in executione aliud esse, quàm honestum & religiosum, ut dicitur in Extravag. *Unigenitus*, ibi: *devotionis*; & Extrav. *quemadmodum* h. t. ibi: *reverenter*: unde necessarium est, quòd fiat ex intentione colendi DEum, vel in se, vel in Sancto, propter cujus festivitatem, vel honorem indulgentia concessa est; Sic Navarr. in c. *Si quando*, de Consecrat. dist. 1. c. 6. §. 14. quamvis sufficiat intentio *virtualis*, nimirum ea, quæ virtute suâ, seu implicitè contineat alteram, qualis est v. g. visitare Ecclesiam eo fine, quo id exigit indulgentiam largiens. 1452

Quæres 1. an exigatur, ut opus injunctum 1453

ctum (v. g. jejunium, Ecclesiæ visitatio &c.) fiat in statu gratiæ? R. etsi concedens indulgentias id possit exigere, nunquam tamen præsumi eum id exigere, nisi exprimat. Tum, quia foret conditio valde dura; pauci enim cum solatio id agere possent, anxii, num in eo statu sint? tum quia opus injunctum non exigitur titulo meriti, vel satisfactionis, sed potius exercendi opus virtutis, ad quod concedentes indulgentiam, fideles inducere volunt, ut notat Suarez cit. s. 5. à n. 9. Bonacin. cit. q. 1. p. 5. n. 10.

1454 Quæres 2. an sufficiat opus injunctum (v. g. jejunium) licet extrinsecè vitietur ab aliqua circumstantia? Negat Navarrus de indulg. not. 19. & 32. affirmat Suarez cit. D. 52. s. 6 à n. 2. Pontifex enim indulgentiam concedere potest, solùm sub conditione operis de se boni, bonitate morali fundamentaliter, seu materialiter, liberè facti; ergo esto tale opus extrinsecè vitiatum sit, si tamen executioni detur, ponitur totum, quod pro conditione exigitur; ergo esto extrinsecè vitiatum sit, donatio talis conditionata subsistet. Quoties autem Pontifex concedit indulgentias sub conditione operis boni v. g. *jejunii* præter hoc opus bonum bonitate morali, materialiter tali, liberè positum, aliud exigere præsumi non debet. Nam gravamen pro consecutione indulgentiarum impositum strictam habet interpretationem. Hanc in aliquo sequitur Layman, qui l. 5. summæ tr. 7. c. 6. n. 3. docet, sufficere, si ponatur opus injunctum, licet extrinsecè vitiatum, si nihilominus conducat ad finem, præcipuè intentum, qualiter contingit in dando subsidio pecuniæ pro bello contra hostes Christiani nominis; non autem secùs; ut si injunctum sit ex fine placendi DEO, qualiter evenire vult, cùm injungitur jejunium, oratio, si in illo te inebriâsti, in ista planè distractus fuisti.

1455 Verùm, etsi hoc quoad primam partem omnino verum sit; quoad secundam tamen videtur admitti non posse, ut rectè observat Castropalaus p. 9. n. 7. si enim opus injunctum sit absolutè jejunium, hoc, licet adjunctam habeat circumstantiam ebrietatis, non perdit suam moralitatem materialem, quam habet in se, ratione cujus DEO placere potest, licet non placeat ratione ebrietatis. Hinc, licet conditio, quæ consistit in injuncto opere aliquo præstando, debeat esse opus bonum ex genere suo; non tamen officit, si sit indifferens in individuo; cùm etiam ex illo nasci possit fructus per jubilæum intentus.

Quæres 3. An requiratur opus injunctum fieri ex formali intentione indulgentias obtinendi? R. requiri quidem aliquam voluntatem eas lucrandi (cùm concessio indulgentiæ sit gratuita donatio, quæ non operatur, nisi acceptata, & actus jurisdictionis voluntariæ, quæ non exercetur, nisi in volentem) sufficere tamen virtualem & habitualem, quòd quis velit media saluti suæ spirituali conducentia; aliàs enim indulgentia concedi non posset sensibus destituto, & animam agenti, cùm extremùm ungitur. V. Suarez cit. D. 56. s. 1. n. 7. Layman cit. l. 5. tr. 7. c. 6. 1456

Quæres 4. An opus injunctum exequendum sit ab ipso lucrante indulgentiam? R. esse, quando est actio personalis, v. g. confessio, jejunium, Sacramentorum perceptio &c. Secùs si est actio, quæ versatur solùm circa quasdam res extrinsecas, qualis est largitio eleemosynæ, nisi concedens aliter præscripserit; ita Suarez cit. D. 52. s. 7. 1457

Quæres 5. An opera, pro certo die præscripta, illo ipso peragenda sint, quo mandantur? R. affirmativè ex Sanctarello cit. c. 7. cùm peragi debeant juxta formam præscriptam, quæ importat conditionem. Unde non est locus illi axiomati dicenti, *nihil refert, quid de æquipollentibus fiat*, ut dicitur L. *fin.* ff. Mandati, quia dispositio est conditionalis, sub conditione tempore determinato præfixa. Excusant tamen aliqui, si *per oblivionem* determinato die præscriptum opus factum non esset, & intra tempus durantis Jubilæi suppleretur, ducti receptâ glossâ in L. *Tolle pactum.* ff. de pactis, dicente: *pro tacitè statuto habendum esse id, quod verosimiliter statutum fuisset, si à statuente quæsitum fuisset.* 1458

Quæres 6. An requiratur, quòd opera præscripta fiant *ordine*, quo enumerantur in bulla Jubilæi: R. negativè, unde, licet dicatur: qui *visitaverit Ecclesias, jejunaverit, eleemosynam dederit*, &c. non est necesse visitationem illam fieri ante jejunia, & sic de aliis, ut notat Layman cit. c. 8. n. 7. Nam restrictio *ad illum Ordinem*, quem verba exprimunt, minus conveniens est dispositioni tam favorabili, cujus intentio salvatur, si re ipsâ præstentur opera inibi 1459

præscripta, quocunque die, ac ordine intra tempus durantis indulgentiæ, vel Jubilæi, quando non requiritur dies determinatus, ut exprimitur in triplici jejunio.

1460 Quæres 7. an, si non exprimatur in Bulla, quòd opera præscripta debeant esse *non debita ex alio titulo*, satisfiat per jejunium v. g. licet aliàs (vel propter quadragesimam, in qua concessum est tale jubilæum, vel propter quatuor tempora, aut vigiliam tunc incidentem) sit debitum? R. affirmativè; quia, ut dicemus inferius in concessione indulgentiæ, vel jubilæi, quæ continent onus, benignior interpretatio est; ita Layman cit. n. 13.

1461 Quæres 8. an jubilæum concessum uni Provinciæ, lucrari valeant etiam advenæ, ac peregrini? Responsio affirmativa, tanquam probabilior, deduci potest ex dictis à n. 1447. cum enim teneantur legibus localibus, seu statutis in speciale bonum talium locorum conditis; eo ipso secundùm juris regulam specialibus etiam eorum commodis frui poterunt, per regulam 55. in 6. præsertim, cùm id jure communi definitum sit, cui, nisi aliud exprimat Pontifex, se conformare censetur. Ubi tamen nota, non requiri, quòd opera præscripta, *omnia* fiant *in eo loco, ubi jubilæum extraordinarium promulgatum est.* Nam de hoc nihil in concessione jubilæi cautum est, consequenter, cùm versemur in materia valde favorabili, id exigendum non est. Ex quo sequitur, si Lincii v. g. promulgatum est Jubliæum, te habitante Lincii; postquam ibidem visitasti Ecclesias designatas, & orationem debitam persolvisti, posse te jejunia, largitionem eleemosynæ, confessionem, & communionem peragere etiam extra Lincium, quovis alio loco; Sic Layman cit. c. 8. n. 11. Et ratio est, quia favor jubilæi est *personalis.* Et ideo advena, vel peregrinus, qui venit ad aliquem locum, durante inibi hoc jubilæo, potest lucrari omnes indulgentias, & favores, si designatas ibi Ecclesias cum oratione debita visitavit, licet hoc absoluto discedat, & opera reliqua alibi peragat. Hæc enim tali loco alligata non sunt.

ARTICULUS IV.

De Jubilæo anni Sancti.

1462 PRo resolutione not. 1. inter *Remissiones* in lege gratiæ, de quibus agitur h. t. comprehendi etiam jubilæa, imitatione anni Remissionis in lege veteri, de quo Numerorum ult. & Levit. 25. ac 27. *Jubilæum* enim apud Hæbræos olim significabat annum quinquagesimum Remissionis, quo servis donabatur libertas, relaxabantur delicta prædia divendita revertebantur ad antiquos possessores, exules in patriam, & libertatem pristinam redibant. Usum jubilæi etiam in lege gratiæ antiquissimum esse multis probat Henriq. de Indulg. c. 15. & alii.

Not. 2. inter *Indulgentias*, & *Jubilæum*, 1463 ex communi Doctorum sensu esse hanc differentiam, quod *jubilæum*, ultra indulgentias contineat aliquas facultates, ut absolvendi à reservatis, dispensandi, vel commutandi vota, relaxandi juramenta, &c. ut notat Suarez d. 50. s. 4. n. 8. quem citat, & sequitur Castropalaus p. 4. tr. 24. D. unicâ, p. 12. n. 5. & alii communiter; & Gobat de Jubilæo c. 1. dicens: hanc vocem *Jubilæum*, simpliciter, & absolutè prolatam, communiter usurpari pro favore, quo præter indulgentiam plenariam conceditur facultas commutandi vota, & absolvendi tum à censuris, tum casibus reservatis. Nec enim, inquit Gobat cit. n. 2. legi ullam bullam, in qua Pontifex dicat, se concedere Jubilæum, & non simul concedat *tacitè* prædictas facultates, exceptâ solâ Bullâ antiquissimâ Alexandri III. de Jubilæo Compostellano, in qua non datur potestas commutandi vota; ergo communiter usurpatur pro dictis facultatibus.

Ex hoc infert Gobat n. 4. si quo casu 1464 Pontifex alicui communitati absolutè diceret: *concedo tibi Jubilæum*, illam communitatem hoc ipso sibi prudenter persuadere, se, præter indulgentiam plenariam, habere potestatem eligendi confessarium, qui à censuris & reservatis casibus omnibus absolveret, & vota commutaret, quod videtur intelligendum, nisi aliqua vel expressè reservarentur; vel ex communi, & probato stylo in ejusmodi concessionibus reservari solerent, licet non exprimantur. Nam verba intelligenda sunt, ut communiter intelliguntur & usurpantur; ergo cùm hic terminus *Jubilæum* communiter intelligatur de dictis favoribus, prudenter ea communitas pro illis concessam facultatem usurparet. Anteced. patet c. *ex literis* 1. de sponsalibus, ibi: *ad communem verbi intelligentiam recurratur*, si scilicet verba sint obscura.

Not.

1465 Not. 3. Jubilæum (nimirum anni sancti) olim centesimo quoque anno concessum esse, prout constat ex Bonifacio VIII. Extravagant. *Antiquorum* h. t. inter communes; quod postea Clemens VI. in Extravag. *Unigenitus*, eod. reduxit ad annum quinquagesimum, hanc formam approbantibus Urbano VI. Martino V. & Nicolao V. licet deinde Paulus secundus, quem secutus est Sixtus IV. in Extravag. *Quemadmodum*, eodem, reduxerit ad annum 25. quem morem reliqui deinceps Pontifices confirmarunt; ita Castropal. cit. p. 12. n. 4.

1466 Not. 4. inter favores in jubilæis concessos, etiamsi non exprimatur, comprehendi (præter indulgentiam plenissimam omnium peccatorum) facultatem absolvendi à reservatis, commutandi vota, & componendi super malè ablatis in certis, vel illicito contractu acquisitis, tradi à Castropal. cit. n. 5. Nam, si in significatione vocis *Jubilæum* non comprehenderentur, immeritò illas facultates exciperet, dum tempore Jubilæi Romani suspendunt prædictas facultates, (quod enim in aliquo de se non continetur, non subest exceptioni ab illo) at hæc exceptio communiter fit in const. ex Extravag. *Quemadmodum*, & aliis, ergo. V. tamen à n. 2470. quæ opponuntur contra hunc, & n. 1464.

1467 Not. 5. potissimam nobis hic quæstionem esse quoad illud punctum *Jubilæi anni Sancti*, quo, durante hoc Jubilæo Romæ *extra illam* suspenduntur omnes indulgentiæ, & facultates, quæ alias extra illud jubilæum Romanum, diversis concessæ sunt, ut videri potest in Extravagantib. suprà citat. & Constitut. Gregorii XIII. quam integram refert Navar. de Indulg. not. 33, ubi Pontifex sic loquitur: Nos pro consequenda eo anno indulgentia, quæ dictis litteris expressa est, *multorum Romanorum Pontificum morem sequuti*, de Apostolicæ potestatis plenitudine, *suspendimus ad nostrum, & Sedis Apostolicæ beneplacitum*, omnes, & quascunque Indulgentias *plenarias*, etiam *ad instar Jubilæi*, & *earum causâ facultates, concessiones, & indulta quæcunque* à nobis, & dicta Sede, ejusque authoritate quibuscunque Ecclesiis & Monasteriis, utriusque sexûs, ac Conventibus, Domibus, Congregationibus, Hospitalibus & piis locis; nec non Ordinibus, etiam Mendicantium, ac Militarium, nec non Confraternitatibus & Universitatibus, earumque, & aliis cujusque dignitatis, gradûs, & conditionis personis Ecclesiasticis & Sæcularibus per universum orbem constitutis, etiam *per modum communicationis*, extensionis, & aliàs *quomodocunque*, perpetuò, vel ad tempus, *quibusvis modis*, & *ex quibusvis causis* concessas, & concessa; *quibuscunque* illa sint concepta *formulis*, ac restrictionibus, revocationibus mentis, attestationibus, aliisque clausulis & decretis communita. Decernentes interim illa, & literas desuper confectas, nulli prorsus suffragari debere; nec non irritum & inane, quidquid secùs per quoscunque contigerit attentari: Indulgentiis Basilicarum, & *aliarum Ecclesiarum Urbis* nihilominus in suo robore duraturis.

Sub hæc ibidem præcipitur, *ne aliæ indulgentiæ interim publicentur, aut in usum demandentur* sub pœna excommunicationis incurrenda ipso facto, *non obstante*. &c. 1468
Ex quibus verbis plures dubitationes occurrunt, communiter in novis ejusmodi Jubilæis; præsertim ex eo, quòd non omnes Pontifices utantur terminis, æquè generaliter suspensivis. Nam Bonifacius VIII. in Extravag. *Antiquorum*, concedens jubilæum quovis anno centesimo, nullam facit mentionem indulgentiarum & aliarum facultatum suspensivam extra Romam, durante inibi Jubilæo anni sancti, id, quod etiam habet Clemens IV. in Extravag. *Unigenitus*, concedens Jubilæum quovis anno quinquagesimo.

Econtra Sixtus IV. in Extravag. *Quemadmodum* h. t. concedens jubilæum anni Sancti, quovis anno 25. (id, quod jam antè Paulus II. fecerat) ita loquitur: Verùm, quia postmodum tam Nos, quàm idem Paulus Prædecessor noster (dum in humanis ageret) animarum saluti fidelium intenti, multorum Principum, & aliorum Christi fidelium, ac devotarum personarum pulsati precibus, diversas indulgentias, & peccatorum remissiones plenarias nonnullis Ecclesiis, Monasteriis, & piis locis duximus concedendas, *propter quas populorum forsan concursus ad Basilicas, & Ecclesias ante dictas retardari, aut ipsius anni jubilæi celebritas minui, vel intermitti posset, cum animarum non modico detrimento.* Nos (qui universorum credentium profectibus, & saluti prospicere ex debito ministerii pastoralis adstringimur) *ne propter aliarum in-* 1469

dulgentiarum hactenus à nobis, seu eodem Paulo, vel aliis prædecessoribus nostris concessarum, hujusmodi effusionem, hoc sanctum opus ac remissionis & gratiæ annus jubilæus intermittatur, aut fideles ipsi à tanto munere reddantur expertes, remediis opportunis providere volentes, *omnes & singulas plenarias, etiam ad instar jubilæi*, ac etiam commutandi vota, aut super eis, & malè ablatis incertis, aut per usurariam pravitatem, vel alium illicitum modum extortis dispensandi, & componendi, aut illa sub certis, modo & forma remittendi; & deputandi Confessores cum potestate absolvendi, etiam in casibus Sedi Apostolicæ reservatis, facultates, concessiones, & indulta à nobis, & eadem Sede, vel illius auctoritate, quibuscunque Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, & piis locis, Universitatibus, Fraternitatibus quibuslibet, tam in perpetuum, quàm ad certum tempus, in vita, seu *in mortis articulo* (*quovis modo*, aut *quavis causa*) *quomodolibet* concessas, & concessa, & imposterum forsan concedenda, auctoritate Apostolicâ tenore præsentium de Apostolicæ potestatis plenitudine, usque *ad nostrum, & ejusdem Sedis beneplacitum, suspendimus*, illasque durante beneplacito nostro & Sedis prædictæ, suspensas esse volumus, nec interim alicui suffragari: *Indulgentiis tamen Basilicarum, & Ecclesiarum dictæ urbis in suo plenario robore durantibus.*

1470 Ex hoc, si hæc verba Sixti conferantur cum verbis Gregorii XIII. relatis n. 1467. clarè patet, Pontifices in suspensionibus indulgentiarum, & aliarum facultatum (quæ fiunt pro jubilæo anni Sancti) non semper loqui terminis æque universalibus. Nam 1. Sixtus in Constit. *Quemadmodum* non suspendit *indulgentias plenarias singularibus personis concessas*, secùs Gregorius, ut liquet ex ejus verbis in n. jam cit. 2. Sixtus & Gregorius exprimunt mentem suam his verbis: *Suspendimus omnes & singulas indulgentias plenarias*, posteriores autem Pontifices, Clemens & Urbanus VIII. non factâ ullâ expressione *plenariarum*, dicunt: *suspendimus omnes, ac singulas indulgentias sub quibuscunque tenoribus concessas*, ut notat Gobat de Jubilæo c. 8. q. 23. n. 39. 3. in iisdem Constitutionibus Sixtus & Gregorius dictam suspensionem faciunt *ad arbitrium suum*, & *Sedis Apostolicæ*. Clemens verò, Urbanus VIII. & Innocentius X. in sua Constit. *Cùm nos nuper* 1649. solùm, *durante Jubilæo*. 4. Gregorius clarè exprimit, non revocari *omnes facultates aliàs concessas, sed solùm eas, quæ ratione indulgentiarum concessæ sunt*: alii autem: Urbanus Clemens & Sixtus non factâ mentione illius *dependentiæ ab indulgentiis*. 5. Sixtus suspendit indulgentias, & indulta, in vita, *seu in articulo mortis* concessas & concessa; concedendas & concedenda: alii verò, ut Gregorius XIII. Clemens, Urbanus & Innocentius X. omittunt illam clausulam, & sic in aliis de quibus videri potest Gobat loc. cit. Ex hac igitur diversitate suspensionum, non æqualiter factarum ab omnibus, plures difficultates enatæ sunt, de quibus in sequentibus. Hinc

Quæres 1. an Indulgentiæ, & facultates in jubilæo anni sancti suspensæ, indigeant novâ confirmatione, illo transacto? affirmativam sequitur Navarr. cit. notat. 28. à n. 27. Zerola V. *Annus Sanctus* §. *ad tertium*, & alii. Nam hæc suspensio fit *ad beneplacitum*, ut diximus; ergo manet, dum hoc vel cessèt morte Pontificis, vel mutatâ ejus voluntate. Sed praxis, & consuetudo, quæ statim finito jubilæo, etiam sciente, & tolerante S. Sede Romanâ rursum publicantur indulgentiæ, & ad usum deducuntur facultates prius concessæ, sive ullo novo recursu ad Pontificem, demonstrat non solùm jure novo, quo ea clausula non apponitur, sed etiam antiquo, licet apposita fuerit, aliud non fuisse intentum per ea verba: *ad beneplacitum nostrum, vel Sedis Apostolicæ*, quàm suspensas esse, *durante jubilæo, nisi aliud placeat Pontifici etiam eo tempore*; cùm subinde, etiam eo durante, Pontifices dispensare soleant in certis casibus; ita Layman l. 5. tr. 7. c. 8. n. 2. & Castropal. cit. p. 12. §. 1. præsertim n. 14. 1471

Quæres 2. an, durante jubilæo Romano, suspensæ sint omnes indulgentiæ *plenariæ*, vivis concessæ? ante resolutionem not. 1. faciendi dictas suspensiones indulgentiarum extra Romam, potissimam causam fuisse, & esse (prout ipsi summi Pontifices in suis decretis suspensivis disertè exprimunt) *ne* (si etiam tunc, dum Romæ celebratur jubilæum anni Sancti, fideles possent indulgentias extra Romam consequi) *concursus hominum ad urbem, atque solennitas jubilæi ex tanto affluxu omnium Nationum, & statûs hominium impediatur*, 1472

non

non futurus cætoquin, si domi suæ dictas gratias obtinere possent. V. n. 1469. Ex hoc meritò infert Castropal. cit. n. priori, per verba suspensionis *omnium indulgentiarum*, non comprehendi indulgentias, nisi vivis concessas; non autem *directè* fidelibus *defunctis*. Nam in his nullatenus esse potest locus causæ, quâ potissimùm nituntur ejusmodi decreta suspensiva, id, quod pluribus patebit ex dicendis in sequentibus.

1473 Not. 2. Quòd Summi Pontifices in Bullis, quibus indicârunt jubilæum anni sancti, & decretis suspensivis indulgentiarum ac facultatum, extra urbem, durante inibi Jubilæo, communiter dicant: *se suorum Prædecessorum vestigia sequi*, ut constat ex n. 1467. consequenter tacitè innuant, se in dictis suspensionibus, non plus, nec minus velle, quàm eorum Prædecessores in tali casu fecerint, nisi aliud exprimant pro certo casu, & materia particulari.

1474 Not. 3. Postquam Innocentius XII. aperuisset annum sanctum elapsâ nuper Vigiliâ Nativitatis Domini, anno 1699. secuto pariter decreto suspensivo, ut solet, indulgentiarum & facultatum, aliàs diversis competentium extra jubilæum, emanâsse quandam declarationem, seu notificationem resolutivam quorundam dubiorum, cujus ex Italico in Latinum translatæ tenorem subjicio, quæ sic habet:

1475 *Notitia gratiarum, & Declarationis factæ à Sanctitate sua, Domino Papâ* INNOCENTIO XII. *occasione præsentis jubilæi anni sancti.*

Gaspar, Miseratione divinâ Episcopus Sabinensis S. R. E. Cardinalis de Carpineo SS. D. N. Papæ Vic. Gen. Romanæque Curiæ, ejusque districtûs, Judex Ordinarius, &c.

SAnctitas Domini nostri, *ex mandato nobis dato, vivæ vocis oraculo*, cupiens ampliùs dilatare gratias, omnibus illis concessas, qui concurrerunt, & concurrent ad hanc almam Civitatem Romam, ut ibi consequantur plenissimum jubilæum hoc anno sancto; nobis imposuit, ut veniamus ad infra scriptas concessiones, *declarando* adhuc quædam dubia exorta, ob quæ ambiguæ & suspensæ manebant conscientiæ fidelium; quorum paci & quieti vult sua Sanctitas, *quantùm fuerit possibile*, providere. Et statim subjungit:

Primò ad facilitandam omnibus Regularibus consecutionem tanti thesauri spiritualis, & suggerendam occasionem ædificandi magis populum, comparendique decore, conveniente personis DEI obsequio dicatis, notum sit, sanctitatem Domini nostri contentam esse, ut visitent 4. templa ter, ac triduo, vel continuato, vel interpolato *simul omnes*, vel saltem per vices medietas eorum, qui morantur in una domo, vel Conventu, consecuturi Sanctissimum jubilæum, ac si trigesies visitassent. Observando tamen de reliquo, quantum commendatur in Bulla jubilæi, quos in Domino exhortamur, ut procedant ordine composito, recitando psalmos, alias preces, & laudes divinas. 1476

Secundò, idem indultum, cum visitatione tamen quatuor dierum continuorum, aut interpolatorum, concedit sanctitas sua omnibus Alumnis, vel convictoribus, qui student scientiis, & bonis artibus, ac in Communitate vivunt, modò saltem procedat medietas eorum in numero, assistentibus tamen saltem Præfecto, aut Rectore, aut alio curam gerente, qui pari privilegio donantur, unà cum famulis eorum, commendata tamen pariter modestiâ in ordine procedendi, quem comitetur bonum exemplum orationis. 1477

Tertiò, Regulares deinde aliunde advenientes, ad obtinendum Sanctum jubilæum, qui incorporare se cum aliis sui ordinis, & regulæ voluerint, gaudebunt eadem habilitate, id adimplendi cum illis per tres tantùm visitationes, modo suprà dicto. Et si exspectare non possent commoditatem cum aliis; aut supervenirent, postquam alii suas visitationes jam compleverunt; placet suæ sanctitati, ut censeantur id compleviſſe visitando quinquies templa per quinque dies, vel continuos, vel interruptos, acsi visitassent per omnes quindecim dies, quos illis bulla præscribit. 1478

Quartò conceditur etiam Societatibus, & Confraternitatibus aliunde advenientibus, ut factâ unâ visitatione processionaliter; & duabus à confraternitatibus, & Sororibus privatim, & per ipsos, satisfaciant visitationibus injunctis in Bulla, acsi eas integrè compleviſſent. 1479

Quintò, compatiens ulterius sua Beatitudo 1480

titudo civibus, & incolis Romæ, qui inchoârunt, & infirmitatum causâ non possunt prosequi visitationes, ne priventur fructu incepti laboris, & piæ intentionis, qua eas susceperunt; afflictique dupliciter sint, & in corpore, & in spiritu; concedit Parochis, Pœnitentiariis & Confessariis, Deputatis in altera nostra Declaratione, facultatem commutandi illis injunctum opus visitationis templorum in aliud, quod censent proportionatum possibilitati dictorum Civium, & Incolarum infirmorum. Et si ex improviso morte obruerentur, priusquam obtinerent, & peterent dictam commutationem, sua Sanctitas illis facit gratiam sancti jubilæi, ac si satisfecissent.

1481 Sextò, ut omnis tollatur ambiguitas, ac fideles certi sint indulgentiarum, quas possunt consequi, declaramus oraculo suæ Sanctitatis, ut supra, *quod in generali suspensione indulgentiarum*, contenta in Bulla data 28. Maji 1699. & publicata eodem die; uti & 10. Decembris dicti anni, *non intelligantur* suspensæ indulgentiæ *Altarium privilegiatorum pro defunctis*; nec ullæ *aliæ*, eodem modo *concessæ pro solis defunctis*; sed bene illæ, *quas possunt consequi vivi cum facultate applicandi eas, per modum suffragii defunctis*; *nec indulgentiæ concessæ in articulo mortis*; & facultas communicandi eas aliis; quemadmodum non cessant facultates Tribunalis sanctæ Inquisitionis, & Officialium illius, & Missionariorum & Ministrorum, qui à dicto Tribunali, & à Sancta Congregatione de propaganda fide, vel cum authoritate Apostolica Deputati ad id sunt: & specialiter illæ, quæ sunt ad absolvendum ab hæresi eos, qui pœnitentes eam abjurant, & se dictæ absolutionis reddunt capaces.

1482 Septimò, ut conservetur devotum institutum frequentandi visitationem quadraginta horarum, & principalium Sanctuariorum hujus Urbis, concedit sua Sanctitas Domini nostri, *non obstante dictâ generali suspensione*, indulgentias obtineri solitas quovis alio tempore illis fidelibus Christianis utriusque sexûs, qui visitaverint *septem Ecclesias*, & etiam *Scalam sanctam*, & *Stationes* diebus determinatis.

1483 Octavò, item qui comitati fuerint sanctissimum Viaticum, dum ad infirmos defertur, aut si ab hoc impediti, facem submiserint modo, formâ, & conditione, quibus reperiuntur concessæ: item illis, qui visitaverint Ecclesias, in quibus expositum habebitur Sanctissimum Sacramentum diebus quadraginta horarum circularium, & ordinariarum separatim descriptarum in folio publicato, & publicando ex mandato nostro per totum annum Sanctum, & ibi commorati fuerint in oratione per illud spatium temporis, quod ipsis devotio suggesserit, confessique communicaverint, aut saltem habuerint firmum propositum confitendi, septem annos, & totidem quarantenas indulgentiarum pro quavis vice. Datum in palatio solitæ nostræ Residentiæ, hodiè 24. Januarii. 1700.

GASPAR Cardinal. Vicarius.

Ant. Abbas Bonaventura, Secretarius.

Ex his sequitur, durante jubilæo Ro- 1484
mæ, non omnes omnino indulgentias plenarias, vivis concessas, esse suspensas. Nam inter indulgentias concessas visitantibus Romæ septem Ecclesias, & etiam scalam, & stationes Urbis, diebus determinatis; sunt plures indulgentiæ plenariæ vivis concessæ; at hæ durante jubilæo Romano non sunt suspensæ, ut constat ex declaratione Innocentii XII. de qua in prædict. ergo. Reliquæ verò dubitationes, quæ tali tempore communiter fiunt, in sequentibus resolvendæ sunt, sit igitur:

§. 1.

An durante Jubilæo anni Sancti, suspensa fuerit extra Romam communicatio indulgentiarum stationum Urbis?

PLures sunt Religiones, in quarum Ec- 1485
clesiis certis diebus, visitantibus septem altaria, vel fundentibus certas preces, concessæ sunt eædem indulgentiæ, quæ conceduntur Romæ visitantibus septem Ecclesias, vel stationes diebus determinatis; & quia hæ durante jubilæo anni Sancti, pro his, qui tales visitationes Romæ peregerint, non sunt ibi suspensæ, ut constat ex declaratione Innocentii XII. quam retulimus n. 1482. quæstio est, an etiam illi, qui *extra Romam* idem privilegium viâ communicationis habent, easdem, ut Romani, lucrari possint, visitando dictas Ecclesias privilegiatas, ut præscriptum est.

Ad hanc quæstionem videtur distin- 1486
guen-

guendum, an sermo sit de indulgentiis tantùm plenariis, an etiam non plenariis, & solùm partialibus? Gobat de jubilæo c. 9. n. 41. indefinitè dicit, non valere tunc eam communicationem, si stetur Bullâ Gregorii XIII. de qua diximus n. 1469. at valde probabiliter hæc sententia indefinitè loquens de omnibus indulgentiis per viam communicationis solùm intelligitur de plenariis; cùm enim Gregorius loco cit. in Decreto suspensivo indulgentiarum expressè loquatur solùm de *plenariis*, ex ejus constitutione suspensiva indulgentiarum (*earum quoque, quæ habeantur viâ communicationis*) plus non infertur, quàm suspendi *plenarias*.

1487 Si autem in Decreto suspensivo indulgentiarum non fiat expressa derogatio, seu suspensio indulgentiarum earum, *quæ habentur viâ communicationis cum Ecclesiis Romanis*, in quibus certæ indulgentiæ non sunt suspensæ, censet Gobat cit. n. 41. §. *& censeo*, eas extra Romam nihilominus esse suspensas: quia tales Bullæ sunt firmatæ clausulis efficacissimis; 2. quia suspensio talium indulgentiarum est ferè necessaria ad finem, ob quem suspendi solent indulgentiæ (ne usu illarum extra Urbem impediatur accessus ad limina Apostolorum, ut differtè exprimitur in Extravag. *Quemadmodum*) cùm multi milliones hominum habeant ejusmodi communicationem.

1488 Verùm esto sit, quòd tales Bullæ sint firmatæ clausulis efficacissimis, si tamen in Decreto indulgentiarum suspensivo appositæ non afficiant certas indulgentias, respectu earum dici non possunt effectum suspensionis operari; at quando in Decreto indulgentiarum suspensivo nulla fit mentio de indulgentiis, quæ obtineri possunt viâ communicationis, cum iis, qui eas lucrari possunt, etiam durante jubilæo Romæ, cujus Decreti clausulæ quantumvis efficacissimæ, indulgentias non afficiunt; tendunt enim ad ea tantùm, de quibus Decretum aliquomodo meminit, ergo; secùs est si de illis in Decreto suspensivo fiat mentio saltem generalis v. g. de indulgentiis, *quomodocunque*, *quacunque ratione*, *vel causâ concessis*.

1489 Altera verò ratio, quam adducit P. Gobat præcedente numero relatus, ad summum probat, in casu, quo non fit expressa mentio de indulgentiis per viam communicationis, sed tantùm tacitâ, seu in genere (quomodocunque concessis) comprehendi, ac censeri suspensas solùm plenarias tunc obtinendas per viam communicationis, non autem partiales tantum, & non plenarias. Nam cùm decretum, durante anno sancto Romæ suspensivum indulgentiarum, aliàs consequibilium extra Romam, directè intendat favorem divini cultus, & splendorem Ecclesiæ Romanæ per affluxum omnium nationum, & statuum, ad celebrandam in Urbe festivam illam solennitatem, cui plurimum honoris, & cultûs accedit ex affluxu illo hominum; eos duntaxat favores extra Urbem indirectè interim suspendere dicendum est, qui retardarent eum affluxum, si tunc extra Urbem obtineri possent; hoc autem non præstant indulgentiæ solùm partiales; cùm pauci eo titulo Romanum iter omitterent, licet domi suæ illas consequi valerent; ergo

§. 2.

An durante jubilæo anni sancti, extra Romam suspensæ fuerint indulgentiæ altaribus privilegiatis concessæ.

1490 HAs indulgentias non esse suspensas in jubilæo anni sancti tempore Innocentii XII. inchoato in vigilia Nativitatis Domini anno 1699. constat ex ejusdem declaratione, de qua n. 1481. Sed quæstio procedit universaliter, quando decretum suspensivum loquitur indefinitè, ut quandoque fit, dicendo: *omnes, & singulas sub quacunque forma concessas*, præsertim ubi nulla tunc declaratio, vel limitatio hujus clausulæ generalis sequitur, aut occurrente dubio haberi potest? Dicendum, non obstante illâ generali clausulâ probabilius videri, neque tunc suspendi indulgentias concessas *altaribus privilegiatis*, nisi hoc in suspensione specificativè exprimatur. Sic Peyrinis tom. 1. f. 154. Castropal. p. 4. tr. 24. d. unic. p. 12. §. 1. n. 7. ubi docet, per eam clausulam non suspendi indulgentias nisi plenarias *in favorem vivorum concessas*. Nam hæ indulgentiæ, licet durent extra Romam, concursum populi ad limina SS. Apost. & solennitatem exinde nascentem non impediunt, cùm sint solùm pro defunctis, at hæ per eam clausulam generalem non suspenduntur, prout constabit ex dicendis in seqq. & ratio est, quia per favorem, qui defunctis directè præstatur,

non minuitur affluxus ad solennitatem Romanam; cùm vix plus inferat, quàm absentiam defunctorum, ut per se patet.

1491 Hoc extendit loc. cit. Castropalaus ex eadem causa ad indulgentias plenarias, quæ *per modum suffragii* defunctis applicari possunt, quia harum consecutio, jubilæi consecutionem non retardat, pro eadem sententia citans P. Laymann l. 5. summæ tr. 7. c. ult. Hæc opinio videtur omnino tenenda, quoties suspensio talium indulgentiarum non exprimitur in specie. Quia per earum consecutionem (secundùm quod cedit in solatium defunctorum) nihil fit contra finem, quem principaliter respicit illa suspensio, ut patebit consideranti causam talis suspensionis in n. 1469. Cœterùm in anno sancto jubilæi sub Innocentio XII. specificè suspensæ sunt etiam indulgentiæ *per modum suffragii*, ut patet ex ejusdem Declarat. supra in n. 1481.

1492 In confirmationem eorum, quæ in præmissis dicta sunt, dici potest, quòd per dictam clausulam generalem (*omnes, & singulas indulgentias, sub quacunque forma concessas*) non suspenduntur indulgentiæ *directè concessæ animabus fidelium defunctorum*, ut patet ex ipsa concessione, ergo: maj. est ex Declaratione Innocentii XII. in n. 1481. ubi not. ex notione *Declarationis*, rectè inferri, quòd per dispositionem *declarativam* exceptum dicitur, etiam exceptum esse in lege *declarata*, quantumvis aliàs indefinitè, ac generaliter loquatur. Nam declaratio nihil novi statuit, sed solùm explicat, quod prius, sed minus clarè dispositum erat. V. dicenda in seqq.

1493 Not. autem, cùm privilegium altaris privilegiati, aliud sit *reale*, seu *locale*, nimirum affixum tali altari; aliud personale, vi cujus celebrans in quocunque altari, licet non dicat missam *de Requiem*, quavis vice celebrando liberare potest animam ex purgatorio, resolutionem nostram procedere de utroque. Nam sivè privilegium sit *reale*, sive *personale* indulgentia, vi ejus obtinenda, directè solum est in favorem defunctorum; sed hæ non obstante illâ clausulâ generali non suspenduntur ex dictis, n. 1481. & dicendis. ergo.

§. 3.

An durante Jubilæo anni sancti, extra Romam suspensæ fuerint indulgentiæ, concessæ pro articulo mortis?

A Affirmativam sequitur Layman, Tannerus, & Castropal. apud Gobat cit. c. 9. n. 44. ratio eorum desumitur ex eo, quia Urbanus VIII. anno 1625. durante jubilæo anni sancti illius temporis, dispensavit cum Religiosis Societatis Jesu, in mortis articulo constitutis, permittendo illis eo anno jubilæi obtinere indulgentiam plenariam juxta suæ Religionis privilegia. Deinde per illam clausulam *generalem*, extra Romam suspensæ manent *omnes indulgentiæ plenariæ in favorem vivorum directè concessæ*; sed agonizantes sunt in numero vivorum; ergo. Tertiò Sixtus IV. in sua constitut. *Quemadmodum*, dicit. 1494

sertè suspendit indulgentias *pro articulo mortis*; ergo idem dicendum est in aliis Jubilæis.

Sed, nisi specificè in decreto suspensivo exprimatur, etiam indulgentias plenarias *pro mortis articulo concessas* suspendi, probabilius est, etiam Romæ durante jubilæo, illas valere etiam extra Romam, non obstante dictâ clausulâ generali. Nam sub ejus generalitate eas non comprehendi, clarè probat declaratio Innocentii XII. supra in n. 1481. ibi: *nec indulgentia concessa in articulo mortis.* Et ita sentire videntur Gavant. Alphons. de Leon, Lezana, Peyrinis, apud Gobat de Jubilæo c. 9. n. 44. qui eorundem sententiam tanquam probabilem admittit, eò, quòd Romæ scripserint (consequenter propiores, ut intelligerent mentem Pontificis) & Peyrinis testetur, asseri ab Alphonso cit. quòd Urbanus VIII. ita declaraverit, ejusque Declaratio publicata fuerit Romæ à vice regente Pœnitentiariæ. 1495

Confirmatur; quia respectu agonizantium universim cessat finis, & ratio, propter quam extra Romam indulgentiæ suspenduntur; ergo talis suspensio relatè ad illos non haberet locum. 2. Quia sententia exponens clausulam illam generalem cum *extensione*, vel *comprehensione* etiam indulgentiarum *pro articulo mortis*, videtur contraria intentioni Pontificis, quæ est *fideles omni gaudio, & consolatione spirituali replere*; & (ut loquitur Declaratio Innocentii XII. in n. 1475.) quieti conscientiæ fidelium, *quantum fuerit possibile*, providere. Accedit, quòd propter opiniones quandoque contrarias, solùm pro securitate majori, solicitari ac permitti soleant ea, quæ sub controversia opinionum sunt. 1496

Et

1497 Et licet verum sit, clausulam, (*omnes & singulas indulgentias, sub quacunque forma concessas*) indefinitè, ac generaliter loqui, spectatâ propositione verbali; secùs tamen est spectatâ intentione disponentis; quam non esse adeo generalem, ut verba sonant, constat ex tot limitationibus per declarationem ejus factis, ut liquet ex dictis. Nam sub illa generali clausula nullatenus veniunt indulgentiæ, quæ ne quidem extra jubilæum possunt prodesse vivis, ut constat ex n. 1481. Deinde nec veniunt indulgentiæ partiales, ut dicemus à n. 1500. Tertiò, indulgentiæ plures concessæ stationibus &c. ut constat ex n. 1482. Quartò, indulgentiæ & favores Bullæ cruciatæ, ex Declaratione Clementis & Urbani VIII. teste Dianâ p. 1. tr. 11. resol. 97.

1498 Quintò, quia favores, & privilegia, per *modum contractus*, *aut remunerationis* concessa (seclusâ gravi, & justa causa) regulariter non revocantur per clausulam generalem, nec revocari possunt, nisi pro illis fiat aliqua compensatio, & in derogationibus exprimatur modus concessionis, v. g. *per contractum*, & *cum remuneratione*, ut notat Castropal. p. 4. tr. 24. D. unic. §. 4. n. 10. & fusiùs p. 1. tr. 3. D. 4. p. ult. §. 2. à n. 1. at plures sunt indulgentiæ plenariæ, aliique favores *per contractum*, vel *cum remuneratione* concessi, præsertim ordinibus Regularium; ergo per eam clausulam generalem non revocantur, nisi fiat compensatio, vel expressio etiam modi *concessionis*. Ex eo autem, quòd Sixtus IV. disertè suspenderit etiam indulgentias *pro articulo mortis*, ut dicitur in n. 1469. non sequitur idem dicendum de aliis jubilæis id non exprimentibus; cùm posteriores Pontifices per subsecutas declarationes, & studium expressum *dilatandi* gratias, & *quantum possibile fuerit*, *providendi quieti animarum*, *satis clarè innuant*, se in hoc non sequi ejus dispositionem.

§. 4.

Quid dicendum de aliis indulgentiis, quæ concessæ sunt pro defunctis?

1499 Etiam eas suspendi tempore jubilæi tenet Tannerus apud Gobat cit. n. 45. Communior tamen Doctorum opinio affirmat, non suspendi, ut constat ex cit. Gobat, & Castropalao cit. p. 4. tr. 24. D. unic. p. 12. §. 1. n. 7. Nam ratio, propter quam extra Romam suspendantur indulgentiæ, durante jubilæo Romano, nullo modo locum habet in indulgentiis, quas obtinere pro se non valent vivi, sed pro solis defunctis. Non enim suspenduntur indulgentiæ utcunque, sed *in concreto*, nimirum, *ut assequibiles à vivis*, quorum absentiâ, diminuto concursu populorum retardaretur solennitas jubilæi Romani, quod sanè nullatenus dici potest de indulgentiis, quæ concessæ sunt pro solis defunctis; quod confirmari potest liquidius, plurium Pontificum declarationibus, ut jam sæpè dictum est, & constat ex declaration. Innoc. XII. Ex hoc colliges etiam durante jubilæo anni Sancti Romæ, non suspendi indulgentias directè concessas pro defunctis, quæ annexæ sunt granis, rosariis, nummismatibus &c. Ratio sumitur ex num. præced. & præcipua declaratione Innocentii XII. de qua supr.

§. 5.

An, durante Jubilæo anni Sancti, sint suspensa indulgentiæ partiales extra Romam?

1500 RAtio dubitandi nascitur ex eo, quòd quidam Pontifices in decreto suspensivo indulgentiarum extra Romam, durante anno Sancto in Urbe, disertè solùm exprimant *plenarias*, ut constat ex n. 1467. & 2470. alii autem indefinitè loquantur dicendo: *omnes*, & *singulas*, ut diximus n. cit. si enim decretum suspensivum indefinitè loquitur, nimirum sub ea generali clausulâ (*suspendimus omnes*, *& singulas*) videntur omnino etiam suspendi partiales indulgentiæ. Nam clausula geminata, *omnia*, *& singula*, absque limitatione includit omnes, adeoque tam plenarias, quàm partiales, seu, non plenarias) ut notat. Gloss. in c. *Ut circa* de elect. in 6. V. *omnia*, *& singula*; & ideo Tannerus apud Gobat de Jubilæo c. 9. q. 25. n. 47. negat, esse probabile, tali casu non suspendi partiales indulgentias. Verùm, hoc non obstante, probabilius est, nec per illam generalem clausulam (*omnes*, *& singulas indulgentias*) partiales suspendi, nisi clarè exprimantur; Sic Castropal. p. 4. tr. 24. D. unic. p. 12. §. 1. n. 1. Filliucius, Peyrinis, Lezana, Benzon. Alphons. de Leon. & Hieron. Gratianus apud Gobat. cit. qui hanc opinionem, num. 48. in fine vocat *probabilissimam*. Ratio est, quia, cùm certum sit, quosdam ex Prædecessoribus suspendisse

solùm plenarias (ut diximus præcedente num.) suspensio per eorundem Successores, quantumvis indefinita, ex eadem ratione, & in iisdem circumstantiis facta, intelligenda venit juxta suspensionem à Prædecessoribus factam, nisi aliud specialiter exprimatur; ergo sicut in illis suspenduntur solùm *plenariæ*; sic in istis quantumvis loquantur indefinitè. Antec. prob. Nam, *quod in posteriore lege non fuerat expressum specialiter, id veterum legum, constitutionumque regulis relictum esse intelligendum est*, ut dicitur L. *Præcipimus*: de Appellat. ergo cùm in Decretis suspensivis posteriorum Pontificum non exprimuntur *indulgentiæ partiales*, eorum suspensiones sub generali clausula intelligendæ veniunt, *juxta regulas veterum ac proximarum, quæ præcesserunt, legum, & institutionum à Prædecessoribus eorum* à quibus expressè solùm plenariæ suspenduntur, nisi posteriores aliud specialiter exprimant.

1501 Confirmatur 1. quia posteriores Pontifices etiam in suis decretis suspensivis, aut eorum declarationibus, expressè dicunt, quòd in hoc sequantur *morem suorum Antecessorum* quòd intendant *gratias ampliare, & quantum possibile fuerit, animarum quieti providere*, salvo fine per ejusmodi suspensiones intento, de quo n. 1469. ut constat ex prædictis: at hoc non staret, si per eam clausulam generalem, præter indulgentias *plenarias*, suspenderent *partiales*; cùm id non fecerint eorum Prædecessores; & reverâ (etiam eas tollere, & suspendere) non sit, *gratias ampliare, non providere, quantùm possibile fuerit salvo fine principaliter intento* per ejusmodi suspensiones, ut patet consideranti; ergo.

1502 Confirmatur 2. quia licet clausula (*omnes & singulas*) sit indefinita, in hoc tamen casu non esse *indefinite* accipiendam, sed solùm *restrictè ad plenarias*, Suadet 1. materia substrata, cui derogat, quæ summè favorabilis est, consequenter, quanto minùs potest, lædi debet per eam clausulam odiosam. Suadet 2. mens, & intentio Pontificum solum volentium *suspendere indulgentias*, quarum consecutio extra Romam, retardaret concursum populorum, & Romani jubilæi solennitatem. Suadet 3. quia, licèt clausula *etiam geminata* omnia, & singula includat & sine limitatione, si consideretur secundum se; secus tamen est in casu, quo limitatur vel ex fine directo dispositionis, vel à materia substrata, vel denique ab ipso jure; Sic autem evenire in nostro casu constat ex n. 1500. ergo.

§. 6.

Quæ facultates præter indulgentias suspendantur tempore anni sancti?

REsp. Suspendi *solùm eas*, quæ concessæ sunt *indulgentiarum causâ*; consequenter eos, qui *aliunde*, ac *independenter* ab indulgentiis quasdam facultates concessas habent, *absolvendi à reservatis & censuris, dispensandi, commutandi*, &c. liberè iisdem uti posse, etiam dum Romæ celebratur annus sanctus, nisi aliud specificè exprimatur; Sic Castropal. p. 4. tr. 24. D. *unic.* p. 12. §. 1. n. 9. & complures alii. Constat 1. ex Constitut. Gregorii XIII. de qua n. 1467. ibi: suspendimus quascunque indulgentias *plenarias*, etiam ad instar jubilæi, & *earum causâ facultates*, concessiones & indulta quæcunque *à Nobis, & dicta Sede, ejusque authoritate* concessas; ergo sic intelligendæ veniunt etiam posteriorum Pontificum dispositiones suspensivæ, nisi expressè addant contrarium, cùm, ut sæpè dictum est, favere velint, quantum possibile fuerit, salvo fine, propter quem talis dispositio suspensiva inducta est. 1503

Secundò, quia licet in Decreto suspensivo *indulgentiarum* & *facultatum* non addatur illa particula limitans *indulgentiarum causâ*, ut habet Gregorius cit. suspensionem tamen *facultatum* non indefinitè factam esse, sed restrictè solùm ad facultates *indulgentiarum causâ* concessas, Suadent 1. rationes omnes allatæ à n. 1500. quibus ostendimus, clausulam non debere extendi ad indulgentias *partiales*: sed solùm intelligi de *plenariis*. Secundò, quia licèt Clemens, & Urbanus VIII. in suis Decretis suspensivis durante anno sancto indulgentiarum & *facultatum* non addiderint *ly indulgentiarum causa*, consequenter locuti videantur, de *omnibus facultatibus*: testatur tamen Cardinalis de Lugo D. 20. n. 145. apud Gobat cit c. 10. n. 49. Clementem & Urbanum declarasse, *non fuisse suæ intentionis, suspendere, nisi illas facultates*, quæ fuerunt aliquibus concessæ in ordine ad lucrandas indulgentias, seu occasione lucrandarum indulgentiarum; Ex hoc enim per n. 1492. clarè sequitur, non omnes facultates esse inclusas in Decreto suspensivo, sic declarato, quantumvis utente illâ generali 1504

rali clausulâ. Denique certum est experientiâ, & constanti usu, etiam durante anno sancto, Superiores Regularium & Ordinarios, specialibus privilegiis munitos ad dispensandum in certis casibus matrimonii, petendi debiti, legitimationis, casuum reservatorum, dictis facultatibus uti, quando eas non occasione jubilæi aut indulgentiarum, sed aliundè & independenter ab illis habent.

1505 Ex dictis collig. 1. privilegia Regularium, quibus continentur certæ facultates, ipsis *independenter ab indulgentiis* concessæ, *absolvendi è certis casibus, censuris, vel aliis obligationibus; commutandi vota, dispensandi in esu carnium, in horis canonicis, in petitione debiti conjugalis, & similibus*, salva consistere etiam durante anno Sancto iisque liberè uti posse; Sic Castropalaus cit. n. 9.

1506 Colliges 2. facultates concessas, *non ab ipso summo Pontifice, vel Sedis Apostolicæ authoritate*, per decretum suspensivum indulgentiarum, & facultatum, durante anno Sancto, non suspendi. Ratio est ex n. 1503. quia decretum suspensivum expressè loquitur de facultatibus concessis *à Nobis*, vel *auctoritate Apostolicæ Sedis*. Ex hoc fit, Curatos, qui à suo Episcopo habent facultatem in casus reservatos, etiam durante anno sancto eâdem liberè uti posse.

1507 Collig. 3. nec per suspensionem *facultatum* tempore anni sancti, intelligi *facultates* remittendi, vel componendi incerta, *si malè ablata non sint*. Nam illæ solùm suspensæ censeri debent, quæ referuntur in Extravagante. *Quemadmodum*; nisi posteriores aliud exprimant; at ibi exprimuntur facultates *eligendi Confessarium, cum potestate, absolvendi à reservatis, censuris, & aliis pœnis, commutandi vota vel in eis dispensandi, remittendi, vel componendi incerta malè ablata*; quia hæc frequenter concedi solent gratiâ consequendi jubilæum, ac commodæ illius consecutioni. Sic Castropal. l. c.

ARTICULUS V.

De Jubilæis extra annum Sanctum.

1508 CErtum est, etiam extra annum Sanctum, qui hodierno jure celebratur quovis anno 25. concedi *jubilæa*, seu indulgentias cum facultatibus annexis, sub onere certorum operum præscriptorum. Tale fuit jubilæum, quod Innocentius XII. concessit anno 1693. ad implorandam divinam opem *pro pace inter Principes Christianos*, cujus constitutio incipit: *Ubi primum humilitatem nostram*. In ea namque *omnibus*, & *singulis Christi fidelibus*, utriusque Sexûs, tam Laicis, quàm Ecclesiasticis, secularibus, vel *Regularibus, cujusvis ordinis*, Congregationis, & instituti, tam in Urbe, quàm extra eam, ubique locorum degentibus, qui opera præscripta peregerint, concessit 1. *plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam*, & remissionem, sicut in anno jubilæi visitantibus certas Ecclesias intra, & extra Urbem, concedi consuevit.

Concessit 2. *prædictis omnibus* licen- 1509
tiam, & facultatem, ut sibi, *ad hunc effectum*, eligere possint *quemcunque Presbyterum confessarium, tam secularem, quàm cujusvis Ordinis, & instituti Regularem, ex approbatis*, ut præmittitur, à *locorum Ordinariis*, qui eos ab excommunicationis, suspensionis, & aliis Ecclesiasticis sententiis, & censuris à jure, vel ab homine quavis causâ latis, seu inflictis, nec non ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, & delictis quantumvis gravibus, *etiam locorum Ordinariis*, sive *Nobis*, & *Sedi Apostolicæ, etiam in literis die Cœnæ Domini legi solitis*, contentis, & alias per quascunque nostras, aut Romanorum Pontificum, Prædecessorum nostrorum, constitutiones, quarum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis *quomodocunque reservatis* in foro conscientiæ, *& hac vice tantùm*, absolvere, & liberare valeant, & insuper vota *quæcunque* (Religionis, & castitatis exceptis) in alia pia, & salutaria opera commutare, injunctâ tamen eis, & eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus pœnitentiâ salutari, aliisque ejusdem Confessarii arbitrio injungendis.

Opera verò ad lucrandos hujus jubilæi 1510
favores præscripta his, qui sunt extra Urbem Romanam, erant sequentia in §. *Cæteris verò*, qui sic habet: Cœteris verò extra Urbem, ubicunque degentibus, qui Ecclesias ab *Ordinariis locorum*, vel *eorum Vicariis*, seu *Officialibus*, aut de eorum mandato, & ipsis deficientibus, per eos, qui ibi curam animarum exercent; postquam ad eorum notitiam hæ nostræ pervenerint designandas, vel Ecclesiarum hujusmodi aliquam *spatio duarum similiter hebdomada-*

rum à publicatione designationis per Ordinarios, vel eorum Vicarios, seu Officiales, vel alios, ut præfertur, faciendæ decursurarum saltem semel visitaverint, ibique, ut suprà *oraverint*, ac quartâ, & sextâ feriâ, ac sabbato *alterius ex hebdomadis* hujusmodi *jejunaverint*, pariterque peccata sua *confessi*, ac in die Dominica immediatè sequenti, vel alia die intra eandem hebdomadam *sanctissimâ communione* refecti fuerint, & pauperibus aliquam *eleemosynam*, ut præmittitur erogaverint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam, &c.

1511 Hos favores extendit *ad Navigantes*, & *iter agentes*, iisque concedit, ut, cùm primùm ad sua sese domicilia receperint, suprascriptis peractis, & visitatâ Ecclesiâ Cathedrali, vel majori, aut Parochiali loci eorum domicilii, eandem indulgentiam consequi possint & valeant: Regularibus autem personis utriusque sexûs; *etiam in clausuris perpetuò degentibus, nec non aliis quibuscunque*, tàm Laicis, quàm Ecclesiasticis secularibus, vel regularibus, etiam in carcere aut captivitate existentibus, vel aliquâ corporis infirmitate, seu *alio quocunque impedimento detentis*, qui suprà expressa, vel eorum aliqua, præstare nequiverint, ut illa Confessarius ex jam approbatis à locorum Ordinariis ante præsentium publicationem, seu approbandis, eis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possint, eaque injungere, quæ ipsi pœnitentes efficere poterunt.

1512 Hanc porrò concessionem corroboravit efficacissimis clausulis derogatoriis. §. *non obstantibus*, ibi: *non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis*, præsertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes vel dissimiles indulgentiarum & facultatum hujusmodi concessiones, nisi *de illis expressa mentio*, aut *specialis derogatio fiat*, cuiquam suffragari queant, nec non regula nostra de non concedendis indulgentiis ad instar, ac *quorumcunque Ordinum & Congregationum*, sive *institutorum Regularium* etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis statutis & consuetudinibus, *privilegiis quoque* indultis, & literis Apostolicis eisdem Ordinibus, Congregationibus & Institutis, illorumque personis, *quomodolibet* concessis, approbatis & innovatis. Quibus *omnibus & singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa & individua* (non autem per clausulas generales idem importantes) *mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret*, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis, ac formam in eis traditam pro servata habentes, hâc vice *specialiter, nominatim & expresse* ad effectum præmissorum, *derogamus*, cæterisque contrariis quibuscunque.

Quoniam verò circa ejusmodi jubilæa 1513
communiter dubitationes variæ suboriri solent, paucis annotabimus, quæ in hac materia probabilius dici posse nobis videntur. Quare not. 1. quòd per Bullas extraordinarii jubilæi (nimirum quod conceditur extra annum sanctum) non suspendantur ullæ indulgentiæ, aut facultates, qualiter id fieri constat ex suprà dictis in anno sancto. 2. In Bullis, quibus conceditur extraordinarium jubilæum, communiter præscribi septem opera, nimirum processionem, visitationem Ecclesiæ, vel Ecclesiarum, quæ designatæ sunt; orationem in illis, pœnitentiam & confessionem, communionem, jejunium & eleemosynam.

Not. 3. Per jubilæa extraordinaria concedi 1. indulgentiam plenissimam. 2. Potestatem eligendi confessarium approbatum ab Ordinario, qui à peccatis omnibus & censuris absolvat, & vota commutet; quibus in anno sancto additur facultas componendi super ablatis incertis, & illicitè acquisitis.

Not. 4. Jubilæum extraordinarium 1514
communiter durare *duabus tantùm hebdomadis*; has autem computari, ut contineant dies 15. testatur Layman l. 5. Summæ tr. 7. c. 8. n. 10. & Castropal. p. 4. tr. 24. D. unic. p. 12. §. 3. n. 2. dicens ad peragenda opera præscripta tres dies dominicas concedi cum diebus & feriis intermediis. Quia, cùm tale jubilæum *spatio duarum hebdomadarum* duret, & *dominica dies*, non solum sit principium sequentis hebdomadæ, sed etiam finis præcedentis (cùm sit medium inter utramque hebdomadam) rectè colligitur tres dominicas, consequenter dies quindecim in eo temporis spatio comprehendi. Lugo tamen, Bonacina, & alii scriptores, tam Itali, quam Hispani

apud

apud Gobat cit. c. 11. q. 33. n. 63. dicunt, *esse peculiare*, quòd sufficiat *confessionem*, & *communionem* facere tertiâ Dominicâ jubilæi; secùs reliqua opera: v. g. *visitationem Ecclesiæ, largitionem eleemosynæ*, &c. Sed etiam quoad hæc opera sufficere, si fiant intra 15. dies, atque adeo etiam tertiâ dominicâ censet Gobat cit. & hoc videtur conformius verbis istorum jubilæorum, quæ utique intelligenda sunt etiam quoad hebdomadas *completè*, ac latè, cum principio suo, & termino, præsertim in materia tam favorabili animarum bono, his præmissis:

1515 Quæstio est an requiratur, ut omnia opera pro extraordinario jubilæo præscripta, peragantur *intra unam* ex duabus (quibus durat) *septimanam*? affirmativam sequitur Henriquez l. 7. c. 11. n. 2. Sanctarellus de Jubilæo c. 7. D. 1. Sed R. negativam esse probabiliorem; Sic Castropalaus cit. §. 3. Bonacin. de Indulg. D. 6. q. 1. p. 5. n. 3. Layman cit. tr. 7. c. 8. dub. 4. Ratio est, quia Romanis (quorum forma etiam aliis extra Urbem est regula, ut colligitur ex ipsis Bullis ejusmodi jubilæorum) sufficit, si vel in eadem hebdomada, in qua visitant Ecclesias præscriptas, vel alterâ præstent reliqua opera. 2. Quia Communio (quæ est inter opera injuncta) vel in Dominicam sequentem, vel in alium diem ex duabus hebdomadis differri potest, ut constat ex n. 1510. denique ex eodem etiam constat, nihil aliud requiri, quàm, ut quis *in una, ex duabus hebdomadis*, opera præscripta peragat; hoc autem contingit, licet in qualibet ex duabus hebdomadis opera præscripta exequaris; sic Castropal. cit.

1516 Dices: verba Bullæ sunt hæc: *qui processioni interfuerint, vel Ecclesias designatas visitaverint, & feriâ quartâ, sextâ, & Sabbatho alterius ex duabus hebdomadis jejunaverint, pariterque sua peccata confessi, & Sanctissima Communione refecti fuerint, eleemosynam tribuerint*, &c. Sed ex his patet, omnia tria jejunia debere fieri in *alterutra* ex duabus hebdomadis; non autem unum in hac, alterum in alia; ergò cùm dicatur *pariter* etiam reliqua opera sic fieri debent. R. ex allatis Bullæ verbis clarè colligi, reliqua opera (ut est *interesse processioni, visitare Ecclesias designatas*) non necessariò debere fieri in eadem hebdomada, in qua fiunt jejunia; cùm expresè dicatur, *quòd, qui processioni interfuerit, vel Ecclesias visitaverit, peragere possit jejunia tribus nominatis diebus, alterius ex duabus hebdomadis*; & cùm ly *pariter* appellet supra *confessionem*, & *communionem*, eo ipso *de his* significatur, quod *de jejuniis*, nempe satisfieri, si ab eo, qui processioni interfuit, & Ecclesias visitavit, in una ex duabus hebdomadis ea peragat. Deinde aliud est, *quòd quis in una ex duabus hebdomadis obtinere debeat jubilæum, qui illud lucrari vult, aliud, quòd in una* (seu intra unam) *ex duabus hebdomadis omnia debeat peragere*. Primùm omnino rectè colligitur ex cit. textu, non autem secundum. Ex 1. autem solùm sequitur, quòd in una ex duabus hebdomadis verificari debeat, *omnia opera esse executioni mandata*, prius nimirum, quàm elabantur illæ duæ hebdomadæ: hoc autem verum est, licèt in una, Ecclesias visites, & jejunes; in altera, confitearis, & communices; ergo.

ARTICULUS VI.

De clausulis Jubilæorum.

QUoniàm non tantùm in concessionibus jubilæorum, sed etiam solarum indulgentiarum apponi communiter solent diversæ conditiones, & clausulæ, secundùm quas concessio tam quoad indulgentiarum concessionem, quàm usum facultatum concessarum, & operum præscriptorum executio fieri debet, & confessor jurisdictione uti, de illorum significatione, ac vi, ex probabiliori doctorum mente illas exponemus. 1517

§. 1.

Qualiter intelligatur clausula: de pœnitentiis injunctis?

HÆc apponi solet, quando conceditur indulgentia determinata, v. g. quadragena, vel septenna. Nam talis concessio non absoluta est, sed cum addito: de *pœnitentiis injunctis*, ut videri potest in c. *Cùm ex eo* 4. de pœnitent. & remission. c. *Romana* 1. eodem in 6. Clement. *unic.* de Reliq. & venerat. Sanctorum. Unde quæstio est, quis sit eorum verborum sensus? R. aliquos censere ex vi eorum verborum per indulgentias illas, sub dicta clausula concessas, remitti directè pœnitentias in foro Sacramenti pœnitentiæ injunctas à confessario; Citatur pro hac opi- 1518

nione

nione Henriquez l. 7. c. 6. n. 2. & alii. Nonnullorum mens est, directè remitti publicas, & judiciales pœnitentias in satisfactionem Ecclesiæ pro peccatis scandalosis impositas. Alii demum volunt per hæc verba *de pœnitentiis injunctis*, restringi concessionem ad remissionem reatus pœnæ illorum peccatorum, quibus pœnitentiæ injunctæ sunt. Verùm probabiliùs videtur eorum verborum sensum non esse illum, quem existimat prima opinio, quia concessio indulgentiæ non est directa præceptorum dispensatio, sed applicatio satisfactionum ex thesauro Ecclesiæ pro pœnis debitis; pœnitentia autem in foro Sacramentali injuncta est ex præcepto confessarii, tanquam Judicis in eo tribunali; ita Suarez cit. d. 50. s. 2. n. 4.

1519 Advertendum tamen per indulgentias indirectè posse tolli pœnitentias à Confessario impositas *in meram pœnam*, & *vindictam delicti* satisfactivam. Hæc enim supponit reatum pœnæ delicto debitæ; reatum autem directè tollit indulgentia; ergo indirectè, & consequenter id, quod supponit ejusmodi reatum; qualiter Theologi dicunt, indirectè & consequenter tolli Decretum prædefinitivum actûs liberi, etiam efficax & absolutum, si dependeat ab ea scientia futuri actûs liberè sub conditione de se indifferente ad futuritionem actus; de quo plura dedimus in tract. de DEO Uno & Trino.

1520 Dixi *pœnas impositas in meram pœnam delicti*; nam si tenderent in alium finem, v. g. in medelam vel præservationem, præsertim in his, quæ respiciunt finem eradicandi pravos habitûs, vel reparationem damni, & similia, tales inquam pœnitentiæ per indulgentiam, atque ad extinctionem reatûs pœnæ, nec indirectè tollerentur. Cùm necessitas ejus medelæ stare possit in homine, delctâ etiam omni culpâ & pœnâ prioribus peccatis debita.

1521 Sed nec pœnitentiæ judiciales, quibus satisfieri debet Ecclesiæ, propter scandala commissa debitæ, per indulgentias directè remittuntur; indulgentiæ enim ex fine suo non ordinantur ad satisfactionem præstandam Ecclesiæ, sed DEO. Hinc sæpe fit, quòd peccatores puniantur judicialiter ab Ecclesia per depositionem, vel similes pœnas Ecclesiasticas, esto quoad culpam, & pœnam ei debitam plenè DEO satisfactum sit.

Denique nec locus est opinioni ter- 1522
tiæ in n. 1518. dicenti, concessionem indulgentiæ restringi ad remissionem pœnæ eorum duntaxat peccatorum, pro quibus pœnitentiæ injunctæ sunt; licet ex prioribus peccatis, pro quibus istæ pœnitentiæ impositæ non sunt, reatus pœnarum adhuc restaret; primò, quia sic Pontifex negligenti eas pœnitentias prius injunctas intenderet potius favere, quàm si exequatur. Nam exequens eas pœnitentias tolleret reatum pœnæ, consequenter indulgentiæ locus non foret. 2. Quia magis præsumi potest, indulgentias concedi in extinctionem debiti pœnarum, si quando in exequente opera præscripta, ex priori vita restet, undecunque natum sit, quàm adeo restrictè ad eorum tantùm, pro quibus illæ pœnitentiæ impositæ sunt.

Dices: quando Pontifex concedit 1523
indulgentias sub ea clausula: de *pœnitentiis injunctis*, verba ista debent aliquem effectum operari, cum nullus apex debeat esse superfluus, & carens effectu suo, ut diximus lib. 1. tit. 2. sed hoc non fieret, nisi intelligantur appositа ad denotandum remitti reatum pœnæ temporalis, pro quo solvendo pœnitentiæ injunctæ sunt; ergo &c. data. Ma. dist. minorem, sed hoc non fieret, nisi intelligantur ea verba apposita ad denotandum, *remitti tantum illum reatum pœnæ temporalis, pro quo solvendo pœnitentiæ injunctæ sunt.* N. reatum pœnæ temporalis etiam pro aliis peccatis debitæ C. min. N. consq. Hinc not. duplicem sensum esse posse illorum verborum, ut in quolibet salvetur, quòd operentur effectum respondentem ipsorum significationi.

Primus est, ut ea remissio concedatur, 1524
quæ per pœnitentias injunctas executioni mandatas obtineretur, sic, ut directè tollat reatum pœnæ temporalis debitæ pro peccatis, pro quibus illæ pœnitentiæ impositæ sunt; indirectè autem etiam debitæ pro aliis, esto pro illis istæ pœnitentiæ injunctæ non sint. Secundus est, indulgentiam concedi etiam de pœnitentiis injunctis; quâ non tantùm tolleretur reatus pœnæ debitæ pro peccatis, pro quibus ea judicialis pœna imposita non est; sed ejus etiam, qui per ipsam judicialem pœnitentiam executioni datam deleretur. Utrumque sensum ponit Castropal. cit. tr. 24. D. unic. p. 3. n. 8. & Suarez. cit. d. 50. s. 3. n. 15.

uter-

uterque igitur sensus concedit eo casu directè remitti reatum pœnæ temporalis debitæ pro peccatis, pro quibus illæ pœnitentiæ injunctæ sunt, sed non *tantùm*.

1525 Rationem dant, quia remittere debitum pœnæ judicialis plus est, nec adeo facilè, quàm remittere debitum pœnæ non judicialis; illud enim quandoque posset enervare disciplinam Ecclesiasticam, facilitate veniæ; ergo cùm Pontifex concedens indulgentias *de pœnitentiis injunctis*, rectè intelligatur de reatu difficiliori, censendus est facere remissionem non restrictè tantùm ad reatum difficiliorem, sed etiam faciliorem. Hæc consequentia ex eo deducitur; quia, ubi majus conceditur, & minùs concessum videtur, ut dicitur in c. *Ex parte* 17. de Decimis, saltem quando minus sub majori continetur, nec diversæ rationis est. Et ideo Suarez cit. n. 15. concedit, facultatem concessam absolvendi à reservatis, extendi etiam ad facultatem absolvendi à non reservatis, quæ illâ facilior est; quod rectè fit, quando verba privilegii absque ulla violentia utrumque comprehendere possunt, cùm admittant totam interpretationem per c. *olim* 16. d. V. S. ibi: *cùm beneficia Principum sint interpretanda largissimè.* & c. *quia circa.* 22. de privileg. ubi Pontifex Archi-Episcopo Londonensi quærenti, an privilegium à suo Prædecessore concessum, super Episcopalibus decimis retinendis, extendi valeat, ad possessiones acquisitas, & postmodum acquirendas? sic rescripsit: quòd, si decimarum illarum remissio facta extitit secundùm canonicas sanctiones, Prædecessor tuus indefinitè decimas Episcopales Monasterio remittendo (*cùm nihil exceperit, & potuerit excepisse, ac in beneficiis plenissima sit interpretatio adhibenda*, nec debeat una, eademque substantia diverso jure censeri) intellexisse videtur, non solùm de decimis possessionum illius temporis, sed futuri. Et ex hoc patet ad quæstionem initio §. propositam.

§. 2.

Qualiter intelligatur clausula: de peccatis, de quibus contritus, & confessus est?

1526 QUæstio est, an indulgentia cum tali clausula concessa, censeatur restricta ad solum reatum pœnæ debitæ pro peccatis, *quæ quis contritus confessus est in re?* vel etiam extendatur ad reatum pœnæ debitæ pro illis, quæ citra culpam omissa, indirectè tamen remissa sunt? prout contingere interdum potest, quod confitenti, etiam post diligens examen, non occurrat peccatum aliquod grave; vel si occurrat, licitè pro tali casu, taceat, factâ confessione formaliter integrâ. Castropal. p. 4. tr. 24. d. unic. p. 3. n. 10. probabile censet, extendi ad reatum pœnæ *omnium peccatorum, de quibus quis contritus confessus est, prout requiritur ad eorum remissionem*; in quorum numero utique veniunt etiam inculpabiliter oblita, vel prius legitimè confessa, vel alio modo licitè omissa; quia tunc in voto censentur in his, quæ expressa sunt, inclusa, & absolutioni saltem indirectè subjecta. Nam in tali casu, si ea, quæ physicè confessioni subjecta non sunt, mortalia sint, virtute Sacramenti (cùm vi doloris universalis sufficienter retractata sint) indirectè tolluntur per directam absolutionem, quæ directè cadit in physicè subjecta clavibus; si autem tantum venialia, delentur virtute dicti doloris.

Hæc opinio probabilior est, & proba- 1527
tur; quia, nisi hoc dicatur, dicendum foret, quòd, quando Innocentius III. subsidium ferentibus, pro expeditione terræ sanctæ *plenam suorum peccatorum veniam concessit*, abundantiorem gratiam illis indulserit, quàm his, qui non solâ pecuniâ, sed propriis viribus, cum periculo vitæ, vel captivitatis, & gravium belli ærumnarum inserviverunt pugnando, dum eis concessit solùm *indulgentiam suorum peccatorum, de quibus liberaliter fuerint corde contriti, & confessi*, quod in tali materia de mente Pontificis, nullatenus cogitari debet. Accedit, quòd dicta clausula verificetur non tantùm de peccatis tunc confessis; hæc enim non exprimit ita restrictè, sed etiam de peccatis, de quibus pœnitens aut lucraturus indulgentias, contritus & confessus est; hoc autem cadere potest etiam super illa, quæ quis ante confessus est; imò & illa, quæ inculpabiliter omisit, ut dictum est, ergo.

§. 3.

Qualiter verba dubia, in concessione indulgentiarum interpretanda?

CUm *indulgentiarum consecutio*, præter 1528
conditionum observantiam, quas concedentes præscribunt, potissimùm pendeat à voluntate concedentis, quidquid super hoc probabiliter scribant Authores, nullum eorum probabilitas fructum datura

videtur in hoc puncto circa extensionem, conditionum implendarum sufficientiam, & similia; nisi, quod docent de concedentis voluntate, sic se habeat in rei veritate. Nam ubi deficit voluntas concedentis, deficit concessum, unicè pendens ab illa. Quia tamen etiam in indulgentiarum concessione, Summi Pontifices voluntatem suam studiosè declarare solent (nisi contrarium exprimant, aut jus novum statuant) conformiter juri à se, vel Prædecessoribus condito; loqui censendi sunt. Ideo, si Doctorum interpretatio secundùm illud ritè fiat, doctrinalis eorum interpretatio in multis prodesse potest, præsertim circa plurium obligationem, abrogationem vel potestatem absolvendi, dispensandi & similia; ut alibi dicitur, ubi agitur de materia jurisdictionis. Paucis igitur duntaxat aliorum placita insinuabimus in præsenti materia, quoad dubia quædam verborum in Bullis indulgentiarum & jubilæi.

1529 Quæres 1. qualiter interpretandæ sint Bullæ concernentes jubilæum? R. cum Suarez tom. 4. in 3. p. D. 56. s. 2. & l. 6. de Voto, c. 16. n. 3. & aliis, verba dictarum Bullarum, quâ parte continent *favorem*, esse interpretanda *latè*; quâ parte *odium*, seu *gravamen*, strictè, juxta principia tradita l. 1. tit. 2. de constit. & interpretatione legis; quod tamen intellige, ut ibidem monuimus, nisi justa causa in particulari casu cogat, favorem expressum, *restringere*; aut gravamen, *extendere*. Ratio hujus est 1. quia ipsimet legum, & sacrorum canonum conditores declarârunt, esse intentionis suæ, *quòd liceat, odia restringere, favores ampliare*, per reg. *odia*, de reg. juris in 6. *Et beneficium Principis* (quod nimirum ex ejus divina indulgentia proficiscitur) *amplè interpretari*, servatâ tamen verborum significatione, non tantùm usuali, sed etiam juridica per L. *Beneficium*. ff. de constit. Princip. Certum autem est, quòd summi Pontifices (præter divinum cultum, & Religionem) in concessionibus jubilæorum specialiter intendant, fideles omni favore prosequi per ordinem ad animarum fructum, qui maximè spectatur in remissionibus culpæ, ac pœnæ, & necessariis ad id facultatibus; igitur certum quoque esse debet, indulgentiarum concessiones in jubilæis maxime, cum primis favorabiles esse.

1530 Accedit, quòd hujusmodi concessiones singulariter à concedentibus ordinentur *in utilitatem Religionis, Ecclesiæ Catholicæ conservationem, & augmentum* per fidelium in conscientiis puritatem, & justam animarum in Domino consolationem procurandum: certum autem est, quòd hic finis, & consequenter dispositio de illo recipiat benignam interpretationem per c. *In his*, 30. de privil. leg. ibi: *in his quæ ad cultum divinum facere dignoscuntur, non maligna, sed benigna est potius interpretatio facienda*, (nam *summa ratio est, quæ pro Religione facit* per L. *sunt personæ* ff. de Relig. & sumptibus funeralibus) ergo idem dicendum venit de mediis; hæc enim maximè faciunt ad divinum cultum, & lætificandas animas in gaudio, & jucunditate spirituali, ex animi tranquillitate.

1531 Aliqui censent, licet verum sit, quòd *potestas* concedendi indulgentias, omnino sit favorabilis, & recipiat latam, atque benignam interpretationem (qualiter eam recipit concessa potestas dispensandi, ut docet Pyrrhus, Corradus in praxi dispensationum Apostolic. l. 1. c. 6. n. 27.) ipsam tamen *concessionem* indulgentiarum, esse odiosam, & consequenter interpretationis strictæ; Sic Hostiensis in c. *Licet*, de translat. Episcop. Navarr. de Indulg. *Not.* 9. à n. 8. Sed probabilius est contrarium; nempe *ipsam quoque concessionem jubilæi*, qua parte favorem explicat, esse *interpretationis benignæ*, ut diximus suprà. Nam ipsa concessio jubilæi, non minus, quam potestas concedendi jubilæa, est *principis beneficium, opus meræ gratiæ, ac misericordiæ* (*cujus usus est populo Christiano maximè salutaris*, ut dicit Trident. Sess. 25. c. 21. indirecto de Indulgent.) ergo & ipsa ex mente Summorum Pontificum est favorabilis, & meritò recipit interpretationem benignam; cùm nullum contineat tertii præjudicium, ut constabit ex sequentibus. Nec obstat, quòd Navarrus affert ex diversis regulis Cancellariæ. Nam limitationes inibi factæ (ut indulgentia concessa alicui Ecclesiæ pro aliquo festo, *licet concedatur in singulos annos*, restringatur ad 20. annos, vel ut indulgentia concessa alicui loco, habenti *similem aliam*, nulla sit, nisi in concessione posterioris, fiat *mentio prioris*, &c.) limitationes inquam inibi factæ, non obstant, cùm eo solùm fine appositæ sint, ne indulgentiæ simpliciter concessæ, hoc ipso *perpetuæ* censerentur, ut notat Castropalaus p. 4. tr. 24. d. *Unicâ*, p. 4. n. 4.

Quan-

1532 Quando autem apponitur ea clausula (*dummodo alia similis indulgentia concessa non fuerit*) *vel ab eodem Pontifice*, qui has concedit; *vel ab ejus Prædecessore*, dubitari potest, an talis conditio intelligenda sit, vel de eodem Pontifice, vel de Prædecessore, vel de quolibet eorum? sed R. si conditio sic apponatur: *dummodo aliam similem non concesserimus*, intelligi de concessione alia, facta per eundem, qui posteriores cum hac clausula concedit. Nam verba conditionis non exprimunt nomen dignitatis, qua significatur concedens (qualiter fit si dicatur: dummodo alia similis concessa non sit *ab hac Sede*) sed solùm *nomen personæ* concedentis; igitur idem est ac si diceret: dummodo aliam similem *nos* non concesserimus. Secùs autem est, ubi sub conditione ponit concessionem similis indulgentiæ factam *ab hac Sede*, vel à *Sede Apostolica*, exprimendo nomen dignitatis Pontificiæ; quo casu sensus est, dummodo alia similis concessa non sit à Prædecessore; quod tamen intellige de facta concessione perseverante, seu adhuc durante; non autem, si prior concessio jam exspirâsset.

1533 Quia tamen quandoque simpliciter dicitur: *dummodo alia similis concessa non sit*, ubi nec nomen personæ, nec dignitatis exprimitur, probabile existimat Castropal. cit. p. 4. n. 13. in fin. de solo ipso Pontifice, intelligi posse; cùm ea verba sint restrictiva materiæ de se favorabilis, imò etiam ex intentione concedentis, consequenter odiosa, & strictè sumenda V. Bonacin. d. 6. de Indulgent. q. 1. p. 7. Cœterùm ut verificetur, aliam *similem indulgentiam* concessam esse requiritur 1. quòd prior adhuc duret; quia, quod non est, sed fuit, ad præsens se habet, tanquam non fuisset. 2. Quòd concessa sit ad finem priori similem; nam diversitas finis directè intenti per concessionem unam, & alteram, facit concessiones esse diversas; adeoque non esse similes. 3. Quòd concessa sit sub iisdem mediis & oneribus. Nam, licet sit utriusque indulgentiæ idem finis; si tamen quærendus est diversis mediis, indulgentiæ diversæ sunt. Sic ars, quæ cudit, & ars quæ fundit statuas: v. g. diversæ sunt; licet enim utriusque finis idem sit; quia tamen diversus est modus procurandi eum finem, etiam ipsæ diversæ sunt.

1534 Deinde, licet verum sit, dispensationem absolutam in jure divino, vi cujus peccator, vel integrè satisfacere, vel satis pati tenetur, strictè interpretandam esse, id tamen non procedit, quando actus non tam est dispensatio, quàm solutio debiti, exhibito condigno pretio, etiam ex bonis ipsius creditoris, quando is in ejusmodi solutionem, & pretii sibi aliàs debiti applicationem in eum finem consentit, concessâ id ipsum faciendi potestate, prout re ipsa contingit in largitione indulgentiarum, quam facit Ecclesia.

Quando autem in c. *Cùm ex eo.* h. t. & 1535
in Tridentino Decreto de indulg. dicitur, indulgentiis concedendis moderationem juxta veterem probatam Ecclesiæ consuetudinem adhiberi, *ne nimiâ facilitate Ecclesiastica disciplina enervetur*, ex ipsis verbis patet solum prohiberi *excessum* in concedendis indulgentiis, & immoderationem; non autem moderatum usum, cùm is, ut constat ex supra dictis, teste Tridentino, *populo Christiano maximè salutaris sit.*

Quando autem dicitur, favores jubi- 1536
læi adferre præjudicium Episcopis, & aliis Superioribus, in quantum favores illi concedunt facultatem eligendi Confessarium, qui ipsorum subditos à casibus, quos sibi Superiores illi reservârunt, absolvat. R. non posse illos esse rationabiliter invitos, quando modicum illud bonum, quod fortè ipsis per hoc tollitur, longè nobiliori bono compensatur, præsertim, cùm ea jurisdictio ipsis concessa sit non in bonum ipsorum proprium, sed subditorum; favores porrò jubilæorum cedere in maximum subditorum bonum per conscientiæ levamen à gravibus peccatis, liberationem à reatu pœnarum, animæque tranquillitatem extra dubium est.

Nec apparet, quale hoc præjudicium 1537
afferat Episcopis, aut aliis Prælatis, si favores jubilæorum, quæ valde rara sunt, concedant conscientiæ eorum subditis pro tali tempore, ut liberius cuicunque ab Ordinariis approbato Sacerdoti vulnera suæ conscientiæ pandant, liberi pro ea vice à tam difficili alligatione ad hunc vel illum confessorem, tum quia ipse Pontifex tunc juri suo cedit in casibus sibi reservatis; tum quia ejusmodi Superiores etiam per jurisdictionem suam ordinariam, non habent jus adversus raras omninò, & misericordes favorum concessiones, quæ fiunt à summis Ecclesiæ Pastoribus à quibus habent suam potestatem.

§. 4.

Qualiter intelligenda sit clausula hâc vice tantùm?

1538 HÆc clausula in jubilæis extraordinariis communiter apponi solet; qualiter etiam expressa reperitur in bulla Innocentii X. incip. *Inter plurimas*, data 11. Martii, 1648. quo concessit jubilæum extraordinarium ad divinam opem implorandam; ubi in §. *Cupientes*, sic loquitur: Cupientes enim omnes Christi fideles participes fieri hujus pretiosissimi thesauri, universis, & singulis utriusque sexûs, tam Laicis, quàm Ecclesiasticis, sæcularibus, & regularibus, & cujusvis ordinis, Congregationis, & instituti, licentiam concedimus, & facultatem damus, ut sibi ad hunc effectum eligere possint, quemcunque presbyterum Confessarium, tam sæcularem, quàm cujusvis ordinis regularem ex approbatis à locorum ordinariis, qui eos ab omnibus Excommunicationis, suspensionis, & aliis Ecclesiasticis sententiis, & censuris, à jure, vel ab homine quâvis causâ latis, seu inflictis, nec non ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, & delictis, quantumvis gravibus & enormibus, etiam locorum Ordinariis, sive Nobis, & Sedi Apostolicæ, etiam in literis die Cœnæ Domini lege solitis contentis, & alias per quascunque nostras, aut Romanorum Pontificum Prædecessorum constitutiones, quarum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis, quomodocunque reservatis, in foro conscientiæ, & *hac vice tantùm*, non tamen à crimine hæresis, absolvere, & liberare valeant, & insuper vota quæcunque (Religionis, & Castitatis) in alia pia, & salutaria opera commutare, injunctâ tamen eis, & eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus, pœnitentiâ salutari, aliisque ejusdem confessarii arbitrio.

1539 Ex eo enim, quòd in cit. §. *Cupientes*, dicatur concedi facultatem eligendi Confessarium qui ab omnibus Excommunicationis, & suspensionis, aliisque censuris & pœnis Ecclesiasticis, nec non ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, & delictis, quantumvis enormibus, & quomodocunque reservatis *in foro conscientiæ, & hâc vice tantùm absolvere* valeat, censent aliqui, non posse quem *jubilæum sæpius lucrari*, licet sæpius peragat opera præscripta. Et ita tenet Castropalaus cit. §. 3. n. 4. cum pluribus aliis, ibidem relatis, inter quos etiam refertur Cardinalis de Lugo, apud Gobat de Jubilæo c. 14. q. 40. n. 92. idque propter quandam declarationem Cardinalium concilii, volentium tantùm semel indulgentiam acquiri per jubilæum; & tantùm semel à casibus absolvi posse. Quia verò ex occasione hujus quæstionis incidenter fieri possunt complures aliæ; ideo de singulis prius breviter dicendum erit. Hinc

Quæres 1. an eodem opere plures in- 1539
dulgentias lucrari quis possit, diversis viis concessas? Casus esse potest, quando quis habet plura metalla, rosaria, cruces, vel imagines, per quas habenti eas, ob honorem hujus, vel alterius Sancti, concessa est, v. g. quadragena sub conditione v. g. si eleemosynam dederit, aut aliud opus bonum fecerit? ante resolutionem not. ut indulgentiæ non solùm *licite*, sed etiam *validè* concedantur, requiri aliquam causam honestam, & piam, ut cum communi tenet D. Thom. in supplem. q. 25. à 2. Nam *indulgentiæ indiscretæ* (quales utique sunt sine causa honesta, & pia) reprobantur c. *cùm ex eo* h. t. & ideo in Extravagant. *Unigenitus* eodem. Clemens VI. ait: *thesaurum Ecclesiæ dispensandum esse, prudenter, & rationabilibus de causis.* Nam dispensator, qui contra sui Domini voluntatem dispensat ejus bona, non solùm illicitè, sed etiam invalidè agit; ergo etiam Pontifex (qui non est dominus, sed dispensator satisfactionum Christi, & Sanctorum, 1. Cor. 4.) non solum illicitè, sed etiam invalidè agit dispensans eas sine causa honesta, & pia; sic agit contra voluntatem Christi, cujus sunt ea bona, qui non vult ea dispensari ex libitu, sed ut satisfiat justitiæ legali, quâ peccatores condemnantur ad pœnam.

Supponendum 2. sufficientiam cau- 1540
sæ considerandam ex fine per concessionem jubilæi intento, qui est exaltatio fidei, destructio, vel conversio inimicorum Ecclesiæ, DEI cultus, vel promotio Sanctorum; aut quandoque etiam speciale solatium animæ, cum privatis indulgentiæ conceduntur, & ideo, ut ea causa in ratione sufficientiæ compleatur, communiter injunguntur quædam opera pia tali fini proportionata. Supponendum 3. si simul cum indulgentiæ concessione indulgeantur etiam

etiam alii favores (puta, facultas absolvendi à reservatis, commutandi vota &c.) favores istos non deficere, licet indulgentiæ deficiant ob insufficientiam causæ. Nam eorum concessio pendet ex libera voluntate Pontificis, qui eam, cui voluerit, communicare potest, ut docet Suarez d. 54. S. 2. n. 171. quibus præmissis:

1542 Ad quæstionem in n. 1540. propositam p. affirmativam sustineri à P. Emman. Sà V. *Indulgentia*, n. 18. Graffis de Indulg. c. 5. n. 15. & aliis. Quia uno opere poni potest, quòd tanquam conditio exigitur, ut quis lucretur singulas; sic etiam unico actu satisfieri potest diversis præceptis. Hanc opinionem etiam sequitur Layman l. 5. tr. 7. c. 6. Sed cum hac distinctione, ut procedat, si opus injunctum non sit iterabile v. g. communis illo die; secùs, si possit iterari. Contrarium, ut diximus n. 1539. docet Castropalaus p. 4. tr. 24. d. unic. p. 9. n. 12. rationem reddens, quia plerumque opus tale injungitur ad complendam causam pro indulgentiæ concessione necessariam, quod non fieret, si opus pluribus causis applicatum esset; sic enim in plura divisum, minorem singulis virtutem conciederet. Quia tamen opus injunctum non requiritur, ut aliquam virtutem satisfactivam conferat (hanc enim totam præstant satisfactiones Christi ex communi thesauro Ecclesiæ) nec etiam, ut causa meritoria, remissionis pœnæ; sed potius, ut medium aliquod, quo melius disponatur anima lucrantis indulgentias; & hoc deservire possit ad plures fines, quos per eam concessionem intendit Pontifex, non opus est aliquâ divisione, quæ causet insufficientiam causæ concedendi indulgentias.

1543 Queres 2. an quis eodem tempore diversis actibus (v. g. recitatione horarum, & auditione missæ) quorum singulis concessæ sunt indulgentiæ, possit lucrari dictas indulgentias? p. affirmativè. Nam si diversis temporibus ponerentur ea opera, lucraretur peragens dictas indulgentias; ergo etiam, si illa ponat eodem tempore, quia sic pro qualibet eodem tempore, æquè ac si diversis temporibus poneretur, ponitur conditio injuncti operis requisita.

1544 Quæres 3. An quis indulgentiam absolutè concessam, sub conditione certi operis injuncti, sæpius lucrari possit repetito opere? notandum autem, per indulgentiam *absolutè* concessam hìc intelligi eam, quæ conceditur *sine temporis limitatione*, consequenter in perpetuum, ut, si dicatur: *qui visitaverit hanc Ecclesiam, & in ea dixerit Psalmum miserere, obtineat indulgentias plenarias*: per concessam autem *non absolutè*, quæ conceditur cum determinatione temporis v. g. visitanti Ecclesiam *in tali Festo*, vel *infra Octavam ejus*, aut intra triduum durantium v. g. precum publicarum, quo posito:

Communis opinio tenet, indulgen- 1545
tiam absolutè concessam, sæpius obtineri posse opere repetito; non autem concessam pro tempore determinato; Sic Navarr. de Indulg. not 15. n. 19. Suarez D. 57. s. 1. n. 4. Corduba, Henriquez, Sà, & alii, quos citat, & sequitur Castropalaus cit. n. 16. rationem reddunt, quia cùm talis indulgentia sit perpetua, consuetudine mentem Pontificis interpretante, ubi tempus non præfigitur, meritò censeri, concessam juxta reiterationem operis, econtra verò temporis determinationem indicare, semel tantùm obtineri. Ex quo communiter inferunt illi Authores, indulgentiam absolutè concessam, v. g. visitantibus talem Ecclesiam, non solùm pluries in vita, sed etiam intra eundem annum, mensem, hebdomadem, imò, & diem, obtineri posse, si pluries opus injunctum repetatur; ita Navarrus cit. not. 31. n. 37. & Sà, V. *Indulgentia*, n. 7.

Quando autem dicitur, quod sermo 1546
absolutè prolatus *de prima vice* sit intelligendus, argumento L. *Boves. §. hoc sermone*, de verborum significatione, & L. *Cùm Pater. §. Pater certam.* ff. de Legatis 1. multis modis limitant textum, ut dictis non modò non obsit, sed prosit. Volunt enim eos textus non procedere 1. si concessio absolutè sit pro aliqua causa certa & determinata, quæ etiam post concessionem perseveret, 2. ut non procedat in materia favorabili, vel lucrativa, seu gratuita, de qua Tiraquel. in cit. L. *Boves. §. hoc sermon.*

Quoad primam partem datæ resolutio- 1547
nis, nimirum indulgentias absolutè concessas, posse obtineri sæpius, ac pluries etiam intra unam hebdomadam, vel etiam diem, si pro conditione requirant opus aliquod intra illud tempus iterabile, ac re ipsâ repetatur, communem opinionem, propter allatam rationem judico valdè pro-

babilem. Altera pars de indulgentiis non absolutè concessis non habet communem assensum, quibusdam affirmantibus, aliis negantibus, posse sæpius obtineri, etsi repetantur opera præscripta intra spatium temporis, quo illæ durant, ut diximus supr. Et quoad hanc quæstionem mihi videtur probabilior sententia affirmans, de casu, quo jubilæum celebratur *in diversis locis*, sic, ut, si in tua patria, vel urbe, aut oppido illud lucratus es, idem secundò possis obtinere etiam in alio loco repetitis ibidem operibus præscriptis; id, quod expressè tenet Gobat loc. cit. n. 94. in fine. Nam quod in contrarium adducit Castropalaus cit. n. 4. non militat contra istum casum. Quia licet verum sit, quòd Pontifex non dicat, obtineat indulgentiam, qui in una, vel altera hebdomada, injuncta opera præstiterit; nec etiam absolutè, ac indefinitè: *Obtineat indulgentiam in illis duabus hebdomadis*; sed expressè, *obtineat indulgentiam, qui primâ hebdomadâ post publicationem, vel insequenti post illam*: hæc tamen disjunctiva non indicat manifestè, *in una tantùm* hebdomada obtineri posse: sensus enim est, *se illis concedere indulgentiam, qui opera præscripta peregerint, vel primâ hebdomadâ, vel sequenti*, quod verum est, licet quavis hebdomada præscripta peragant, & indulgentiam consequantur. Nec obstat, quæ moventur ex dicta clausula, *hac vice tantùm*, primò enim, illa non afficit singula quæ præcesserunt, sed solùm contenta in §. *Cupientes*, qui solùm loquitur, non de indulgentiis sed facultate eligendi Confessarium, cui concessa sit potestas tunc remittendi pœnas Ecclesiasticas, & absolvendi à peccatis quomodocunque reservatis, ut constat ex textu in n. 1538. Deinde hæc clausula: *qui in foro conscientiæ, & hac vice tantùm absolvere valeat*, ex mente utentis cà potest diversos sensus recipere.

1548 Nam 1. potest significare, ut ly *hac vice*, appellet supra tempus quo durat jubilæum, & sensus sit, qui *tantùm durante hoc jubilæo* valeat absolvere; non autem, post elapsum durationis tempus, seu etiam extra illud. 2. ut ly *hâc vice tantùm*, appellet supra usum dictæ facultatis, & sensus sit, ut ea facultate *tantùm semel uti liceat, quoad eandem personam*, licet sæpius repetat opera præscripta: & in hoc secundo sensu exponunt dictam clausulam, qui negant, indulgentias concessas non in perpetuum, sed solùm ad tempus certum (v. g. intra dies 14.) obtineri posse à peragentibus opera præscripta, licet ea intra latitudinem illius temporis sæpius peragant.

Verùm mihi probabilius videtur, dictam clausulam rectius intelligi in primo sensu; primò, quia contraria ratio, de qua n. 1547. non evincit, clausulam illam debere intelligi in secundo sensu, id enim non exigit distinctio indulgentiæ in concessam *sine*, & concessam *cum determinatione* certi temporis, hoc enim stare potest, licet utraque sit iterato consequibilis, quoties iterantur opera præscripta; cùm adhuc maneat reale discrimen inter utramque, quòd illa, *semper*; ista verò, *non semper*, sed tantùm intra latitudinem expressi temporis, iteratis operibus, iteratò possit obtineri. 1549

Deinde, quando concedens in dispositione directè favente divino cultui, & animarum saluti, in ipsa dispositione exprimat verbis valdè significantibus, se velle favere omni modo, quo potest; & dubitatur de sensu clausulæ appositæ, quæ vel in hoc, aut illo sensu verificari potest, pro eo sensu standum est, qui non restringit, sed ampliat dispositionem; sed in præsenti casu dispositio, de qua loquimur, directè tendit in divinum cultum, & favorem animarum, ipseque disponens in eà dispositione manifestat verbis valdè significantibus, se intendere omni modo, quo potest, favere; ergo ubi dubitatur de sensu clausulæ appositæ, hujus nimirum, *hâc vice tantùm*; ex duobus, in quorum quolibet verificari potest, accipienda est in sensu, non restringente, sed lato, & ampliante, nimirum primo; non secundo; de quo n. 1548. ergo dicendùm, jubilæum durans tantùm certo tempore, & non in perpetuum, intra tempus illud sæpius repetitis operibus præscriptis, non obstante clausula: *hâc vice tantùm*, posse sæpius obtineri. 1550

Accedit, quòd ea clausula possit rectè intelligi, ut sensus sit, hâc vice *absolvere valeat* intra illud tempus, à peccatis ante, & intra illud tempus commissis; & *hac vice tantum*, nimirum non etiam deinde ab illis, quæ in futurum, & post elapsum tempus jubilæi committentur, ut quidam volebant, ad quorum nimiam extensionem reprimendam illud *hac vice tantùm*, in jam dato sensu, est appositum. Dixi, ut *quidam volebant*. Nam cùm in 1551

ejusmo-

ejusmodi jubilæorum indultis Pontifices sæpius utantur his verbis: *plenissimam* peccatorum indulgentiam, deducebant plus debere intelligi, quàm cùm solùm dicitur: *plenariam*, ne superlativus ille, in quantum excedit positivum, sit inutilis, & nihil operetur; adeoque potestatem Confessori electo concessam extendi, ut etiam à committendis deinceps absolvere valeat, quod utique alienum est, à mente concedentis, ut notavimus supra; & enervaret omnem prope vim reservationis quæ contra dicta in n. 1547. opponuntur, Vide à n. 2484. §. 5. de Confessione requisita.

1552 Quæstio est, an indulgentia concessa his, qui *contriti & confessi* aliquam Ecclesiam visitaverint, tanquam conditionem necessariam exigat confessionem *actualem*? vel sufficiat solum *in voto*? Non est dubium consultius, & securius esse; facere confessionem actualem in ordine ad lucrandas indulgentias propter dicta n. 1528. aliud enim est de favoribus aliis, qui tempore jubilæi annecti solent. Cœterùm, probabile omnino est, non requiri confessionem actualem in lucraturo eas indulgentias, si nullius peccati gravis post ultimam confessionem sibi conscius sit, quia *confessio* absolutè prolata supponit pro confessione necessaria, seu materiæ necessariæ, præsertim quando exigitur ad indulgentias, ut removeatur obex; quo titulo non exigitur communio, cùm hæc expetatur ratione sui; Ecclesia enim nisi clarè exprimat, confessionem venialium non exigit; ita Suarez cit. d. 52. s. 3. n. 5. Bonacin. d. 6. de Indulg. q. 1. p. 5. n. 7. Layman l. 5. tr. 7. c. 6. q. 5.

1553 Dixi, *si nullius peccati gravis post ultimam confessionem sibi conscius sit*; quæstio autem est, an si foret oppositum, necessaria esset confessio actualis? omnino consulendum esse, non est dubium, quando ejus commoditas est; probabilissimum tamen censet Castropal. cit. n. 20. cum Suarez d. 50. s. 5. n. 10. & d. 52. s. 3. n. 13. & Filliucio tr. 8. c. 6. n. 148. sufficere confessionem *in voto*; rationem dant, quòd hæc verba, *qui contriti, & confessi*, ex intentione Pontificis non aliud significent in hoc casu, quàm eum actum, quo, sublato peccati gravis obice, lucraturo, ritè applicari possint indulgentiæ, id quod fieri potest sine contritione perfecta, per imperfectam cum Sacramento; vel sine Sacramento per contritionem perfectam. Anteced. probant ex verbis in Extravag. *Unigenitus* h. t. ubi Pontifex sic loquitur, Thesaurum suæ Ecclesiæ comisit Christus Dominus per B. Petrum, ejusque successores Fidelibus dispensandum, & *verè pœnitentibus, & confessis misericorditer applicandum*; at contritus perfectè etiam sine sacramento in actu etiam, est verè pœnitens, & confessus, in voto, nimirum proposito, quod includitur in contritione perfecta; similiter confessus actu, etiam sine contritione perfecta: ergo postulatur ea solùm contritio & confessio, quæ necessaria fuerit, ut thesaurus Ecclesiæ applicari possit, obice nimirum remoto.

Hinc not. in dicta clausula: *contriti, & confessi*, non exigi contritionem, & confessionem, ut securius, & certius indulgentia obtineatur (aliàs non sufficeret Sacramentum cum attritione) *sed quatenus necessaria* sunt, ut thesaurus Ecclesiæ fidelibus applicari possit, quod fit, obice peccati mortalis remoto, etiam solâ contritione perfectâ, quæ simul est confessio in voto. 1554

Not. 2. sententiam negantem, in præmissis casibus requiri confessionem actualem, & affirmantem sufficere confessionem in voto, seu contritionem, censeri à Gobat cit. c. 23. q. 42. n. 154. probabilissimam, quando dicitur: *omnibus contritis, & confessis*, imò ita tutam, ut qui sibi est conscius peccati mortalis, & tunc vel non potest confiteri, prudenter agat, si pro consequenda indulgentia eliciat actum contritionis. 1555

Quæstio ulterius est, an sufficiat confessio *facta pridie*, vel uno, alterove die *ante primam dominicam* jubilæi, licet reliqua opera non nisi post illam fieri debeant? R. cùm actualis confessio probabiliter non exigatur determinatè, (ut dictum est n. 1552.) sufficere ad effectum, licet prius fiat, quod etiam valdè probabiliter dicitur cum Layman cit. c. 8. n. 6. licet requireretur; & hoc ex praxi Ecclesiarum, propter multitudinem pœnitentium intra spatium durantis jubilæi concurrentium; quia tamen, usque dum finiantur reliqua opera præscripta, non obtinetur indulgentia reatûs pœnæ, & interim facilè labamur, consulendum est, ut ante opus finale fiat contritio, vel confessio retractativa omnium lapsuum; nam aliàs peccato non retractato 1556

non

non tolleretur reatus pœnæ pro illis debitæ.

1557 Quæstio est 2. an sufficiat facere confessionem, si necessaria sit, in Dominica, quæ spatium 14. dierum claudit, & tertiam hebdomadam inchoat? Permitti eâ Dominicâ communionem, constat ex n. 1510. de confessione tamen negant Filliucius & Portel apud Gobat cit. c. 24. q. 63. n. 162. propter verba Bullæ relata supra n. 1510. quæ videntur id concedere soli communioni: sed probabilius est valere, 1. quia illa verba plus non petunt, quàm ut opera præscripta fiant intra spatium durantis jubilæi, quibus non est designata certa dies; sicut jejuniis, ut constat ex n. 1515. Sed pro confessione non præscribitur determinata dies, & Dominica tertia est intra spatium durantis jubilæi ex n. 1514. Deinde formula jubilæi concessi ab Urbano VIII. Anno 1636. & Innocentio X. Anno 1648. apud Gobat cit. n. 161. de largitione eleemosynæ eodem modo loquitur, ac de communione; si ergo sufficit utrumque fieri Dominicâ tertiâ jubilæi, non est, unde ab hoc excludatur confessio; cùm multò securius sit, à peccatorum confessione factâ, complere jubilæum, tanquam omnium operum complemento, sacrâ communione.

§. 6.

De facultate eligendi Confessarium tempore Jubilæi.

1558 POtissima controversia est de Regularibus. Nam sæculares, tam Laicos, quam Ecclesiasticos posse sibi quemlibet sacerdotem ex approbatis eligere, à quo etiam à reservatis licitè ac validè absolvantur durante tali Jubilæo, communis tenet; & clarè colligitur ex communi formula, quâ Summi Pontifices utuntur in indultis jubilæorum, ut constat ex dictis n. 1508. Regulares autem sine licentia suorum Superiorum confiteri posse Sacerdotibus, etiam sæcularibus ab Ordinario approbatis, durante tali jubilæo (qui aliàs suis, vel etiam aliis constitutionibus Ecclesiasticis specialiter prohibiti sunt) negat Lezana, & complures alii apud Gobat c. 31. q. 83. n. 226. sed, de his, quibus immediatè conceduntur privilegia & favores (cujusmodi sunt in Jubilæis) independenter à suis Superioribus; atque adeo, qui gratiis concessis frui possunt, quin egeant speciali eorum communicatione suorum Superiorum, multò probabilius est, posse sibi tunc eligere Confessarium ex approbatis tam Regularem, quam Secularem, à quo etiam à reservatis absolvantur; ita Suarez tom. 4. de Relig. tr. 8. l. 12. à n. 2. & complures alii.

Ratio sumitur ex ipsis verbis Bullarum, 1559
quibus extraordinaria jubilæa conceduntur, in quibus apertè dicitur: *omnibus Christi fidelibus utriusque sexûs, etiam Regularibus concedi licentiam, & facultatem*, ut sibi eligere possint quemcunque Presbyterum Confessarium, tam sæcularem, quam cujusvis ordinis, & instituti Regularem ex approbatis, qui eos absolvat &c. ut constat ex dictis à n. 1508. Quæ verba summorum Pontificum, *nullum omnino ex Regularibus excludunt*, nisi fortassis respectu aliquorum, obstaret quædam inhabilitas, quam ea concessio per clausulas derogatorias impedimentis obstantibus, in ordine ad hunc effectum, & gratiam consequendam, non sufficienter tolleret; at in iis Regularibus qui non ita in fruitione suorum privilegiorum, & gratiarum, etiam à Summis Pontificibus concessarum (sicut Regulares Societatis JESU, quibus juxta literas Apostolicas, nullius privilegii, vel gratiæ hactenus concessæ, vel imposterum concedendæ, usus potest esse licitus, nisi per solius Generalis communicationem immediatam, vel mediatam) dependent, hæc inhabilitas non est; ergo.

Cœterùm hac facultate in jubilæis et- 1560
iam extraordinariis gaudere Moniales, tanquam id, de quo dubitari jam non possit; affirmat Gobat cit. c. 31. q. 83. n. 227. dicens id *patere clarè* ex Bulla Urbani VIII. quæ incipit: *Poncificia solicitudo*, de qua videri potest Peyrinis tom. 3. c. 4. & Diana, ibid. cit.

Probabilius etiam est, eâdem facultate 1561
gaudere, jubilæi tempore, Regulares omnes, quibus alias nullius privilegii, vel gratiæ hactenus concessæ, vel imposterum concedendæ usus potest esse licitus, nisi per solius Generalis communicationem, ut dictum est, quia ut notat Filliucius apud Gobat cit. n. 227. huic privilegio derogari per Bullas posteriorum Pontificum, satis clarè indicant clausulæ derogatoriæ, quibus utuntur. Antecessores enim non potuerunt præjudicare successoribus in authoritate, ac jure, ipsorum dispositiones, vel ex toto cassandi, vel

vel ad tempus pro certis effectibus suspendendi ex justa, & legitima causa.

1562 Clausulæ porrò, ut diximus n. 1512. sunt: *non obstantibus constitutionibus Apostolicis, præsertim, ne facultatum concessiones, nisi de illis expressa mentiò; aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant.* Item *non obstantibus privilegiis*, Ordinibus, & Institutis, illorumque personis *quomodolibet* concessis, approbatis, & innovatis, *etiamsi de illis, eorumque tenoribus, specialis, specifica, & individua mentio, seu quævis alia expressio, aut alia forma ad hoc servanda foret* &c. Per has porrò clausulas, Constitutionibus Apostolicis insertas, derogari prius privilegium, expressè docet Sanchez l. 6. Consil. moral. c. 9. d. 8. n. 1. dicens, id *constare* inter doctores; & Covarruvias ad Rubric. tit. de Testament. p. 1. n. 20. dicens, *esse omnium.* Quod verum esse vult Sanchez cit. n. 4. & 5. *licet tale privilegium petat specialem mentionem*, modò apponatur clausula: *non obstante privilegio, licet in eo petatur expressa mentio de verbo ad verbum*, prout dictum est supra.

1563 Huc referri potest Bulla Urbani VIII. 5. Novemb. 1631. affixa ad valvas Curiæ, & Cameræ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ, aliisque locis consuetis, eodem die, & anno; habeturque in appendice Bullarii octavæ fol. 17. aliàs inter Bullas Urbani VIII. 117. & incipit: *cùm sicut* accepimus sancti Benedicti, &c. ubi dicitur, quòd *Constitutiones Apostolicæ in concernentibus fidem Catholicam, & sanctæ Inquisitionis officium, hactenus editæ, & imposterum edendæ, super quacunque re, negotio, aut alia materia Regulares omnes, etiam Societatis JESU, quomodolibet privilegiatos, comprehendant, nisi illi in edendis specialiter excipiantur.* Et ratio est, quia, si non possent à Pontifice revocari sine illorum mentione *in individuo*, indirectè saltem minueretur Papæ jurisdictio; cùm enim privilegia consistant in facto, nec omnium eorum in individuo memoriam habere possit Papa, eo ipso illis derogare non posset; consequenter ab Antecessoribus sequentium potestas restricta foret: ergo dicendum sufficere, si eorum fiat mentio in specie sub clausulis, de quibus n. 1562. Sic Navarrus in c. *si quando.* de rescriptis, totâ except. 1. & complures alii. Nam *favorabile interpretationem non recipit, quæ eum, cui favetur, ladere possit*, juxta Rubric. L. 6. C. de Legib. jubilæa autem conceduntur *omnibus & singulis Christi fidelibus etiam Regularibus*, ob favorem divini cultûs & animarum; ergo.

ARTICULUS VII.

De indulgentia, in forma, seu ad instar Jubilæi.

1564 QUæstio est, an indulgentiæ *in forma jubilæi*, habeant annexam facultatem commutandi vota, & absolvendi à censuris, & casibus reservatis? Ante resolutionem not. ex Gobat de Jubilæo c. 1. hanc vocem *jubilæum* simpliciter, & absolutè prolatam, communiter usurpari pro favore, quo (præter indulgentiam plenariam) conceditur facultas commutandi vota, & absolvendi tum à censuris, tum à casibus reservatis. Nec enim, inquit Gobat cit. n. 2. *legi ullam bullam in qua Pontifex dicat, se concedere jubilæum, & non simul concedat tacitè prædictas facultates, excepta sola bulla antiquissima Alexandri III. de jubilæo Compostellano, in qua non datur potestas commutandi vota*: ergo communiter usurpatur pro dictis facultatibus. Ex hoc infert citatus Author n. 4. si quo casu Pontifex alicui communitati absolutè diceret: *concedo tibi jubilæum*: illam communitatem hoc ipso sibi prudenter persuadere, se (præter indulgentiam plenariam) habere potestatem eligendi confessarium, qui à censuris, & reservatis casibus omnibus absolveret, & vota commutaret. Nam verba intelligenda sunt, ut communiter intelliguntur, & usurpantur; ergo cùm hîc terminus (*jubilæum*) communiter intelligatur de dictis favoribus, prudenter ea communitas pro illis concessam facultatem usurparet. Anteced. patet ex c. *ex literis*, 1. de sponsal.

1565 Ad propositam igitur quæstionem ita respondet Gobat de jubilæo c. 7. dicens, *respondendum affirmativè, videri Laurentio Peyrinis tom. 2. fol. 282. cum quo apertè sentit Escobar n. 56. favetque Filliucius n. 263. Et quamvis hæc explicatio & opinio mihi aliquando probata fuerit, jam tamen omnino displicet, utpote aliena à veritate*; & paulò infra, *evidenter id demonstro*, inquit, *ex bulla recentissima Innocentii X.* Ex quibus videtur, juxta Patrem Gobat, sententia affirmans nec esse probabilis; cùm ex ejus verbis sequatur, *quòd sit evidenter*

aliena à veritate, atque adeo evidenter *falsa*. Est enim sententia negativa Patris Gobat, tum in tract. de Jubilæo c. 7. tum in Quinario cit. tr. 3. n. 37. & tr. 4. n. 309. ubi etiam pro se citat Patrem Suarez tom. 5. in p. 3. d. 7. s. 5. n. 7. Dianam p. 10. tr. 16. resolut. 5. & Cobonium cit. rationes hujus sententiæ apud Gobat sunt sequentes:

1566 Prima: si indulgentiæ *in forma jubilæi* eo ipso, quòd, ut tales concedantur, haberent annexos favores, quos jubilæum, frustra Pontifices in suis Bullis, quibus diversis temporibus concesserunt indulgentias in forma jubilæi, addidissent aliqui, *se concedere*, *alii se permittere*, ut Fideles sibi Confessarium ex approbatis eligant, qui à reservatis absolvat; & tamen diversi Pontifices Paulus V. Anno 1605. 1613. 1619. Gregorius X. 1621. Urbanus VIII. 1639. postquam dederunt omnibus Christi fidelibus indulgentiam sicut in anno sancto, addunt: se *concedere*, vel *permittere* facultatem eligendi Confessarium, qui à reservatis absolvat, vota commutet, ergo indulgentiæ in forma jubilæi, independenter ab *explicita* voluntate Pontificis, non habent annexos favores omnes jubilæi; ita Gobat in Quin. tract. 3. c. 7.

1567 Secunda: omnibus in die Circumcisionis Domini visitantibus Ecclesiam à Superiore Societatis designatam, concedit Gregorius XIII. indulgentiam in forma jubilæi: sed huic non est annexa facultas absolvendi à reservatis Papalibus; ergo. Sic ille ibid. c. 7. n. 33.

1568 Tertia: evidenter, inquit Gobat cit. id demonstro ex Bulla Innocentii X. edita 22. Dec. anno 1646. quâ Societatis nostræ Religiosis, & Novitiis, concessit indulgentiam plenariam in forma jubilæi, *citra tamen facultatem eligendi confessarium, qui eos à casibus Sedi Apostolicæ quomodolibet reservatis absolveret*; hæc enim sunt ejus verba. Unde, inquit, Gobat cit. tr. 4. n. 307. deduco aliud argumentum contra Peyrinis: nam si indulgentia in forma jubilæi nihil aliud significet, quam facultatem obtinendi absolutionem, & commutationem votorum, sequitur homines Societatis potuisse ex vi illius indulti Pontificii petere à quolibet Confessario commutationem omnium votorum, non reservatorum; itemque absolutionem omnium casuum Episcopis, & Societatis Superioribus reservatorum: Nam qui de duobus propositis alterum negat, alterum concedere videtur, c. *nonne*, de præsumpt. quod tamen est falsum, & à nostrorum Superiorum judicio alienum.

Accedit, inquit Gobat cit. tr. 4. n. 308. 1569 pro hominibus Societatis ulterior ratio, quod scilicet Sapientissimus P. Everardus Mercurianus, IV. Generalis illam indulgentiam, quam Gregorius XIII. 7. May 1578. Societati pro festo Circumcisionis impertiverat in forma Jubilæi, sequenti mox anno 16. Jan. 1579. Societati publicârit, utendo solâ voce *indulgentiæ plenariæ*, ut scilicet indicaret, non esse ei ullos alios favores adjunctos.

Quarta: si omnis indulgentia *in for.* 1570 *ma jubilæi* includit favores, qui in jubilæis reperiuntur, tum includit favores, vel jubilæi in anno sancto, vel extraordinarii? neutrum dici potest, non Romani. Tum quia multi probabilissimè negant, ullum in illo favorem, præter indulgentiam plenissimam, concedi, ut refertur apud Gobat tr. 3. in Quinario c. 48. n. 355. tum quia est inauditum, quòd quis vi ejusmodi indulgentiæ possit obtinere dispensationem circa bona incerta, injusto titulo acquisita; cùm tamen hic favor in anno sancto tribuatur ex opinione P. Ferdinandi Castropalai, ut refertur apud Gobat tr. 3. n. 12. in Quinario, tum, quia cùm Pontifex pro assertis favoribus anni sancti, exigat tam difficilia opera, non est credibile, quòd illos favores impertiatur per actiones minimè operosas; tum quia nullus Doctor videtur id sensisse: nec includit favores jubilæi extraordinarii, 1. quia hujus favores sunt incerti, aliquando enim conceduntur, aliquando non, præsertim facultas absolvendi ab hæresi. 2. Quia potius deberet includere favores anni sancti, utpote notioris & antiquioris. *Primum* enim *in unoquoque genere est exemplar cæterorum*. Sic Gobat tr. 4. n. 302.

Quinta: Optima legum interpretatio 1571 est praxis, & usus communis; usus autem communis planè repugnat doctrinæ sententiæ affirmantis. Nam imprimis, inquit Gobat cit. n. 304. non puto, ullum repertum, qui putaret sibi licitum in die circumcisionis eligere quemlibet approbatum Sacerdotem sæculatem vel Religiosum, à quo acciperet absolutionem quorumcunque peccatorum, &c. & tamen eo die sunt indulgentiæ *in forma Jubilæi*, &c.

His

1572 His argumentis addi poſſunt ſequentia 1. quod P. Suarez tom. 5. in 3. p. d. 7. ſect. 5. n. 7. apud Gobat in Quin. tr. 3. n. 35. pronuntiet, quando indulgentia conceditur *per modum jubilæi*, nil aliud ſignificari, quàm concedi indulgentiam plenariam, qualis concedi ſolet in jubilæis. 2. Quòd (apud eundem) de jubilæo not. 26. n. 2. dicat, quod indulgentia in *forma jubilæi* non dicat aliam ſimilitudinem, quam plenitudinem remittendi omnem omnino pœnam, 3. quia aliàs indulgentia, *in forma jubilæi*, non differret à jubilæo.

1573 Alii econtra ſunt, qui docent, quòd indulgentiæ *in forma jubilæi* conceſſæ, includant etiam *favores jubilæi*, ſcilicet facultatem commutandi vota, abſolvendi à cenſuris & caſibus reſervatis; ita præter illos, quos ſtatim referam, docent Paſqualigus de Jubil. q. 178. n. 7. Baſſæus de Jubil. ſect. 1. caſu 16. n. 2. Homobonus p. 2. exam. Eccleſ. tr. 11. q. 13. ſuppoſ. 4. & Henriq. apud Dianam p. 10. tr. 16. reſ. 5. ut refert. Gobat in Quinario tr. 4. c. 5. n. 301. intelligentes hanc aſſertionem *de omnibus omnino indulgentiis in forma jubilæi, etiam extra mortis articulum.*

1574 Præter hos affirmativam tenet Graſſis, qui teſte Suario cit. 9. apud Gobat in Quinario tr. 4. c. 5. n. 299. aſſerit, *quòd per indulgentiam in forma jubilæi, præter indulgentiam plenariam concedatur poteſtas abſolvendi ab omnibus cenſuris, & caſibus reſervatis, votaque non reſervata, commutandi.* Peyrinis tom. 2. f. 282. à Societ. apud Gobat cit. n. 299. agens de indulgentia *in forma jubilæi*, quæ obvenit Regularibus in articulo mortis, ita loquitur: *hæc indulgentia in forma jubilæi aliud nihil ſignificat, quàm quòd Papa tribuit facultatem, ut poſſit abſolvi, & diſpenſari ab, & ſuper omnibus his, ſuper quibus poſſunt tempore jubilæi. Quod nota pro omnibus ſimilibus indulgentiis. ita ille.* Pater Filliucius Soc. JESU. tr. 8. n. 264. ſic loquitur: *cùm indulgentia in forma jubilæi ſolet etiam concedi duplex poteſtas 1. Singulis* Chriſtianis, *etiam Regularibus eligendi ſibi Confeſſarium ex approbatis, qui hac vice duntaxat eos poſſit abſolvere à reſervatis, etiam Ordinariis, vel Papæ in Bulla cœnæ. 2. Commutandi vota, excepto voto caſtitatis, & Religionis.*

1575 P. Antonius Eſcobar in Theolog. morali tr. 7. Exam 5. c. 8. n. 54. ita loquitur: *veni ad indulgentias in forma jubilæi &c. unà cum eis, ſingulis quidem Chriſtianis, etiam Regularibus poteſtas conceditur, eligendi confeſſarium ex approbatis; Confeſſariis verò facultas, vota quæcunque commutandi, excepto Caſtitatis, & Religionis. Omnes Regulares, etiam ſuis Conſtitutionibus prohibiti, quemlibet ex approbatis eligere ſibi confeſſarium poſſunt. Jubilæo completo, etiam poteſt quis à reſervatis oblitis abſolvi, modò eo animo jubilæi tempore confeſſus ſit &c.* Hæc argumenta, ſaltem propter horum Doctorum authoritatem extrinſecam non levem opinioni affirmativæ authoritatem videntur afferre.

Præter hæc, illud obſervandum ad- 1576
huc eſt 1. quòd Eſcobar in tit. ſui libri præfigat hos terminos: *Liber Theologiæ moralis viginti, & quatuor Societatis JESU Doctoribus reſeratus*, 2. quòd in eadem libri primi pagina notet, hunc librum usque ad annum 1644. *poſt omnes cenſuras debitas*, jam tunc trigeſimâ ſeptimâ vice repreſſum, 3. quòd illi capiti, in quo prædicta verba de indulgentiis in forma iubilæi, præfigat hunc titulum, c. 8. *praxis circa præfata in Societatis JEſu ſchola.* Ex quo ſequitur, 1. hanc ſententiam habere magnum fulcimentum ab Authoritate Doctorum, 2. ſententiam affirmativam eſſe, juxta praxim in Schola Societatis. Certè, ſi falſum eſſet, quod aſſerit, vix credi poteſt, quòd hunc librum Societas, præſertim ſub illis terminis, paſſa fuiſſet, in lucem edi, & toties reprimi. Hæc meriò ſerviunt pro prima probatione ſententiæ affirmantis, ex mente aliorum.

Eandem opinionem affirmantes pro- 1577
bant 2. quia dare indulgentias *in forma jubilæi*, ex vi vocis, ſeu accipiendo, prout verba ſonant, eſt dare illas *inſtar*, vel *per modum jubilæi*; vel ſicut dantur in jubilæo; ſed indulgentiæ, quæ dantur in jubilæo habent annexos favores commutandi vota, & abſolvendi à reſervatis; ergo & indulgentiæ in forma jubilæi. Minor patet inductione, & conſtat ex n. 1463. Major conſtat ex communi uſu vocum; ſic, quod habet ſe *inſtar* rei judicatæ, habet virtutem rei judicatæ, vel inſtar. C. de jure Fiſci. Similiter quando uni academiæ conceduntur aliqua privilegia inſtar alterius, perinde valent, ac alterius, juxta Baldum L. *omnia* C. de Epiſcopis; & Clericis: & amplius probatum eſt ſupra titulo 33.

Reſpondet Gobat in Quinario tr. 4. 1578
n. 309.

n. 309. & 310. indulgentiæ in forma jubilæi sunt indulgentiæ per modum jubilæi, *quoad formam explicitam* C. *quoad formam implicitam* N. Similiter distinguit Min. Sed indulgentiæ jubilæi habent annexos illos favores *quoad formam implicitam* C. quoad formam *explicitam* N. Min. & consf. Hinc dicit *formam explicitam* jubilæorum nihil habere, nisi indulgentias plenarias. Verùm hæc responsio non infringit vim argumenti. Nam 1. negandum est, quod *jubilæum* non dicat sæpiùs, imò communiter *in forma explicita* favores commutandi, & absolvendi, id enim expressè constat recenter in jubilæo Clem. X. quo extendit ad terras extra Romam jubilæum anni Sancti, quod fuit anno 1675. Patet 2. ex universali jubilæo, quod dedit Innocentius X. 11. Martii 1648. in Bulla. *Inter plurimas*, & habetur apud Gobat de jubilæo statim in principio, ubi *expressè* nominantur dictæ facultates. Deinde illa distinctio indulgentiæ in forma jubilæi continet idem, quod jubilæum continet *in forma explicita, non autem implicita*, est restrictio vocum in re purè gratiosa, & clarè ad favorem animarum pertinente, idque sine gravi fundamento, ac proinde repugnat communi regulæ, de favoribus amplè sumendis. Favores enim convenit ampliari, & odia restringi. Reg. juris 15. in 6. quæ in hac materia servit loco probationis tertiæ.

1579 Probant 4. ex argumento quod adducit P. Gobat ex Innocentio X. de quo n. 1568. Nam Pontifex, concedens Societati indulgentias in forma jubilæi, citra facultatem eligendi confessarium, qui à casibus Pontificiis absolvat, tacitè videtur innuere, se saltem permittere facultatem, qui à reliquis casibus non Pontificiis absolvat. Ratio sumitur ex ipsiusmet probatione ibidem; qui enim de duobus propositis unum negat, alterum concedere videtur. Deinde apud Theologos, & Juristas passim receptum est, quòd exceptio firmat regulam in casibus non exceptis saltem iis, qui nec aliâ lege excipiuntur; ergo hæc exceptio *quoad casus Pontificios*, quoad *alios* firmat regulam, cùm non excipiatur à facultate illos remittendi in aliis indulgentiis, in forma jubilæi concessis.

1580 Probant 5. ex eodem argumento, sic: indulgentiæ in forma jubilæi concessæ includunt etiam facultatem absolvendi à reservatis; ergo cui Pontifex concedit tales indulgentias sine ulla exceptione, illis etiam concedit talem facultatem: anteced. prob. nam illæ vel includunt hanc facultatem, vel non includunt? sed dici nequit, quòd non includant, ergo, quòd includant. Minor prob. quia propriè, & in rigore nihil excipitur ab altero, nisi, quod excipitur, aliàs in eo contineatur, ut est communis regula dialecticorum; sed in dicto casu Pontifex ab indulgentiis in forma jubilæi excipit facultatem absolvendi à casibus reservatis Pontifici: ergo aliàs in his indulgentiis ista facultas continetur. Scio posse dici, quòd Pontifex illa particula *citra*, quæ in rigore, & propriè est exceptiva, non utatur *exceptivè*, sed tantùm declarativè. Verùm hæc explicatio in re præsertim favorabili, non est legitima, utpote violenta; voces enim sumi debent in materia favoris, prout communiter usurpantur.

Confirmari possunt hæc omnia com- 1581
muni fundamento; quia reverâ, cùm Pontifex indulgentias in forma jubilæi concedat ex speciali favore, nec dicere liceat, quaslibet indulgentias plenarias esse *in forma jubilæi*, bene sequitur illas aliquid majoris favoris continere, quam istas: quid enim illud *in forma jubilæi*, alioquin specialius adderet, vel significaret, quàm præcisè *indulgentiæ plenariæ?* qui sequuntur sententiam affirmativam illud bene explicant; non, qui negativam: ergo pro illis potius, quàm pro his videtur standum, ne scilicet dicamus illa verba esse superflua, nec ullum præstare effectum. Ex his, sententiam affirmantem, *indulgentias in forma jubilæi, habere etiam annexos favores*, commutandi vota, & absolvendi à reservatis, sequitur, *immeritò dici alienam à veritate, evidenti demonstratione*, prout vult Gobat supràn. 1565. Hoc enim non præstant ea, quæ in probationem assumit.

Ad primam rationem, negatur ante- 1582
cedens. Nam, cùm ea expressio fieri possit ob diversos planè fines v. g. ob majus incitamentum populi, reddendi se participem earum gratiarum; ad determinandum pro majori securitate suam mentem; ad tollendas dubitationes ex conflictu Doctorum diversa opinantium &c. non invenio, qualiter determinatè concludatur de illo fine, nimirum ideo in concessione jubilæi exprimi dictas facultates; quia per hoc volunt indicare, quòd hæc vox *jubilæum*, ex vi ver-

verborum non importet annexos eos favores. Certè, si Pontifex delegato mandaret, ut Titium declaret excommunicatum, & actus jurisdictionis ab eo in tali censura esse nulliter exercitos; non rectè diceretur, per hanc expressionem significari, nullitatem eorum actuum non importari per vocem *Excommunicatio* simpliciter, &c.

1583 Ad 2. ejus argumentum in n. 1567. contraria sententia negat, quòd in minori asseritur, ut constat à n. 1573. si sermo sit de indulgentia in forma jubilæi eo attento, quod verba sonant. Ad 3. respondet eadem: sententia 1. sequelam, nullatenus *evidenter* ex verbis Bullæ demonstrativè deduci ad homines Societatis JESU, qui, ut fruantur privilegiis suæ Religioni specialiter concessis, insuper indigent eorum communicatione sibi facta per Patrem nostrum, vel alium ex ejus commissione; præsertim, cùm ea concessio, de qua loquitur Gobat in n. 1568. non habeat illas clausulas, de quibus diximus n. 1512. apponi solitas in jubilæis *pro omnibus Christi fidelibus* directè concessis V. n. 2491.

1584 Hinc admisso textu Bullæ Pontificiæ, negatur sequela. Nam licet indultum illud, vi verborum contineret facultatem commutandi vota, & absolvendi etiam homines Societatis ab omnibus casibus non Pontificiis; adhuc tamen homines Societatis non potuissent uti dictis facultatibus, sine consensu P. N. Generalis, ut constat ex præfatione ad Compendium privilegiorum. Unde etiam distingui potest sequela: potuissent nostri ab omnibus casibus non Pontificiis, vi hujus indulti, si P. N. *Generalis communicâsset favores, qui significantur per indulgentias in forma jubilæi*, transeat (& sic patet, sequelam in hoc sensu, non esse contra mentem nostrorum superiorum, nec eam esse falsam) si *P. N. Generalis* non communicâsset, negatur. Unde per hoc argumentum nihil probatur, quod indulgentiæ in *forma jubilæi de se* non significent illos alios favores; potest enim usus eorum favorum Nostris illicitus provenire ex aliis juribus peculiaribus Societatis, quibus non ligantur extranei.

1585 Ad id, quod additur in n. 1569. respondetur, quòd indulgentiæ *in forma jubilæi* ex se significent, vel non significent illos favores, non pendere à mente Societatis, ut certum est; unde ad summum, si quid probatur, ex facto Patris Nostri Everardi, illud est, quòd *non omnes favores* eâ voce importatos, *sed solùm indulgentiæ plenariæ Nostris tunc communicatæ à P. N. Mercuriano ex illo indulto Gregorii XIII.* Deinde vel Pater Gobat deduxisset illam sequelam, si P. N. Mercurianus usus fuisset vocibus: *indulgentiæ in forma jubilæi*, vel non? si non? ergo jam sequitur, quòd hæ voces *ex se* plus contineant, quàm solùm indulgentias plenarias: sin ita, ergo ex eo, quòd usus sit solùm voce: *indulgentiæ plenariæ*, nihil peculiarius infert Gobat, quàm si usus esset terminis, prout pronuntur in bulla.

Ad 4. argumentum n. 1570. respon- 1586
dent, quòd indulgentiæ in forma jubilæi significent favores jubilæi simpliciter prolati, non verò, quà est *anni sancti, vel extraordinarii*; ad id, quod debeat significare favores *anni sancti*, quia hoc est primum & antiquissimum, respondetur, non sequi. Nam imitatio alicujus non debet exprimere omnia illius, quæ in eo proponuntur: sed sufficit exprimi ea tantùm, in quibus imitatio intenditur, ut patet in plurimis antefactis: indulgentiæ autem in forma jubilæi non imitantur reliqua jubilæa secundùm rationem specificam, sed communem jubilæi, de qua jam sæpe dictum est.

Ad 5. in n. 1571. concedunt ma. N. 1587
min. ad hujus probationem & quæstionem assigno omnes, qui sunt in sententia affirmante, ut habes à n. 1573. Deinde, quomodo potest Gobat dicere, *quòd usus sit contrarius*, cùm ipsi de hoc constare non possit, utpote de re, quæ fit in foro secretissimo, quæ à quovis de industria occultatur; quæ rarò contingit, & consequenter usum hujus favoris rarò exigit, quæ etiam paucis constat.

Ad 6. in n. 1572. respondent: transeat 1588
Patrem Suarez id dixisse; complures tamen esse, qui id negant, ut patet ex n. 1573. & sequentibus. Cœterùm Suarez videtur sentire contrarium dicto Patris Gobat, ut diximus à n. 1403. Idem respondetur ad Navarrum, quorum ratio patet ex argumentis factis. Ad ultimum respondetur, indulgentias in *forma jubilæi*, & *jubilæum* in *substantia* non differre, sed tantum in circumstantia, quod illæ sint jubilæum particulare, illud generale, & plura concedat, quàm jubilæum simpliciter. Hinc patet argumenta partis negativæ valde congruas habere solutiones; eaque nullas ha-

bere demonstrationes, ut putat & promittit Gobat supr. n. 1565.

1589 Circa istam controversiam & quæstionem, an *jubilæum* in communi vocis acceptione usurpatum, præter indulgentias plenarias, importet, seu significet etiam alios favores annexos, nimirum facultatem eligendi Confessarium, qui à reservatis absolvat, aut vota non reservata commutet? mihi videtur 1. nullatenus allatis rationibus negantium, convinci demonstrativè opinionem affirmantium; nec eorum rationes probationibus istorum præponderare; id enim satis efficaciter probant solutiones, quæ ab affirmantibus negantium probationibus adhibentur, prout colligi potest ex dictis à n. 1582. Videtur 2. quando conceditur indulgentia plenaria *instar*, seu *in forma jubilæi*, si verba sumantur *prout sonant*, præter indulgentias plenarias, etiam concedi favores alios, de quibus in quæstione, in jubilæis regulariter, seu communiter annexos, inter quos non venit communiter facultas componendi super ablatis incertis. Ratio est, quia privilegium uni concessum *instar privilegii concessi alteri personæ, vel loco* (nisi specialiter restringatur) importat omnia, quæ exemplar, ad instar cujus indultum est, ut constat ex dictis à n. 1577. ergo privilegium concedens indulgentias plenarias *instar jubilæi*, non specialiter restrictum, importat omnia, quæ dicit indulgentia concessa per vocem *jubilæum*, usurpatam in communi vocis acceptæ usurpatione; at hæc vox *jubilæum*, in communi usurpatione non importat solas indulgentias plenarias, sed etiam dictas facultates, ut probatum est à n. 1564. ergo, quid enim operarentur aliàs ea verba, *adinstar*, ultra verbum *indulgentia plenaria?*

1590 Præter hæc not. 1. Ex hoc, quòd Pontifex alicui Religioni concedat pro certis diebus indulgentias instar jubilæi, non rectè inferri, eo ipso singulos de illa Religione gaudere omnibus, quæ importantur per verbum *indulgentia plenaria instar jubilæi*, quando in membra talis Religionis facultas, utendi concesso à Papa privilegio Religioni, non descendit, nisi quantum illis communicatur à Supremo Capite talis Religionis, vel alio ejus commissione; sic enim Pontifex concessionem suam, prout influentem in membra particularia talis Religionis, restringit ad voluntatem Superioris, qui tali Religioni præest, ut in singulis non plus operetur, quàm illis ipsorum Superior communicet.

1591 Ex hoc fit, esto concessio Papæ ampla sit, etiam in ejusmodi privatis jubilæis, & importet tantùm, quantum verba sonant in communi vocis usurpatione, ubi nulla restrictio apponitur; fieri tamen posse, quòd superior talis Religionis non communicet omnia, quæ per ejusmodi vocem, etiam in communi acceptione usurpatam, significetur; hinc esto verba: *indulgentia plenaria instar jubilæi*, quantum verba sonant, importent plura, nimirum indulgentias plenarias, 2. facultatem eligendi Confessarium, qui à reservatis absolvat, si tamen Superior Subditis (in usu privilegiorum ab ejus communicatione dependentibus) non communicet totum significatum, sed tantùm indulgentias lucrandi v. g. vel etiam propter indulgentias utendi facultate absolvendi à reservatis, non quidem omnes, sed tantum extraneos, vi hujus privilegii plus non poterunt, quàm eis communicatum sit. Aliud foret, si superior diceret: *concedo omnibus hoc privilegium, quantum verba sonant, uti non restringuntur.*

1592 Si quæras ulteriùs, quandonam incipiant indulgentiæ in forma jubilæi concessæ pro certo die, vel festivitate cum clausula: visitantibus Ecclesiam designatam, *à primis vesperis usque ad occasum solis* diei, ut communiter in concessione talis privilegii exprimitur? hæc quæstio universaliter proponi potest, quandonam incipiant indulgentiæ pro certo die concessæ? quando finiantur?, &c. 1. quando in Bulla indulgentiarum dicitur: *à primis vesperis usque ad occasum solis*, sensum esse, quòd dictam indulgentiam consequantur, qui infra tempus, quod est à primis vesperis talis festi, usque ad occasum solis peregerit opera præscripta; ita Quintanaduenas in append. Singular. tr. 4. Sing. 3. Gobat in Quinario tract. Theologo-Juridic. tr. 4. n. 654. hoc enim sonant ipsi termini Bullæ sic prolati, cùm eorum finis sit designare tempus, intra quod indulgentiæ lucrifaciendæ sint executione operum præscriptorum. Per *primas* autem *vesperas* intelligit Rodriquez apud Gobat cit. 656. serum diei; sed rectiùs intelligitur illud tempus in quo celebrantur, aut in choro cantantur, vel cantari solent preces, quas *vesperas* appellamus; quia ab hoc incipit Festum

stum celebrari, in cujus honorem, vel pro quo indulgentiæ conceduntur; ita Quintanad. cit. n. 2. Gobat cit. n. 656.

1593 Pro praxi not. 1. quod *vesperarum horæ*, & tempus non sit mensurandum ex hac, vel illa Ecclesia, quo in illa vesperæ dicuntur; sed ex hora, quâ in Ecclesia Matrice dicuntur, sive sit Metropolitana, sive Cathedralis, vel Parochialis talis loci, civitatis, pagi, &c. in horum autem defectu attendenda est consuetudo, & mos diœcesanus vel Provinciæ. Quintanaduen. n. 4. Gobat n. 657. sub finem. Hoc enim tempus, sicut in aliis obligationibus, privilegiis & gratiis, accipiendum est ex usu communi, quando aliud non exprimitur.

1594 Not 2. Quod hæc hora incipiat non solùm in tempore, quo vesperæ in Choro inchoantur, sed ab eo etiam, quo ad vesperas campanæ pulsantur, aut pulsari solent; cùm enim simus in materia dispositionis valdè favorabilis saluti animarum; sicut in simili *Ecclesia* latè sumitur; ita & hic *tempus vesperarum* accipiendum est ex mente concedentis. Hinc quoniam in quadragesimæ diebus infra hebdomadam, in quas incidit sive feria, sive festum aut solennitas, pridie decantantur vesperæ ante meridiem, ideo etiam indulgentiæ incipiunt pridie ab eo tempore, si datæ sint cum clausula: à *primis vesperis*, excipe, nisi festivitas sit feria secunda; tum enim vesperæ in Dominica dicuntur post meridiem, consequenter sic etiam indulgentiæ incipiunt; ita Quintanaduenas cit. n. 4.

1595 Not. 3. per *solis occasum*, ad quem usque durat tempus indulgentiæ lucrandæ, intelligi à Gobat tempus, quo sol jam planè sub horizontem est abditus, ita habet n. 655. & apud eum Cotonius l. 2. controv. 11. c. 3. n. 86. Quintanaduenas autem cit. Sing. 4. n. 2. intelligit, per *solis occasum*, tempus illud, quo cantari solet completorium juxtà antiquam consuetudinem Ecclesiæ, vel etiam in Conventibus Regularium, Scilicet ad extremam diei partem, citatque pro se complures, è quibus est Suarez. Ratio utriusque sententiæ probabilis est, quia verba Bullarum de indulgentiis latissimè sumenda sunt.

1596 Not. 4. hoc idem tempus initii, & finis indulgentiarum, quibus jungitur clausula: à *primis vesperis* &c. intelligi à Quintanaduena cit. Sing. 4. n. 5. de indulgentiis, quæ à Pontifice dicuntur obtinendæ certis festivitatibus non expressâ clausulâ: à *primis vesperis*, *usque ad solis occasum*. Deducit hoc ex Sixto V. in Bulla, quæ incipit: *loca Sanctissimorum*, quæ ibi videri potest. Quia Pontifex dicit, qui fecerint opera præscripta in *festivitate*; hæc autem incipit à primis vesperis, & terminatur in completorio; ergo. Hinc negat intelligendum solum à media nocte, ad mediam noctem. Confirmari potest, quia in solennitatibus, in quibus interdictum suspenditur, intelligitur suspendi pro tali festivitate, inclusivè scilicet, dum ea finiatur; ergo à simili de indulgentiis pro tali festo concessis. Hanc sententiam etiam citat Gobat, eamque pro praxi sequitur *quoad dominicam*, in qua est communio generalis, ut habet loc. cit. n. 657. §. *verum* quamvis, & de hac dominica n. 654. sentiat oppositum: *de non festivitatibus* autem seu feriis habentibus indulgentias, sed carentibus citatâ clausulâ (n. 656. §. *Quæres*) stet pro die naturali, & bene.

Contra hoc tamen dici potest: Quin- 1597
tanaduenas cit. tr. 1. Singularium, dubio 3. n. 4. docet, quòd, quando indulgentiæ conceduntur pro determinato die (sicut in specie loquitur de prima dominica mensis, ubi pro communione generali conceduntur indulgentiæ plenariæ, ut patet ex Bulla Urbani VIII. *Ad augendam* 10. Maji 1634.) eas non obtineri à visitante præscriptam Ecclesiam Sabbatho, etiam post primas vesperas: ergo nec aliis festivitatibus id dicendum est, nisi habeat clausulam *à primis vesperis*. &c. Hoc argumentum objicit Quintanaduenæ Gobat cit. n. 657. qui putat etiam pro hac Dominica subintelligi posse prædictam clausulam; deinde tamen §. *verum*, putat sententiam Quintanaduenæ pro praxi observandam. Cœterùm ipse Quintanaduenas n. 6. R. C. anteced. N. conseq. quia indulgentiæ talium festivitatum conceduntur in honorem Sanctorum, vel ipsarum festivitatum Christi, B. V. &c. Hæ autem juxta Ecclesiasticos ritus & mores, à primis vesperis ad secundas celebrantur: mensruæ autem indulgentiæ, & similes non pro festivitatibus, sed pro uno die mensis conceduntur, ergo in his non ritus solemnitatum, sed legitimi diei 24. horarum consideratio observatur. Et ideo Papa in concessione indulgentiarum pro communione generali dicit: *Qui aliquam Soc. JESU Ecclesiam unâ ex Dominicis, quâ communio generalis* &c. *visitaverit*. Hæc Quintanaduenas.

Ex

1598 Ex his infertur 1. volentem lucrari indulgentias *in forma jubilæi concessas* pro certo die, posse intra tempus à primis vesperis ad solis occasum, atque adeo pridie post primas vesperas confiteri, & absolvi juxta favores illis indulgentiis annexos. 2. Eum, qui vult lucrari indulgentias in honorem certarum festivitatum, vel Sanctorum cum clausula *à primis vesperis* concessas, posse inchoare adimpletionem præscriptorum operum statim post primas vesperas; si vero velit lucrari indulgentias pro communione generali certâ Dominicâ, vel etiam die cinerum, & alias pro certo die concessas, sine dicta clausula, eum debere peragere opera præscripta in ipso die, non pridie, ut dictum est in præmissis.

QUÆSTIO XXXIX.

IN TITUL. XXXIX. DE SENTENTIA EXCOMMUNICATIONIS.

1599 ETsi hoc titulo plurimum agatur de *excommunicatione*; tamen, quia etiam tanguntur aliæ censuræ, nimirum *suspensio*, & *interdictum*; ideo, quod in aliis quæstionibus tum physicis, tum Theologicis, & moralibus ordo doctrinæ postulat, ut à genere ad speciem descendamus, & à communibus ad reliqua singillatim; præsentem quæstionem dividemus in quinque partes; in prima de censuris in genere, in altera de excommunicatione; tertiâ, de suspensione; quartâ, de interdicto acturi; ad finem appositis nonnullis quæstionibus de irregularitate.

PARS I.

De Censuris in genere.

1600 CEnsura in genere, primævâ significatione apud Romanos denotavit *dignitatem Censoris*, ut notat Castropal. tr. 29. de cens. D. 1. p. 1. n. 1. vel, ut habet Layman t. 5. de cens. p. 1. c. 1. *sententiam Censoris*, mores corrigentis, vel pœnam decernentis: hîc tamen aliter accipitur, ut rectè observat P. Benedictus Pereyra in Elucidario l. 3. elucidatione 7. s. 1. & amplius constabit ex dicendis.

ARTICULUS I.

Quid sit censura?

1601 ANte resolutionem supponendum 1. ex P. Layman l. 1. Theol. mor. t. 4. c. 15. n. 2. nomen *culpæ*, dupliciter sumi; primo pro defectu coram DEO culpabili, qui dicitur *culpa Theologica*; Secundò pro defectu culpabili coram judice politico, seu civili, qui dicitur *culpa politica*, seu *civilis*. Suppon. 2. similiter *pœnam* sumi dupliciter 1. strictè, quâ scilicet infligitur propter *culpam Theologicam* 2. laxè, quâ est correlativum *culpæ civilis*, & infligitur propter culpam politicam, seu transgressionem legis, quæ respicit bonum communitatis, debitumque ordinem in illa. Ex quo sequitur, quòd omnis pœna in hoc sensu respiciat aliquam culpam, saltem in eo, qui directè punitur tum in se, tum in suis. Unde, quando regulâ juris 23. in 6. dicitur, *sine culpa, nisi causa subsit, nemo est puniendus*; ergo aliquando saltem potest quis puniri sine culpa, cùm scilicet alia causa subest. R. dist. ant. sine culpa vel *Theologica*, vel *civili* nemo est puniendus, nisi causa subsit C. sine omni culpa Theologica tantùm; N. ant. textus enim loquitur de culpa Theologica solùm, ut sensus sit, neminem puniendum esse sine delicto Theologico, nisi subsit alia causa, culpa scilicet politica; hinc neg. conseq.

1602 Supponendum. 3. *Pœnam* in communi esse malum quoddam, vel positivè, vel privativè afflictivum ejus, qui punitur. Inter has autem aliæ sunt *corporales*, vel positivè affligentes corpus; vel privativè affligentes hominem, quatenus illi tollunt bonum aliquod pertinens vel conducens ad statum ejus temporalem: aliæ sunt *spirituales*, quæ primò, ac per se, & principaliter

liter versari debent privativè circa bonum spirituale, quamvis quandoque per accidens sequatur etiam carentia rei temporalis. Talis pœna spiritualis esse debet quævis *pœna Ecclesiastica*, quæ in terris à sola potestate Ecclesiastica infligi potest in delicti alicujus coërcitionem, ut notat Gibalinus de jurisdictione sacra, disquisitione. 1. q. 1. n. 1.

1603 Supponendum 4. inter bona spiritualia, quæ scilicet per se diriguntur ad bonum statum animæ, alia esse *communia*, cujusmodi sunt publica Ecclesiæ suffragia, satisfactiones, jurisdictio sacra, hujus usus, sacrificium, Sacramenta, beneficia Ecclesiastica, &c. quorum dispensatio est penes Ecclesiam bonis in præmium; eorumque privatio, malis in pœnam: alia verò *privata*, & cujusque propria; qualia sunt virtutes, gratia, bona opera, eorumque vis merendi, impetrandi, &c. quæ directè non subsunt potestati Ecclesiæ. Bonis autem spiritualibus, quæ subsunt potestati Ecclesiæ dupliciter aliquis privari potest. 1. Auferendi illi non tantùm usum, sed etiam potestatem, vel jus eorum. 2. Auferendo per se illi usum præcisè, quamvis quandoque per accidens sequatur etiam privatio vel ipsius juris, aut potestatis, vel alicujus boni temporalis.

1604 Supponendum 5. apud Theologos, & Canonistas vocem (*censura*) translatam esse ad significandum censionem, seu correctivam sententiam Judicis Ecclesiastici: sub qua latitudine tripliciter usurpatur: 1. latissimè pro omni severa correctione Ecclesiastica, quæ per modum pœnæ, seu mulctæ infligitur 2. minus latè pro sententiis Ecclesiasticis, quæ pœnæ quidem sunt, sed non valde odiosæ, & potius salutiferæ, & medicinales, sub qua amplitudine quinque continentur, scilicet, excommunicatio, suspensio, interdictum, cessatio à divinis, & irregularitas, 3. strictè, ac propriè, prout ab Ecclesia frequentius sumitur, & à Suario de cens. D. 1. s. 1. n. 5. in hunc modum definitur, *est pœna spiritualis, & medicinalis, privans usu aliquorum spiritualium per Ecclesiasticam potestatem ita imposita, ut per eandem ordinariè absolvi possit.* Loco generis ponitur *pœna*, & excludit irregularitatem, quæ universim pœna non est; dicitur *spiritualis*; quia primariò est privatio bonorum spiritualium, quamvis secundariò aliquo bono corporali privet, additur: *privans usu aliquorum spiritualium bonorum*; quia non privat bonis habitualibus, quales sunt character, & virtutes infusæ; particula: *per Ecclesiasticam potestatem* denotat censuram esse pœnam legitimam, quæ proinde non nisi ab habente jurisdictionem, & potestatem infligi potest: denique particula: *per eandem ordinariè absolvi possit*, ostendit censuram esse ligamen dissolubile, & ex se pœnam temporalem: si enim foret perpetua, & absque spe remissionis, medicina esse non posset. Per illam igitur rejicitur omnis pœna, quæ ab Ecclesia imponitur, ut perpetua absque spe remissionis, ut depositio, degradatio, & similes.

Licet autem Gibalinus cit. n. 6. in definitione addi velit, quòd censura sit *pœna spiritualis*; sufficienter tamen intelligitur ex eo, quòd privet usu *rerum spiritualium*; ideo nec additur: quòd sit pœna hominis *baptizati*, quia, cùm infligere pœnam *Ecclesiasticam* sit actus jurisdictionis Ecclesiasticæ, extendentis se tantùm ad subditum, qualis non est non baptizatus, id aliunde sufficienter colligitur. Illud tamen omnino addendum videtur, quòd hæc pœna infligatur *in correctionem delinquentis*; is enim est finis directus cujuslibet censuræ; cùm (ut patet ex Trid. Sess. 25. de reform. c. 3. & c. 1. de sent. excom. in 6.) censura sit *pœna* medicinalis, non moralis. Ex quo sequitur, non esse *pœnam merè punitivam delicti*, sed *correctivam* saltem ex fine directo, jure tamen speciali, ultra legem merè punitivam inducta. Nec propterea inferre licet: ergo censura ferri non potest in eos, de quibus non est spes consequendæ directionis. Nam ad hoc respondet Castropal. cit. n. 1. N. illatum, quia censura, quantum est ex se, & naturâ suâ, habet ordinariam correctionem delinquentis; unde si per accidens contingat non sequi correctionem, non immutat ejus naturam. 1605

His addi possunt, quæ luce digniora 1606
sunt, ad rectam intelligentiam doctrinæ de censuris, qualia sunt monitio Canonica, contumacia, absolutio. De hac dicemus infra; *monitio Canonica*, de qua in c. *Constitutionem*, de sent. excom. in 6. est, quando intervenit citatio cum tribus monitionibus, vel una peremptoria tres continente. *Contumacia* & *Contumax* juxta Sylvest. V. *eodem*, dicitur à contumeo, quod est super verbis, aut aspectu tumere, vel à con-

temnendo: & idem valet, ac inobedientia voluntaria, quâ quis monitionem judicis implere contemnit, c. 2. de dolo, & contum. Unde propriè accipitur in ordine ad Superiorem, quà judex est, & consistit in non faciendo voluntariè, quod facere quis scit se debere.

1607 Contumacia triplex numeratur; nimirum *evidens*, alio nomine *manifesta*, alio *expressa*, & datur, quando reus citatus in faciem dicit judici, vel ejus ministro, se nolle comparere, se nunquam parituram; aut si illicentiatus recedit. *Præsumpta*, alio nomine *dubia* est, cùm citatur Reus ad domum, non in faciem, aut si familiæ suæ vel vicinis denunciatur ista citatio, aut in albo Prætoris, vel in Valvis curiæ figitur, & non comparuit. *Vera* est, cùm in faciem citatus non comparuit, & si citatus tacuerit.

1608 Præterea not. nomine *censurarum*, quando datur facultas per Bullam, vel jubilæum, absolvendi ab omnibus censuris, non venire reservatas, ut probat Suarius de cens. D. 7. s. 5. n. 10. Ex quo apud eundem num. seq. deducitur 1. sub generali facultate ad absolvendum à casibus reservatis Pontifici, non intelligi casus Bullæ Cœnæ, quamvis expresè non excipiantur. 2. Sub generali concessione omnium censurarum Papalium etiam contentarum in Bulla Cœnæ, non intelligi excommunicationem hæresis, quamvis probabile sit intelligi, si hæresis sit occulta. 3. Quando Pontifex concedit generali clausulâ facultatem absolvendi à censuris sibi reservatis, intelligi concedere etiam censuras, quas inferiores Episcopi sibi specialiter reservant.

ARTICULUS II.

Quotuplex sit censura?

1609 HAnc quæstionem satis clarè resolvit Innocentius III. qui interrogatus quidnam censuræ nomen significaret, quando in jure, aut literis Apostolicis apponitur hæc clausula: *per censuram Ecclesiasticam*, respondit: per eam intelligi sententiam excommunicationis, suspensionis, & interdicti. Sic habetur in c. *quærenti*, de verb. signif. Sunt igitur tres censuræ species, nempe excommunicatio, suspensio, & interdictum. Nam responsio Pontificis fuit doctrinalis per verba indefinita, adeoque æquipollens universali, acsi diceret omnem censuram illis tribus membris contineri. Singulas suis locis infra declarabimus. *Cessatio* à divinis vel continetur interdicto, vel censura non est. Quarè *Censuræ Ecclesiasticæ appellatione* venire excommunicationem, suspensionem, & interdictum, docent Avila de cens. p. 1. D. 2. s. 5. Henriq. in Summa l. 13. c. 6. Flamin. Parisiens. de resig. benef. l. 5. q. 6. n. 69. & non venire irregularitatem, tradunt Cened. ad Decretum Collect. 52. n. 2. Fr. Emman. Rodriq. quæst. reg. tom. 1. q. 62. à. 12. Hinc rejicitur Sotus apud Layman cit. c. 2. n. 1. qui quinque species censuræ numerat, *excommunicationem*, *suspensionem*, *interdictum*, *cessationem à divinis*, & *irregularitatem ex delicto*: quibus alii adjiciunt adhuc duas, *depositionem*, & *derogationem*; ita plerique Thomistæ cum Petro Ledesma, quem refert Eligius Bassæus V. *Censura* n. 3. Sed his meritò præferenda est doctrina Innocentii, quæ etiam confirmatur ex c. *statutum*, de sent. excom. in 6. ubi tantùm hæ tres assignantur. V. n. 2305.

Ultimorum ratio est, quia *cessatio à divinis*, ut notat Gibalinus disquis. 1. q. 2. n. 25. est solùm simplex prohibitio, quâ prohibentur Clerici in aliquo sacro loco celebrare, & obire divina officia; cujus prohibitionis communiter finis est, exhibere per hoc mœrorem Ecclesiæ lugentis, aut sibi, aut alteri, vel etiam Sacris illatam injuriam. Hanc porrò non esse censuram, pat. 1. quia hæc prohibitio ex se non est pœna, cùm imponi possit cessanti etiam sine ullo illius delicto. 2. Violans censuram incurrit irregularitatem; non autem violans præceptum de cessatione à divinis. 3. Ad cessationem à divinis solùm requiritur præceptum Superioris; ad censuram culpa, seu delictum. 4. Cessatio à divinis non est ex suo conceptu pœna medicinalis, sicut censura. 1610

Irregularitas autem est impedimentum Canonicum susceptionem Ordinum sacrorum, & susceptorum usum impediens. Dicitur impedimentum Canonicum, à causa efficiente, quæ est Jus Canonicum, de reliquis suo loco. Ex hoc autem patet, eam non esse censuram, quia *ex se* non est pœna. Ulterior ratio petitur ex rationibus 1. & 2. num. præcedente præterquam, quòd absolvere potens à censuris, non eo-ipso tollere possit irregularitatem, quod 1611

alte-

ulterius confirmatur ex dicendis n. 2305. *Depositio verbalis* denique est privatio executionis officiorum & beneficiorum simpliciter, & in toto, absque spe restitutionis, facta tamen sine solennitate, & relicto utroque privilegio canonis & fori. *Depositio* autem *realis*, seu *degradatio*, est similis privatio, sed facta cum certa solennitate, & privatione utriusque privilegii Canonis, & fori. Hanc autem pœnam, præter rationes allatas contra cessationem à divinis, clarè patet, non esse censuram; cùm censura ex se non sit pœna perpetua; his præmissis:

1612 Quælibet censurarum subdividitur. 1. in eam, quæ est à jure, & quæ est ab homine: quamvis enim omnis censura fundetur in potestate & voluntate alicujus hominis; tamen cùm duobus modis ferri possit, sortitur distinctionem, & diversum nomen. Est igitur *Censura à jure*, quæ habetur per Legem stabilem, ac permanentem, latam & obligantem sub pœna censuræ, quam ipso facto incurrat transgressor. Licet enim jus ab homine processerit, jam talis censura in ipso jure includitur. *Censura ab homine* datur, quando homo illam profert ferendo sententiam, aut præcipiendo aliquid in singulari actione vel negotio, in quo non stabilitur jus, vel lex aliqua, sed solùm datur mandatum transitorium. *Hominis appellatione*, hoc loco juxta Suar. de cens. D. 3. s. 1. n. 2. venit tum singularis persona, tum Collegium hominum. *Juris appellatione* venit quæcunque lex habens omnes conditiones requisitas, ut verè, & in rigore lex dicatur. Quarè ille tantum potest ferre censuram à jure, qui jus & legem condere potest.

1613 Altera subdivisio censuræ est in eam, quæ dicitur *latæ sententiæ*, & incurritur ipso facto, cùm primum scilicet committitur delictum, sine ulteriori declaratione, vel sententia Judicis; & ideo etiam dicitur, quòd ipsa trahat secum executionem, & sit annexa delicto: & in eam, quæ dicitur *sententiæ ferendæ*, quæ scilicet non incurritur ipso facto, sed primum post sententiam Judicis. Hæc posterior etiam dicitur *comminatoria*. P. Stephanus Baunus de censur. Ecclesiast. q. 16. plures adhuc subdivisiones affert, sed parvi momenti. Illud ex eo not. censuram etiam dividi in *generalem* (quæ certam personam non denotat, sed eam tantùm, quæ est rea, consciaque delicti, cujus causâ infligitur) & *particularem*, quæ in personam certam fertur, expressâm nomine proprio, aut dignitatis, vel officii, quod gerit, his præmissis:

Quæres, quibus verbis significetur cen- 1614
sura latæ, vel ferendæ sententiæ? R. in hac quæstione tenendam esse hanc regulam; quando aliquid prohibetur sub interminatione censuræ *per verba indifferentia*, quæ scilicet explicari possint de censura sententiæ ferendæ, hanc intelligendam esse, non autem censuram latæ, ex reg. juris, 49. in 6. quòd *in pœnis benignior facienda sit interpretatio*. Hinc, quando aliquid prohibetur sub pœna excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, quin addantur aliæ particulæ restringentes ad censuram *latæ sententiæ*, semper intelligenda est censura sententiæ ferendæ; ita Castropal, loc. cit. n. 5. & alii.

Deinde universaliter, quoties censu- 1615
ra fertur sub verbis de futuro non est censura latæ sententiæ, sed ferendæ per Judicem, ut si quis dicat: *qui hoc fecerit, excommunicetur, suspendatur &c.* ita Castropal. loc. cit. & alii. Ut enim censura sit *latæ sententiæ*, non ambiguis, sed manifestis verbis exprimenda est, inquit Castropal. cit. alias enim in dubio relinquit locum favori, juxta num. præced. Ex quo sequitur ea tantùm verba indicare censuram *ipso facto* incurri, quæ nullum Judicis officium, vel operationem requirunt, *ut ipsa censura incurratur*; ut si dicatur: *præcipimus*, vel *prohibemus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ*, vel *ipso facto, ipso jure*; hæ enim particulæ indicant, non esse opus aliâ sententiâ condemnatoriâ, ut in seqq. pluribus dicetur. Idem est, si dicatur: *prohibemus, vel præcipimus sub pœna censuræ* v.g. excommunicationis *ipso jure*.

Aliqui docent, quando in præcepto 1616
sub censura, adduntur hæ, vel similes particulæ: *confestim, illico, continuò, ex tunc, omnio, prorsus, in continenti, mox, protinus* &c. denotari censuram *latæ sententiæ*; ita Escobar Theol. mor. tr. 4. de censur. exam. 1. c. 1. Sed mihi videtur id non esse universale; cùm fieri possit hic sensus: *qui hoc fecerit, statim excommunicetur*, in quo sensu ex regulis supra datis significatur tantùm censura sententiæ ferendæ. Nam optimè explicari possunt, si dicas: *statim excommunicetur*, scilicet *per ju-*

dicem. Debet ergo attendi alia regula, an verba sint de præsenti, vel de futuro, quibus illæ voces adjunguntur; Sic Leander de censur. D. 1. q. 17. tr. 1.

1617 Hinc, quando dicitur: *qui hoc fecerit, excommunicetur, suspendatur &c.* censura est sententiæ ferendæ, ut docet Suarez D. 3. s. 3. n. 9. & alii apud Castropal. loc cit. excipe, nisi verbum imperativi modi non dirigatur *ad Judicem*, ut requirat ejus actionem; sed *ad Reum*, quem lex per imperium efficax ligat. V. Trid. Sess. 25. de reform. c. 19. in Remissionibus, V. *Incurrant*; Reginaldum in praxi l. 22. n. 76. Hinc meritò inquit Joannes Streinius, explicans reg. 49. juris in 6. quòd, ubi reperiuntur talia verba: *puniantur, priventur &c.* intelligamus non ipso jure, sed per sententiam; ita habet p. 4. in regul. jur. reg. 49. n. 1. Cœterùm Tamburinus de Censur. l. 10. tr. 1. c. 1. n. 33. qui eo loco refert complures formulas, quibus non tantùm significatur censura sententiæ latæ, sed etiam ferendæ, tres tamen regulas ad hoc dignoscendum ibidem tradit.

1618 Prima est, quando ex contextu verborum lex requirit actionem alterius, qui executioni mandet pœnam, tunc pœnam esse ferendam; quando verò non requirit, sed ipsa lex immediatè pœnam exequitur, ut regulariter fit, cùm utitur verbo præsentis, vel præteriti temporis, pœna est latæ, nisi aliunde verbum restringatur. Secunda, cùm id expressè constat, vel ex aliis circumstantiis colligitur, talem esse mentem ferentis censuram, ut pœna sit latæ, vel ferendæ sententiæ, vel quòd intendat punire *censurâ*. Hoc enim totum pendet ab intentione ferentis. Dixi, *si constet expressè*. Nam secus, inquit Tamburinus, nulla fertur excommunicatio; ut fit in his formulis: *Fero in te sententiam Ecclesiasticæ censuræ, ferio te mucrone Christi, vel Ecclesiastico*; vel *incurrat indignationem nostram, Christi*, aut, *Ecclesiæ*; *præcipio in virtute S. obedientiæ, sub interminatione D. Judicii*, &c. in his enim, qui non obedit, etsi incurrat peccatum, non tamen censuram.

1619 Tertia demum; quando res est dubia, ex dictis n. 1614. intelligendam esse pœnam ferendam, non latam. Aliqui Authores dubitant de hac formula: qui hoc fecerit, *sit excommunicatus, sit anathema*, Coninch apud Castropal. cit. ac Tambur. loc. cit. c. 1. n. 21. & 22. docet, esse censuram latæ sententiæ: Sanchez autem l. 7. de matrim. D. 12. n. 2. & Layman l. 1. tr. 5. p. 3. c. 2. apud Castropal. cit. volunt significari censuram tantùm sententiæ ferendæ. Probat hoc Sanchez l. 2. mor. c. 26. q. 5. apud Layman cit. p. 1. c. 2. ubi docet, divinatores, ac veneficos, eorumque consultores, non esse ipso facto excommunicatos, licet 26. q. 5. c. 1. dicatur: si quis ariolos, aruspices aut incantatores observaverit, *anathema sit*; quia scilicet in seq. c. *non oportet*, 4. & c. *aliquanti*, 6. ejusdem quæstionis dicitur: *Eos, qui talibus rebus utuntur, ab Ecclesia projici jussimus*; quæ verba exponunt jus præexistens; & quia requirunt actionem alterius, eo ipso per n. 1618. significant pœnam solùm sententiæ ferendæ. Videtur etiam hoc sentire Navarrus apud Tambur. cit. n. 21.

Ex hoc oritur dubium alterum, an sci- 1620
licet hæc verba, quibus dicitur: qui hoc fecerit, *subjaceat excommunicationi, noverit se excommunicatum, &c.* significent censuram *latæ sententiæ*? affirmat Castropal. cit. Verùm, si dicta priori num. non significent illam apertè, ut patet ex Sanchez; jure etiam de his dubitari potest; cùm hæc non sint magis ad illam determinata, ac illa; & hæc verba: *excommunicationi subjaceat*, non esse verba latæ sententiæ, docet Tiraquel. in L. *Si unquam*, C. de revocandis donationibus, V. *Revertatur*, n. 149. nam verbum præsentis temporis imperativi modi, importat sententiam *ferendam* per Ugolinum de censur. tab. 1. c. 9. apud Barbosam in c. *dura*, de usuris, n. 4. ea propositio: *noverit se excommunicatum*, indifferens est, ut intelligatur: vel excommunicatum *iri*, vel excommunicatum *esse*. Aliud est, cùm loquimur in præsenti indicativi modi. Nam ex communi verbum *excommunicamus* latam sententiam significat. Barbosa in c. *Excommunicamus*. 2. de hæret. n. 2.

Hæc verba: Si quis hoc fecerit, *licet* 1621
tum sit vobis, excommunicationis sententiam contra illum promulgare, significant solùm censuram sententiæ ferendæ; prout rectè docet Lezana in mari magno Prædic. n. 58. apud Tamburin. cit. n. 35. similiter ista: *sicut excommunicatus vitetur*; ita Abbas apud Leand. de cens. tr. 1. D. 1. q. 14. quia, *similitudo excommunicationis* non est *excommunicatio*. Ex hoc autem, quòd dicatur: si quis

si quis hoc fecerit: *nullus ei communicet*, donec satisfactione præmissâ absolvatur, existimat Tamburinus cit. n. 39. nec majorem, nec minorem excommunicationem significari, sed solùm talem determinatam pœnam dictæ communicationis; quia & major & minor excommunicatio, præter istam privationem, habent alios effectus.

1622 Dices: quando in aliis pœnis, quæ non sunt censuræ, adduntur hæ particulæ: qui hoc fecerit, *ipso facto incidat in pœnam privationis vocis activæ & passivæ*, &c. non incurruntur statim illæ pœnæ, sed requiritur sententia declaratoria Judicis, commissum esse delictum; quod extendit Thomas Hurtado p. 2. f. 571. apud Tambur. cit. n. 4. etiamsi addatur fortior clausula: *nullus hoc committat sub pœna privationis, &c. ipso jure, nullâ præviâ declaratione*; ergo etiam in excommunicatione requiritur prius declaratio Judicis, licet addantur hæ, vel similes particulæ: *ipso facto*, &c. Sanchez l. 9. matr. D. 30. Suar. de cens. D. 3. S. 3. & l. 5. de leg. c. 5. respondent negando conseq. nullam tamen se disparitatem invenire, nisi antiquissimum usum Ecclesiæ; ita hi apud Tambur. cit. n. 5. cum aliis. Sed vide, quæ super hoc tradita sunt l. 1. decret. tit. 2. de Constitut.

ARTICULUS III.

De ferente censuram.

1623 NOn addidi in priori quæstione specialem articulum de censura injusta, & invalida; hoc enim tangemus in sequentibus. Cùm enim censura possit esse invalida vel defectu potestatis in ferente, vel defectu materiæ, propter quam ferri possit: hæc autem specialibus quæstionibus tractaturi simus, ea facilè intelligi potetunt in iis, quæ imposterum dicemus.

§. 1.

An in Ecclesia sit potestas ferendi censuras?

1624 NEgârunt olim hæretici quidam, ut Wicleffus, Hus, Hieronymus è Praga, & alii, quos postea secutus est Lutherus, ut refert Leander à SS. Sacramento t. 1. de Cens. D. 2. q. 1. quorum ratio erat, quia Ecclesia non habet potestatem, aliquem spoliandi bonis spiritualibus; tum quia hæc privatio non est conveniens saluti fidelium, (cùm sit privatio bonorum, quæ in eorum salutem à Christo, tanquam altiori Domino, relicta sunt) tum quia non est conveniens, ut quis in se ipso pœnam exequatur, quod fieret, si quis per censuras compelli posset ad abstinendum à communione fidelium. Accedit, quòd hæc potestas Ecclesiæ concessa ex nullo scripturæ loco probari possit. Nam ex illo Math. 16. & 18. ubi Christus promisit Petro claves regni cœlorum, nihil probatur; hoc enim solùm intelligi potest de potestate ligandi, & solvendi *à peccatis*; hæc enim sola, non censuræ, claudunt regnum cœlorum; ita illi.

Sed firmiter tenendum est, hanc po- 1625
testatem Ecclesiæ concessam esse à Christo 1. quia hoc fuit definitum contra primos hæreticos in Concilio Constantiensi, sess. 8. & 9. & in bulla Martini V. & postea contra Lutherum à Leone X. ut refert Leander cit. & fusè probat Castropal. D. 1. de Cens. p. 3. n. 2. Deinde constat ex verbis Christi, Math. 18. *qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus*, ac si diceret: *qui Ecclesiæ contumax, inobedienseque fuerit, tanquam Ethnicus, & publicanus tractari potest*: sed Ethnicus privatus est omnibus Ecclesiæ suffragiis, aliisque bonis spiritualibus communibus; ergo & ille. Tertiò constat ex continua praxi Ecclesiæ, à tempore Apostolorum, ut patet ex illo ad Cor. 5. ubi Paulus hominem contumacem judicavit *tradere Sathanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat*. Ubi excommunicavit quendam incestuosum, qui novercâ abutebatur, & 1. ad Timoth. 1. duos blasphemos tradidit Sathanæ.

Rationes in oppositum nihil prosunt. 1626
Ad 1. N. ant. de bonis communibus; quamvis concedam de privatis; sed his non privat censura. Ex eo autem, quòd bona communia fidelibus à Christo relicta sunt, non probatur, ea non subesse Ecclesiæ, ut in republica politica, ubi sæpius bona communitati relicta à Principe subduntur magistratui, ut possit indignis, & inobedientibus subtrahere: deinde falsum est, hanc privationem fidelibus non esse in salutem; cùm sit præcisè in eorum correctionem. Ad alterum dico, falsum esse, quòd non sit conveniens, ut quis pœnam in se exequatur, cùm id contingat in frequenti republica etiam civili, ut notat Coninch. D. 13. d. 3. in fine, Lessius c. 31. n. 36. apud Castropal. cit. n. 2. Hinc Streinius in proleg. jur. Canon. §. 8. de lege pœnali, n. 6. tunc solum, ait, Reum non te-

neri *pœnam legis per se ipsum exequi*, cùm non fit sine crudelitate; secus, in moderata pœna. Ad postremum N. similiter ant. ut patet ex n. priori, præterquam, quòd falsum sit, non probari etiam ex cit. verbis, non enim solùm à peccatis, sed etiam per carentiam aliorum bonorum cœlum clauditur, quorum defectu sæpe contingit, contumaces Ecclesiæ subditos ex impœnitentia interire.

§. 2.

In quo resideat potestas ferendi censuras?

1627 SUpponendum, in duplici specie, vel classe esse potestatem Ecclesiasticam. 1. *Ordinariam*, quæ scilicet alicui officio, vel dignitati Ecclesiasticæ, prout ab Ecclesia institutæ, in perpetuum annexa est. 2. *delegatam*, quæ alteri talis jurisdictionis capaci, conceditur ab habente potestatem ordinariam. Quòd autem potestas ordinaria delegari possit, probatur, præter alia, ex c. 7. *Cùm Episcopus*, de offic. Ordin. in 6. ubi dicitur, quòd Episcopus in quolibet loco suæ diœcesis non exempto, vel per se, *vel per alium*, pro Tribunali sedere possit, his positis: R. non esse dubium, potestatem, quam habet Ecclesia ferendi censuras, esse de jure divino. Nam illa immediatè à DEO concessa est Ecclesiæ, ut ex dict. constat, & determinatum est in Extravag. *Unam sanctam*, de majoritat. & obed. ipsa tamen institutio censurarum, item applicatio (ad hanc, vel illam personam, aut hoc, vel illud crimen) non est de jure divino, sed humano. Nihil enim est in censuris, quod Ecclesia mutare non possit, sicut de facto multa sunt mutata, ut patebit ex seq. Neque de factò datur aliquod crimen, cui jure divino annexa sit censura; hoc enim esset maximè *hæresis*; atqui nec ista est; cùm hæc primùm in hæreticos statuatur à Pontifice; ita D. Th. Sotus, Syl. Henriq. Suar. & alii. Nec obstat, quòd Paulus præcipiat, *vitari hæreticum*; hoc enim non facit, ut Scriptor sacer, sed ut Prælatus Ecclesiasticus; imò negant aliqui, præceptum illud esse de excommunicatione, sed solùm de fuga ob periculum contagionis; his præmissis ad quæstionem, cui conveniat ordinaria potestas ferendi censuras?

1628 R. 1. potestatem hanc convenire Papæ, in quo tanquam in capite residet hæc potestas, quam immediatè à Christo accepit. Math. 18. & Joann. 22. *pasce oves meas.* Nam ad oves bene pascendas pertinet etiam coërcere illas; item Concilio generali, congegato Authoritate Summi Pontificis; Sic enim cum illo, tanquam Capite, efficit unum corpus: tandem etiam Cardinalibus, in propriis duntaxat titulis, ex c. *his quæ*, II. de majorit. & obed, quia in his solùm, in foro externo, jurisdictionem habent; ita communis cum Escobar, Theol. mor. tr. 4. c. 2. exam. 1. & patet ex illis verbis in cit. c. 11. ibi: *sententiando decrevimus, ut earundem capellarum Presbyteri, & Clerici, qui nunc sunt in ipsa Ecclesia, & qui pro tempore fuerit, correctionem ipsius Cardinalis recipientes humiliter, & excommunicationis, & interdicti, vel suspensionis sententias, quas tulerit in eos, & Ecclesias eorundem, inviolabiliter observantes.* Quando autem Ecclesia ipsa Cardinali vacabit, Capellani, & Clerici memorati nihilominus eidem Ecclesiæ reverenter exhibeant omnia supradicta, eo duntaxat excepto, quod de correctione, excommunicatione, & suspensione, ipsorum pro bono pacis, nostræ providentiæ reservamus.

1629 R. 2. potestatem ordinariam ferendi censuras etiam competere Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, qui habent proprios subditos, & diœceses; est enim annexa eorum Prælaturis. Ad hoc autem sufficit, quòd sint confirmati Prælati, licet nondum consecrati; ita communis, ubi tamen nota, quòd Archiepiscopus, respectu subditorum sui Suffraganei, non possit ferre censuram, nisi visitet diœcesin sui suffraganei, vel ad ipsum devolvatur per appellationem causa subditorum suffraganei, in c. *Venerabilibus*, 7. de sent. excom. in 6. idque ex omnium sententia tradit Coninch D. 13. d. 4. in princip. cit. à Castropalao p. 4. n. 2. Textus autem citati Capituli sic habet: *Cæterùm Rothomagensi Archiepiscopo, vel ejus officiali non licet excommunicatis ab Archidiaconis, vel aliis subditis suffraganeorum ipsius Archiepiscopi (cùm nec excommunicantium, nec excommunicatorum sint judices) absolutionis beneficium impartiri: excommunicatos autem ab ipsius suffraganeis, vel eorum officialibus possunt absolvere, si ab ipsis litigantibus ad eos fuerit provocatum. Neutrâ verò partium appellante, si qua ipsorum per Archi-Episcopum, vel ejus Officialem ab excommunicatione con-*

tra eam lata pro reliqua postulet se absolvi: vel aliàs coram eis de parte adversa querimoniam sine appellationis interpositione deponat: non est in hoc ab ipsis (cùm sui non sint Judices) audienda. Sed si excommunicatus deponat apud eos de suffraganeo, ut imponatur ei pœna, & pro suo interesse super injusta excommunicatione querelam: audire utique debent eum; secus autem si conqueratur de ipso, ut relaxetur hujusmodi sententia contra se ab eo pro alio promulgata: quoniam tueri hanc causam non ad ipsum suffraganeum, sed ad eum pro quo est sententia lata, spectat. Attamen si suffraganeus vel extra judicium pro suorum defensione jurium, vel etiam in judicio ex suo procedens officio inquirendo, videlicet vel simile quid agendo aliquem excommunicet: in hoc casu conveniendus est ipse suffraganeus coram Archi-Episcopo, vel ejus Officiali: quia ipsius interest defendere causam suam. Ex hoc textu clarè apparet, excommunicatos à subditis suffraganeorum Archi-Episcopi ab hoc non posse absolvi; bene tamen excommunicatos ab ipsis suffraganeis, vel eorum Officialibus, si ad eum fuerit appellatum. Novam verò *querelam* prætextu sententiæ erroneæ, aut similis proponendam esse coram eo Judice, qui illam tulit; vel coram eo, qui adiri potest per simplicem querelam, non autem coram Archi-Episcopo Metropolitano, qui solùm Judex est ex causa appellationis inter subditos Episcopi, etiamsi agatur contra sententiam ex eo, quòd nulla sit. Sic Covarruv. de Sponsal. p. 2. c. 8. §. 12. à n. 12.

1630 Rz. 3. eandem potestatem jure ordinario convenire Legatis Pontificiis, sive sint Legati à latere, sive nati, sive missi; scilicet in provincia suæ legationis, ex c. *Legatos*, 2. de offic. Legati in 6. cùm habeant jurisdictionem Ordinariam, ut dicit Clemens IV. ibi: *Legatos, quibus in certis provinciis committitur legationis officium, ut ibidem evellant, & dissipent, ædificent, atque plantent: provinciarum sibi commissarum, ad instar proconsulum, cæterorumque præsidum, quibus certa sunt decreta provinciæ moderandæ Ordinarios reputantes. Præsenti declaramus edicto commissum tibi à prædecessore nostro legationis officium nequaquam per ipsius obitum expirasse.* Item Vicariis Papæ, Archiepiscoporum, & Episcoporum. Eorum enim idem est tribunal cum iis, quorum sunt Vicarii, c. 2. de consuetud. in 6. ibi: *Non putamus illam consuetudinem quantocunque tempore de facto servatam consonam rationi, quòd ab officiali Episcopi ad eundem Episcopum valeat appellari. Nec ab eodem ad seipsum (cùm sit idem adjutorium utriusque) appellatio interposita videatur.* c. *Romana*, de appellation. in 6. ibi: *Cùm suffraganeorum Rhemensis Ecclesiæ suorumque officialium (qui generaliter de causis ad ipsorum forum pertinentibus, eorum vices supplendo cognoscunt) unum, & idem consistorium, sive auditorium sit censendum: ipsis officialibus non ad dictos suffraganeos (ne ab eisdem ad seipsos interponi appellatio videatur) sed de jure ad Rhemensem est curiam appellandum.* Hoc autem intellige de Vicario *principali*, non *foraneo*, qui habet jurisdictionem solum delegatam, nec facit cum suo Principali idem tribunal; ita Abbas in c. *Si quis contra Clerum*, n. 30. de foro compet.

Rz. 4. eandem convenire Concilio 1631
provinciali Archiepiscopi, diœcesano Episcopi, & Capitulis Ecclesiarum sede vacante; per c. *grave nimis* 29. de præbendis, ubi dicitur, quòd Capitulum provinciale à beneficiorum collatione suspendat eos, qui post secundam correptionem indignis beneficia conferunt. De aliis etiam Capitulis sede vacante, constat ex c. *Cùm olim*, de majorit. & obedient. ubi dicitur; quòd Episcopatu vacante Capitulum confirmet, & infirmet electiones; c. *unico*, eod tit. in 6. ubi: *Episcopali Sede vacante potest Capitulum, seu is, ad quem Episcopalis jurisdictio tunc temporis noscitur pertinere, iis, quibus potest Episcopus, si viveret, ab excommunicationis sententia sive juris, sive hominis fuerint, absolutionis beneficium impartiri, nisi ei fuerit à Sede Apostolica specialiter interdicta potestas.* Idem etiam est de Vicario Capituli sede vacante, ut decernit Trid. Sess. 24. de reform. c. 16.

Rz. 5. eandem convenire Inquisitori- 1632
bus S. Officii; Sic Navarrus, Simancha, Alterius & Henriquez, quos citat, & sequitur Leander tr. 1. de Cens. D. 2. q. 14. contra Archi-Diaconum, qui in c. *Ne aliqui*, de hæreticis in 6. negat; ratio est, quia in causis fidei, & aliis ad officium spectantibus, sunt delegati Sedis Apostolicæ. Idem quoad potestatem ordinariam ferendi censuras in subditos, dicendum venit de Prælatis Religionum, ut Generalibus, Provincialibus, Abbatibus, Guardianis,

Recto-

Rectoribus, aliisque, qui habent jurisdictionem in foro externo; Sic Castropal. de Cens. D. 1. p. 4. n. 2. & alii communiter, idque ex jure communi, ut habetur in c. *Cùm in Ecclesia*, 10. de major. & obed. ubi dicitur, Canonicos Regulares, inobedientes Priori suo, per ipsum excommunicari posse; quod etiam colligitur ex c. *quanto*, 7. de offic. Ordinarii.

1633 N. 6. Archi-Diaconos (idem est de Archi-Presbyteris) in primæva institutione, hac potestate caruisse, ut habetur c. 5. de offic. Archi-Presb. ibi: *Archi-Diacono non videtur de Ecclesiastica institutione licere (nisi auctoritas Episcoporum accesserit) in aliquos sententiam promulgare.* Quamvis illam aliqui obtineant ex consuetudine approbata, ut patet ex c. *Veniens*. 1. de eo, qui furtivè ordines suscepit; ibi: *quod si non fuerit à te, vel ab aliquo Archi-Diaconorum tuorum sub anathematis interminatione prohibitus*; id, quod etiam colligitur ex c. *duduum*, 54. de elect. V. *Cùm in jure.* Ex hoc colligitur, potestatem ferendi censuras, posse acquiri consuetudine & præscriptione; ita Diana Coordinatus tom. 5. tr. 1. de excom. resol. 1. n. 1. & patet ex c. *dudum*, de elect. & electi potestate, c. *Romana*, de sent. excom. in 6. ubi idem dicitur de potestate absolvendi ab excommunicatione lata per alium; colligitur præterea etiam ex c. *auditis*, & c. *Cùm olim*, de præscript. Nam jurisdictio potest acquiri præscriptione, c. *Cùm contingat*, de foro compet. Ubi nota, præscriptionem non conferre jurisdictionem, sed esse conditionem, quâ positâ illam conferat Pontifex; ita Mercerus, & Gordanus apud Dianam loc. cit. §. 2. potest autem hæc potestas præscriptione acquiri circa unam censuram, non circa aliam; Nec enim est inter unam & aliam potestatem necessaria connexio; hinc quando dicitur: *Jus acquisitum circa actus unius generis, extenditur ob similitudinem ad alios*, locum non habet in præscriptionibus, ut habetur c. *Cùm olim*, de præscription.

1634 Quæstio est, an Parochi habeant ordinariam potestatem ferendi censuras? Leander de cens. tr. 1. D. 1. q. 17. pro parte affirmante citat S. Thomam, Sylvest. & Archidiaconum; sed intelligendi sunt loqui de casu, quo per consuetudinem, aut Episcopi concessionem acquisiverunt; non verò, de Parochis in communi. Sic enim, sicut nullam habent in officii jurisdictionem in foro externo, sic nullam jurisdictionem jure communi; ita communis cum Suarez, Bonacin. Sayro & aliis. Nec obstat, quod in c. *Cùm Ecclesiarum*, de offic. Ordin. pro rata habeatur excommunicatio, lata à Plebano S. Pancratii in suos subditos; ex quo inferunt aliqui: ergo egit ex potestate jure ordinario sibi competente. Nam respondet 1. Davila p. 2. de cens. c. 3. d. 2. illum simul fuisse præpositum Ecclesiæ collegiatæ; Similibus autem inest jurisdictio ordinaria; hinc non egit, quà Parochus. N. 2. illam potestatem illi fuisse concessam non jure communi, sed vel privilegio, vel præscriptione, aut consuetudine approbatâ; ex qua etiam habent nonnulli potestatem examinandi res in foro externo: imò licet habuissent potestatem excommunicandi pro rebus subtractis, vel deperditis, hæc tamen abrogata est per Trid. Sess. 25. de reform. c. 3. & mandatum, ut id faciant soli Episcopi.

§. 3.

De conditionibus requisitis in ferente censuram jure ordinario.

PRima est, ut sit ordinis clericalis, seu 1635
primæ saltem tonsuræ; quia sine prima tonsura (per quam quis ingreditur statum clericalem, c. *Cùm contingat*, de ætate, & qualit. ordinand.) nemo est jure Ecclesiastico capax sacræ jurisdictionis; ut habetur expressè c. 2. de judic. ubi prohibentur Laici tractare negotia Ecclesiastica, c. *Cùm Laicis*, de rebus Eccles. non alienand. c. *Contingit*, de arbitr. c. Ecclesia, de constitutionibus, & in specie, c. *bene quidem*, dist. 96. §. *Maximus Episcopus*; ubi expressè definitur, *non licere Laico anathemata dicere, aut excommunicare.* Non tamen requiritur, ut sit Presbyter, aut alio ordine sacro initiatus; ita Leander sæpè cit. contra Gloss. ibid. q. 10. Nam ad exercendam jurisdictionem sacram, non requiritur ordo sacer *jure divino*; cùm non sit actus ordinis; nec *jure humano*; cùm sacri canones solùm exigant clericatum, ut habetur c. *in nova*, 17. q. 7.

Ex hoc inferes 1. nulli Religioso Lai- 1636
co, etiam professo, jure humano committi posse, aut capacem de facto esse jurisdictionis ferendi censuras; Suarez D. 2. s. 3. n. 11. Laymann l. 1. Summæ tr. 5. p. 1. c. 3. n. 2. apud Castropal. D. 1. p. 4. n. 3. Quamvis Layman ibidem concedat, talem potestatem

statem à Superiore concedi posse Clerico Novitio. Nam talis Laicus, etiam professus, non est *in re Clericus*, id quod jure Ecclesiastico requiritur ad ejusmodi jurisdictionem. Secundò fœminam esse jure canonico incapacem hujus jurisdictionis, ut habetur c. *Nova*, de pœnit. & remissionib. c. *de monialibus*, de sent. excom. c. *dilecta*, de majorit. & obed. ubi dicitur, quòd Abbatissa moniales, & Clericus suæ jurisdictioni subjectos excommunicare non possit, sed Prælatus Ordinis, vel Episcopus. Et ratio est, quia fœmina non est Ordinis Clericalis. Neque refert, quòd eodem loco significetur, ad Abbatissam pertinere, dictas personas, propter inobedientias & culpas commissas, officio, beneficioque suspendere. Nam ad hoc respondet Sylvester V. *Abbatissa* in 6. Suarez D. 2. S. 3. n. 6. verbum *suspensionis* sumi laxè solùm pro pœna, non censura. Unde quamvis fœmina, ex ordinatione Pontificis, possit habere aliquam jurisdictionem sacram; ferendi tamen censuras potestatem excludunt ab illa canones.

1637 Secunda conditio est, ut quis sit capax jure Ecclesiastico jurisdictionis ferendi censuram, *ne sit conjugatus*, quod verum etiam est de Clerico conjugato, licet minores ordines habeat, habitum clericalem deferat, & obsequio alicujus Ecclesiæ addictus sit; constat ex c. *Sanè*, 2. de Cleric. conjugat. quamvis privilegio fori, & canonis tunc gaudeat, ut patet ex c. *unico*, de Cleric. conjug. in 6. juncto Trid. Sess. 23. c. 6. de reform; hinc nemo, nisi Pontifex, tali Clerico potest similem potestatem committere. Ille enim solus potest adversus decreta universalis Ecclesiæ procedere. Paludan. m. 4. D. 10. q. 2. a. 1. apud Layman l. 1. tr. 5. p. 1. c. 3. n. 2. Excipe Clericum conjugatum, qui unicam, eamque virginem duxit, ab eaque se separavit, edito utrinque castitatis voto. Is enim est capax hujus jurisdictionis, ex cit. c. *sanè*. Tertia est, ut sit homo *viator*. Censuræ enim sunt arma militantis Ecclesiæ; ergo *solùm* irrogari possunt per ministros in ea militantes; ita S. Thomas, Ugolinus, Reginaldus, Alterius, Suarez, & alii.

1638 Quarta, ut sit *compos rationis*, *& habeat usum illius*. Nam aliàs nulla erit acceptatio, quæ tamen requiritur, ut accipiatur jurisdictio. Deinde aliàs non posset judicium ferre, nec modo humano sententiam pronuntiare. An autem puero carenti usu rationis possit conferri hæc jurisdictio, ut illam exerceat postea factus adultus? affirmat Alterius l. 3. D. 7. c. 6. col. 3. probans c. *Ex ratione*, de ætate, & qualit. ubi summus Pontifex non declarat irritas collationes Ecclesiarum, factas pueris à quodam Episcopo; sed tantum jubet idoneis clericis committi, donec illi pueri ad congruam ætatem perveniant. Demum, ut quis habeat delegatam jurisdictionem, sufficit, si consentiat, antequam jus suum exerceat. Sed, probabilius negat Suarez, Corneio, & alii. Nam 1. paritas in primo argumento nulla est; ideo enim illas collationes non irritat Pontifex, quia defectus fuit in ætate, quam pro tunc voluit supplere Pontifex; non in consensu. Deinde jure naturali ad acceptandam jurisdictionem requiritur actus humanus, qui in talibus pueris esse nequit. Quinta est, *ut sit baptizatus*; qui enim non est membrum Ecclesiæ, non est capax jurisdictionis Ecclesiasticæ; at qui non est baptizatus, non est membrum Ecclesiæ; ergo. Hinc excluduntur infideles, Judæi, hæretici; item Apostatæ ex mente Nicolai Papæ ep. 7. ad Mich. Imperat. dicentis: *non potest quemquam ejus removere sententia, qui se jam præbuit ipse removendum.*

Circa nonnullas alias conditiones in 1639
ferente censuram sive jure ordinario, sive delegato, non omnes æque conveniunt. Dubitatur enim 1. an Prælatus vitandus, vel ab officio, aut jurisdictione suspensus, validè ferat censuram? R. negativè, cum Suarez D. 2. S. 4. n. 2. Hurtado, Covar. & aliis. Nam censuræ impediunt omnino usum sacræ jurisdictionis, ut cavetur in c. *Audivimus*, 24. q. 1. c. *exceptionem*, de exceptionibus, & c. *ad proband.* de sent. & re judicat. Quod magis patebit ex dicendis infra de effectibus excommunicationis majoris; ubi hoc limitamus ad solos excommunicatos *vitandòs*. Idem dicendum est de Vicario Episcopi *vitandi*; ratio est, quia jurisdictio utriusque una est; ergo sin illâ privatus sit Episcopus, etiam erit privatus Vicarius; atqui de Episcopo sic est, ut dicemus infra. Hinc etiam ad quæstionem, an saltem Delegatus Prælati delegantis, sed excommunicati vitandi, possit validè censuras ferre? R. si res non sit integra, posse; quia sic non exspirat potestas Delegati per excommunicationem delegantis; secus,

si sit integra. Tunc enim ejus potestas exspirat, ut dicemus infra, & patet ex c. *gratum*, 20. de officio, & potest. Judicis delegati. Et ideo etiam Vicarius Episcopi, apud Barbaros captivi, nequit validè censuras ferre; quia tali casu reputatur Episcopus civiliter mortuus; & jurisdictio devolvitur ad Capitulum, donec Episcopus liberetur, vel aliter à Papa disponatur; ergo idem est de ejus Vicario, cùm tribunal Episcopi & Vicarii sit idem. ant. pat. ex c. *Si Episcopus*, de suppl. neglig. Prælat. in 6.

1640 Dubitatur 2. quòd dicendum de Prælato excommunicato, non vitando? R. etsi aliqui negent, validè ab illo fieri posse censuras; quia tamen probabilius est, eum non privari jurisdictione, ut alibi dicemus, etiam probabilius esse, illum posse censuras ferre validè, sed non licitè, nisi sit requisitus à fidelibus. Si quæras, an idem concedendum sit judici excommunicato non vitando, licet eum excommunicatum esse manifestum sit? negat Layman l. 2. tr. 5. p. 2. c. 5. sed probabilius est, posse validè, ob rationem jam datam. Sic Navarrus, Diana, & alii.

1641 Dubitatur 3. an qui habet potestatem ferendi censuras, validè agat ferendo contra illum, qui prius legitimè appellavit, aut recusationem fecit? R. negativè, quia appellatio, in tempore facta, suspendit usum jurisdictionis in Judice, ut habetur c. *Romana*, & c. *si à judice*, de appellat. in 6. Idem facit recusatio Judicis, facta prius, quàm sententiam excommunicationis, vel alterius censuræ ferat, ut habetur c. *quoties Episcopi*, 2. q. 6. & docet cum communi Diana coordinatus tr. 1. de excom. resol. 141. quod etiam verum est, non tantùm, quando Reus appellat contra sententiam Judicis, factum esse notorium declaranti, sed etiam recusat Judicem excommunicantem; excipe, nisi Judex agat cum potestate, *non obstante appellatione*. Hinc si qui docent contrarium, loquuntur de appellatione non facta in tempore, sed post latam sententiam excommunicationis, aut alterius censuræ quo casu appellatio non habet vim suspendendi ex c. *Ad reprimendum*, de offic. Ordin. sed tantùm devolvendi, ut Superior possit cognoscere de justitia excommunicationis.

1642 Dubitatur 4. an validè agat, in se ipsum ferendo censuram? R. negativè, quia nemo in se ipsum Superior est, aut Judex. Hinc si Episcopus ferat legem sub interminatione censuræ, qui illam violârit, Episcopus non incurret pœnam, quàm ipse posuit; ita Gibalinus de jurisdictione sacra, disquisit. 4. q. 2. Consectario 1. Unde negandum est, quòd tali casu Episcopus censuram ferat authoritate Papæ. Quod diximus de Episcopo, etiam est de Capitulo; aut Collegio integro; quamvis hoc sancire possit censuras in singulas personas de Capitulo, vel Collegio. Totum enim imperare potest parti, ut habetur c. *Irrefragabilis*, de offic. Ordinar.

Dices: Potest Episcopus ferre legem 1643
in lusores aleæ sub excommunicatione, & deinde talem excommunicatum invitare, ut secum aleâ ludat; quo casu Episcopus incurret excommunicationem minorem propter communicationem cum tali excommunicato. R. posse quem, occasione censuræ *à se latæ*, incurrere censuram *latam à jure*, ut si quis communicet cum excommunicato à se, & vitando; vel celebret in Ecclesia à se interdicta; tum enim incurret irregularitatem, ut notat Diana tr. 1. de excomm. resol. 2. §. 1. in dicto tamen casu Episcopum non incidere in excommunicationem minorem 1. quia collusor non est vitandus 2. non incideret in excommunicationem *à se* latam; excommunicatio enim minor est à jure lata 3. quia probabilius est, quòd si Episcopus, ad lusum à se vetitum, invitet alium, cum eo pro hoc casu, in sua lege, dispenset; ita Gibalinus cit. consect. 1. §. *quia tamen*.

Dubitatur 5. an Prælatus Ecclesiasticus 1644
possit ferre censuram in causa propria? Communis sententia negat; quia quà parte est actor, est subditus; quà parte est Judex, debet esse superior: propriè autem nemo est sibi subditus & superior; ergo. sic c. *Inter querelas*, 23. q. 4. & docet Suarez D. 2. S. 4. n. 5. Hoc tamen limitat Diana cit. resol. 2. §. 1. cùm ferret censuram in causa propria per modum judicii, quod etiam approbat Leander tr. 1. de cens. in communi D. 2. q. 41. qui tamen cum Diana cit. admittit, eum posse, si ferat per modum defensionis contra violentum invasorem, vel ad repellendam injuriam. Nam jure naturali licet vim vi repellere, ac se defendere; neque tunc Prælatus procedit ut Judex, sed ut se ipsum defendens. Et sic intelligendum esse, atque intelligi ab Innocentio IV. Capitulum: *inter querelas*, osten-

ostendit Diana ex c. *dilecto filio*, de sent. excom. in 6. & clarè definitur c. *dilecto*, de sent. excom. in 6. Cœterùm Abbas ad c. *Cùm venisset*, de judiciis, docet, idem licere, etiam per modum *judicii*, ubi causa est tam manifesta, ut negari non possit, neque indigeat examinari; cui etiam assentitur Mercerus apud Dianam loc. cit. videturque idem tenere Leander, q. 43. referens complures. Tum enim Judex non est simul actor, cùm res non egeat examine.

1645 Dubitatur 6. an censura sit valida, quæ fertur sine intentione illam infligendi? R. negativè; quia tunc Superior non agit actu humano, quod tamen necessarium est; cùm sit exercitium jurisdictionis humanæ; ita Gibalin. cit. disquisit. 3. q. 3. & Leander cit. q. 45. Ex quo etiam deducitur, censuram fore nullam, si non feratur liberè. Actus enim non liber, non est actus humanus.

1646 Dubitatur 7. an sit valida, si feratur ex metu cadente in virum constantem, aut vi illata Prælato? Negant aliqui, ut refert Leander cit. q. 47. quos inter Ugolinus, & Sayrus; Sed probabilius est valere; ita Suarez, Coninch. & Hurtad. quos citat, & sequitur Castropalaus de Cens. D. 1. p. 5. n. 2. Nam *gesta per metum* jure naturæ valida sunt, nisi aliunde jure positivo irritentur, vel inducant actum, qui ubi semel valet, rescindi non potest humano jure, ex quo nascitur malum eodem jure irreparabile; metus enim non tollit simpliciter voluntarium: in jure autem positivo, inquit Castropalaus, nihil invenitur, quod irritaret censuram ex metu latam; ergo.

1647 Dices: absolutio à censuris ex metu facta, nulla est, ex c. *unico*, de his, quæ vi, metusve causa fiunt; sed idem est de impositione censuræ. Nam c. *Verbum* 51. dist. 1. de pœnit. dicitur, quòd par sit jus ligandi, & solvendi. Sed R. C. ma. N. min. ad dictum c. *Verbum* R. id verum esse, per se loquendo, non autem per accidens. Sic licet Episcopus possit incendiarium nominatim excommunicare, solum tamen Pontifex absolvit, ex c. *Tua nos*, de sent. excom. Et ratio est, quia, quod censuræ absolutio ex metu facta, jure positivo nulla sit, fit in favorem potestatis Ecclesiasticæ; cùm Prælati ad solvendum cogi possint; ferre autem censuram ex metu non est sic in ejusdem favorem, neque in favorem delicti, sicut posse metu adigere ad absolutionem. Deinde dictum c. *Verbum*, est solùm Divi Ambrosii; qui non dicit ibi, quòd par sit jus ligandi & solvendi; sed quòd Dominus, *par jus, ligandi & solvendi esse voluerit*, ut qui solvendi jus non habet, nec ligandi habeat; quod stat, esto non sit par utriusque ratio in quacunque circumstantia. Ex dictis colliges, in ferente censuram præter conditiones jam præmissas, requiri, ne censuram ferat, dum est excommunicatus vitandus; quod etiam intellige de Vicario Episcopi taliter excommunicati, vel captivi apud Barbaros; ne post legitimam appellationem, vel Judicis recusationem; ne per modum Judicis in propria causa juxta dicta à 1635. ne in seipsum &c. de quibus jam dictum est à n.

Præter hæc not. universaliter, censu- 1648
ram ex parte ferentis reddi invalidam, si aut non sit potestas in ferente, aut si usus potestatis non sit validus, ut docet Gibalin. cit. disquisit. 3. q. 3. quod etiam verum est, si Superior illius potestatis talem sibi tunc potestatem reservaret. Ex quo infertur, quòd post Tridentinum soli Episcopi possint concedere monitoria, & excommunicationes illis annexas ad finem restitutionis & revelationis; quamvis id etiam alii prius jure antiquo potuissent. Hanc enim potestatem restrinxit Trid. Sess. 25. de reform. c. 3. quamvis aliqui apud Gibalinum loc. cit. n. 5. existiment, ibi dictam potestatem restringi solùm quoad Prælatos Episcopo inferiores, eique subjectos: non autem quoad Prælatos regulares, qui in suos habent potestatem quasi Episcopalem.

Ugolinus autem, Sayrus, & alii ibid. 1649
existimant dicto Decreto Tridentini hanc potestatem restringi, ita, ut nec per Vicarium suum generalem possit Episcopus ferre ejusmodi monitoria, sed illum egere speciali commissione Episcopi: verùm rectius negant Garcia, Guttier. Suar. D. 20. hìc, S. 1. n. 2. Sanchez l. 3. de matr. D. 29. n. 19. quos refert, & sequitur Gibalinus cit. n. 7. hæc enim potestas pertinet ad ordinariam potestatem Vicarii generalis, qui habet unum, & idem tribunal cum Episcopo ex c. 2. de consuetud. in 6. & c. *Romana*, de appell. in 6. Hinc non appellatur à Vicario generali ad Episcopum, Gibal. cit. n. 7. Et ideo nomine Episcopi intelligitur etiam Vicarius generalis, nisi quid addatur, quo significetur, excludi Vicarium, & Episco-

pum debere agere per se ipsum, non per Vicarium. Gibal. cit. ex Garcia.

1650 Declarationes autem Cardinalium, quæ adducuntur in oppositum, sunt sibi ipsis contrariæ super eo Decreto Tridentini, ut idem notat ex Garcia; atque adeo nihil obsunt; præsertim, cùm declaratio nihil novi faciat, sed tantùm jus explicet, nec quicquam concedat, nisi conscientiæ quietem, ut docet Bruno Chassaing in privileg. regularium tr. 1. c. 2. propos. 1. & apud eum Suarez de legib. lib. 8. c. 1. n. 7. Neque, ut Vicarius ferat monitoria, requiriter absentia Episcopi à diœcesi; potest enim, eo etiam præsente, exercere sua munia, præter ea, quæ excipiuntur, vel reverentia Episcopo debita non patitur fieri eo præsente, Gibalin. cit. n. 7. in fine. Et hoc etiam procedit de Vicario generali Capituli Sede vacante, quo casu tota jurisdictio Episcopi transit ad illud ex c. *Cùm olim*, de majorit. & obed. ita Guttier. & Barbosa, quos citat, & sequitur Gibal. n. 8.

1651 Not. 2. quòd, quamvis nullus Episcopus, vel prælatus habens capitulum, spectato juris rigore, sine consensu capituli possit interdicere Clericos (secus de Laicis) ut habetur c. 1. de excess. Prælat. c. *Novit*, *c. quando*; de his, quæ fiunt à Prælatis sine consensu Capituli, & *c. cum in cunctis*, de his, quæ fiunt à majori parte Capituli; usu tamen, & consuetudine contrariâ illi juri derogatum sit, & jam validè possit; ita gloss. in c. 1. de excess. Prælat. V. *Capituli*. Ugolinus, Sayrus, Suarez, D. 36. s. 1. n. 6. quos citat, & sequitur Gibalinus n. 9. Capitulum tamen, sede non vacante, nequit absque Prælato suo quemquam interdicere, *c. quæsivit*, de his, quæ fiunt à majori parte Capituli; nisi habeat privilegium à Papa, aut longo usu, vel consuetudine quoad hanc independentiam præscripserit; Covarruv. Henriq. Avila, Suarez D. 36. s. 1. n. 5. quos citat, & sequitur Gibalinus disq. 3. q. 3. n. 9. in fine. Prælati autem regulares, quamvis de jure possint Religiosos sibi subditos, & jurisdictioni subjecta loca interdicere; consuetudine tamen in hoc imminutam habent potestatem, saltem quoad interdictum locale, nisi aliquam jurisdictionem habeant in plebem; Gibal. cit. n. 10. cui consentiunt Henriquez, Hurtado, Layman l. 1. tr. 5. p. 4. c. 4. n. 1. Suarez D. 36. s. 1. n. 2.

§. 4.

De Personis, quæ vi delegationis possunt ferre censuras.

QUæstio est 1. an merè Laici possint 1652
ferre censuram ex commissione Pontificis? Negare videtur Covarruv. in *c. Alma mater* p. 1. §. 11. n. 3. Sed rectius affirmant Suarez, Hurtado, Layman, Diana, & alii quia, quòd nunc sint incapaces, oritur solùm ex jure Pontificio, ut constat ex *c. decernimus*, de judiciis; in hoc autem potest Pontifex, justâ interveniente causâ, ex plenitudine potestatis dispensare. Non possunt tamen ex commissione alicujus inferioris Papâ; quia nullus inferior potest dispensare in lege Superioris: hæc autem incapacitas est ex lege Sacrorum Canonum, facta per summum Pontificem; ergo.

Quæstio est 2. an Collegio, constato 1653
ex Clericis, & Laicis, possit ab Episcopo committi potestas ferendi censuram? Not. collegium dici Ecclesiasticum, si vel omnes, vel major pars est ex Clericis; vel seculare, si econtra; quibus positis: 8. posse, si sit Ecclesiasticum; tunc enim habet etiam potestatem ordinariam; non verò, si tantùm seculare; ratio est ex num. præced. Si verò Laici, & Clerici sint pares in numero, adhuc dicetur Collegium Ecclesiasticum; quia magis dignum trahit ad se minus dignum, ex *c. quod in dubiis* 3. de consecrat. Ecclesiæ.

Quæstio est 3. an fœmina ex commis- 1654
sione Summi Pontificis possit ferre censuras? Negat Avila, Victoria, & alii apud Leandrum q. 31. ratio est, quia hæc potestas saltem mediatè pertinet ad clavim Ordinis, cujus fœminæ jure divino sunt incapaces. Hinc Avila & Coninch, D. 13. d. 4. n. 33. apud Castropal. & Layman docent, eas illius jurisdictionis esse incapaces jure divino: sed probabilius affirmant, Layman cit. n. 4. Castropal. cit. n. 5. & apud illos Paludanus, Navarr. Filliucius, Gaspar Hurtado & alii, docentes esse tantùm incapaces jure Pontificio; in quo Papa dispensare potest. Unde negandum est, quòd hæc potestas jurisdictionis supponat potestatem Ordinis, ut patet ex n. 1652. ubi conceditur ex commissione Pontificis, convenire posse merè Laicis. Non potest tamen ex commissione solius Episcopi.

Quæstio est 4. an *non baptizatus* ex 1655
commissione Summi Pontificis ferre possit censu-

censuras? negat Suarez D. 2. S. 3. n. 12. quia infidelis non est membrum Ecclesiæ; ergo jure divino est incapax sacræ jurisdictionis; cùm hæc debeat residere in eo, qui est unum cum corpore mystico Ecclesiæ: affirmat tamen Leander cit. q. 32. putans baptismum in tali subjecto, ad hunc actum, requiri solùm jure humano. 1. quia etiam talis non baptizatus potest ministrare (quantum est ex jure divino) Sacramentum baptismi. 2. Quia tunc, utpote delegatus, operaretur nomine delegantis Papæ. Sed probabilior mihi videtur sententia negans; nam simpliciter *baptizare* non est actus jurisdictionis Ecclesiasticæ; & delegatio supponit subjecti habilitatem.

ARTICULUS IV.

De Subjecto Censuræ.

1656 QUæremus hìc, in quem censura ferri possit, aut non possit? Non enim quilibet est subjectum capax, in quem hæc pœna derivetur, ut patebit ex sequentibus. Subjectum Ecclesiasticæ censuræ non esse nisi hominem, communis tenet cum Navarro, Suarez, Coninch, Layman, & aliis apud Castropalaum D. 1. de cens. p. 6. n. 1. ratio est, quia, ut dicemus n. 1663. censura ferri non potest, nisi in subditum potestati Ecclesiasticæ, qualis est solus homo, quamvis non quilibet quoad omnia. Ex eo autem, quòd Ecclesia creaturas irrationales homini noxias quandoque anathematizet, non est, quòd *censuram* ferat; sed quia illas detestatur, & execratur; hoc enim interdum significat anathema, ut constat ex ep. 1. Pauli ad Galat. his præmissis:

1657 Quæstio est 1. an subjectum censuræ debeat esse homo viator? R. subjectum, censuræ *directè* capax, non esse, nisi hominem vivum; Sic Castropal. cit. n. 1. & apud illum Navarr. Covar. Suar. Avila, Layman contra Abbatem, Tabien. Gabriel. Ugolin. P. Bauny; & alii apud Leandrum tr. 1. de cens. D. 3. q. 4. ratio est, quia nec ferri potest in solam animam; cùm sit extra forum Ecclesiæ: nec in corpus, cùm sit incapax rationis, & emendationis. Et patet ex verbis Christi Math. 16. *quæcunque ligaveris super terram*; in quæ verba Gratianus 24. q. 2. *super terram*, inquit, *non sub terra; ostendens, quòd de mortuis sententiam ferre non possimus.* Nam ut Leo. 1. ad Rustic. Episcopum Narbonensem, epist. 90. vel ut aliàs, 92. c. 7. *horum causa DEI judicio reservanda est.* Ex quo sequitur, in mortuos non posse censuram *directè* ferri.

Dixi *directè*. Nam indirectè potest, ut 1658
bene notat Barbos. in c. *à nobis*, 2. de sent. excom. n. 4. hoc enim aliud non est, quàm propter delictum decedentium ex hac vita, ligare vivos, ut eis non impendant certa obsequia, v. g. sepulturam sacram, & similes cæremonias in Ecclesia. Unde similis obligatio *directè* tangit vivos, & *indirectè* solùm, scilicet ratione vivorum, qui prohibentur exercere dicta obsequia, quosdam censuræ effectus derivat Ecclesia in defunctos. Et hoc solùm probant illi textus, quibus adversarii probant *excommunicari defunctos*, vel à censura solvi, scilicet *indirectè*; quatenus nimirum directè vivis imponitur, vel tollitur aliqua obligatio per ordinem ad mortuos ob eorum delictum. Deinde aliud est, censuram *incurri à mortuis*, aliud, *declarari de mortuis*, quod ipsam incurrerint vivi, & sine absolutione ab illa decesserint. Primum ex nullo textu probatur, bene tamen secundum, ita Gibalinus cit. disq. 3. q. 2. n. 7.

Ex hoc etiam sequitur, cum, qui man- 1659
dat fieri delictum, cui annexa est censura, sed moritur ante illius executionem, nullam censuram incurrere; quia tunc non est amplius in statu viæ, cùm scilicet non consummetur delictum ipso vivente, prout cadit sub censuram; Castropal. Laym. & Gibalin. disq. 3. q. 2. hoc autem procedit solùm, cùm censura fertur in mandantem accessoriè; non verò si principaliter, ut patet ex dicendis infra. Idem est de quavis censura sub conditione, si alter moritur ante conditionis eventum, ut habet Leander cit. q. 6.

Quæstio 2. est, an subjectum censuræ 1660
debeat esse homo baptizatus? R. affirmativè cum communi; quia non baptizati nec sunt subditi Ecclesiæ, nec capaces bonorum spiritualium, quibus privant censuræ. Et ideo de illis Ecclesia judicare nequit, juxta illud Pauli ad Cor. 5. de his, *qui foris sunt, nihil ad nos.* Ex quo inferes, Hæreticos vel Apostatas posse ligari censurâ, quia propter characterem, quem acceperunt in baptismo, semper manent subjecti Ecclesiasticæ jurisdictioni; non autem Turcas, & similes non baptizatos; nec etiam Cathe-

cumenos ex eadem ratione; ita communis cum Leandro cit. q. 8. contra Archi-Diaconum, ejusque sequaces.

1661 Quæstio 3. est, an subjectum censuræ debeat esse homo compos rationis? R. illum non esse capacem censuræ, qui, dum ponit actum sub censura prohibitum, non est compos rationis; quia tunc non committit culpam. Ebrius autem, vel amens, qui prius erat compos rationis, dum commisit delictum, potest ligari censurâ, quod intellige, si amentia non sit perpetua; si enim talis foret, caderet spes omnis pœnæ medicinalis; ita Layman loquens de censura, quæ fertur ab homine. Responsionem nostram tenent Suarez, & Layman l. 1. Sum. tr. 5. p. 2. n. 3. quos citat & sequitur Castropalaus. Tunc enim adesset omne illud, quod requiritur ad ponendam causam censuræ, scilicet cum usu rationis, liberè commissum delictum sub censura vetitum. Si verò quid committant pro statu, quo carent usu rationis, ligari nequeunt. Tunc enim sunt expertes culpæ. Priorem casum de iis, qui post delictum incidunt in amentiam, quem Layman restringit ad censuram ab homine, meritò ex eadem ratione extendit Leander cit. q. 15. etiam ad censuram à jure.

1662 Quæstio 4. est, an in subjecto censuræ ultra usum rationis requiratur etiam pubertas? R. pueros impuberes, rationis capaces, posse ligari censuris à jure latis; ita Suarez D. 5. S. 1. n. 17. Coninch, & alii, quos citat, & sequitur Castropalaus contra Abbatem, Lupum, & Ugolinum; quia sunt capaces delicti sub censura prohibiti, nec requiritur ad censuram, ut impubes citetur, vel in judicio compareat (ut supponunt adversarii) nec ullo jure eximitur. Idem censet Castropalaus de censura per sententiam specialem; quia possunt impuberes in judicio respondere medio tutore, vel procuratore; aut etiam tantum instrui, ut non minus intelligant, quàm puberes: Suarez autem, Vasquez, Corduba, Henriq. Diana, & alii contra Hurtadum & Alterium docent defactò non velle Ecclesiam impuberes coërcere censuris, nisi aliàs ex verbis juris, aut inflictæ censuræ contrarium expresè innotescat, 1. quia convenientius est, tales punire pœnis, quibus facilius coërcentur, 2. quia ex pietate Ecclesiæ præsumi potest, quod nolit in illis descendere usque ad impuberes. Sed huic resolutioni videtur obstare *c. Super eo* 1. de sent. excom. ubi Pontifex loquitur de impubere Clerico alterum percutiente. Cæterùm lib. 1. tit. 2. de Constitut. tanquam probabilibus amplexi sumus, impuberes non ligari censuris, & pœnis Ecclesiasticis, latis non tantùm ab homine, sed etiam à jure, exceptâ solâ excommunicatione ipso jure lata ob Clerici percussionem, de quo procedit dictum c. *super eo.*

Quæstio 5. est, an censura ferri possit 1663
in non subditum? R. negativè; quia sicut in ferente requiritur jurisdictio pro foro externo; sic in eo, in quem fertur, requiritur subjectio; hæc enim sunt correlativa, ut bene notat Suarez D. 5. S. 1. n. 26. & patet tum ex c. *Romana*, de sent. excom. in 6. tum ex c. *Anobis*, de sent. excom. hinc licet excommunicatio lata in non subditum deinde etiam a Judice proprio rata habeatur, adhuc nulla est, ut bene docet Gibalin. de jurisdict. sacra, disq. 4. q. 1. in *principio*; quod enim principio nullum fuit, nunquam ratum haberi potest. Nam Declaratio nihil novi facit (ut docet Suarez de leg. l. 8. c. 1. n. 7.) sed jus explicat; nec quicquam concedit: ergo si prius jus nullum fuit, etiam post talem ratihabitionem nullum erit, nisi accedat nova sententia proprii Judicis non tantùm declaratoria, vel confirmatoria prioris juris, sed revera statuens novum jus; ita Gibalinus cit. juxta c. *prudentiam*, de offic. & potest. judic. delegati.

Ex hac responsione sequitur. 1. quòd 1664
nemo in se ipsum ferre possit censuram, quamvis possit quis denuntiare censuram contra se latam ab alio. Sic enim jam esset distinctio inter eum, qui fert, & inter eum, in quem fertur censura; Gibal. cit. consect. 1. in fine. Sequitur 2. censuram ferri non posse in Superiorem, vel æqualem ferenti, intellige, si sint æquales jurisdictione; nam par in parem non habet imperium ex c. *Innotuit*, de elect. in 6. neque inferior in Superiorem. Aliud dicendum esset, si forent æquales solùm in dignitate, sed in diversis territoriis & jurisdictionibus. Sic potest Episcopus delinquens in aliena diœcesi, vel etiam Archi-Episcopus in territorio sui suffraganei Episcopi etiam censuris puniri; ita Gibalinus de sacra jurisdict. disq. 4. q. 1. consect. 2. Tùm enim talis delinquens, ratione delicti, fit subditus Domino talis territorii sacri. Quod existimo verum, si delictum sit contra legem communem,

munem, non municipalem, vel particularem talis Episcopi. Hæc enim non tenentur, qui non sunt proprii subditi, ut docet Layman. de leg. l. 1. tr. 5. p. 1. c. 4. n. 5. Nec valet id, quod affert Archi-Diaconus ex c. *Placuit* 6. q. 3. probans ex illo Superiorem ab inferiore posse censurâ notari; quia in illo solùm dicitur, quòd subditus unius Episcopi possit excommunicari ab altero Episcopo, in causa furti, quod in ejus diœcesi, & jurisdictione commissum est. Sequitur 3. in Summum Pontificem à nullo homine posse fieri censuram; quia nulli est subditus. Excipit tamen Leander q. 18. casum, quo Papa incideret in hæresim; quo casu (etsi Corneio neget Papam à Concilio compelli posse censuris ad comparendum) probabilius tamen affirmatur cum pluribus ex c. *Si Papa*, dist. 40. ubi dicitur, ut nullus mortalium culpas Papæ redarguere præsumat, nisi deprehendatur à fide devius.

1665 Si petas, an Episcopus diœcesis, in qua peccatum est admissum, punire possit auctorem ejus, quamvis diversæ sit diœcesis à sua? R. Episcopum posse advenam, qui in sua diœcesi deliquit, jubere, ut satisfaciat læso, &, si nolit, etiam censuris coërcere, quàm diu est intra diœcesin; ita Baunus de Cens. tr. 1. q. 11. quia delictum non facit aliquem absolutè subditum illius loci, in quo deliquit; sed tantùm, quamdiu ibi est, ergò solùm in dato casu puniri potest à tali Episcopo. Excipe, nisi legitimè fuerit citatus, hinc si post talem citationem abeat, potest à suo Episcopo ad alterius preces cogi, ut se illi sistat. An verò ratione delicti in aliena diœcesi præcisè commissi censuris plecti possit advena, dicam in sequentibus. Hinc

1666 Quæstio est 6. an censuræ ligent advenas? Universalis regula hæc esse potest: ubi aliquis desinit esse subditus Episcopi, ibi non potest ab illo ligari censurâ: ibi potest, ubi incipit esse subditus, ita Gibal. cit. disquis. 2. q. 3. n. 1. ratio est, quia nemo potest ferre censuram in non subditum; potest verò in subditum, ex dictis. Ex hoc deducunt aliqui, quòd advena non incurrat censuram in ea diœcesi, ad quam venit sine animo figendi domicilium, aut per longum tempus ibidem commorandi, statuto, aut sententiâ speciali, vel etiam generali, sed solum diœcesanâ latam. Ratio est, quia talis advena non est illius Episcopi subditus, nec ligatur specialibus illius loci legibus, ut docet Palud. Sylv. Sanch. Coninch, Azor, & alii, quos citat, & sequitur Layman l. 5. tr. 6. c. 10. n. 4. & desumitur ex L. *Hæres autem*, ff. de indiciis, arguiturque ex c. *ult.* de foro compet. Sed hoc resolvendum est, juxta diversas sententias in quæstione, an, & qualiter advenæ, & peregrini ligentur, vel non ligentur specialibus statutis locorum, ad quæ veniunt, aut quà transeunt, de quibus egimus l. 1. Tit. 2. de Constitut.

Aliud est, si quæstio fiat de censuris à 1667
jure, vel ab homine latis, etiam per statuta specialia locorum, in quæ veniunt, sin accedant animo ibi figendi domicilium, aut quasi domicilium; quod fit, si veniant animo ibi per longum tempus commorandi, tunc enim omnino etiam illis, si delinquant, involvuntur; quia tunc fiunt subditi illius territorii, atque adeo specialibus ejus etiam legibus ligantur; est communis, & tenet Paludanus, S. Antonin. Suarez, Sylv. Sanchez & alii, quos citat, & sequitur Layman de legib. tr. 4. c. 12. & constat ex c. *ult.* de foro compet. quod tamen non procedit de iis, qui veniunt animo manendi ad breve tempus, sed per accidens manent diutius, quia negotium v. g. spe tardius procedit. Si autem dicatur, eos non obligari specialibus locorum statutis; secùs est.

Dices 1. quando extranei delinquunt 1668
contra specialem legem loci, in quo sunt advenæ, ratione delicti fiunt subditi talis loci; ergo incurrunt censuras tali lege speciali latas. R. si loquamur in suppositione, quòd non ligentur specialibus locorum statutis; negari suppositum antecedentis, quòd advenæ *delinquant*, dum in tali loco agunt id, quod ejus statuto speciali vetitum est. Prius enim requiritur, ut illos obliget ea lex specialis, quàm ut contra illam peccent. Ad illud autem requiritur, ut sint subditi Superioris ejus loci, quod respectu advenarum deficit. Sic etiam Barbosa in c. *à nobis*. h. t. n. 4.

Dices 2. is, qui furtum in aliena diœ- 1669
cesi sub excommunicatione vetitum committit, fit subditus Episcopi illius loci ratione delicti, licet sit advena; ergo advenæ ligantur censuris latis à statuto speciali. R. quòd talis fur delinquat, quatenus agit contra legem communem de non furando; non autem contra legem specialem loci;

hac

hac enim non tenetur in dicta suppositione. Unde concedo, quòd ratione furti, ut est contra legem communem, fiat subditus illius loci Episcopi, ab eoque cogi possit censuris ad satisfaciendum; non verò ratione furti, ut est contra legem peculiarem loci; sic Gibalin. cit. disq. 3. q. 1. n. 11.

1670 Quæstio est 7. an censuræ ligent existentes extra territorium? Pro resolut. not. 1. quòd subditus alicujus Episcopi dupliciter possit committere rem ab Episcopo sub censura vetitam, 1. intra diœcesin, 2. extra. Not. 2. aliquid sub censura prohiberi posse, vel per statutum, vel per sententiam generalem, aut specialem. Not. 3. discrimen esse inter statutum, & sententiam; illud enim non ligat, nisi ratione territorii, si scilicet delinquens intra illud existat; hæc verò afficit personam ubique existentem; ita Suarez D. 5. de cens. s. 5. n. 14. & 15. quem refert, & sequitur Gibal. cit. q. 3. §. *Non autem.* Ex hoc dicendum, quòd leges territorii non ligent cives absentes, ita Sylv. Covar. Less. Suar. Sanch. & alii, quos citat, & sequitur Layman cit. c. 11. & deducitur ex c. 2. de constitutionibus in 6. ubi dicitur, quòd *statuto Episcopi, quo in omnes, qui furtum commiserint, sententia excommunicationis promulgatur, subditi ejus, qui furtum extra diœcesin illius committunt, minimè ligari noscantur; cùm extra territorium jus dicenti non pareatur impunè.*

1671 Ad hoc ultimo puncto excipi à nonnullis solet statutum, quod præcipuè respicit rem in territorio sitam, vel ipsius commodum; tunc enim volunt illo etiam absentes ligari, Abbas, Sylvester, Sayrus, & Suarez apud Layman cit. id, quod habetur in c. *Ex tuæ*, 11. de Cleric. non resident. ibi: *in Ecclesiis eorum, qui se fraudulenter absentant, nec ab ipsos valet citatio pervenire: trinæ citationis edictum facias publicari: & si nec sic curaverint obedire: & ultra sex menses suas deseruerint Ecclesias, juxta Sanctiones Canonicas, eis debent merito spoliari.* Tale statutum est, ut Clerici certo anni tempore veniant ad Synodum; id, quod Gibalinus putat tunc procedere, quando non ponitur actus, qui ponendus erat intra territorium, disquis. 4. q. 2. n. 5.

1672 Si petas; quid dicendum de legibus communibus? R. peregrinos etiam non ligari legibus, à quibus eximuntur incolæ locorum, ad quæ peregrini advenerant. Est enim privilegium quasi locale, quo peregrinus frui potest, ita Suarez, Sanchez, & alii, quos citat, & sequitur Layman cit. n. 4. quod verum esse volunt, si in eodem loco sint duæ parochiæ, in quarum una ligant, in altera non ligant ejusmodi leges, si sint in loco ab illis exempto. Præter hæc advertendum, ex dicendis, ad censuram requiri actum externum consummatum in ea ratione, sub qua prohibetur; quamvis ad alias pœnas subinde sufficiat delictum inchoàsse; Suarez de cens. D. 5. s. 4. n. 1. quem citat & sequitur Gibal. cit. §. *Alterum.* Hinc colligit Suarez, ibi delictum censeri committi per ordinem ad incurrendam censuram, ubi exterius consummatur, quamvis inchoëtur alibi; de quo V. quæ diximus l. 1. Tit. 2. de Constitut.

Ex his infertur 1. quòd subditus ex- 1673
tra territorium committens factum, per aliquod statutum suæ diœcesis sub censura prohibitum, non incurrat censuram; quia tale statutum non ligat extra territorium per n. 1670. ita Layman l. 1. tr. 5. c. 4. n. 6. Gibal. cit. n. 4. & clarè definitur à Bonifacio VIII. c. *ut animarum*, 2. §. statuto Episcopi, de constitutionibus in 6. relato à nobis supr. Infertur 2. quòd non incurrat censuram in sua diœcesi statuto latam in homicidas, qui in tali loco alterum lethaliter vulnerat, primò morientem extra diœcesim; ita Suarez D. 5. s. 5. n. 9. quem citat, & sequitur Layman n. 6. & tenet Diana, tr. 1. de excom. resol 100. n. 2. & resol. 102. n. 4. quia delictum non consummatur ibi, ubi sub censura est vetitum.

Quæstio est 8. An subditus incurrat 1674
censuram, agendo extra diœcesin, quod ipsi mandato speciali prohibitum est ab Episcopo proprio? R. id negari à Coninch. D. 13. d. 7. Avila, Henriq. & Sayro apud Layman cit. n. 6. quos sequitur Diana tr. 1. de excom. resol. 98. & 99. quia sic Episcopus diceret jus extra territorium. Extra territorium autem dicenti jus impunè non paretur ex c. *ut animarum*, de constitut. in 6. affirmari autem ab Ugolino Layman, Bonacinâ & aliis, quos refert, & sequitur Gibal. disq. 3. q. 1. n. 9. Ratio est 1. quia dictum c. *ut animarum* loquitur solùm, cùm per hoc invaditur, & violatur alienum territorium, in illo dicendo jus, cum strepitu forensi, cognitione causæ, &c. ita Abbas

in

in c. *Novit*, n. 3. de offic. Legati, Navarr. c. 27. n. 6. Sayrus, quos citat, & sequitur Layman l. 1. tr. 5. p. 1. c. 4. n. 8. Deinde censura latæ sententiæ non requirit, ut jus ulterius dicatur, quia trahit insensibilem executionem secum juxta c. *Pastoralis*, in fine, de appellationibus.

1675 R. Si tale factum, extra diœcesin commissum, delinquenti prohibitum sit statuto speciali, non contrahi censuram; secùs, si præcepto, seu mandato speciali. Ratio primi est; quia statutum, etiam speciale, non afficit subditum immediatè, nisi ratione loci, qui statuenti subest; ergo, si delictum non committitur in loco statuenti subjecto, lex seu statutum illud pœnale non afficit subditum, nisi cùm est in loco subjecto. Unde c. *ut animarum*, non loquitur solùm de sententia Judicis cum strepitu forensi, sed de quacunque, quæ fundatur in statuto, seu dispositione, sive præceptiva, sive prohibitiva, ratione territorii: ratio secundi est ex natura mandati, seu præcepti. Hoc enim afficit immediatè subditum, ubicunque existat; licet executio pœnæ, si judicialis esse debeat, fieri nequeat in quovis loco.

1676 Ex his inferes 1. in eos, qui Episcopo sunt subditi ratione domicilii, vel beneficii, etiam dum existunt extra diœcesin, dici posse sententiam ab Episcopo, si delinquant vel contra statutum intra locum, quo ligat; vel etiam extra, si contra præceptum. Hinc quando dicitur, Episcopum non habere subditos extra diœcesin, intellige illos, in quos ibi agere possit judicialiter, & cum strepitu forensi; ita Layman cit. & Diana tr. 1. de excom. resol. 99. n. 5. in fine contra Basilium Pontium de matrim. l. 5. c. 7. §. 2. n. 20. apud Dianam cit. resol. 98. n. 7.

1677 Inferes 2. Episcopi legislatrici potestati non obstare, quòd propter delictum intra territorium commissum, incurratur ipso facto censura etiam extra territorium; ita Laym. cit. c. 4. n. 7. Hinc qui subditus est Episcopo ratione domicilii, licet fugiat commisso delicto, etiam absens citari potest per nuntium, vel literas; & si contumax sit, excommunicari, c. *Ex tuæ*, de Clericis non residentibus. Sic enim Episcopus dicit jus intra suum territorium, licet illud exequatur nuntius extra illud; quia hæc executio non est judicialis; ita Abbas apud Laym. loc. cit.

Quæstio est 9. quid dicendum sit, 1678
quando censura fertur propter delictum præteritum? R. delinquentem teneri censurâ latâ per Episcopum, in cujus territorio peccavit, si, priusquam mutavit domicilium, est lata, vel illi saltem per citationem virtualem lis intentata. Quia quoties causa in aliquo tribunali incepta fuit, in illo finienda est, L. *Si quis*, de judic. ff. & c. *Proposuisti*, 19. de foro compet. ibi: *Proposuisti nobis, quòd quidam subditus tuus ad petitionem cujusdam adversarii sui, à te legitimè citatus ad causam, quia postmodum jurisdictionis alterius esse cœpit, tuum intendit judicium declinare. Porrò tuæ prudentiæ dubium esse non credimus, quòd is in prædicta causa jus revocandi forum non habet, quasi ab illo jam præventus*; excipe nisi vel jussu Episcopi, vel ob commune bonum mutârit domicilium; tunc enim desineret esse subditus prioris Episcopi etiam in causis coram illo inchoatis, ex doctrina Bartoli ad L. 1. ff. de pœnis: Si verò post commissam culpam prius, quàm censura, vel ejus causa litigari cœpta est, mutavit domicilium, non ligabitur censurâ.

Ex hoc sequitur 1. posse quem fieri sub- 1679
ditum alterius ratione delicti in territorio illius commissi, licet ei prius non fuerit subditus; ex c. *ult.* de foro compet. 2. Cùm quis ratione delicti fit subditus alterius, cum non manere subditum, nisi quàm diu manet in loco, in quo deliquit; non verò si recessit, nisi jam inchoata sit causa. Sic Armilla V. *Excommunicatio*, n. 35. Layman c. 4. n. 7. Tertiò, quòd censura lata per statutum liget non tantùm illos, qui subditi sunt eo tempore, quo statutum conditur, sed etiam, qui deinde fiunt; sententia verò tantùm eos, qui, dum ferebatur, actu subditi erant; illud enim est perpetuum, & semper loquitur ex L. *Arriani*, C. de hæreticis; hæc verò refertur solùm ad tempus, quo fertur, assumitque vires omnes in continenti; ita Panormit. apud Gibalin. disq. 3. q. 1. n. 12. Statutum verò habet tractum successivum. Quartò Regularium Ordinum Prælatos, quibus jurisdictio in suos competit ratione voti obedientiæ, non territorii, posse suos obligare præceptis, ubicunque sint, atque adeo existentes in alieno territorio, citare, excommunicare, &c. ita Ugolin. & Suarez cum Layman. loc. cit.

ARTICULUS V.

De censuris in Exemptos.

1680 ANte resolutionem supponendum, monasteria, & loca exempta à jurisdictione Episcopi, licet materialiter, non tamen formaliter, esse intra diœcesin Episcopi, patet ex c. 1. de privileg. in 6. ubi locus exemptus clarè excipitur à jurisdictione Episcopi. Hinc si Episcopus statuto generali sub excommunicatione lusum aleæ interdicat clericis, ludens in loco exempto non incurrit excommunicationem ex n. 1675. quia non delinquit intra diœcesin formaliter; his præmissis: communis responsio est, exemptos, quà tales, non posse ab illo censuris affici, à cujus jurisdictione exempti sunt; deducitur ex dictis n. 1663. quia non sunt illius subditi, si sunt exempti. Ex hoc etiam deducitur, quòd statutum Episcopi, ne quis ingrediatur monasteria monialium, vel cum illis loquatur, non obliget ingredientes, vel loquentes ibi, si monasterium sit exemptum; quia tunc sunt formaliter extra territorium Episcopi. Aliud dicendum putat Gibalinus disq. 4. q. 2. n. 5. si statutum sub censura interdicat *talem accessum*, quia via ad locum exemptum non eximitur: potest tamen fortasse non immeritò dici ex *c. Licet*, de privil. in 6. si personis illis exemptis concessa sit licentia loquendi cum illis, licere his accessum, ex dicto capitulo, ubi dicitur, quòd quando uni conceditur exemptio, seu privilegium per ordinem ad actionem, quæ sine altero non fit, aut fieri vel non potest, vel non solet; exemptionem, vel privilegium extendi etiam ad socium.

1681 Ex dictis infertur 1. exemptos à jurisdictione Episcopi, nec per sententiam generalem, nec specialem ab illo censuris ligari posse; ita Rodriquez, tom. 2. qq. regular. q. 59. a. 5. allegans diploma Martini V. Clement. IV. Eugen. IV. Sixti IV. qui variis religiosis ordinibus hoc privilegium concesserunt, ita, ut ejusmodi censuræ ab Episcopis contra illos latæ nullæ omnino sint, & invalidæ. Et hoc extenditur etiam ad Legatos à latere per privilegium à Sixto IV. concessum Carmelitis. Excipe, nisi tales Legati à Sede Apostolica habeant specialem authoritatem contra dictum privilegium; sed eo casu debebit Legatus nominatim eum exprimere, quem censurâ ligare vult; nec sufficit, ut in sententia dicatur generaliter, *ut perinde valeat, ac si essent expressi nominatim*, nisi & huic favori per facultates illis legatis concessas speciatim derogetur; ita Rodriquez ex constitutione Martini V. ibid. relata, quibus positis:

Quæres 1. an Regulares exempti ab Epi- 1682
scopis, indirectè saltem excommunicari possint? Casus esset, si directè excommunicarent eos, qui ipsis deserviunt, præsertim intuitu illorum, quibus serviunt. Responsio est negativa ex *c. quanto*, de privil. ubi Honorius III. Archiep. & Episcopis, in quorum diœcesi Monasteria, & Prioratus Cluniacensi Monasterio subjecta constituunt, ad eorum Regularium querelam sic scripsit: Sanè dilecti filii Abbas & Conventus Cluniacen. gravem nobis querimoniam obtulerunt, quòd quidam vestrum, & vestrorum officiales, *cùm in eos, & sui ordinis monachos non possint excommunicationis, & interdicti proferre sententias, eò quòd super hoc Apostolicæ Sedis privilegiis sunt muniti, in eos, qui molunt in molendinis, vel coquunt in furnis eorum, quicquid vendendo, seu emendo, aut aliàs eis communicant, sententias præferunt memoratas: & sic Apostolicorum privilegiorum non vim & potestatem, sed sola verba servantes, ducti ordinis Monachos quodam modo excommunicant, dum eis alios communicare non sinunt.* Ex quo illud etiam evenit inconveniens, ut ipsi monachi, quantum ad hoc judicentur judicio Judæorum, & qui eis communicant in prædictis, majorem excommunicationem incurrant, quam etiam excommunicatis communicando fuerint incursuri. Nolentis igitur hæc crebris ad nos clamoribus jam perlata, ulterius sub dissimulatione transire, Vobis universis, & singulis mandamus, *quatenus hujusmodi sententias in fraudem privilegiorum nostrorum de cætero non feratis*; quia si super hoc ad nos denuo clamor ascenderit, non poterimus conniventibus oculis pertransire, quin promulgatores talium sententiarum severitate debitâ castigemus.

Hinc quando ipsorum privilegia satis 1683
nota, & publicata sunt, aut innotescere potuerunt, si afficerentur ejusmodi censurâ invalidâ, nec indigerent absolutione, nec tenerentur etiam in foro externo abstinere à divinis. Aliud est de particularibus personis singillatim privilegiatis. Illæ enim, licet injustè, imò & invalidè excommuni-

catæ,

catæ, deberent se pro talibus gerere in foro externo, donec privilegium sufficienter innotescat, & constet de nullitate sententiæ. Promulgatio autem privilegii, aut bullarum, quibus id conceditur, non est necessaria ad ejus valorem, sed, ut obliget Episcopos aut alios, quorum interest, ad summum requiritur, ut eisdem authenticè, Ordine juridico exhibeatur; ita Bruno Chassaing Ordin. min. recollect. Greg. XV. & Urbani VIII. in Ecclesia Lateranensi Pœnitentiarius in privileg. regular. tr. 1. c. 2. propos. 3. & constat ex c. *cùm personæ*, de privil. in 6. de quo V. dicta cit. 33.

1684 Quæres 2. an censura sit valida, quam fert Episcopus contra Regulares exemptos per privilegium, quod ignorat Episcopus? R. si privilegium sit vulgo notum, non valere: si secus, valere. Ratio primi est; quia tunc censura ferretur contra non subditum; secundi, quia, ut privilegium valeat quoad nullitatem sententiæ contra privilegiatum, exhiberi debet Ordinario, c. *Cùm personæ*, de privileg. in 6. juxta dict. tit. 33. Hinc privilegium, si ante sententiam exhibeatur Judici, valet, ex c. cit. excipe, nisi privilegio sit annexa clausula, irritans omnia, quæ contra privilegii tenorem fieri contingeret. Tunc enim hæc irritatio afficit Judicem etiam ignorantem; ita Covar. c. 9. qq. practic. n. 7. Sylvester V. *Excommunicatio*, n. 9. Si tamen Episcopus certò sciret, aliquem exemptum incidisse in aliquam excommunicationem juris communis, vel Papalem, complures apud Gibalin. cit. n. 5. in fine, volunt, quòd eum posset denuntiare; credentes, quòd non sint exempti ab hoc actu. Sed si denuntiare ex officio sit actus jurisdictionis, ut non pauci volunt, contrarium verius est, seclusâ speciali commissione, vel delegatione per Superiorem.

1685 Quæres 3. an, quando uni conceditur privilegium, ut excommunicari non possit, in quo nulla mentio fit Episcopi, tunc intelligatur, quòd nec possit ab Episcopo? R. affirmativè, si is, cui conceditur tale privilegium, sit Rex, Regina, Ordo aliquis, aut locus religiosus; si verò alius, solùm intelligitur, quòd non possit à Judicibus Episcopo minoribus; ita de privilegio, quod privato conceditur, Clemens IV. c. *Ne aliqui*, de privil. in 6. ubi Pontifex sic loquitur: *Ne aliqui de indultis Apostolicis confidentes, alios confidentius in suo jure molestent, & Ordinariorum jurisdictionem condemnent pariter & eludant; Omnes indulgentias & privilegia quibuscunque singularibus personis Ecclesiasticis vel secularibus, cujuscunque sint præeminentiæ, dignitatis, conditionis, aut status, quòd interdici à quocunque, vel excommunicari non possint, nec terræ, vel Ecclesiæ ipsorum, Ecclesiastico interdicto supponi, sub quacunque verborum forma concessa, illis, per quæ Regibus & Reginis eorumque filiis, nec non & religiosis quibuscunque non personarum tantùm, sed Ordinum privilegiatorum vel locorum ratione in hoc immunitas hujusmodi conceditur, duntaxat exceptis, de fratrum nostrorum consilio ad Ordinariorum sententias, & processus edicto perpetuo prohibemus extendi.* Excipe, nisi Religiosi maneant in Monasteriis, aut Prioratibus Ordinario subjectis. Tunc enim ab Ordinario illius loci, quàm diu ibi manent, excommunicari poterunt, ex c. 1. §. *in eos autem*, de privil. in 6. intellige, sin eò veniant, ut vivant tanquam proprii religiosi illius loci, non autem præcisè ut hospites; colligitur ex eodem c.

His annotandum est, quod docet Portell. quæst. moral. p. 1. casu 9. à n. 1. dicens: privilegio, quod habent Mendicantes, ut non possint excommunicari ab Episcopis, nisi ad id specialem facultatem habuerint, Concilium Trid. solùm in duobus, vel tribus casibus derogâsse. 1. ut quando Novitii masculi, vel fœminæ exeunt â novitiatu ad mundum, iisdem restituant omnia suppellectilia, quæ attulerant. 2. Ut possint per censuras cogere Moniales ad servandam clausuram. 3. Ut possint per censuras cogere Regulares, ne celebrent Missas in Oratoriis privatis; Sess. 25. de Regularib. c. 16. & ibid. c. 5. Sess. 22. in Decr. de observ. in celebrat. Missarum. Hinc Sanchez l. 7. matr. D. 33. n. 23. apud Portell. cit. docet, Episcopum non posse procedere per censuras contra Superiores Novitiorum, vel ipsos Novitios non parentes, cùm in causâ matrimoniali citantur, quòd matrimonium contraxerint: Oppositum tamen docet Farinacius lib. declar. Cardinal. ad Sess. 25. c. 11. de regular. prope finem, dicens, hoc à Cardinalibus declaratum. Idem refert, & tenet Marzilla in lib. ejusdem tit. §. *Si monialis*, ad c. 17. Sed circa hoc. V. n. 1681. in supra dictis. 1686

Quæres 4. an censuræ, generaliter latæ, afficiant Episcopos? R. 1. Episcopos 1687

generali sententiâ suspensionis, & interdicti non comprehendi, nisi eorum expressa fiat mentio, videri posse colligi ex c. *quia periculum*, 4. de sent. excom. in 6. ibi: *quia periculum est Episcopis, & eorum Superioribus propter executionem Pontificalis officii, quod frequenter incumbit, ut in aliquo casu interdicti, vel suspensionis incurrant sententiam ipso facto: Nos deliberatione provida duximus statuendum, ut Episcopi & alii Superiores Prælati nullius constitutionis occasione, sententiæ, sive mandati prædictam incurrant sententiam ullatenus ipso jure: nisi in ipsis de Episcopis expressa mentio habeatur.* Quod verum esse videtur, etiam de Episcopo electo, & confirmato, licet nondum consecrato, Suarez D. 28. s. 2. n. 6. quem citat, & sequitur Layman. Nam & alia privilegia extenduntur ad Episcopos confirmatos, licet nondum consecratos, ut de eligendo Confessore, c. *ult.* de pœnit. & remiss. de usu alterius portatilis, c. *ult.* de privil. in 6. id, quod etiam dicendum volunt de Cardinalibus, Henriquez & Layman, quos citat, & sequitur Gibal. disq. 4. q. 3. n. 2. quia privilegia Episcopis concessa propter eorum dignitatem extenduntur etiam ad Cardinales, Layman l. 1. tr. 5. p. 3. c. 2. n. 2. Sed illud privilegium est Episcopis concessum ob eorum dignitatem, non vero præcisè ob necessitatem exequendi suum munus, ut contendit Layman, colligi ex c. *si compromissarius*, de elect. in 6. ergo.

1688 Si opponas: ratio privilegii, Episcopis concessi, fuit *necessitas exercendi officium Episcopale*, quòd impediretur illis censuris; sed hæc necessitas non est respectu Episcopi non consecrati; ergo ad eum non extendit se hoc privilegium: Gibalinus, & Layman negant hanc fuisse unicam rationem privilegii, & volunt etiam fuisse dignitatem Episcopalem. Verùm ratio allata in textu alia non est, quàm *necessitas Pontificalis officii frequenter incumbentis*, sub qua non venit actus jurisdictionis, sed ordinis; potestate autem ordinis Episcopalis caret Episcopus non consecratus. Unde licet Episcopi consecrati non veniant sub sententia generali suspensionis, & interdicti; probabilius tamen est Episcopos comprehendi per generalem sententiam *excommunicationis* latæ ab eorum Superiore; ita Suarez D. 5. s. 1. n. 30. quem citat, & sequitur Gibal. cit. n. 4. in fine. Quia nullo jure eximuntur à tali sententia, ut patet, si Clericum percuterent. Deinde capitulum, *si periculum*, solùm eximit à sententia generali *suspensionis*, & *interdicti*; certè si etiam voluisset eximere ab excommunicatione, fecisset utique mentionem.

1689 Dices: Episcopi non minus impediuntur ab exercitio sui officii per excommunicationem, quam per alias censuras; ergo ratio, quæ fuit illos eximendi ab aliis; etiam erit eximendi eosdem ab hac. R. in privilegiis non tam attendi paritatem causæ, quàm voluntatem concedentis; cùm ergo expressa sit voluntas privilegi quoad exemptionem ab *interdicto*, & *suspensione*, *non ab excommunicatione*, bene concedimus de illis, non autem de ista. Ex quo clarè apparet, ex identitate, vel majoritate rationis, licet ea reluceat in non expresso, propter quam aliquid disponitur in casu expresso, non rectè in pœnalibus idem concludi de non expresso.

1690 Quæres 5. an censuræ ligent etiam totam communitatem? R. 1. integram Universitatem, Collegium, & communitatem posse interdici, & suspendi; ita D. Thom. Navar. Henriq. Filliuc. & Bonacina, quos citat, & sequitur Leander tr. 1. de cens. D. 3. q. 23. Ratio est, quia hoc nullo jure vetitum est, nec requirit contumaciam personalem, sed sufficit contumacia in capite; Sic habetur in c. *quia sæpe*, 140. de elect. in 6. ubi dicitur: *quia sæpe contingit, quòd Cathedralibus, & Regularibus, ac Collegiatis Ecclesiis vacantibus, Capitula, Conventus, Collegia, & singulares earundem personæ bona à Prælatis ipsarum dimissa, vel vacationis tempore obvenientia, quæ in utilitatem dictarum Ecclesiarum expendi, vel futuris deberent successoribus fideliter reservari: occupant, inter se dividunt, surripiunt, dilapidant, dissipant, & consumunt in earum grave dispendium, & jacturam, Nos ipsorum ausus reprimere, ac Ecclesiarum indemnitatibus præcavere volentes: decernimus, ut ii, qui præmissa de cætero præsumpserint, eoipso sint, & tamdiu maneant ab officio & beneficiis quibuscunque suspensi, donec plenè restituerint, quidquid de bonis perceperint supradictis. Non obstantibus quibuslibet privilegiis, vel indulgentiis, aut contrariis consuetudinibus, constitutionibus, vel statutis, juramento, confirmatione Sedis Apostolicæ, aut aliâ quacunque firmitate vallatis: quæ omnia, quoad hæc, auctoritate Apostolicâ revocamus, cassamus & ir-*

& irritamus: ac nullius deinceps volumus esse firmitatis. Ubi clarè sermo est de suspensione Communitatum, Capitulorum, Conventuum, & Collegiorum; & c. *non est vobis* 11. de sponsalibus, ubi quæcunque Provincia, in qua fuerint uxores filiorum Regis Angliæ, ob hoc filiis abreptæ, interdicto supponitur, donec ibi fuerint.

1691 §. 2. non tamen posse excommunicari, dicendo: excommunico talem communitatem, vel collegium; sic expressè determinatur c. *Romana*, 5. de sent. excom. in 6. ibi: *In universitatem, vel collegium proferri excommnuicationis sententiam penitus prohibemus: volentes animarum periculum vitare, quod exinde sequi posset, cùm nonnunquam contingeret innoxios hujusmodi sententia irretiri: sed in illos duntaxat, de collegio vel universitate, quos culpabiles esse constiterit, promulgentur.* Cujus ratio, ut dicitur, est, tum quia excommunicatio supponit delictum personale; tum quia sæpius aliàs hac pœnâ gravissimâ plecterentur innoxii personaliter; hinc semper ferri debet in personam determinatam; Communitas enim ut sic non peccat personaliter; ita Suarez D. 5. s. 1. n. 19. & alii complures cum Leandro q. 24. Escobar Theol. moral. tr. 4. Exam. 1. c. 3. Excommunicationem porrò latam in totam communitatem à Prælato, qui est inferior Papâ, illicitam esse, non tamen invalidam docet Henriq. D. Thom. Navar. & alii apud Leandrum q. 25. quamvis hic ostendat, quosdam ibidem ineptè citari pro hac opinione; Sed probabilius est, invalidam esse; ita Leander cit. allegans pro se complures, quod verum esse vult, licet talis Prælatus cognovisset, omnes personas talis collegii deliquisse; ratio est, quia quoties lex aliquid penitus prohibet fieri circa certum genus personarum, nisi assignet legitimam personam, circa quàm fit, & excludat personam, circa quam non fit, toties, his non servatis, irritat actum; sed lex in c. *Romana*, de sent. excom. in 6. penitus prohibet excommunicationem ferri in Universitatem, vel Collegium, nisi fiat in eos, qui culpabiles sunt, & excludantur ii, qui non sunt; ergo irritat actum hæc non servantem; atqui pro loco excommunicationis in totum Collegium sine alia limitatione certæ personæ, hæc non servat; ergo est actus irritus. Ma. prob. 1. quia aliàs non vitaretur periculum animarum, ob quam rationem c. *Romana* talem sententiam penitus prohibet. 2. ex Sanch. l. 1. de matr. D. 32. n. 6. & l. 6. D. 32. n. 7. apud Portel. p. 1. casuum, casu 13. n. 2. quando in aliquâ lege apponuntur hæc verba: *nullatenus*, vel *omnino*, eoipso annullant factum in contrarium, licet lex non apponat ullum aliud verbum irritans; sed in dicto c. *Romana* expressè dicitur: *penitus prohibemus*, quod idem est, ac omnino prohibemus; ergo irritat factum in contrarium.

Ex quo sequitur, etiam invalidam fo- 1692
re sententiam excommunicationis latam in communitatem, esto singuli peccasse noscerentur; quia adhuc foret contra dictam legem annullantem excommunicationem latam in Universitatem, vel Collegium; aliud esset, si diceretur: excommunico omnes illos in hac communitate, qui peccarunt; sic enim jam valeret; ita Vasq. & Hurtado, apud Leandrum q. 26. in fine. Similiter valebit, si singuli de Collegio excommunicentur, cùm singuli peccaverunt; sic enim sententia non est una, quæ in omnes fertur, nec tendit formaliter in ipsam communitatem. Nam c. *Romana* solùm prohibet eam sententiam, quæ simul omnes de communitate excommunicat per unam sententiam, quæ tendit in communitatem quà talem. Ex eo autem, quòd Episcopi & Prælati, inferiores Papâ, non possint excommunicare communitatem quà talem, seu singulos collectivè, non sequitur, quòd nec possit Pontifex, si singuli peccârunt; illis enim hoc solùm prohibetur de jure Canonico, in quo potest Pontifex dispensare. Si verò ei non constaret, omnes deliquisse, affirmat Sylvester apud Leandrum q. 30. adhuc fore validam: sed distinguendum est, si limitaret sententiam tantùm ad reos, concedo validam; secus, si extenderet indiscriminatim ad omnes; sic enim esto innoxii in conscientia non ligarentur, contineret tamen hæc sententia errorem intolerabilem, quòd in foro externo tenerentur pro excommunicatis se habere, qui pro illo necdum prostrati sunt rei; ita Leander cum pluribus.

ARTICULUS VI.

An censuræ afficiant mandantes, vel consulentes?

NOt. censuram posse dupliciter ferri in 1693
mandantem 1. accessoriè 2. princi-

paliter; *accessoriè* censura ferri dicitur in mandantes, quando non respicit præcisè consilium vel mandatum talis rei, sed potius ipsam rem, quam, quia non vult evenire, ideo etiam mandatum, vel consilium de illo sub censura vetat: *principaliter* autem, quando etiam directè prohibitio fertur in ipsum mandatum; quo posito, R. 1. sub censurâ, quæ fertur contra *facientes*, vel *committentes* aliquod delictum, non comprehendi mandantes, vel consulentes, nisi aliunde exprimatur in lege, vel alioquin lex redderetur inutilis; ita Pellizar. in man. regul. tom. 1. tr. 3. c. 2. n. 20. Sanchez l. 3. de matr. D. 49. n. 2. Coninch, Avila, Hurtado & alii de omni censura generaliter, quos citat & sequitur Castropalaus D. 1. p. 7. n. 21. Gibalinus D. 5. q. 3. contra Sylv. Rosell. & alios apud Leandrum tr. 1. D. 8. q. 14. quia hæ leges, cùm odiosæ sint, interpretandæ sunt strictè; sed qui aliquid *fieri* mandat, vel *suadet*, non proprie *facit*, vel *committit*; ergo lex odiosa contra *facientes*, vel *committentes* non comprehendit istos. Hinc *mandans*, & *consulens* in c. *si quis viduam*, dist. 50. ponuntur ut quid distinctum, & diversum ab iis, qui comprehendi debent sub *facto*; cùm expressè distinguat inter homicidium *aut facto*, *aut consilio*, *aut defensione*, commissum. Qui enim committunt *faciendo*, sunt causæ physicæ; qui autem consilio, vel mandato, morales solùm, & directivæ. Et ideo etiam quando jus etiam illos comprehendi vult, eorum in textu meminit; ut patet ex c. *felicis*, de pœnis in 6. & Clement. *Si quis suadente*, eod. tit.

1694 R. 2. si censura solùm accessoriè feratur in mandantes, censuram non incurri, nisi externè secuto effectu, quem lex principaliter vetat, licet mandaveris, vel consulueris; quia censura vitari cupit actum consummatum, quem principaliter respicit; ergo nisi sequatur vi consilii, vel mandati talis actûs, non incurritur censura; quia non ponitur actus prout sub censura vetitus; sic Gibal. disq. 5. q. 3. n. 5. Hinc mandans homicidium, vetitum sub censura solùm accessoriè lata in mandantes, non incurrit hanc censuram non secutâ vi mandati morte, licet dederit mandatum. Si autem censura æquè principaliter est lata contra *mandantes*, ac *facientes*, incurritur censura per solum mandatum, esto factum, quod mandat, non sequatur, vel etiam, antequam sequatur, revocet mandatum, quantum potest; quia tunc verè jam posita est tota actio (scilicet mandatum externum) sub censura principaliter vetita; ita Gibalinus cit. n. 29.

Dices 1. qui mandat delictum, absolutè dici potest, quod *moraliter committat*, R. cum dist. absolutè dici potest, quòd *committat*, *moraliter*, & cum addito impropriante significationem verbi *committit* simpliciter, C. secus, N. Sufficit quidem ad peccatum, *committere moraliter*; non tamen ad censuram. Hinc quando in c. *mulieres*, de sent. excom. dicitur, eadem excommunicatione ligari *mandantes percuti Clericum*, quâ *ipsi percutientes*, in quos fertur excommunicatio Capituli, *si quis suadente*, 17. q. 4. ratione ibid. datâ, *quia is verè committit*, *cujus authoritate*, *& mandato committitur*; quando, inquam, hoc dicitur, R. ex solo c. *si quis*, non includi mandantes, sed ex textu claro c. *mulieres*, ubi nominantur *mandantes*. Ad rationem dico, quòd mandans *verè delictum committat*, ut verè præceptum violet; non autem *verè percutiat*; censura autem est in violantes legem, *verè & propriè percutiendo*, quod non facit mandans, licet *verè delinquat*. 1695

Dices 2. *facientem*, *& mandantem par pœna constringit*, ex c. *nuper* de sent. excom. 1696
2. Is damnum dat, qui jubet damnum dari, regulâ: *is damnum*, de reg. jur. in 6. 3. In lege *nihil interest*, ff. ad Legem Corneliam, de Sicariis, textus ait, nihil interesse, an quis occidat, an causam mortis præbeat? & c. *ita quorundam*, de Judæis, excommunicantur deferentes arma prohibita ad Saracenos; quæ lex declaratur c. *significavit*, eod. tit. dicendo, eâdem pœnâ plecti, *sive in propria persona deferant*, *sive per nuntios*. Denique in c. *nuper etiam concubinæ*, excommunicantur communicantes cum excommunicato in crimine criminoso; sed mandans, vel consulens delictum, cui annexa est excommunicatio, id facit; ergo. R. ad c. *Nuper* ibi agi de pœna secundùm similitudinem eâdem, non secundùm proprietatem; uterque enim delinquit, sed non æquè propriè; & ideo uterque pœnâ dignus est, in quo sita est paritas; sed non unâ eademque, cùm culpæ paritas non sit perfecta; cùm *facere* & *mandare*, spectatâ verborum proprietate, non habeant paritatem perfectam. Ad reg. *is damnum*

damnum. R. ibi sermonem esse de violatione legis; sive enim mandes factum, sive ipse facias, verè legem violas; quod etiam respondetur ad L. *nihil interest.* Ad c. *Ita quorundam* R. nihil esse contra nos; quia hæc lex per alterum textum extenditur aptè etiam ad alios; quia scilicet aliàs lex redderetur inutilis. Ad postrema duo Capitula R. idem verum esse de communicatione cum excommunicato vitando; sed de hoc est alia *lex expressa*; ergo ex dictis nihil evincitur.

1697 Ex dictis colliges 1. quando quis *mandat*, vel *consulit* actionem ex se licitam, quæ tamen est inchoatio actionis illicitæ, & sub censurâ vetitæ, etiam extensâ ad mandantes, & consulentes, licet factum malum præter intentionem mandantis, vel consulentis sequatur, non incurri censuram; qui talis mandans non peccavit, per mandatum actionis licitæ. Hinc si parenti Clerici suadeas ex justa causa moderatam verberationem filii; pater autem præter tuam intentionem efferveſcens, occidat filium, non incurris censuram latam contra *suadentes* homicidium; quia hoc non suasisti, sic Gibalin. cit.

1698 Collig. 2. eum, qui *mandat* fieri delictum, prohibitum sub censura solùm accessoriè lata *in mandantes*, & principaliter *in facientes*, non incurrere censuram, etiam effectu secuto, si prius, quam sequeretur effectus, mandatum revocavit, quantum potuit; ita Gibalin. cit. Diana tr. 1. de excom. resol. 10. Procedit autem hoc 1. quando mandatum mandatario innotuit; tunc enim mandans omnem causam à se positam (scilicet voluntatis suæ intimationem, quæ erat alioquin causa moralis delicti) extinxit in mandatario, qui tunc solùm operatur ex voluntate propria 2. procedit, si revocatio sit tacita, ut si opere contrario ostendas, te illum diligere, quem prius mandâsti, ut occideretur.

1699 Idem dicendum existimant aliqui, esto revocatio mandati non pervenerit ad mandatarium; modò mandans fecerit, quantum potuit, ut ad eum perveniret; ita etiam Innoc. III. c. *Mulieres* de sent. excom. relatus à Sylvest. V. *Excommunicatio*, 6. n. 5. & sequitur Hurtad. D. de cens. in communi, difficult. 25. n. 68. & ratio est, quia talis tunc non est in actuali contumacia, dum censuram incurrere deberet, quantum est ex se; nec in habituali, cùm voluntatem suam retractârit, quantum potuit; ergo ab Ecclesia puniri nequit pœnâ debitâ solùm contumacibus.

Si petas, quid dicendum de illis, qui 1700
ante consummationem delicti efficaciter dolent de illo, licet impedire nequeant, quo minus effectus externus subsequatur? R. non incurri tunc pœnam, vel censuram, delicto statutam, apertè doceri à Diana cit. resol. 10. Castropal. D. 1. p. 7. n. 15. & aliis; quia posito tali dolore non causatur delictum exterius à mandante cum culpabili contumacia, quam supponit censura, vel actu, vel habitualiter durante. Contrarium tamen tenet Castropalaus de irregularitate, & obligatione restituendi, quæ actu innocentem ob culpam præteritam afficere possunt.

Ex his occasionaliter in hac materia 1701
deducit Diana cit. qui percussit hominem, & confessus est percussionem, antequam sequeretur mors, non teneri deinde rursum confiteri mortem secutam; nemo enim tenetur bis confiteri peccatum semel ritè confessum, sed in dato casu Titius percussionem in re est semel ritè confessus, & absolutus; quia non habebat casum reservatum ante mortem secutam; ergo illam non tenetur amplius confiteri. Alter autem effectus est materialiter secutus ex illa causâ, seu actione, quæ jam est deleta per confessionem; ergo: pro hac opinione citatur à Diana etiam Henriquez & Fagundez.

Deducitur 2. qui porrigit alteri vene- 1702
num, & dolet de sua operatione, priusquam sequatur mors alterius; idem est, qui scribit literas v. g. ad monialem, sed efficaciter dolet, antequam ad eam perveniat: eum non incurrere censuram latam in homicidas, vel ejusmodi Scriptores, esto factum sequatur. Tunc enim sequitur, quando cessavit omnis contumacia actualis & habitualis; ita Hurtad. in materia excommunic. difficult. 15. n. 76. & novissimè Oliverius Mazuchellus tr. de cas. reserv. D. 2. c. 7. q. 3. diffic. 3. apud Dianam loc. cit. n. 8. contra Aversam apud eundem, n. 9.

Cæterùm idem Raphaël Aversa de Sa- 1703
cram. pœnitentiæ, q. 10. s. 2. docet, quoties inter actum, seu causam alicujus effectus sub reservatione prohibiti, & inter ipsum effectum externum intercedit retractatio prioris voluntatis, non incurri reservationem, licet deinde sequatur ipse effectus externus. Hanc autem retractationem

ait,

ait, fieri posse, vel per contritionem, vel per confessionem, vel attritionem, aut etiam infusionem gratiæ à DEO sine ullo actu hominis. Quo casu concedit, te posse illud peccatum, quod alias effectu secuto, ni retractâsses, antequam eveniret effectus externus, fuisset reservatum, cuilibet tuo confessario ordinario confiteri, modò habeat jurisdictionem in mortalia, licet non in reservata; quia causa effectûs externi, ut suppono, secundùm se non est reservata; nec etiam secuto effectu, si interceſſit retractatio, ita ille; ergo. V. n. 2492.

1704 Deducitur 3. eum non incurrere censuram accessoriè latam in *consulentes* vel *mandantes*, qui consuluit, vel mandavit aliquid alteri, quod aliunde æquè facturus erat; quia tunc vi sui consilii, vel mandati non influit in actum sub censura prohibitum; habent enim se in data hypothesi perinde, ac si non essent; Gibalin. disq. 5. q. 3. n. 21.

1705 Quæres, an is incurrat censuram accessoriè latam in mandantes, vel consulentes, qui mandat, vel consulit actionem, quæ per se, & ex natura sua est inchoatio ulterioris actionis sub censura vetitæ, esto hæc sequatur præter intentionem mandantis. &c. Gibalinus disq. 5. q. 3. n. 12. affirmat, si effectus sub censura prohibitus ut plurimum ordinariè sequi solet, esto mandans effectum alterum fieri prohibuisset; Quia tunc effectus cum tali actione sic connexus, ut ex ea ferè ordinariò sequatur, mandanti fuit voluntarius in causa; intellige tamen, nisi, ne talis effectus sequeretur, adhibuerit, quam debuit, diligentiam; quam limitationem observat Bonifacius VIII. c. *fin.* de homicidio.

1706 Ex hoc resolvitur 1. quòd mandans rapi Virginem ad malum usum, quam fortè fugientem occidit mandatarius, non incurrat censuram accessoriè latam in mandantes homicidium; quia raptus non est per se connexus cum homicidio 2. quòd confessarius incurrat dictam censuram, si Reo mandet, ut delictum, ex quo illi certò per judices mors sequitur, manifestet, quod non tenebatur. Hæc enim suasio illicita est confessario, & per se connexa cum morte; Secus, si Reus fateri tenebatur; tunc enim Consilium Confessarii non est illicitum; & necessarium ex officio pro salute pœnitentis. Hinc si dicas: danti operam rei illicitæ tribuuntur omnia, quæ ex pravo opere per se præter ejus intentionem subsequuntur, c. *Tua nos*, c. *sicut ex literarum*, c. *suscepimus*, de homicidio; ergo mandanti raptum attribuitur etiam homicidium Virginis à mandatario patratum. R. N. conseq. quia hoc ex raptu non sequitur *per se*.

ARTICULUS VII.

An plures censuræ simul afficere possint eundem?

RESP. 1. idem subjectum posse simul incurrere plures censuras diversæ rationis 1. quia potest successivè; ergo etiam simul, quia ad simultatem non habent oppositionem 2. quia, qui occideret Clericum, ratione percussionis incurreret excommunicationem; ratione homicidii, *irregularitatem*; ita Leander cum communi tr. 1. de cens. D. 3. q. 32. & arg. c. *cùm pro causa*, de sent. excom. Barbosa ibid. n. 2. 1707

Idem dicendum est de pluribus ejusdem rationis, & homogeneis; ut, si idem delictum prohibeatur sub excommunicatione, vel à tribunalibus, vel ex causis diversis, vel à jure simul, & homine. Hinc potest quis à judicibus diversis propter unam eandem causam sæpius excommunicari, vel suspendi, si scilicet sæpius, vel respectu utriusque sit contumax; tum quia potest Pontifex, & Ordinarius, idem præcipere sub excommunicatione; tum quia occisor Episcopi potest, si Clericus sit, suspendi ab Episcopo originis, beneficii, & domicilii. Similiter potest quis ob idem delictum, in quo diutius est contumax, sæpius ab eodem excommunicari, ut notat Gibalin. disqu. 5. q. 4. n. 10. contra Alterium & Filliucium. Sic Nicolaus Papa Engeltrudam uxorem Bosonis intra septennium sæpius excommunicavit, quòd redire nollet ad maritum. Sapienter tamen monet Suarez à Gibalin. cit. melius esse, si iteratò eadem excommunicatio denuntietur.

Quæres 1. an toties incurrat quis censuram, quoties transgreditur eandem legem aliquid sub censura prohibentem; affirmativè respondet Leander q. 36. sed Gibalinus cit. n. 9. & 15. distinguit: Si censura est annexa delicto, quoties est novum delictum, ait, fore novam censuram; si verò sit tantùm sententiæ ferendæ, existimat puniri tantùm unâ censurâ, sive delicta plura, quæ committuntur, sint continua, 1708

nua, sive interrupta; excipe tamen 1. nisi primum delictum fuisset punitum ante eventum secundi; sic enim nec per fictionem juris possent coalescere in unum per Ordinem ad vindictam. 2. nisi lex specialis contrarium præcipiat. Ratio autem responsionis est ex c. *Cùm causa*, de sent. excom. ubi tantùm semel excommunicatur, qui Clericum verberavit continuò per claustrum; quod etiam affirmat Leander cit. q. 42. Si quis uno ictu feriat simul tres Clericos, incurrere tantùm unam excommunicationem.

1709 Quæres 2. an qui percutit clericum, qui simul est Subdiaconus, Diaconus, & Sacerdos, plures excommunicationes incurrat? R. quòd non; quia hi gradus omnes concurrunt per modum unius, quamvis aggravent delictum intra eandem speciem. Si vero quis percutit Clericum, qui simul est Monachus, incurret duas excommunicationes; quia ratio Monachi non continetur intra statum Clerici, & pro qualibet circumstantia, *Clerici* scilicet, & *Monachi*, lata est excommunicatio ipso facto; ita Suarez de cens. D. 3. s. 3. n. 15. quem citat, & sequitur Gibalin. n. 33.

1710 Dices: si quis posset simul affici duabus censuris homogeneis, deberet per secundam magis privari iisdem bonis spiritualibus, quod fieri non potest, cùm privatio non suscipiat magis, & minus 2. duæ censuræ homogeneæ sunt duæ privationes ejusdem numero formæ, sed hæ nequeunt simul esse in eodem subjecto; ergo nec illæ, 3. qui violat duplex præceptum, sub eodem motivo latum, non incurrit duplicem culpam; ergo nec duplicem censuram. R. N. ant. sufficit enim, quòd per duplicem censuram novo titulo obligetur ad abstinendum à talium bonorum usu. R. ad 2. censuras non esse privationes formales, sed causales, quæ bene possunt plures simul esse in eodem subjecto. Ad 3. N. conseq. quia ad duplicem censuram sufficit duplex contumacia, 2. quia potest quis uno actu contrahere duplicem obligationem; censura autem est obligatio certis quibusdam bonis abstinendi; ergo.

ARTICULUS VIII.

De forma servanda, priusquam feratur censura.

1711 POtissima quæstio est hìc de monitionibus præmittendis à Judice, priusquam censuram ferat; an scilicet hoc ita necessarium sit, ut sine illis, aut agat illicitè, aut invalidè? pro quo supponendum 1. monitionem, & comminationem à nonnullis distingui; quia *comminatio* præcedit admissionem criminis per modum cautelæ pœnam comminantis transgressuro legem; *monitio* autem sequitur factum, ut Reus se emendet, vel ut Judici suam innocentiam probet, & objecta crimina diluat; quos duos fontes monitionis observat Innocentius Papa in c. *Proposuit*, de concess. præbend. potest autem monitio fieri *judicialiter*, quæ fit per modum citationis, & viâ juris; vel *extrajudicialiter*, scilicet non servato juris ordine, tamen nomine & authoritate habentis jurisdictionem ferendi censuram. Supponendum 2. monitionem aliam esse *canonicam*, quam alii vocant *competentem*, aliam *non canonicam*. Hæc est præceptum juris, vel hominis generaliter, aut etiam in particulari, aliquid prohibens sub censura latæ sententiæ: illa verò est monitio, quâ quis per Superioris authoritatem admonetur modo à Canonibus præscripto, ut à delicto desistat, vel coram Judice impositum diluat.

§. 1.

De monitione, censuræ præmittenda.

QUæstio est, quæ ad monitionem cen- 1712
suræ præmittendam à sacris Canonibus præscribantur, ut dicatur, & sit *Canonica?* ante responsionem nota ex dicendis, censuram ferri non posse, nisi in hominem *contumacem Ecclesiæ*. Unde, ut hæc in subditis reprimatur, præmitti solet admonitio, ut notat Leander tr. 1. de Cens. D. 5. q. 6. qui *contumaciam* definit, esse inobedientiam, quâ subditus ex protervo, aut obfirmato animo respuit, Judici, vel Superiori præcipienti parere, vel se sistere. Diana tr. 1. de excom. resol. 8. triplicem contumaciam affert 1. quando subditus ab Ecclesiastico Judice vocatus sub pœna excommunicationis comparere renuit. 2. Quando quidem comparet, sed ante sententiam, vel licentiam Judicis discedit. 3. Quando quidem & comparet & perseverat usque ad sententiam Judicis, tamen postea, latæ sententiæ parere respuit. Quarta species posset addi, cùm quis *sciens* aliquid esse præceptum, vel vetitum sub censura, nihilominus contra legem, vel præceptum agit. V. quæ diximus de contu-

macia, supr. à n. 1606. ubi diximus, contumaciam consistere in non faciendo voluntariè, quod facere quis scit se debere; quo posito:

1713 R. Ad factam quæstionem, ut monitio dicatur *Canonica*, præscribi sequentia. 1. Ut sit trina vel formaliter (scilicet per intervalla dierum aliquot) vel saltem virtualiter, quatenus in necessitate, vel cùm res postulat, fiat realiter una pro tribus, ut constat ex c. *Constitutionem*, 9. h. t. in 6. ubi Gregorius X. sic loquitur: Constitutionem felicis recordationis Innocentii Papæ quarti Prædecessoris nostri, quæ prohibet, participantes excommunicatis ea participatione, quæ solàm minorem excommunicationem inducit (*monitione Canonicâ non præmissâ*) majori excommunicatione ligari, *decernens promulgatam aliter excommunicationis sententiam non tenere*: ad tollendum omnem ambiguitatis scrupulum *declarantes decernimus, ita demum esse monitionem Canonicam in hoc casu, si aliis ritè servatis, eos, qui monentur, exprimas nominatim. Statuimus quoque ut inter monitiones, quas* (ut Canonicè promulgetur excommunicationis sententia) *statuunt jura præmitti: Judices sive monitionibus tribus utantur, sive unâ pro omnibus, observent aliquorum dierum competentia intervalla: Nisi facti necessitas aliter ea suaserit moderanda.*

1714 Ex hoc textu deducitur ulterius, ad monitionem, *quæ sit canonica*, requiri, ut, qui monetur, exprimatur *nominatim*, vel exprimendo ejus nomen, qui monetur; vel propriis illum characteribus describendo. Tertiò, ut is, qui censurandus est, moneatur personaliter, saltem si potest; Secus enim, sufficit, si fiat ad domum illius, vel quando Reus se per dolum abscondit; vel quando jam semel facta est personalis admonitio; vel quando citatio facta ad domum, innotuit delinquenti. Sic Escobar tr. 4. Theol. moral. Examin. 1. c. 5. Quartò ut ea monitio sit commina toria censuræ, ut vult Gibalin. disq. 6. q. 2. n. 9. quamvis id meritò neget Suarez D. 3. s. 11. n. 7. cùm hoc nullo jure fundet; & sufficiat monere de obligatione legis. Quintò ut fiat coram idoneis testibus, per quos probari possit facta monitio, sin id requirat necessitas c. *Sacro* 48. de sent. excom. ibi: Sacro approbante Concilio *prohibemus, ne quis in aliquem excommunicationis sententiam, nisi competenti admonitione præmissâ, & personis præsentibus idoneis, per quas, (si necesse fuerit) possit probari monitio, promulgare præsumat.*

Præter hæc dicendum videtur 1. hanc monitionem, *quæ fiat nominatim*, intelligendam, cùm censura infligitur à judice; non autem à lege, ac jure, ipso facto. Nam in tali casu, cùm incurri possit, etiam ignorante Judice, nominatim exprimi censurandus non potest, quod videtur procedere in omni censura ipso jure generaliter lata 2. ad nullius excommunicationem absque manifestà, & rationabili causâ Judicem procedere non debere, prout expressè habetur in dicto c. *Sacro* 3. & cùm medicinalis sit excommunicatio, non mortalis; disciplinans, non eradicans, dum tamen is, in quem lata fuerit, non contemnat: Judicem Ecclesiasticum cautè procedere debere; ut in ea ferenda ostendat, se prosequi, quod corrigentis fuerit, & medentis; Sic Innocentius IV. c. *Cùm medicinalis*, 1. h. t. in 6. igitur non repentino motu, odio personæ, &c. 1715

Quæstio nunc est, an ad valorem censuræ prærequiratur monitio? R. 1. ante omnem omnino *sententiam* censuræ necessario prærequiri aliquam *admonitionem*, ita, ut alioquin censura sit invalida. Ratio est, quia censura essentialiter supponit delictum contra pœnale præceptum Ecclesiæ scienter admissum; ergo censura nulla est, sine aliquâ prævia admonitione; anteced. ex eo colligitur, quia secus laboraret ignorantiâ juris; cujus ignorantia justâ excusat à culpa; ergo notum illi debet esse jus illud pœnale; quæ notitia idem est, ac quædam monitio, ne illi se per inobedientiam opponat, & nihilominus scienter illi contraveniat. Conseq. constat; quia ipsum pœnale præceptum cognitum sufficienter monet scientem, ne in tale præceptum delinquat; & hæc monitio ipsius præcepti per sui cognitionem intimata subit vicem monitionis ad censuram essentialiter præsuppositæ; non autem ea, quæ subsequitur contumaciam, & fit, ut malè factum emendet; quæ est *monitio specialis*; sicut *illa generalis*; ergo si hanc omnis censura supponit essentialiter, dari nequit sine illa, nisi invalida, seu nulla; ita Gibalinus cit. disq. 6. q. 2. n. 1. Layman l. 1. tr. 5. p. 1. c. 5. n. 4. Castropal. D. 1. p. 5. & alii, contra Cajetan. Almainum, & novilla- 1715

vissimè Candidum apud Leandrum loc. cit. q. 8. Hinc malè adducunt, quòd à Gregorio quidam auctor famosi libelli, nisi se ipsum prodat, vel Judici sistat, sine monitione excommunicatus sit, c. *quidam* 5. q. 1. quia solùm interdixit illi communionem; quæ prohibitio potest esse pœna, sed non censura. Ex hoc constat, malè allegari S. Paulum 1. ad Cor. 5. quasi incestuosum illum, in propudioso suo facinore contumacem, ut notat Gibal. disq. 2. q. 2. n. 6. non præmissâ hac monitione comminatoriâ excommunicârit; si enim Paulus excommunicationem ferre voluit, utique ad illam necessaria adhibuit.

1717 R. 2. ad censuram *latæ sententiæ* non prærequiri necessariò monitionem Canonicam, sed non Canonicam, seu comminatoriam sufficere, ita Innocent. c. *Sacro*, de sent. excom. tum quia ipsum præceptum habet sufficientem vim monitionis; tum quia constat ex c. *Reprehensibilis*, de appell. ubi Alexander M. decernit, ut nec Prælati sententiam censuræ proferant in Subditos, non præmissâ monitione Canonicâ, nisi fortè talis sit culpa, *quæ ipso suo genere suspensionis, vel excommunicationis pœnam inducat.*

1718 R. 3. ad essentiam *censuræ ferendæ* non prærequi monitionem Canonicam, nisi in aliquibus peculiaribus casibus; patet 1. ex c. *Romana*, de sent. excom. in 6. ubi habetur censuras à judicibus *sine canonica monitione* latas, injustas esse, non verò dicit esse *nullas*. Deinde c. *Sacro*, de sent. excom. dicitur, ut excommunicatus *sine monitione Canonica* (trinâ scilicet, aut unâ pro trina) *absolvatur*, sed absolutio supponit *valorem censuræ*, ergo; ita Sanch. de matr. tr. 1. l. 2. D. 24. n. 28. apud Dianam cit. n. 6. quibus accedit Gibalinus disp. 6. q. 2. n. 12. & probabile censet Castropalaus D. 1. p. 5. n. 6. Bonacina D. 1. q. 1. p. 9. n. 3. &c. Ex hoc etiam patet ad rationes in oppositum. Nam negandum est, quòd tali casu ferretur censura contra peccatum merè præteritum; non enim fertur, nisi contra peccatum præteritum *non emendatum*, & per tractum successivum adhuc durans, ex c. *Reprehensibilis*, de appellationibus, ubi dicitur, ut etiam Prælati præmittant admonitionem, nisi delictum habeat annexam censuram. Deinde solùm sequitur, facturos *illicitè*, si omittant; non autem *invalidè*.

Hinc etiam breviter nota, quo sensu 1719
verum sit, *quòd censura per sententiam infligi non possit pro peccatis merè præteritis*; hoc enim intelligitur de illis, quæ nec habent tractum aliquem successivum, seu permanentem aliquam contumaciam, aut obligationem satisfaciendi, vel quidpiam aliud, ratione cujus censeatur adhuc virtualiter perseverare, aut non omnino præteriisse; nec prius fuerunt vetita sub comminatione censuræ alicujus incurrendæ; ita Layman l. 1. tr. 5. p. 1. c. 5. n. 3. Suarez D. 4. hic s. 5. n. 6. Dantur tamen casus aliqui, in quibus censura sine prævia monitione Canonica non sit valida ex speciali constitutione juris. Primus est, si Judex pronuntiet excommunicationem contra communicantes cum excommunicatis à se; sic definitum est c. *constitutionem*, 9. & c. *statutum*, 13. de sent. excom. in 6. ubi Bonifacius VIII. sic loquitur: Statutum Gregorii Papæ X. factum ad declarationem constitutionis Innocentianæ, quæ prohibet participantes excommunicatis eâ participatione, quæ solùm minorem inducit, majore excommunicatione ligari *monitione canonicâ non præmissa*: in suspensionis, & interdicti sententiis (quæ pro hujusmodi participatione plerumque ab Ordinariis vel delegatis Judicibus promulgantur) præcipimus inviolabiliter observari. *Decernentes easdem sententias non tenere aliter promulgatas.* Secundus, si Judex delegatus in mandatis expressè habuisset, ut censuram non ferat, nisi præmissâ monitione Canonicâ; sic enim ferretur contra formam mandati, c. *cùm dilecti*, de rescriptis c. *Pisanis*, de restitut. spoliat. c. *Romana*, de sent. excom. in 6. §. *sed nec.* 3. in Clement. *ult.* de statu Monachorum; ubi excommunicantur ipso facto, qui visitationes impedire præsumpserint, nisi moniti resipiscant.

Ex hoc facilè resolvitur altera quæstio, 1720
an, ut licitè feratur censura, præmitti debeat monitio canonica? R. enim, ut censura licitè, ac justè feratur ab homine, trinam realiter præmitti debere monitionem Canonicam; patet ex c. *Reprehensibilis*, de quo egi n. 1718. deinde c. *constitutionem*, de sent. excom. in 6. ibi: *Statuimus quoque*, inquit Gregorius X. *ut inter monitiones, quas, ut canonicè promulgetur excommunicationis sententia, statuunt jura præmitti, Judices (sive utantur monitionibus tribus, sive unâ pro omnibus) observent aliquorum*

dierum competentia intervalla, nisi facti necessitas aliter ea suaserit moderanda, ubi vides à Gregorio prærequiri trinam admonitionem, vel formaliter, vel virtualiter; ex quibus postremis verbis colliges, quandoque sufficere unam pro tribus, modò concedantur aliquorum dierum competentia intervalla; hinc in cit. c. *constitutionem*, hæc formula monendi probatur: *moneo te semel pro tribus vicibus, ut intra sex dies satisfacias; concedo tibi duos dies pro singulis monitionibus.* Ubi not. cùm hìc non requiratur ulla specialis causa, utendi unâ monitione pro tribus; hunc modum, etiam cùm causâ non urget, & licitum esse, & fortassis usu jam magis receptum; modò tempus aliquod intercedat, ut perinde se habeat, ac si trina monitio distincta fieret, nisi causæ necessitas aliud requirat, patet ex mente Greg. X. cit.

§. 2.

De pœna Judicis omittentis monitionem.

1721 REsp. Judicem, qui omittit præmittere monitionem Canonicam, ubi ea requiritur, trinam, vel saltem unam pro trina; primò peccare mortaliter, & incurrere suspensionem ab ingressu templi per unum mensem. Constat ex c. *Sacro*, de sent. excom. 47. de quo V. n. 1714. Ratio primæ partis est; quia violat jus in re gravi; & Reo non servat privilegium à jure concessum; 2. qui punitur pœnâ gravi: ratio secundæ partis est expressè in c. *Medicinalis*, de sent. excom. in 6. Excipe, nisi contrarium faciat in casibus in jure permissis.

1722 Ex hoc autem oritur quæstio, an sit aliquis casus, in quo Judici à jure permittatur ad infligendam censuram progredi, nullâ Canonicâ monitione præmissâ? Primus aliquibus videtur, si delictum sit publicum, & notorium. In hoc casu omitti posse monitionem, docet Anton. de Butrio, Felinus, & Abbas; quia in notoriis monitio non requiritur; sed probabilius negat Suarez, Covar. Henriq. & alii, quia per hoc, quòd sit notorium, crimen *fuisse admissum*, non est notorium, *adhuc in eo esse contumacem*, quod tamen requiritur ad infligendam censuram. Secundus est, quando non tantùm est notorium, admissum esse delictum, sed etiam eum in illo esse contumacem; ita Covar. Sayrus, & Ugolinus: Alii autem negant cum Suarez, Baunus &c. quia nondum sufficienter se ostendit, *externè contumacem benignæ Matri Ecclesiæ.* Utraque mihi sententia videtur probabilis; quamvis probabilior posterior ex benignitate Ecclesiæ nolentis aliter contra Reum agere, nisi etiam monitus resistat.

Videri tamen posset, dari plures casus, quibus Superior Ecclesiasticus ad ferendam censuram procedere possit, non præcedente monitione speciali, sed solâ generali, de qua diximus n. 1716. Hinc quæres 1. an saltem in præfato casu prætermitti possit trina monitio quoad duas ultimas, si expressè dicat, *se nolle parère monitionibus*? Pro negativa refertur; mihi tamen videtur adhuc esse ex benignitate Matris Ecclesiæ, ut trina adhibeatur, nisi aliud suadeat necessitas; & ideo in casu, quo Superior Ecclesiasticus à Judice Laico raptaretur ad mortem v. g. furcam, posse in eum vel ab ipso sic raptato, vel alio censuram ferri, omissâ monitione Canonicâ, & speciali, affirmat Sayrus; quia si monitio expectanda foret, interim delusa maneret potestas Ecclesiastica, quia posset illum interea occidere. Huic etiam assentiuntur alii; modò præcedat comminatio censuræ, seu monitio generalis; hæc enim requiritur ad valorem.

1723 Quæres 2. an quando lex aliquid præcipit sub censura ferenda, possit Judex in Reum convictum sine alia monitione censuram ferre? Affirmant Abbas, Avila, & alii; sed rectius negatur; quia id expressè deciditur in c. *Reprehensibilis*, de appellationibus, ubi constat ad omnem censuram prius, quàm infligatur ab homine, prærequiri monitionem specialem, adeoque cùm non incurritur ipso facto. Idem videtur dicendum 1. quando quis excommunicatus ipso facto, de novo excommunicari deberet ab homine; hæc enim excommunicatio fundatur in contumacia speciali respectu hominis, 2. si prælatus excommunicationem ferret ad defensionem proprii juris v. g. in spoliatione Ecclesiæ. Non enim est ratio agendi contra generalem constitutionem in c. *Sacro*, de sent. excom. præcipiente Canonicam monitionem præmitti. Et hoc etiam extenditur ad Prælatos regularium, quantum est *vi juris*, nisi privilegium habeant. Quamvis autem Minoritis concessum sit à Leone X. ut possint censuram ferre sine scriptis; nullibi tamen

men legitur, quòd sine Canonica monitione. V. Rodriq. tom. 2. qq. reg. q. 59. a. 3.

1725 Docent aliqui, ab universali constitutione de Canonica monitione præmittenda, excipi Episcopum, cùm procedit non per modum Judicis, sed per modum propriæ defensionis. Verùm c. *Sacro*, non dicit *judex*, sed *omnis*, ac proinde nullus Pontifice inferior eximitur, ita Gibal. disq. 6. q. 2. n. 22. contra Ugolinum apud Dianam resol. 4. n. 5. qui cum P. Suarez & Vasquez accedit nobis. Aliud est de Pontifice, si absolutè vellet, quamvis æquitas, & benignitas aliud suadeat, nisi ratio alia in contrarium occurrat.

1726 Præterea not. hìc, suspensionem, & interdictum, quandoque ferri per modum *pure pœnæ*, & punitionis, non *censuræ*, ut dicemus in seqq. Ex quo deduces, si qui sint textus juris, qui videntur negare monitionem his præmittendam, eos non loqui de illis, *ut censuræ sunt*; hæ enim supponunt contumaciam etiam positâ monitione, si ferendæ sint, ut patet ex c. *Reprehensibilis*, c. *Sacro &c.* idque non ex natura censuræ, sed solùm ex speciali constitutione juris. 2. Cùm dicimus, ad censuram prærequiri monitionem & contumaciam, debere intelligi cum distinctione. Nam aliud est de monitione *generali*, aliud de *speciali*; aliud de contumacia contra illam, aliud contra istam. Igitur antecedenter ad censuram latæ sententiæ sufficit monitio legalis, seu generalis, de qua n. 1716. & contumacia contra illam, ut exposuimus n. 1606. & 1712. nempe sitam in non faciendo voluntariè, quod facere quis scit se debere, ut diximus; & hæc monitio generalis atque contumacia essentialiter præsupponitur ad actum malum, quo incurritur censura latæ sententiæ; si autem sit sententiæ ferendæ, præcedere debet monitio specialis, & contumacia contra illam; nimirum inobedientia continuata etiam post trinam, vel formaliter, vel æquivalenter monitionem, ut Reus desistat à culpâ, non obstante monitione legati, commissâ, quin ad licitè ferendam à Judice sufficiat sola legalis monitio, & contumacia adversus illam.

1727 Quæres 3. an privatus cedere possit juri, quod habet, ut sine monitione Canonica ab homine non innodetur censurâ? R. quòd non; quia decretum juris, de præmittenda hac monitione, non est tam in favorem singulorum distributivè, quàm ob bonum publicum, ne tam crebræ injustitiæ committantur, ut constat ex c. *Contingit* 2. de sent. excom. ac proinde non est in potestate hominis privati renuntiare huic juri; quia *publico juri, privatorum pactis, nunquam derogatur*, c. *Si diligenti*, de foro compet. & L. *Jus publicum*, ff. de pactis. Cùm autem contingat quandoque censuras infligi ab homine propter præjudicium alicujus tertii, not. 1. in monitione Canonica etiam observandum esse, ut admonitio hæc non fiat, nisi ad instantiam partis, in cujus commodum censura ferenda est. Nam 1. citatio debet fieri ad instantiam partis, admonitio autem habet vim citationis; 2. Quia Judex in bono privati non debet suam authoritatem interponere proprio motu, ut latè probat Abbas: secùs, si censura fiat ob bonum publicum; tunc enim sicut Judex potest ex officio procedere, ita etiam potest ex officio citare, & admonere; ita idem Abbas c. *Veritatis*, de dolo & contumac. n. 5. & sumitur ex c. *Venerabilibus*, de sent. excom. in 6.

Not. 2. Quando, cùm quis fuit malè 1728
absolutus à censura, tractatur de reducendo illo ad eandem censuram, quâ ligatus fuit, sufficere, quòd ad domum citetur, vel moneatur. Idem est, si censuræ ferantur contra Reos incognitos; sufficit enim monitiones fieri in Ecclesia, vel foro, aut loco publico; quia cùm tali casu ignorentur delinquentes, non possunt personaliter citari, vel moneri. Hinc sufficit, si monitiones taliter fiant, ut in foro externo præsumatur ad eorum notitiam pervenisse, in foro tamen interno debuerunt illis reipsâ innotuisse.

Quæres 4. An prærequiratur Canoni- 1729
ca monitio ante declarationem vel denuntiationem censuræ? R. antequam quis denuntietur, incidisse in censuram, prius esse citandum; quia nemo inauditus condemnandus est, tradi ab Escobar Theol. mor. tr. 4. de cens. Exam. 1. c. 5. Idem ex eadem ratione sequitur de declaratione. Excipe, nisi non tantùm adsit notoreitas facti, sed etiam notoreitas, quòd nullam habeat excusationem, nec aliquid Reus allegare possit pro sui defensione; ita Diana cit. resol. 6. n. 5. hinc quando aliqui docent, nullam requiri citationem ante sententiam declaratoriam censuræ incursæ, quando

delictum est notorium, intellige, quando cum facto notorio simul etiam notorium est, factum illud nullam habere excusationem, nec Reum aliquid allegare posse: aliàs enim Judex procederet contra Reum, quin det locum justæ defensioni, quam permittit jus naturæ. Et patet ex celebri Glossa in Clement. 1. de pœnis. V. *quam citò commodè poteris*, ubi dicitur: *non debere Judicem quemquam declarare excommunicatum, nisi prius eo vocato viderit, illum morosum præmissâ super hoc summariâ cognitione.*

1730 Ex hoc sequitur 1. citationem non esse de essentia cujusque sententiæ declaratoriæ de incursa censura; patet ex priori num. deinde aliam monitionem ad declarationem, vel denuntiationem non requiri, cùm alia ex jure non requiratur, & hæc citatio sufficiat 3. si omitteretur citatio, existimat Navarrus apud Layman D. 1. p. 1. c. 5. §. nihilominus, declarationem esse invalidam; quod etiam judicat de denuntiatione. Ut autem scias, quid dicatur *notorium*, supponendum peccatum publicum, & famosum à notorio diversum esse. Nam *publicum* esse potest, quod duo, vel tres tantùm viderunt, & postea divulgârunt; sic enim per famam fuit factum publicum. *Notorium* autem est, quod fit loco publico, videntibus multis, seu quod scit evidenter major pars populi, vicinorum, aut collegii, respectu cujus factum dicitur, notorium; ita Navarrus in Summa, c. 28. n. 73. quem citat, & sequitur Laurentius Portel. p. 1. casuum, seu responsionum moralium, cas. 6. n. 4. Ex hoc infert ibidem, quòd pauciorum scientia, quàm sex, non faciat rem notoriam, quando illi non sunt major pars respectu illius communitatis. Idem in terminis habet Zerolla ibid. Farinacius autem tom. 1. de inquisitione, q. 21. per totum, n. 11. & seq. maximè n. 47. f. 185. docet, ad notorium non sufficere pauciores testes, quàm decem; ita ille apud Portel. V. dicenda ulterius, à n. 1763.

ARTICULUS IX.

De formâ Servanda in ferenda censura.

1731 Hîc dicendum venit de iis, quæ servari debent in ipso actu ferendi censuram. Quoniam verò hæc potissimùm pendent ex juris dispositione, allegatis ex eo textibus id decernemus. Cùm enim plus, aut aliter in re valde gravi procedi non debeat ab his, qui, solâ juris humani constitutione, jus censuris contumaces perstringendi habent, in modo, & forma pendent à jure, à Christi Vicario præscripto sic, ut nec supra, nec infra jurisdictionis sibi datæ limites agant. Hinc quæstio est 1. an censura ferri debeat scriptò? R. censuram, quæ fertur ab homine per modum sententiæ, debere *in scripto* ferri; præcipitur expressè in c. *Cùm medicinalis*, de sent. excom. in 6. de quo supra n. 1715. idque non tantùm in excommunicatione, sed etiam in suspensione, & interdicto. Est autem ibidem sermo de homine ferente censuram per modum sententiæ. Unde id non requiritur ad censuram, quæ fertur à jure, aut lege; quia censura, quæ fertur ab homine per modum sententiæ, potest esse injusta; non verò, quæ à lege; Ita Suarez, Filliuc. Sayr. & alii, quos citat, & sequitur Leander tr. 1. de cens. D. 6. q. 2. Non est tamen necessarium, ut *scriptum* illud sit *authenticum*, hoc est, manu publici Notarii confectum, aut etiam testibus munitum; hoc enim non præcipitur in c. *cùm medicinalis*; nec etiam alio textu probatur. Suarez, Alterius, & alii cum Leandro q. 4. porrò, licet præcipiatur, ut scriptura hæc in ferenda censura adhibeatur, non est tamen de valore censuræ; quia in c. *cùm medicinalis* cit. Innocentius IV. præcipit, ut censura *relaxetur*, quæ à Judice lata fuit sine scriptis; ergo valida fuit. Unde quando c. *fin.* de sent. & re judicata in 6. absolutè affirmatur de omni sententia, quòd sit nulla, si lata fuerit *sine scriptura* in causis summariis, intellige *de sententiis, quæ non sunt censuræ*; nam has clarè excipit Papa; ita Filliucius, Bonacina, & alii, quos citat, & sequitur Leander D. 4. q. 2.

Quæstio est 2. an Judex teneatur sen- 1732
tentiam sic conscriptam per se ipsum promulgare? R. affirmativè; ita Ugolin. & Sayr. contra Leandrum D. 6. q. 5. quia c. *fin.* cit. id expressè definitur de omni sententia, ut judices *per se ipsos ferant sententiam*, exceptis Episcopis, quibus ob suam dignitatem licet per alios dicere sententiam; nec ullo textu alio excipitur dicens sententiam censuræ. Nec obstat, si dicas: licet ex c. *fin.* cit. de *omni sententia* requiratur, ut in scriptis fiat, tamen in eo non comprehenditur sententia censuræ; ergo licet in

eodem

eodem dicatur, ut eam dicant Judices per se ipsos, tamen non comprehenditur sententia censuræ. R. C. ant. N. conseq. quia quoad illud punctum excipitur sententia censuræ in c. *Cùm medicinalis*; non autem, quoad posterius; hinc ipse Judex debet eam ex scripto legere, nec sufficit memoriter pronuntiare. Nam c. *cùm medicinalis* expresè dicitur: *in scriptis proferat*; nec licet arguere: non requiritur, ut Judex ipse conscribat; ergo nec ut ipse legat. R. enim N. conseq. illud enim non habetur ex ullo textu; quod enim dicitur in c. *cùm medicinalis*, potest intelligi *conscribat*, vel per se, vel per alium, posterius autem expresè habetur in cit. c. *fin.* Not. tamen universim, in his specialiter attendendam consuetudinem locorum, & praxim longævo jam usu legitimè inductam.

1733 Quæstio est 3. an requiratur, ut in eo scripto exprimatur causa, propter quam censura fertur? R. affirmativè. Est in terminis in cit. c. *cùm medicinalis*; aliàs enim censuratus non posset se defendere, nec corrigere, nisi causa illi exponeretur; & debet poni expresè, ut vult textus; hinc non sufficit dicere: *ex causis rationabilibus te excommunicamus*; hoc tamen non pertinet ad valorem censuræ; cùm non probetur ullo juris textu.

1734 Quæstio est 4. an Judex excommunicans teneatur tradere Reo, si ab hoc intra mensem fuerit requisitus, exemplum scripturæ continentis sententiam censuræ? R. affirmativè; clarè patet ex c. *cùm medicinalis*, de quo in præmissis; Sumitur autem ille mensis probabiliter à die requisitionis factæ in loco debito; si verò judex negaret, & tunc primò ante finitum mensem tradere vellet, cùm Reus abest, debet illi ipse ad domum mittere, & ejus domesticos in testes facti accipere; debet autem illa requisitio Judicis publico instrumento confici, vel literis testimonialibus, & sigillo authentico consignari, c. *cùm medicinalis*. Scriptum porrò integrum tradi debet Reo poscenti, ac continere sententiam censuræ de verbo ad verbum usque ad notationem diei, mensis, & anni; aliàs enim non esset *exemplum*, arg. c. *Eam te*, de rescript. sic dict. c. *cùm medicinalis*, glossa V. *Exemplum*. Et hoc verum est 1. quando censuram fert contra determinatas personas; sic Leander cit. q. 12. Secundò etiam probabilibus, si contra personam innominatam per sententiam generaliter, qui hoc fecerit; & quis veniret, idque peteret, si sub illa contentus esset; ita Suarez apud Leandrum loc. cit.

Quæstio est 5. an Prælati regulares 1735
possint ferre censuras sine scripto, solo verbo? R. affirmativè, sed de iis tantùm apud quos id fert consuetudo, vel eorum constitutiones à Pontifice approbatæ. Tunc enim habent vim derogandi juri communi; si verò sermo sit, an possint vi privilegii? Henriq. apud Leandrum q. 17. absolutè affirmat propter privilegium à Leone X. illis concessum; alii hoc intelligunt solùm tunc licere, cùm censuram ferunt contra aliquem fratrem in particulari; non verò per modum Ordinationis communis omnibus ejusdem Ordinis, Provinciæ, vel Domus; quia ad illud, non ad hoc habent privilegium; ita Portel. in dub. Reg. V. *excommunicatio*, Diana & alii. Verba Leonis sunt: *Quòd Prælati Ordinis minorum, cùm aliquem fratrem, propter apostasiam, vel aliam causam excommunicant in Capitulo fratrum, vel in communitate, non teneantur proferre sententiam in scriptis, prout in jure sub pœna suspensionis præcipitur proferentibus*; ita Rodriquez tom. 1. qq. regul. q. 69. a. 3. pag. 294. Ex quibus colliges, id procedere, si fiat per sententiam particularem contra aliquem, vel aliquos de communitate; non verò per modum Ordinationis, statuti, seu præcepti; aliàs incurrent peccatum mortale & suspensionem, de qua c. *cùm medicinalis*, idque nec ad tempus per modum præcepti; quia privilegium Leonis loquitur de censuris, quæ apponuntur fratribus *ob delictum commissum*, ergo non debet extendi ad censuras *pro peccatis præcavendis*, idque nec tunc, cùm visitant suos conventus.

Quæstio est 6. An Episcopi, solo ver- 1736
bo ferentes censuram, peccent graviter, & incurrant suspensionem per mensem? hæc pœna suspensionis per mensem imponitur in c. *cùm medicinalis*, transgressoribus constitutionis in dicto cap. quo posito: quoad primam partem responsio est affirmativa, nisi in contrarium urgeat justa, & gravis causa; quia textus cit. c. indefinitè loquitur de non observantibus ea, quæ ibi præscribuntur: Quoad secundam partem responsio est negativa; quia dictum Capitulum continet solùm generalem sententiam pœnalem, quin faciat mentionem

Episco-

Episcoporum; hi autem non comprehenduntur in tali sententia, nisi eorum expressa fiat mentio, ut dictum est superius à n. 1687.

1737 Alius tamen Judex Episcopo inferior in hoc casu dictam suspensionem omnino incurrit, si hujusmodi constitutionis temerarius extiterit violator; ita c. *Cùm medicinalis*; hinc pœnam istam non incurrunt. 1. qui scripturam omittunt, ex justa causa; 2. qui bonâ fide, aut ignorantiâ inculpatâ. 3. qui ex inadvertentia. 4. videtur probabile etiam de eo, qui ex ignorantia mortaliter culpabili, si non violet *temerariè* hanc constitutionem, ut videtur fieri posse. Et hæc pœna dicti Capituli extendit se ad omnes, qui formam in eo præscriptam *temerariè* violant; hæc autem forma in eo sita est, ut censuræ ab homine promulgentur in scriptis cum expressione causæ, ut copia sententiæ tradatur Reo infra mensem petenti.

1738 Quæstio est 7. an hæc pœna incurratur ipso jure? affirmativam docet Leander q. 13. & alii, quia dicitur: *noverit se suspensum*; sed circa hoc videri utiliter possunt dicta à n. 1614. Transacto autem mense, si peccatum confessus sit, putat Leander q. 24. eum ipso jure restitui in pristinum statum sine alia relaxatione. Si verò durante suspensione celebraret in Ecclesia, aut alia divina officia obiret, eoipso fore irregularem, ex c. *Cùm medicinalis*; & incurri hanc pœnam per omissionem unius etiam conditionis in forma præscripta, quam retuli supr.

1739 Quæstio est 8. an incurratur hæc pœna etiam, cùm censura caret effectu? affirmativam tenet Leander q. 17. quia Pontifices in dicta constitutione solùm attendant animum ferentis, non autem juris effectum.

Sed contrarium probabilius est, nempe non sufficere actum invalidum in pœnis, nisi hoc ipsum expressum sit. Si dicas: Notarius, qui testamentum falsum ordinat, & facit, si formam testamenti retineat, potest puniri pœnâ falsi, licet testamentum ex alio capitulo nullum sit, Bartolus in L. *quod ergo*, §. *cùm autem*, ff. de his, qui notantur infamiâ; ergo etiam ferens censuram, si retineat formam censuræ substantialem, & omittat aliquid pertinens ad formam juris, incurret pœnam transgressoribus positam: Respondetur dato antecedente N. conseq. quia casus antecedentis expressum est in jure; secus consequentis, loquendo de censura invalida; secus valida, sed suspensa; ita Cornelio de Cens. in communi D. 6. d. 2. q. 7.

Quæstio est 9. an liceat censuram ferre in tenebris? R. in c. *Consuluit*, de offic. & potest. judicis delegati, V. *Tenebras*, prohiberi ab Innocentio III. ne judicium Ecclesiasticum exerceatur in tenebris. Censuram autem per modum legis, aut statuti latam in die festo, & validam, & licitam, docet Bonacina, Suarez, & alii; per modum autem sententiæ, & illicitam & invalidam censet Leander cit. mihi tamen videtur solùm illicita, quia non potest fieri sine judiciali cognitione causæ, ex c. *Sacro*, de sent. excom. & c. *Nemo*, 2. q. 1. causæ autem non possunt cognosci die festo, c. fin. de feriis. 1740

Quæstio est 10. an censura debeat ferri per signum externum, seu, an ad valorem censuræ requiratur, ut Superior præcipiens sub censura manifestet voluntatem suam aliquo signo sensibili? R. affirmativè, ita Gibal. disq. 6. q. 1. n. 2. quia aliàs voluntas Superioris, utpote non cognita, non obligaret subditum. 2. Quia talis censura foret inutilis; nec enim censuratus posset se pro tali habere, nec ab aliis haberi, quia nulli constare posset de incursu. 3. Quia ferre censuram pertinet ad forum externum; ergo non potest ferri solùm mentaliter; hæc conclusio extenditur etiam ad sententiam declaratoriam censuræ jam incursæ propter easdem rationes. 1741

Cœterùm spectatâ præcisè naturâ censuræ sufficit quodcunque signum sensibile, quo sufficienter notificatur voluntas Superioris præcipientis; ratio responsionis est, quia ex natura censuræ in hac materia aliud non requiritur, quàm, ut sufficienter innotescat voluntas præcipientis. Ex hoc inferes validè censuram ferri à muto, qui cognitâ sufficienter causâ, & pollens jurisdictione per sufficientia signa v. g. nutûs, aperit suam voluntatem, Suarez D. 3. S. 2. n. 4. Secundò per verba scriptis expressa, &c. Dixi *spectatâ naturâ censuræ*, non enim hìc agitur, quid jus Ecclesiasticum in censuris ferendis præscripserit; de quo videri potest c. *Cùm medicinalis*, sæpe cit. Nec licet arguere: in judicio pœnitentiæ, forma, quâ datur absolutio, debet constare verbis ore prolatis; ergo etiam forma censuræ. R. enim N. conseq. quia *absolutio* id 1742

non

non requirit ex conceptu *judicii ut sic*, sed ex conceptu *judicii Sacramentalis*, quod non convenit censuræ. Hinc etiam quando dicitur, quòd præceptum, vel sententia debeat *verbis* proferri, intellige *verba* laxius, pro quolibet signo sensibili, quo sufficienter significetur voluntas Superioris præcipientis.

1743 Quæstio est 11. an in ferenda censura certa verborum forma sit præscripta? R. negativè; id enim nullo juris textu habetur; requiri tamen jure Ecclesiastico, ut sententia censuræ conscribatur cum expressione causæ, ex scripto proferatur, & exemplum Reo petenti intra mensem tradatur, c. *Cùm medicinalis*, de sent. excom. in 6. debet autem (ut censura valeat) signum sensibile, quo fertur, esse determinatum *ad speciem censuræ*, quæ infligitur; quia præcepta censuram ferentia debent esse practica, & operativa effectus, quem significant (illud enim, quod significant, efficiunt, ut formæ Sacramentorum) hoc autem non fieret, si non exprimeretur species censuræ; nam operatio non est, nisi effectûs determinati. Deinde præceptum Superioris, nisi in specie determinet actum, non obligat; nec sententia Judicis damnans ad pœnam, nisi exprimat speciem pœnæ; ergo in simili de censura, his præmissis:

1744 Quæstio est 12. an censura sit valida, si Superior dicat: *excommunico te?* R. affirmativè; quia licet excommunicatio, ut sic, dividatur in majorem, & minorem; tamen hæc vox *excommunicatio* simpliciter prolata stat pro excommunicatione majori, ut dicemus infra ex c. *si quem*, de sent. excom. ita Suarez D. 3. s. 2. n. 9. Si autem petas, an valeat, si dicatur: *suspendo te?* affirmant Sylvester, Toletus, Avila, Sayrus, Ugolinus, & alii: Sed probabilius negat Suarez D. 3. s. 2. n. 8. & 9. quia non exprimitur, quâ specie suspensionis, an ab officio, an à beneficio, an ab utroque. Neque verbum *suspendo* stat pro una suspensione determinata, sicut verbum *excommunico*, si simpliciter proferatur; intellige saltem eo casu, quo ex subjecto non potest sufficienter determinari, quæ suspensio intelligatur. Nec obstat, si dicas: quando dicitur: *excommunico te*, censura valet, ergo etiam, cùm dicitur *suspendo te*. R. enim N. conseq. 1. quia ut dictum est, excommunicatio simpliciter prolata stat pro excommunicatione *certa*, non suspensio. 2. Quia excommunicatio solùm *analogicè* dicitur *de minori:* suspensio autem *univocè de qualibet inferiori*; hæc ergo non stat pro uno certo; sicut illa pro analogato principali, quod est excommunicatio major.

Quæstio est 13. An valeat censura, 1745
quæ fertur alternativè v. g. qui hoc fecerit, excommunicetur, *vel* suspendatur? R. 1. si sermo sit de censura incurrenda ipso facto, non valere; ita Gibalin. de sacra jurisdict. disq. 1. q. 2. n. 17. quia sic non incurretur una certa, cùm censura sit annexa facto, non electioni delinquentis, nec utraque simul; quia sic particula *vel* jam non alternativè, sed copulativè sumeretur contra suppositum. Neque dicas, particulam *vel* sumi copulativè, ut vult Leander cit. q. 8. sicut sumitur c. *In calicem*, de consecratione, ubi dicitur: Sanguine Christi pacificata dicuntur omnia *vel* in cœlo, *vel* in terra, in quo sensus est, *&* in cœlo, *&* in terra. Nam nego assumptum; hic enim sensus copulativus repugnat propositioni alternativæ, nisi aliunde supponas non esse talem, idque colligas vel ex sensu, & materia aliunde, vel ex intentione loquentis; sed tunc est extra statum quæstionis.

R. 2. Censuram, quæ alternativè à Ju- 1746
dice fertur, esse omnino nullam; ita Panormit. Rosella, Sylvestr. Henriq. quos citat, & sequitur Gibalin. q. 2. n. 8. §. *quando verò*; nisi fortè Judex Reo præcipiat, ut dicat, quam malit, & tunc à Reo electam infligat; sed tunc non amplius agit alternativè; ita Diana coordinatus tr. 1. de excom. resol. 17. ratio est, quia sententia incerta, & indeterminata nulla est ex L. 3. C. de sent. quæ sine certa qualitate profertur. Dices: legatum distinctivè scriptum, valet, posità electione legatarii; ergo & censura. R. 1. N. conseq. quia in antecedenti præsumitur voluntas legantis pro ea parte, quam eligit legatarius; cùm legatum ex natura rei sit in favorem legatarii; non in censura, quæ est in odium censurati. R. 2. Si præsumatur voluntas censurantis stare pro electa à Reo, non esse quid contra dicta.

Quæres 14. an censeatur quis excom- 1747
municatus ex eo, quòd cum illo Papa v. g. nolit communicare? R. negativè; hoc enim non est sufficiens signum voluntatis, quâ censura infligitur. Idem per oppositum dic de absolutione: excipe, nisi aliunde innotescat, quòd Papa voluntatem

suam hoc indicio explicare velit. Cùm verò alicui Pontifex dicit: *indignationem DEI, vel Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli incurras &c.* non censentur verba excommunicatoria; tum quia non significant ex se censuram; tum quia nullam important determinatè V. n. 1614. & seqq. ubi de pluribus ejusmodi formis. Si verò quis dicat: *excommunico te, & absolvo*, eâ intentione, ut per priora verba primum censurâ ligetur, per posteriora solvatur, docet Suarez D. 3. s. 2. n. 6. quem citat & sequitur Gibalin. cit. corol. 7. censuram valere; secus, si simul eodem instanti velit ligare, & solvere.

1748 Quæres 15. an censura valeat; quæ fertur indeterminatè in unum è duobus? R. quòd non; ita Suarez D. 3. n. 16. Gibalin. disq. 6. q. 1. n. 23. Ratio est eadem, quæ in n. 1743. quia verba censuræ sunt operativa; operatio autem non est, nisi in certo subjecto; hinc etiam ut censura actu valeat, debet fieri in tempore præsenti; nam tempus futurum suspendit ejus effectum.

1749 Quæres 16. an censura possit ferri sub conditione pertinente ad causam v. g. *nisi solveris intra mensem*, ipso facto sis excommunicatus. Constat hoc ex frequentissimo usu, c. *Præterea*, 40. de appellat. ubi Cœlestinus III. ait: requisiti sumus, si quis Judex ita protulerit sententiam: *nisi Sempronio intra 20. dies satisfeceris, te excommunicatum, vel suspensum, aut interdictum esse cognoscas: ille, in quem fertur sententia, medio tempore appellans, ad diem statutum minimè satisfecerit: utrum ille sententia tali ligetur: aut interpositione appell. tutus existat?* & respondet, *videtur autem nobis, quòd in hujusmodi sententiam appellationis obstaculum debeat impedire.* Ex quo textu rectè sequitur, censuram sub conditione de futuro ferri posse; & illam suspendi, si pendente conditione appellatum sit. c. *Romana* 5. de sent. excom. in 6. ibi: caveant etiam, natales sententias excommunicationis, sive specialiter, sive generaliter in aliquos pro futuris culpis, videlicet, si tale quid fecerint, vel etiam pro jam commissis sub hac forma, si de illis intra tale tempus minimè satisfecerint, proferre præsumant: *nisi mora in exhibenda satisfactione vel culpa, seu offensa præcesserit, quibus meritò ad injungendam satisfactionem hujusmodi, & taliter prohibenda similia inducantur: aut alia rationabilis (quam in ipsis sententiis exprimant) causa subsit.*

R. 2. etiam ferri posse censuram valide sub conditione impertinente ad causam, modò præsens sit, vel præterita; sic enim habetur, ac si non esset apposita, cùm jam sit purificata, & ideo prudentis est non uti hoc modo. Cæterum, si feratur sub simili conditione impertinente, & prorsus contingenti, valida non est; Quia continens errorem intolerabilem est invalida, ex c. *Per tuas* 4. de sent. excom. & c. *Solet*, 2. eod. in 6. sed censura tali modo lata continet errorem intolerabilem. Est enim intolerabilis usus spiritualis potestatis, eam alligare eventui purè contingenti, & ad causam prorsus impertinenti; Sic Ugolinus, Suarez, Alterius, & alii cum Leandro loc. cit. 1750

R. 3. validè censuram ferri ab homine sub conditione peccati in futurum committendi; de ea enim, quæ taliter fertur à jure, passim conceditur; est contra Covar. & Abbatem, qui contrarium sentiunt. Ratio est, quia nec pugnat cum jure divino, nec naturali, nec Canonico. Nam in c. *à nobis*, 21. de sent. excom. interrogatus Clemens III. an hæc generalis forma excommunicandi: *quisquis furtum fecerit, excommunicatus sit*, ad ipsius excommunicatoris subditos referatur, an generaliter extendatur ad omnes, qui non sunt de jurisdictione illius? respondit: Dicimus, quòd hac sententia *non nisi subditi obligentur*, nisi fortè plus contulerit major, & largior auctoritas delegantis; qua responsione illam simpliciter approbat. 1751

Dices: in c. *Romana* 5. de sent. excom. in 6. hanc formam excommunicandi prohiberi; ergo saltem est illicita. R. illam non prohiberi absolutè; sed tantùm dici, ut caveant, ne utantur, nisi in exhibenda satisfactione, vel culpa, seu offensa præcesserit. R. 2. esto ibidem foret prohibitio, jam tamen contrariâ consuetudine illi derogatum esse. R. 3. ibi non esse prohibitionem, sed tantùm admonitionem, ne judices facilè proferant hujusmodi sententias, sed cum magna circumspectione agant. 1752

Quæres 17. an censura sub conditione lata non incurratur prius, quàm conditio apposita impleatur? R. affirmativè; quia ea sententia, vel dispositio, quâ infligitur non afficit hominem, nisi cùm est absoluta; conditionata enim voluntas, pendente 1753

dente conditione, nihil operatur; & ideo censura tunc solùm habet vires suas; tunc-que censetur proferri à Judice: nam ad diem pronuntiationis retrotrahi nequit, eo quòd in his rebus spiritualibus fictioni locus non sit, sed semper veritas attendatur; Sic habetur expresè in c. *licet*, 14. de sent. excom. in 6. ubi dicitur, quòd, licet sententia excommunicationis lata, & appellatione interposita suspensa per negligentiam appellantis, qui appellationem non prosequitur intra terminum præfixum, non ratificetur, nec convalescat; talem tamen, elapso termino, appellationi prosequendæ concesso, posse denuntiari, & vitandum esse, quousque, quòd post appellationem legitimam excommunicatus fuerit, vel aliàs de ipsius sententiæ docuerit nullitate.

1754 Quæres 18. an censura lata sub conditione, suspendatur per legitimam appellationem ejus, in quem lata est? R. affirmativè; si appellatio fiat ante conditionem impletam; quia per appellationem legitimam suspenditur actus Judicis, à quo appellatur, prout statuitur c. *Præterea*, 40. de appellationibus, quod supra retulimus; hinc si post talem appellationem diceretur sententia censuræ, eoipso nulla foret ex dictis; quamvis, donec constet de nullitate, sit concedenda absolutio ad cautelam, ex dict. c. 40. *Præterea*, & c. *Venerabilibus*, de sent. excom. in 6. ita Suarez D. 3. S. 6. n. 1.

1755 Quæres 19. an censura suspendatur per appellationem factam quocunque tempore, antequam impleatur conditio? Negant Abbas, Ugolinus, Filliucius & Suarez, requirentes, ut fiat intra 10. dies a die sententiæ latæ, juxta c. *quod ad*, 15. de sent. & rejudicata, ubi Constantiensis Episcopus hanc Pontifici quæstionem proposuit, *utrum appellationi sit Clerici deferendum, qui purgationem indictam sibi per sententiam, & ad ipsius receptionem terminum competentem* (puta viginti dies vel amplius) *sine contradictione recipiens: & ad diem veniens consequenter, appellat, causam non exprimens appellandi: nec sit locus nisi suscipiendæ purgationi & executioni sententiæ, à cujus prolatione & purgatione injuncta ultra decendium dicitur effluxisse?* Cui quæstioni rescribens Pontifex, taliter duximus respondendum, inquit, quòd, *cùm post decem dierum spatium sententia in auctoritatem rei transeat judicatæ*, qui, quia provocationis subsidium intra id temporis non recurrit, *appellandi sibi aditum denegavit*: cùm per hoc videatur per interpretationem juris latæ sententiæ paruisse, præsertim ubi causa non redditur appellandi. Sed nec executionem ipsius sententiæ ideo convenit retardari, licet ad hoc agendum quadrimestre tempus regulariter sit statutum: quia id arctari potest nonnunquam à sedente in medio, & etiam prorogari: & qui ab initio sponte recipit terminum, breviorem imputari sibi potest & debet: cùm videatur amplius beneficium contempsisse: unde *talis non audietur appellans, nisi fortè adversus eum modus executionis Canonicus excedatur.*

Affirmant autem Navarrus, Covar. 1756
Alterius, Corneio, & Leander cit. cum Suarez D. 3. S. 6. n. 4. qui, licet negativam vocet securiorem; hanc tamen satis tutam, & in foro conscientiæ; & etiam in foro externo securè posse Judices juxta illam pronuntiare; quia, licet in dicto c. pro interponenda appellatione statuantur 10. dies, ut illa vim suspensivam habeat; tamen si nondum elapsis diebus posita sit conditio, censura non ligat, nec transit in absolutam; ergo interim semper appellari potest. Dictum enim Capitulum videtur solùm loqui, quòd tunc non valeat appellatio, quando lapsis diebus sententia transit in rem judicatam, quod non fit in censura conditionatè lata ante impletionem conditionis.

Cæterùm si conditio, sub qua lata 1757
est censura, ponatur ante elapsos dies, appellatio post conditionem positam facta, licet intra decem dies illos fiat, non invalidat, nec suspendit censuram. Ita Suarez, & Filliucius cum Leandro q. 18. contra Alterium, qui judicat valere appellationem, & quoad effectum devolutivum, & suspensivum. Ratio est ex c. *Pastoralis*, 53. §. *verum*, de appell. ubi dicitur, quòd licet excommunicatus ab excommunicatione, quæ jam sumpsit vires, appellet, ante denuntiationem, tamen denuntiari possit, & beneficii reditibus spoliari: sed excommunicatio conditionata, positâ conditione, jam sumpsit vires; ergo; & c. *is, cui*, 20. §. Sanè, de sent. excom. in 6. ubi expresè statuitur, quòd non valeat appellatio, saltem quoad effectum suspensivum, contra censuram, quæ jam sumpsit vires, & absolutè prolata est. Hinc illi decem dies pro appellatione statuti sunt solùm de

sententia, quæ prius non sumpsit vires. Textus c. *Is cui*, sic habet: Sanè sicut excommunicatio, sic ab officio, vel ab ingressu Ecclesiæ lata suspensio, aut ipsius effectus, per appellationem sequentem minimè suspenduntur.

1758 Quæres 20. an censura, lata sub conditione, suspendatur per consensum partis, in cujus favorem lata est, etiam invito, vel insciо Judice? R. affirmativè; ut, si pars adversa condonet debitum, vel proroget terminum solutionis sibi debitæ. Quia si creditor cedit suo juri, vel simpliciter, vel ad tempus; debitor consequenter non solvendo non peccat, atque adeo nec censuræ materiam præbet. Hinc ejusmodi censuræ sunt implicitè conditionatæ, si scilicet creditor id exigat; ita complures cum Leandro q. 19. & 20.

1759 Quæres 21. an deinde, elapso termino, quem creditor prorogavit, debitor incurrat illam censuram, si non solvat? negant Henriq. & Navarrus; quia præceptum illud fuit alligatum triduo, ultra quod esse nequit efficax: Suarez tamen, & Hurtado affirmant; quia obligatio Judicis non fuit ad finiendam obligationem, sed ne solutionem differat ultra tempus illud sine consensu creditoris; hinc prorogato termino, & non soluto debito manet jus prioris præcepti. Ex quo vindicat Leander q. 21. nec requiri novum consensum Judicis.

1760 Quæres 22. An valeat hæc forma: *Excommunico te, si ab hac sententia appellaveris?* R. negativè; quia non operatur censuram, nisi positâ conditione; sed hac positâ non operatur; conditio enim est appellatio, quæ, ex dictis n. 1754. suspendit censuram, antequam vires sumat; ita Gibalin. disq. 6. q. 1. n. 27. & Innocent. III. c. *Præterea*, 2. de appell.

1761 Quæres 23. An quis effugiat censuram latam sub conditione, si illâ pendente forum mutet? R. negativè, si lata sit propter delictum præteritum, & commissum tempore prioris subjectionis; non verò, si propter futurum feratur per statutum, aut sententiam generalem. Ratio prioris est; quia supponitur lis jam intentata, & sic coram primo tribunali finiri debet; ratio secundi est per oppositum; quia ubi delictum adhuc pendet in futurum, lis nondum est intentata.

Ex hoc respondetur etiam ad quæstionem: an censura sub conditione lata, sed impedita tempore, quo impletur conditio v. g. per Judicis suspensionem, vel excommunicationem, reviviscat, impedimento sublato Judicis? Nam affirmandum est, si conditio duret, usque dum tollatur impedimentum, reviviscere; secus, si statim transeat: exemplum primi est, si dicatur: *nisi solveris intra mensem, sis excommunicatus*: secundi, *nisi hodie breviarium oraveris, sis excommunicatus.* Si Episcopus suspendatur ante elapsum mensem, & tu non solvas, etiam post hunc mensem, quo Episcopus à suspensione solvitur, incurres excommunicationem; quia conditio non impleta durat contumaciter; secus non oratio breviarii pro festo v. g. hodierno; ita Navarr. Suarez, Filliuc. & alii. 1762

Præter dicta à n. 1721. not. 1. Judicem, qui non servat in ferenda censura conditiones, & formam juris præscriptam in c. *Cùm medicinalis*, de sent. excom. in 6. peccare mortaliter, & incurrere ipso jure suspensionem ab ingressu Ecclesiæ, & divino officio per mensem, ut jam notavimus loco cit. ubi egimus de pœnis non servantium formam præscriptam ante ferendam censuram. Unde si sic excommunicatus (scilicet non servatâ formâ juris præscriptâ, & servanda in ferenda censura) Superiorem adierit, sine difficultate ab ipso absolvendum esse, & Judicem, qui taliter censuram tulit, condemnandum ad expensas, & interesse, & aliâ pœnâ puniendum, si Superior judicet, expedire; ita c. *Cum medicinalis*, de sent. excom. in 6. ubi additur: *quòd si Judex ita suspensus, divinis officiis, se immiscuerit, incurrat irregularitatem, in qua solus Papa dispensare possit*; quod tamen non procedit, si censuram non ferat *judicialiter*; quia verba canonis loquuntur *de Judicibus*, ibi: *si quis autem Judicum*, &c. ita Sayrus l. 1. thes. c. 13. n. 18. Nec etiam necessarium est, allatas conditiones observari, quando Superior aliquem per simplicem prohibitionem suspendit ab actione sibi non competente ex jure, sed tantùm ex suspendentis venia & commissione; sic enim non est censura; secus, si prohiberet actum competentem ex jure, ut si Episcopus Parocho interdiceret audire confessiones, ita Gibalin. cit. n. 26. 1763

ARTI-

ARTICULUS X.

De servandis post latam censuram.

1764 EXpeditis illis, quæ pertinent ad observationem tum eorum, quæ antequam censura feratur; tum in ea ferenda servari debent; agendum etiam de iis, quæ attendi debent post censuram latam, ut sunt denuntiatio, & appellatio; de his igitur in in præsens.

§. 1.

De Denuntiatione.

1765 *DEnuntiatio* est ipsius pœnæ, seu censuræ executio, seu publicatio; hac enim positâ nanciscitur censura suum ultimum finem; non sumitur proinde hic pro accusatione, vel delatione subditi apud Superiorem, de qua latè alibi agitur, quo posito: Quæres 1. an post latam sententiam, debeat necessariò sequi denuntiatio? affirmat Leander tr. 1. de cens. in communi, D. 7. q. 1. & *de excommunicatione* probat ex decreto Honorii Papæ, in c. *Curæ*, 11. q. 3. c. *pervenit* 1. c. *Pastoralis*, §. *Verum*, de appellationibus, c. *Parochianos* & c. *conquesti*, de sent. excom. *De interdicto* habetur in Clement. ult. de censibus. *De suspensione* in Clement. 2. de pœnis: sed hoc limitari debet, ut non intelligatur de omni censura, sed solùm de censura lata contra particularem, & determinatam personam à judice, post trinam vel formaliter, vel virtualiter talem, canonicam monitionem; & de hujus executione loquitur c. *Curæ*, ibi: *Curæ sit omnibus Episcopis, excommunicatorum omnino nomina tam Episcopis vicinis, quàm suis parochianis pariter indicare, eaque in celebri loco posita præ foribus Ecclesiæ cunctis convenientibus inculcare, quatenus in utraque diligentia, & excommunicatis, ubique Ecclesiasticus aditus excludatur, & excusationis causa omnibus auferatur.*

1766 Sed nota ly *curæ sit.* Nam hæc verba præcisè non important necessitatem præcepti. Deinde in c. *Pastoralis* cit. solùm dicitur, denuntiare *potes*, licet excommunicatus appellet ab excommunicatione, quæ jam prius sumpsit vires. Unde ex his duobus textibus non rectè assertum suum probat Leander; secus tamen ex c. *Parochianos*, 9. de sent. excom. ibi: Parochianos vestros, si qui in Monachos, vel Conversos præfati ordinis violentas manus injecerint: *sublato appellationis remedio, secundum tenorem generalis decreti excommunicatos publicè nuntietis, ipsosque faciatis sicut excommunicatos arctius evitari*, donec læsis congruè satisfaciant, & cum literis vestris Apostolico se conspectui repræsentent. Ubi sermo est de percussoribus Monachorum, & Conversorum ejusdem ordinis. Idem habetur c. *Conquesti*, 22. eod. ibi: quoniam igitur hæc gravia sunt, nec clausis debent oculis pertransiri, *mandamus*, quatenus si ita est, *memoratos sacrilegos publicè accensis candelis, app. cess. excommunicatos denuntietis, & faciatis sicut excommunicatos arctius evitari*, donec passis injuriam congruè satisfaciant, & illata damna data resarciant, & cum literis vestris rei veritatem continentibus se Sedis Apostolicæ conspectui repræsentent. Loquitur ibi de his, qui Ecclesias violenter fregerunt, easque spoliarunt, & homines earum deprædari nullatenus dubitarunt.

Quando verò censura incurritur ipso 1767
facto, non tenetur Episcopus Reum denuntiare; quia censura tunc non lata juridicè; excipe nisi pars instaret pro plena executione talis pœnæ; tunc enim Judex non posset denuntiationem recusare. Ad idem tenetur in certis aliis casibus à jure præscriptis. 1. in Clement. 1. de pœnis, de eo, qui capit Episcopum 2. in Clemen. 2. de iis, qui capiunt viros Ecclesiasticos, ut renuntient suis beneficiis. 3. in Extravag. *unica* de furtis, de iis, qui surripiunt bona Ecclesiæ. 4. c. *Parochianos* de sent. excom. de iis, qui manus violentas injecerunt in Monachos. Ex hoc autem patet, sententiam Leandri, de qua n. 1765. nimis universalem esse.

Denuntiationem semper esse facien- 1768
dam à legitimo Superiore, seu de ejus auctoritate, negat Geminianus, & Ugolinus apud Leandrum q. 4. saltem tunc, cùm delictum est adeo clarum, & publicum, ut nullâ tergiversatione celari possit; sed rectius affirmat Leander q. 4. & apud eum Suarez D. 3. S. 13. n. 7. & 8. Filliucius, Bonacina, & alii; quia denuntiatio est executio censuræ, & consequenter actus potestatis coërcitivæ, qui pertinet ad legitimum Superiorem, vel ejus delegatum. Quando censura incursa, fuit lata ab homine, denuntiatio primò & per se fieri debet ab eo, qui censuram tulit. Nam ad ipsum per-

tinet exequi suam sententiam, ex c. *Pastoralis* §. *Verùm*, de appell. quamvis etiam fieri possit à delegato juxta Gloss. in c. *Super*, de offic. deleg. V. *Executorem*; si verò lata sit à jure, denuntiatio fieri potest ab Ordinario delinquentis, vel loci, in quo commissum est delictum.

1769 Quæres 2. an denuntiationem præcedere debeat sententia declaratoria criminis commissi? Negant aliqui saltem tunc, cùm adeo notorium est, ut nullâ possit tergiversatione celari; sed universaliter affirmat Suarez, Filliucius, Bonacina; quia vix moraliter est possibile, quòd crimen sit omnino inexcusabile; ergo, quòd crimen sit notorium, non impedit, quo minus debitus Ordo justitiæ servetur, ut sic nemo non auditus damnetur. Et videtur deduci ex c. *Pervenit*, 13. de appellationibus, juncto eo, quod diximus supr.

1770 Quæres 3. An denuntiationem & declarationem criminis præcedere debeat citatio Rei? R. quòd sic, cùm sit actus judicialis, atque adeo fieri debeat cum cognitione causæ; secus invalida est sententia; ita Leander q. 9. cum pluribus. Nam contra inauditam partem nihil potest in judicio definiri, etiam à Papa, ut habetur c. 1. de causa possess. & proprier. ubi Gregorius Pontifex sic loquitur: *legali provisione decretum est tam momenti, quàm proprietatis causam, sub uno eodemque judice debere cognosci. Nec nos contra inauditam partem aliquid possumus definire.* Si verò Reus citatus compareat, seque paratum ad emendationem ostendat, non potest Judex justè procedere ad denuntiationem; ita Suarez D. 3. S. 10. n. 17. quem citat & sequitur Gibalin. disq. 6. q. 3. n. 2. Quia cùm primum Reus ostendit se correctum, à censura absolvendus est, ex c. *quâ fronte*, de appell. præsertim si parti satisfacere velit. Licet enim denuntiatio non sit nova censura; affert tamen novam infamiam Reo, & aliis obligationem vitandi, ad quam, si procedat Reo jam correcto, non videtur agere ex mente Ecclesiæ, solùm punientis taliter contumacem.

1771 Not. autem, quòd Judex, sciens, sententiam censuræ latam esse injustam, teneatur saltem regulariter sub mortali, non denuntiare, hoc enim aliud non esset, quàm inchoatam injustitiam prosequi; ita Leander q. 16. ex Suarez. Idem est, si sciat esse nullam, c. *Super eo*, de crimine falsi, si verò sententia secundùm allegata & probata, sit justa, quamvis executori privatâ notitiâ constet, in re esse injustam, existimat Leander q. 18. quòd, si Superior præcipiat, executor debeat denuntiare; probat ex c. *Pastoralis*, §. *quia verò*, de offic. & potest. judic. deleg. ubi asserit, hoc expressè definiri ab Innocent. III. Extenditur etiam ad eum casum, quo executor dubitat, num censura justa sit? ex eadem ratione, modò executor non possit commodè se excusare, vel Superiorem à priori sententia dimovere.

Si autem executori *constet*, sententiam esse injustam secundùm allegata & probata: R. tunc non posse sententiam exequi, quia, ut habet Gloss. in cit. c. *Pastoralis*, V. *etsi sciat*, non semper obediendum est Judici, si evidenter iniquum est id mandatum ipsius, sive contra jus, c. *quid culpatur*, 23. q. 1. & c. *non semper*, & duobus sequentibus, 11. q. 3. ita Suarez, & alii: secus si sententia solùm esset injusta quoad modum accidentalem, talis enim executor aliud non facit, quàm quòd sententiam validam & justam substantialiter declaret, in quo nullum est peccatum. 1772

Quæres 4. quo loco facienda sit denuntiatio? R. quòd publicè in Ecclesiis, & postea in scriptis affigi ad portas earum cum expressione causæ, vel juxta receptum modum, c. *Cùm medicinalis*, de sent. ex com. & c. *cura sit*, 11. q. 3. in solenni autem anathemate plures adhibentur ceremoniæ, de quibus vide c. *debent*. 11. q. 3. Suarez D. 3. S. 14. n. 4. & alios: fieri autem debet denuntiatio die non feriato, seu non Festo, si præcedere debet citatio & cognitio causæ, hæc enim die Festo fieri prohibentur: secùs si aliàs facta sint, imò sic expedit, ut sententiæ notitia ad plures perveniat. 1773

§. 2.

De Appellatione à sententia censuræ.

1774 *Appellatio* est à minore judice ad majorem ratione gravaminis provocatio; cujus, si legitima sit, jus duplex est; 1. devolutivum causæ ad Superiorem, eximendo illum à Judice, à quo appellat, & devolvendo causam ad Superiorem, ad quem appellat. 2. suspensivum sententiæ. Ex quo infert Castropal. D. 1. hic, p. 8. n. 1. quando appellatio utrumque effectum habet, per illam omnino impediri censuram, quia

quia tunc in ferente deficit potestas ex c. *Si à judice*, de appell. in 6. c. *Præterea*, de appell.

1775 Notandum autem 1. quòd sola appellatio legitima habeat effectum suspensivum censuræ; nisi fortè, si talis non esset, nihilominus illam Judex, ut talem admitteret; Suarez D. 3. de cens. S. 3. n. 6. Avila, & Hurtad. quos citat, & sequitur Castropal. cit. n. 3. Si verò Judex, à quo appellas, tuam appellationem, ut frivolam, rejiciat, & ad censuram procedat; in foro quidem conscientiæ à censura excusatus eris; nec licet illo tempore celebres, irregularitatem incurris: externè tamen censurâ ligatus judicaberis, quousque judex, ad quem appellas, appellationem tuam legitimam declaret, ex c. *ad præsentiam nostram*, de appell. & c. *solet*, de sent. excom. in 6.

1776 Not. 2. quòd nulla appellatio suspendat censuram jam incursam c. *Per tuas*, 40. de sent. excom. c. *Pastoralis*, de appellat. Hoc Castropalaus extendit etiam ad declarationem censuræ jam incursæ, ex eod. capite; sed limitat, si, nullâ ratione celari possit, censuram incursam esse; secùs, si dubium sit, & appellans non obstante sententiâ declaratoriâ Judicis alleget, se vel non commisisse delictum; vel non eâ ratione, ut sit materia censuræ; ita etiam apud illum Navarrus, & Hurtado; quibus præmissis:

1777 Quæres 1. an appellatio contra denuntiationem censuræ jam incursæ, ab homine latæ, faciat, ut Judex Reum ad hoc citatum, non possit denuntiare? Negat Leander tr. 1. de cens. D. 7. q. 12. quia appellatio à censura, ab homine lata, non impedit denuntiatum, c. *Pastoralis*, §. *Verum*, de appell. c. *Cum contingat*, de offic. delegati c. *Is, qui*, de sent. excom. in 5. Est autem sermo, inquit Leander, de Judice ordinario; non delegato, quem, ait, cessare pro illo casu esse Judicem, interpositâ appellatione inter censuram incursam, & denuntiationem, ex c. *Pastoralis*, §. *Præterea*, & c. *Cùm autem*, de offic. deleg.

1778 Sanchez verò tom. 1. consil. l. 3. c. *Unic.* d. 32. n. 242. & alii affirmant. Nam c. *Pastoralis* citatum à Leandro non loquitur de censura, *lata ab homine*; sed illa, quæ executionem secum trahit. Neque c. *Cùm contingat* illi quidquam favet. Sed revera nec c. *Is qui* verbum habet; ideo adhæreo sententiæ P. Sanchez, quia appellatio legitima in tempore facta habet universaliter vim suspensivam sententiæ, ut cum communi tenet Diana tr. 1. de excommunicat. resol. 141. excipe, nisi Judex procedat cum potestate: *non obstante appellatione.*

Quæres 2. An saltem appellatio à cen- 1779
sura, contra ignorantem lata, impediat Judicem, ne Reum denuntiet? R. si sit ignorantia, quæ excuset à censura, impedire. Tunc enim censura non esset incursa; secus dicendum esse vult Leander q. 13. si non excuset; verùm mihi probabilius est, quòd etiam tunc impediat propter dicta in superior: Cæterùm omnino existimo, tunc appellationem non impedire denuntiationem censuræ sic jam incursæ, quando id ipsum nullâ tergiversatione celari potest, & ob hoc appellatio esset non legitima. Pro hoc citat Leander q. 14. c. *Parochianos*, de sent. excom. sed hoc tantùm præcipit, sublato remedio appellationis denuntiari, qui percusserit Monachum, vel conversum religiosum. Ex alio igitur Capitulo probari debet, scilicet, quòd tunc appellatio non possit esse legitima, quando causæ æquitas per se manifesta est.

ARTICULUS XI.

De culpa, propter quam ferri possit censura?

CAusa materialis proxima censuræ com- 1780
muniter dicitur culpa, in cujus vel correctionem, vel evitationem fertur censura, aut saltem per minas interminatur; quamvis homo sit subjectum, quod hâc pœnâ coërcetur. Hic enim per causam materialem intelligitur solùm ratio, ob quam quis hac pœnâ dignus sit. Judex autem ad censuram absque manifesta, & rationabili causa procedere non debet, c. *Sacro* 48. de sent. excom. Unde censuram propter solam culpam validè ferri posse, tenet communis cum Suarez de cens. D. 4. S. 1. n. 1. Hurtado, Filliuc. Castropal. D. 1. de cens. p. 7. n. 1. & alii. Omnis enim pœna necessariò supponit culpam; sed censura est pœna, nimirum spiritualis, & medicinalis, curans, aut præservans à morbo spirituali, quod est peccatum: ergo.

§. 1.

§. 1.

An censura ferri possit propter culpam alienam?

1781 REspondent aliqui ad suspensionem, vel interdictum incurrendum sufficere quidem culpam alienam; non autem ad excommunicationem; ita Escobar de censur. tr. 4. Exam. 1. c. 4. Ratio primæ partis est; quia sæpe, saltem cùm generaliter feruntur, ob unius delictum in totam communitatem feruntur, ex c. *Si sententia*, 16. de sent. excom. in 6. ubi Bonifacius VIII. sic loquitur: *si sententia interdicti proferatur in Clerum*, non intelligitur (nisi aliud sit expressum in ea) interdictus populus, nec etiam è converso. Unde *uno interdicto ipsorum*, alius licitè admittitur ad divina. Cœterùm cùm propter delictum domini, vel Rectoris est civitas interdicta: cives ejusdem (qui culpabiles non existunt, dummodò & ipsi propter dominum, vel Rectorem puniendum in eis non fuerint interdicti) possunt extra ipsam licitè interesse divinis. Cùm verò alicujus terræ populus *interdicto* innodatur, singulares ex eo personæ, quas interdictas esse constat (ne sententia effectu careat, cùm divinorum auditio, & Sacramentorum perceptio populo *ut universis* non competant) non debent alicubi (casibus expressis à jure duntaxat exceptis) adire divina, vel Ecclesiastica recipere Sacramenta. *De suspensione* probant etiam ex eo; quia hæc non privat bonis spiritualibus ad proprium animæ bonum pertinentibus, sicut excommunicatio; ita complures apud Leandrum tr. 4. D. 2. q. 7. Negant tamen ad suspensionem sufficere culpam alienam Navarrus, Cajetanus, Sotus, Suar. Sayr. & alii. Quamvis aliqui velint suspensionem, quæ imponitur Clerico in particulari, non posse imponi absque culpa propria; secus de illa, quæ imponitur communitati; ita Henriquez l. 13. c. 34. n. 1. Ratio secundæ partis est; quia ob id à jure cautum est, ne excommunicatio in communitatem feratur, ut diximus supra.

§. 2.

An requiratur culpa contra præceptum Ecclesiæ?

1782 REsp. censuram ferri non posse, nisi propter peccatum specialiter ab Ecclesia prohibitum; ita Sotus, Navarrus, Suarez, Layman, quos citat & sequitur Castropal. D. 1. p. 7. n. 6. quia potestas ferendi censuras non est Ecclesiæ à Christo commissa, nisi in filios Ecclesiæ inobedientes; qui scilicet Ecclesiam non audierint: ergo infligi non possunt, nisi in eos, qui Ecclesiam non audierint mandantem vel prohibentem. Ex quo sequitur censuram ferri non posse, nisi propter peccatum contumaciæ contra præceptum Ecclesiæ sub interminatione censuræ latum; ita Sotus, Avila, Suarez, Molina, Sanchez, Henriquez, Coninch, & alii, quos citat, & sequitur Diana tr. 1. de excom. resolut. 8. contra Covar. & Hurtad. quòd requirat contumaciam, patet ex verbis Christi, quibus contulit Ecclesiæ potestatem ferendi censuram, de quibus egi n. 1625. quòd verò debeat esse contra præceptum Ecclesiæ comminantis censuram, deducit ex eo Layman l. 1. tr. 5. p. 1. c. 5. n. 4. quia ubi non est prævia monitio & comminatio, nec est contumacia; sed hæc intellige juxta superius dicta à n. 1712. Non requiritur tamen formalis inobedientia (quia censura non supponit, violari duo præcepta formaliter, quod tamen eveniret) sed sufficit transgressio præcepti Ecclesiastici comminantis. Hinc inferes, censuram ferri non posse propter peccatum, qualecunque sit, quod est tantùm contra legem naturalem, vel divinam, nisi etiam sit specialiter ab Ecclesia vetitum.

§. 3.

An censura ferri possit propter peccatum merè internum?

PEr peccatum merè internum hic intel- 1783
ligimus, quod committitur solâ mente, quin transeat in actum externum, quo posito: Ex. non posse ferri censuram propter peccatum purè internum; ita Navarrus, Covar. Suarez, & alii, quos citat, & sequitur Castropal. de cens. D. 1. p. 7. n. 4. Leander tr. 1. D. 6. q. 3. contra nonnullos Canonistas: patet 1. ex c. *Tua nos*, &c. *sicut tuis*, de simon. ubi expressè dicitur, dationem ex animo simoniaco procedentem, si hic exterius non prodatur, ab Ecclesia non puniri. Idem fatetur Innocentius III. in cit. c. *Tua nos*, & habetur in Trid. Sess. 24. de reform. c. 1. de matrim: patet etiam ratione; quia Ecclesia non judicat, nisi de manifestis, ut patet ex cit. c. ergo nec pro occultis potest ferre pœnam.

Ex eo autem, quòd Ecclesia secun- 1784
dùm aliquos possit reservare peccata purè inter-

interna, non sequitur, quòd illa etiam possit punire; illud enim non requirit actum judicii, sicut istud, sed tantùm, ut jurisdictio quibusdam negetur, 2. licet potestas Ecclesiæ sit spiritualis, est tamen in illa *modo humano*, atque adeo exerceri debet modo humano; ergo extendi solùm potest in ea, quæ homines cognoscunt per signum sensibile. 3. Ecclesia nunquam tulit censuras contra tale peccatum. Hinc punit censuris illum, qui crediderit, mundum hunc non esse à DEO factum, casu quo suam hæresim aliquo signo externo expresserit. Idem est, cùm Inquisitores ex alio pravo affectu procedentes excommunicantur, si scilicet indicio sensibili prodatur. Deinde cùm dicitur: Ecclesia habet jurisdictionem in actus internos, distingue: puniendos censuris, N. aliâ ratione, transf. illud enim expresse negatur in jure, V. dicta l. 1. tit. 2. de Constitut. dico *transeat*, nam loc. cit. non admitto, si loquatur de actibus *merè* internis.

§. 4.

An actus externus debeat esse signum malitiæ, propter quam Ecclesia imponit censuram?

1785 REsp. probabilius affirmari cum Suarez D. 4. S. 2. n. 20. & aliis, quia censura ferri non potest propter peccatum purè internum ex n. 1783. ergo tantùm propter peccatum signo externo manifestatum; ergo non punit censuris hæresim purè internam sed externam; sed si signum externum illam non significet determinatè, illud signum non est externa hæresis; signum enim indifferens non est externè determinatum; ergo. Deinde ex signo externo indifferente Ecclesia non potest judicare de peccato alterius; ergo nec illud taliter significatum punire. Hinc bene negatur incurri censuram latam contra hæreticos ab eo, qui internè consentit in hæresim, & exterius repentè dicat: ita est, vel mensam percutiat.

1786 Probabilius etiam negatur incurri censuram latam in eum, qui exercet actum externum malum sub censura prohibitum, sed non procedentem ab actu interno, habente malitiam illam, quæ sub censura prohibita est; Nam de facto, si imposita est excommunicatio contra hæreticos, & aliquis metu mortis exercet actum externum infidelitatis, retentâ tamen interius fide, quamvis ab Ecclesia possit in foro externo puniri tanquam hæreticus, in foro tamen conscientiæ non incurrit censuram positam contra hæreticos. Ratio primæ partis est, quia ratione actûs externi potest præsumi hæreticus, consequenter puniri, ut talis. Ratio secundæ est; quia talis excommunicatio solùm est contra illos, qui verè sunt hæretici; at ille, qui mente retinet veram fidem, non est verè hæreticus, esto exerceat actum illum externum; ergo. min. pat. quia de ratione hæresis est error intellectûs contra fidem.

Quæri etiam potest, an incurrant cen- 1787
suram latam contra non observantes præcepta Ecclesiæ, qui solùm fictè, scilicet actu externo, sine interno illa observant? Negant Henriquez, & alii; quia talis implet substantiam præcepti. Ego existimo, incurrere censuram, omittendo actum internum, qui pertinet ad substantiam rei præceptæ; secùs si non pertineat; sic enim primo casu non servaretur præceptum; secus in secundo; ergo incurreret in primo censuram latam contra non observantes præceptum.

§. 5.

An ad incurrendam censuram requiratur actus externus in sua specie morali completus, & consummatus?

RResp. 1. Quoties fertur censura sub ver- 1788
bis includentibus ultimum terminum actionis physicæ, nullo modo quem ligari censurâ, quousque consummatus fuerit ultimus terminus talis actionis. Quia cùm censura sit pœna, restringenda est ad terminos, ad quos est applicata. Similiter quotiescunque fertur censura sub verbis requirentibus in Reo perfectum voluntarium, non ligatur quis censurâ, si hoc absit. 3. Si fertur censura sub verbis includentibus veritatem culpæ, non incurritur censura, si culpa commissa sit fictè; idem est, si modus absit, & censura lata sit sub verbis includentibus eum modum; quia reverà tunc non ponitur culpa, prout est sub censura vetita.

Ex hoc universim deducitur, nunquam 1789
incurri censuram, nisi ponatur actus externus in ea ratione consummatus, prout sub censura, sub verbis ipsam exprimentibus, est prohibitus. Hinc si sit censura latæ sententiæ per statutum particulare Episcopi in homicidas, non incurrit illam, qui in ta-

li territorio lethalę vulnus infligit alteri, primùm deinde mortuo extra territorium. Quia talis non ponit homicidium ibi, ubi sub censura prohibitum est. Nam homicidium, ut ait Diana tr. 1. de excom. resolut. 9. non significat solam actionem ex parte agentis perfectam, sed ut conjunctam cum morte. V. n. 2493.

1790 Ex dictis inferes 1. non excommunicari eum, qui lapidem projicit contra Clericum, si Clericus eo non est percussus; non enim posuit delictum secundùm terminum actionis physicæ, quem includunt verba censuræ, in c. *si quis suadente* 17. q. 4. Inferes. 2. Confessarium absolventem aliquem à casu reservato in bulla cœnæ, quia putabat illum non contineri in ea bulla, non esse excommunicatum; quia verba illius censuræ requirunt perfectum voluntarium, significatum per illa verba: *si quis præsumserit*; hoc autem in præsenti abest; ergo, ita Suarez D. 21. S. 3. in fine; præsumptio enim requirit quandam audaciam, ut notat Gibalinus de jurisdictione Sacra, disq. 5. q. 2. n. 20. Inferes 3. eum, qui fingit se hæreticum, ut liberè transeat per loca hæretica, non esse excommunicatum; quia talis in veritate non est hæreticus, ut constat ex n. 1786. plures ejusmodi casus ex principiis positis resolvi possunt.

1791 Si quæres, an censura semper supponat culpam mortalem? Excommunicatio major, ex communi Doctorum consensu, ut ait Leander q. 19. supponit culpam mortalem. Cùm enim sit pœna gravissima, contra æquitatem justitiæ vindicativæ foret, pro minori, quàm lethali culpa, illam imponere: Secus dicendum est de excommunicatione minori; hæc enim incurritur propter communicationem cum excommunicato vitando, quæ ratione materiæ sæpius est venialis. De culpa, quam supponit suspensio, & interdictum, dicemus infra. Videri tamen potest Gaspar Hurtado de Cens. difficult. 10. Sed notandum est ex Escobar. Theol. moral. tr. 4. c. 4. Exam. 1. posse Superiorem sub excommunicatione aliquid prohibere, quod licet secundùm se leve sit, aut indifferens: tamen grave sit ob circumstantiam, seu finem ab illo intentum; & in censuris ferendis à judice ordinem esse servandum, & non statim à summa incipiendum; ita Suarez D. 4. S. 4. n. 5. & alii.

ARTICULUS XII.

De causis excusantibus à censura.

INter præcipuas causas, de quibus move- 1792
ri controversia potest, excusantes à censuris, est *ignorantia*, & *metus*. Exponemus primùm horum naturam, & divisionem (eorum enim usus frequentissimus) tum super hoc sententiam dicemus. Igitur: Quæstio est 1. an, & qualis ignorantia excuset à censura? Gabriel Beatus qq. moral. 18. de ignorantia, dicit *ignorantiam* aliam esse *privativam*, cùm quis alicujus rei notitiâ caret; aliam *positivam*, quæ etiam dicitur pravæ dispositionis, quando etiam circa talem rem errat, ut contingit per judicium falsum. Cùm quis nescit talem rem esse lege, vel præcepto veritam, dicitur *ignorantia juris*; v. g. cùm nescis esum carnis hoc die veritum, cùm verò nescit factum suum esse adversus talem legem, dicitur *ignorantia facti*: cùm denique nescit, pœnam esse annexam tali facto prohibito, dicitur *ignorantia pœnæ*. Ex his quælibet ignorantia juris, facti & pœnæ potest esse culpabilis, seu vincibilis & inculpabilis, seu invincibilis. Aliqui dicunt, tum ignorantiam esse culpabilem, quando quis nescit, quod scire poterat & debebat, ello nihil prius circa talem rem (nullus v. g. scrupulus, vel dubitatio) occurrerit. Mihi tamen omnino, probabilius saltem, videtur, quòd nulla operatio de se materialiter mala, secuta ex ignorantia sit formaliter culpabilis, & inde peccaminosa, nisi de obligatione advertendi præcesserit saltem aliqua dubitatio de malitia talis operis; aliàs enim opus non erit voluntarium, in quantum malum; cùm fieri nequeat, ut voluntas velit malum, ab intellectu nullatenus præcognitum; ita Vasq. Suar. Tanner. & alii cum Layman l. 1. tr. 2. c. 4. n. 6. Ignorantia culpabilis, quæ etiam dicitur vincibilis, secundùm qualitatem culpæ, quæ committitur per negligentiam sciendi, spectatâ obligatione, dicitur culpabilis, vel mortaliter vel venialiter.

Ignorantia verò tunc dicitur *invincibi-* 1793
lis, *inculpabilis*, seu *probabilis*, quando post adhibitam debitam diligentiam, quam exigit ratio in talibus circumstantiis, deponi non potest ignorantia illius, circa quod dubitatio, vel scrupulus inciderat, aut, cùm non tenebatur ad procurandam obligatio-

gationis notitiam. Hinc etiam dicitur *justa, involuntaria*, & *excusans à culpa*; cùm actio ex illa facta secundùm rationem mali, non sit voluntaria, utpote secundùm hoc non cognita; antecedit enim omnem actum voluntatis, ut notat Escobar Theol. moral. princip. Exam. 2. c. 5. imò Hurtad. de cens. in communi, difficult 21. ignorantiam invincibilem vocat illam omnem, quæ vinci non potest, ut quando rei ignoratæ nulla est orta dubitatio, vel suspicio.

1794 Ignorantia vincibilis, quæ etiam dicitur improbabilis, injusta, & voluntaria, dividitur in crassam seu supinam, & affectatam. Dicitur *crassa*, quando oritur ex neglectu diligentiæ communis, & ordinariò debitæ in talibus circumstantiis sciendi talem rem, cujus dubium, vel scrupulus inciderat, vel quam scire poteramus, & debebamus. *Affectata* verò, quando quis studio ignorat, aut ignorare intendit, quod scire posset, & deberet, ut sic liberius, & sine remorsu conscientiæ agat. Hæc posterior juxta S. Thomam directè est voluntaria; prior indirectè. Not. autem, sicut negligentia potest esse major, & minor, sic ignorantiam crassam etiam suos habere gradus.

1795 Ignorantia præterea dividitur in antecedentem, concomitantem, & consequentem. *Antecedens* est, quæ est causa facti, quâ scilicet non posita, actus malus non fieret; *Concomitans* est, quæ ita est conjuncta cum actu, ut esto non adesset, actus nihilominus fieret: *Consequens*, quæ est voluntaria, seu directè, seu indirectè; his præmissis:

1796 Quæres 1. an ignorantia invincibilis de præcepto, & jure, excuset à censura? R. affirmativè: patet 1. ex c. *ut animarum*, de constitut. in 6. ubi Bonifacius VIII. expressè decernit, sententiis per statuta quorumcunque Ordinariorum prolatis non ligari ignorantes, dum tamen eorum ignorantia *crassa* non fuerit, aut *supina*, 2. Quia talis ignorantia tollit voluntarium; ergo & culpam, ergo etiam per n. 1792. censuram. Et hæc ratio probat universaliter de omni ignorantia juris Canonici, vel præcepti, si inculpata sit, etiam cùm peccatum scitur esse contra legem naturalem, vel divinam; modò invincibiliter ignoretur *esse contra legem Ecclesiasticam*; sic enim respectu ejus non committitur contumacia; sic etiam Quintanaduenas tr. 9. sing. 6. n. 4.

1797 Quæres 2. An ignorantia invincibilis so-

lius pœnæ v. g. censuræ, excuset à censura, licet adsit notitia juris & facti? Negat Covar. & alii. Alii probabilius affirmant, etiam de omni pœna juris. Ratio est 1. quia ex c. *ut animarum*, cit. ignorantes non ligantur sententiis. 2. Quia censura nulla est, ubi subditus non monetur sub comminatione censuræ ex dict. supr. Sic enim non est contumax, sed licet adsit notitia præcepti, si absit notitia censuræ, subditus non monetur comminatione censuræ; ergo. Unde licet hoc fortasse non sit in aliis pœnis; est tamen in censuris, quæ requirunt specialem inobedientiam & contumaciam, ut aliqui volunt; quamvis rectius videatur, nec admittendum in aliis pœnis, ut diximus alibi, quod verò quandoque puniantur ignorantes in foro externo, est ex præsumptione, quòd habuerint notitiam.

Quæres 3. an excuset à censura invin- 1798
cibilis ignorantia facti? R. affirmativè, sive ignorans det operam rei licitæ, seu illicitæ, Leander q. 8. & 9. Sayrus de cens. l. 1. c. 18. n. 19. quem citat & sequitur Beatus cit n. 29. Talis enim ignorantia excusat à culpa; ergo etiam à pœna tali culpæ statuta. Idem est, si quis invincibiliter ignoret qualitatem facti, vel culpæ; hinc si quis percutiat Clericum, invincibiliter ignorans esse Clericum, non incurrit censuram, ex c. *Si verè*, 4. de sent. excom. ibi: *dummodo ipsum esse Clericum ignoraverit*; talis enim ignorantia excusat culpam à Sacrilegio. Hinc bene notat P. Nicolaus Baldellus Theol. mor. l. 1. D. 2. n. 16. censuram solùm incurri per contumaciam & inobedientiam ad claves Ecclesiæ. Et hac de causa omnino requiritur, ut hæc etiam circumstantia sit specialiter cognita, quòd Ecclesia ex potestate clavium, & sub pœna censuræ, hoc vel illud præcipiat, aut prohibeat, & hâc non cognitâ, non est, quòd aliquis timeat de censura, sic ille.

Quæ diximus de ignorantia invincibi- 1799
li, intelligenda sunt non solùm de antecedente, sed etiam concomitante, idque tam de ignorantia juris, quàm facti, Suarez de cens. D. 4. S. 8. n. 8. Vasq. Molin. Henriquez, Sanchez, & alii, quos citat, & sequitur Beatus cit. n. 30. Pro concomitanti ratio est, quia quamvis cum illa stet pravus affectus (v. g. percutiendi Clericum) hic tamen affectus non influit in percussionem Clerici, cùm ut talis non sit cognitus, ac proinde non communicat actui exter-

externo rationem Sacrilegii, ergo nec incurritur censura imposita *propter Sacrilegium externum*, ita illi. Idem etiam valet de ignorantia tantùm venialiter culpabili per Ordinem ad censuras, quæ supponunt peccatum mortale; ita Beatus n. 31. Bassæus hic n. 20. Dubitatur autem, an si percutias laicum, existimans esse Clericum, incidas in censuram? Glossa in c. *Si verò* cit. de sent. excom. V. *ignoraverit*, affirmat apud Leandrum q. 13. qui probabilius negat cum aliis; nam censura non fertur propter errorem conscientiæ, sed ob realem percussionem Clerici, quæ in præsenti abest.

1800 Quæres 4. an, & quando ignorantia vincibilis excuset à censura? R. quòd vincibilis ignorantia sive juris, sive facti, etiam mortaliter culpabilis, excuset à censura, modò non sit supina, & crassa. Ratio est ex c. 2. de constitut. in 6. ubi dicitur, quòd ignorantia, quæ non est crassa, aut supina, excuset à quibuscunque sententiis Ordinariorum quorumcunque; non omnis autem ignorantia mortaliter culpabilis, efficit ignorantiam supinam, & crassam, quòd supponere videtur Suarez D. 4. S. 10. n. 10. qui est in sententia contraria. Complures verò docent, eam solùm ignorantiam esse crassam, & supinam, quæ ex malitia, & nimia negligentia procedit. Ubi etiam nota, ex Castropalao D. 1. p. 8. n. 7. in dict. c. nomine *Ordinariorum* etiam intelligi Pontificem, qui vel maximè est Ordinarius, præsertim cùm pro eodem militet ratio, ex qua procedit dictum capitulum, & hanc sententiam censet Leander q. 15. probabilem sed probabiliorem oppositam.

1801 Unde ulterius sequitur, quòd nulla ignorantia supina, vel crassa excuset à censura, sive sit antecedens, sive concomitans, ut patet ex c. *ut animarum* cit. etsi alii hoc negant de ignorantia supina, vel crassa, si sit antecedens. Tum enim delinquens non videtur contumax, quia non feciſſet malum, si sciviſſet illi annexam censuram: sed capitulum, *ut animarum* sine distinctione loquitur; aliàs enim istorum sententia non incongrua videtur. Si tamen censura foret solùm contra eos, qui *scienter* id fecerint, vel qui *præsumpserint*, &c. excusat probabiliter etiam ignorantia affectata, supina, & crassa; quia reverà tales, qui cum simili ignorantia peccant, non peccant *scienter*, nimirum cum quadam temeritate &c. Hinc quando Doctores communiter dicunt: *scire, & debere scire, idem esse*: intellige per ordinem ad transgressionem præcepti, & tunc solùm, quando talis ignorantia est verè culpabilis secundùm dicta n. 1794. cùm verò dicitur, *quòd ignorantia facti, non juris, excuset à culpa*; intellige, quòd non excuset in foro externo, ubi præsumitur, quòd nemo ignoret legem à Principe latam, saltem eam, quæ est juris clari.

Quæstio est 2. an, & qualiter metus excuset à censura? Metus est timor mali impendentis. Hinc illud ex metu fieri dicitur, quòd quis facit talis mali declinandi causâ, alioquin non acturus; Sic Escobar in Theol. mor. principiis, Exam. 2. c. 5. n. 9. Metus alius est justus, qui etiam dicitur probabilis, gravis, & cadens in constantem virum; alius injustus, qui vocatur levis, vanus, & cadens in virum inconstantem. Tunc autem metus dicitur justus, & gravis, quando in eo, in quem cadit, laudem fortitudinis, & constantiam non minuit. Talis est timor mortis, mutilationis, longi carceris, diuturni exilii, servitutis, jacturæ honoris, omnium bonorum, aut opum, aut partis notabilis, infamiæ, quæ facilè purgari non possit, &c. Et hoc non tantùm, cùm ea mala quis timet sibi, sed etiam, cùm ea timet filiis, parentibus, uxori, arctissimis amicis; horum enim mala, nostra reputamus. Talis etiam est, quo filius timet offensam Patris; pupillus, tutoris; subditus, Principis; Monachus Abbatis; uxor, viri; Clericus, Episcopi. Not. tamen, ut metus factum alioquin illicitum excuset, necesse esse, ut sit majoris mali, quàm sit illud, quod metûs causâ suscipitur; ita Escobar cit. Beatus, de quo infra.

Metus autem dicitur injustus. 1. Quando est minoris mali, quàm sit id, quod metûs causâ suscipitur; vel certè, si sit ob malum non contentum, vel simile prioribus. Vis demum, & coactio strictè sumuntur, cùm membris exterioribus repugnante voluntate afferuntur, minus strictè, cùm afferunt metum alicujus mali, ob quem actio fit, alioquin non futura. Ex his nota cum Escobar cit. c. 2. quòd vis absoluta tollat voluntarium, nec, quod ex illa committitur, imputetur ad culpam, ignorantia antecedens tollat voluntarium; comitans autem illud auferat tantùm negativè;

tivè; quia tollit necessariam cognitionem, non efficit involuntariam. Metus relinquit voluntarium simpliciter, & tollit voluntarium secundùm quid; ita ille, quibus positis:

1804 Not. ex Gabriele Beato qq. mor. q. 39. n. 13. & seq. quòd metus probabilis, & justus regulariter excuset à peccato contra jus positivum humanum; non quòd faciat actum involuntarium; sed quòd lex positiva humana tunc suspendat suam obligationem. Non enim videtur velle obligare cum tanto periculo. Nam tali casu, cùm factum sit valde difficile, censetur moraliter impossibile, atque adeo non est materia legis humanæ. Excipe, nisi res esset valde necessaria bono communi, ut proinde hujus utilitas præponderet alterius malo. Hæc omnino vera existimo; cùm actio lege positivâ humanâ vetita, non est aliunde mala: his præmissis:

1805 Dicendum, quòd justus, & gravis metus toties excuset à censura, quoties excusat à peccato, quod ejusmodi censura requirit. Tunc enim abest materia proxima censuræ, scilicet peccatum; ita Beatus cit. n. 12. Castropal. D. 1. de cens. p. 8. n. 10. Unde quando in c. *Sacris* de his, quæ vi, metusve causa fiunt, Pontifex inquit, commmunicantem cum excummunicato, per vim, seu coactionem inductum, excusari; secus verò per metum: sensus est, quòd vis, & coactio absoluta semper excusent à censura, quia tollunt libertatem, atque adeo culpam; at metus, cùm relinquat voluntarium simpliciter, nec semper adversus jus Ecclesiasticum à culpa liberet, non semper liberet à censura, sed tantùm quoties liberat à culpa; ita Suarez D. 6. S. 3. Coninch D. 12. n. 97. Layman l. 1. Sum. tr. 5. p. 1. c. 5. in fine apud Castropalaum cit. n. 10.

1806 Si petas, an, si Ecclesia prohibeat aliquid sub censura, quod est vetitum etiam lege naturali, & divina, incidas in censuram tali delicto annexam, sin illud committas ex justo, gravique metu? Coninch D. 13. d. 12. concl. 2. negat; quia metus excusat ab observatione præcepti Ecclesiastici, atque adeo à culpa & contumacia respectu Ecclesiæ. Gaspar Hurtado autem, quem citat, & sequitur Castropalaus n. 11. affirmat; quia tunc præceptum Ecclesiasticum nihil præcipit, quod secluso tali præcepto agere, vel omittere possis licitè. Addit tamen Castropalaus, si præceptum Ecclesiasticum prohiberet circumstantiam, aliàs non vetitam, licet substantia actus foret contra legem divinam, & actum in ea circumstantia, cui annectitur censura, facere ex metu gravi, te liberum fore à censura; pro negativa stat etiam valde probabiliter Suarez; quia tunc non peccat *in Ecclesiam.*

Quæstio est 3. an dubium excuset à 1807
censura? R. si dubium habeas an te debeas reputare censurâ ligatum? respondeo, quòd non, si sufficientem diligentiam adhibuisti deponendi dubium. Nam per dubium superveniens nemo privari debet certo jure per baptismum accepto in participationem bonorum communium Ecclesiæ; Sanchez l. 1. in decal. c. 10. n. 56. quem citat, & sequitur Castropalaus n. 8. Si autem petas an debeas te reputare censurâ ligatum, si certus sis, latam esse censuram, sed dubitas, an serio? R. affirmativè; debes enim præsumere, quòd verba secundùm communem intellectum prolata non joco prolata sint, præsertim in re gravi, qualis est censura; ita Sanchez n. 57. Et ideo etiam in quæstione, an si certus sis te incurrisse censuram, sed dubius, an absolutus sis, debeas te reputare in censura esse? R. affirmativè; quia certa possessio censuræ non evertitur per dubium superveniens, ex c. *sicut*, de sent. excom. Idem est, si dubites, an appellationem censuræ præmiseris, vel legitimè appellaris ex c. *Cùm tu*, de testibus, & attestationibus, Castropal. cit. n. 8.

Quæstio est 4. an innocentia excuset à 1808
censura? R. in hac quæstione certum esse, quòd verè innocens, excusetur in conscientia à censura; tum enim deficit materia censuræ, nimirum culpa. Hinc licet tali casu Judex in te ferret censuram, nulla foret; quia contineret intolerabilem errorem, ex c. *solet*, & c. *Venerabilibus*, §. *Potest*, de sent. excom. in 6. junct. c. *Irritum*, & c. *Cui est*, 11. q. 3. Similiter licet verè deliqueris, si tamen delictum exterius probatum non sit, non potes censurâ affici. Judex enim censuram ferre non potest ex privata scientia, sed publicâ, cùm sit actus judicii publici & forensis; ita Castropal. cit. ex Navar. in c. *Cùm contingat*, de foro compet. de octava causa nullitatis.

Quæri tamen potest, an censurâ liger- 1809
is, quando es in re innocens, sed secun-

dùm allegata & probata demonstraris nocens? affirmant Glossa, Durandus, & Corduba apud Castropalaum n. 13. Negant Cajetanus, Sotus, & alii ibid. quæ mihi probabiliorem videri negativam; quam etiam sequitur Castropal. cit. n. 15. quia reverà alienum est à mente Ecclesiæ sub censuris cogere innocentem in re; si tamen Judex aliquid præciperet, v. g. ut solvas debitum, ad quod probaris judicialiter obligatus esse, licet in re non sit, & sine scandalo non posset prætermitti obedientia, deberes parêre; si tamen non pareres, censuram quidem non incurreres, sed peccares contra legem naturalem, quâ jubemur parere Judici, legitimè, hoc est, secundùm allegata, & probata præcipienti, si res aliunde iniqua non sit. Non verò tenereris, si res foret iniqua v. g. si præciperet accedere ad fœminam, quæ probatur juridicè esse *tua*; tu tamen certò nosti non esse *tuam*; hæc Castropal. n. 25.

1810 Ex hoc etiam sequitur, quòd obligatio abstinendi in publico ab actibus, quos interdicit censura lata in taliter innocentem, solùm proveniat ex lege naturali, de non contemnenda publica potestate justè (scilicet secundùm allegata & probata) ac juridicè præcipienti: Cæterùm occultè non teneris abstinere. Hinc si in tali censura Sacerdos celebraret, non ficret irregularis; hi enim effectus annectuntur censuræ *veræ*, non *apparenti*. Suarez D. 4. S. 7. n. 20. Coninch, D. 13. d. 13. conclus. 4. Layman l. 1. tr. 5. p. 1. c. 6. coroll. 1. Hæc omnia intellige in foro conscientiæ, nam in foro externo verè reputaris censurâ ligatus. Hinc si collatio beneficii declaretur irrita, verè habebit effectum, non vi censuræ, sed ob commune bonum Ecclesiæ, ne invalidè alteri conferatur. Suarez, Layman, & alii cum Castropalao n. 16.

1811 Pro solvendis rationibus sententiæ affirmantis not. 1. dictum S. Gregorii c. 1. & c. *Non solùm*. 11. q. 3. quòd etiam injusta sententia Pastoris timenda sit, intelligi de injusta, sed valida; vel quòd non sit cum scandalo vitanda; ita Gratianus in c. *Si Episcopus*, 11. q. 3. 2. Ad sententiam validam non sufficere, quòd Judex *justè procedat*, sed etiam requiri, ut *justum præcipiat*; quod non est in præsenti, cùm procedat ex præsumptione falsa. 3. Integritatem judicii sufficienter salvari, si censuram non violet *in facie Ecclesiæ*, & hanc posse privare fidelem bonis communibus spiritualibus, modò Reus probetur, si id necessarium sit ad authoritatem Ecclesiæ; quod non est in præsenti; sufficienter enim provisum est per præceptum naturale, de quo supra.

Inter reliquas causas ab incursu censurarum excusantes, est error conscientiæ. Censura enim non imponitur errori conscientiæ, sed veræ violationi legis; Gibalin. de jurisdict. sacra, disq. 2. q. 2. n. 15. §. *si verò*. Secunda causa est, si doleas de peccato, & illud retractes prius, quam sequatur effectus externus, quem supponit censura, ut diximus n. 1703. & seq. Tertiò excusat impotentia materialis faciendi, quod præcipitur sub censura, hæc enim excusat à peccato. Quartò excusat nullitas censuræ. Quintò excusat appellatio facta in tempore, ut habes à n. 1774. Sexto excusat consensus partis, in cujus favorem lata est censura ex dictis; Septimò excusat consuetudo rationabilis præscripta, ex c. fin. de consuetud. Octavò cessatio finis totalis legis, aut præcipui, tunc enim omnis ejus obligatio interit. Denique omnes causæ excusantes à peccato, etiam excusant à censuris.

ARTICULUS XIII.

De effectibus censuræ.

DUo sunt effectus censuræ; nempe alii proximi, seu intrinseci; & remoti, seu extrinseci. Effectus proximus est privare censuratum quibusdam bonis spiritualibus & temporalibus, quæ annexa sunt illis. Hæc privatio consistit in quodam vinculo, seu obligatione, quâ is, qui Reo censuram applicat, obstringit alterum ad abstinendum ab iis bonis. Remotus est ille finis, quem Judex ferens censuram intendit, qui quandoque duplex est: unus spiritualis & essentialis, nimirum observantia disciplinæ Ecclesiasticæ, & resipiscentiæ contumacis, seu emendatio à delicto; alter temporalis, qui non est semper conjunctus, idque ob priorem finem, nimirum reparatio damni, quod illatum est innocenti, vel revelatio rei, quam quis novit, &c. quod plerumque fit, cùm feruntur monitoria, seu censuræ ob hos fines restitutionis, vel revelationis, prout necessarios ad bonum spirituale delinquentis. Nisi enim quis restituat temporale, excommunicari potest juxta Trid. Sess. 25. deform. c. 3. hinc censura ultimatè

timatè fertur, ùt ſpiritus ejus ſalvus fiat in die Domini. 1. ad Cor. 5.

1814 Quæſtio igitur eſt 1. an cenſura ſtatim obliget? R. quòd Lutherus, damnatus à Leone X. (ut refert Gibalinus de ſacra juriſdict. diſq. 1. q. 4. n. 3.) exiſtimârit, cenſuram non habere effectum in foro interno, nec obligare in conſcientia; ſed tantùm in externo. Ad contrarium omnino tenendum eſt cum communi. Hoc enim Eccleſia facere poteſt, & ſic eam facere, ſufficienter conſtat de ejus mente; cùm graviter puniat non abſtinentes ab iis actibus, à quibus quis per cenſuram prohibetur. Statim autem, ac Reus cenſuram incurrit, rerum ſpiritualium uſu privatur, etiam ante Judicis ſententiam condemnatoriam, ubi ipſo jure lata eſt. Nam cenſura lata per ſe fert executionem, c. *Paſtoralis*, 53. §. *Verùm*, de appell. ubi excommunicatio, quæ ſemel vires ſumpſit, executionem habet etiam ad denuntiationem, licet ante denuntiationem contra illam appelletur; & colligitur etiam ex c. *Is, cui*, 20. de ſent. excom. in 6. Ratio autem eſt, quia talis obligatio, ſi non eſt formaliter ipſa cenſura, ſaltem eſt proprietas cenſuræ; ſic Leander D. 10. q. 2.

1815 Quæſtio eſt 2. an effectus cenſuræ ſint perpetui? R. eſſe perpetuos negativè, cùm non habeant certum ſibi tempus præfixum; non poſitivè; ſtatim enim, ac Reus contumaciam deponit, & ſatisfactionem præbet, cenſura tolli debet per abſolutionem; ita Suarez, Filliuc. & communis. Hos effectus producit non ſolùm cenſura publica, ſed etiam occulta: ſequuntur enim ex natura cenſuræ. Nam denuntiatio nihil novi facit quoad cenſuratum; ſed tantùm quoad alios circa ipſum, ut habetur in Extravag. Martini V. in Concilio Conſtant. *ad evitanda.* Hinc etiam not. per appellationem non ſuſpendi effectum cenſuræ abſolutè latæ, ſeu quæ vires ſumpſit; uti probatur multo jure, cit. c. *Paſtoralis*, §. *Verùm*, de appell. & c. *Adhæc*, eod. c. *ad reprimendum*, de offic. ordin. c. *Is, cui*, §. *ult.* de ſent. excom. in 6. ita Suarez D. 6. S. 4. n. 1. & alii.

1816 Quæſtio eſt 3. an manente cenſurâ, effectus ejus ſuſpendi poſſint per Papam? Panormitanus, & alii Canoniſtæ in c. *Nulli*, de ſent. excom. arbitrantur, non poſſe Pontificem alicui concedere privilegium, ut communicet cum excommunicatis majori excommunicatione; Leander q. 7. cenſet, poſſe Pontificem diſpenſare, ut is, qui cenſurâ affectus eſt, licitè exerceat actus per cenſuram vetitos; hanc enim prohibitionem ait eſſe tantùm de jure humano; citatque pro ſe P. Suarez, Filliucium, & alios. In hac re exiſtimo primò, effectum formalem cenſuræ, cùm ponitur hæc forma in ſubjecto capaci, à nullo eſſe impedibilem; implicat enim formam eſſe debitè unitam ſubjecto proximè capaci, & non dare effectum formalem. Exiſtimo 2. ſi cenſura conſiſtat formaliter in obligatione non utendi rebus ſpiritualibus, quibus privat; non poſſe etiam per Pontificem tolli ejus effectum formalem, ſeu fieri licitas operationes à cenſura vetitas, ſtante cenſurâ. Sic enim ſtaret obligatio non utendi. Cæterùm exiſtimo reliquos effectûs, qui non fluunt immediatè & formaliter ab obligatione prohibente, poſſe ſuſpendi per Pontificem, is enim poteſt diſpenſare in jure Canonico.

Quæſtio eſt 4. an dicti effectus ſuſpen- 1817
di poſſint per inferiorem Pontifice? R. affirmari à nonnullis Canoniſtis apud Leandrum cit. q. 8. quia Epiſcopi poſſunt diſpenſare in omnibus, in quibus Papa, niſi ſit illis prohibitum; ſed hanc diſpenſationem nullibi legimus prohibitam; ergo; ita illi: alii tamen negant, etiam in effectibus cenſuræ, quam tulerunt ipſi Epiſcopi; non enim poſſunt diſpenſare in rebus jure communi, & univerſa ab Eccleſia prohibitis, niſi quando jure communi, vel aliquâ receptâ conſuetudine aut traditione illius conceditur, c. *dilectus*, de tempor. Ord. & c. *At ſi Clerici*, §. *de adulteriis*, de Judicibus.

Mihi videtur, effectum remotum cen- 1818
ſuræ, cùm ſit in libertate cenſurati, ab eodem, etiam ſtante cenſurâ, impediri poſſe. 2. Reliquos effectus cenſuræ impediri probabiliter (atque adeo ipſam etiam obligationem) ſi magnum inde commodum proveniat v. g. ſi populus aliàs in celebri feſto privaretur miſſâ &c. quod etiam exiſtimo, ſi cenſuratus gravi metu, vi, coactione, & ſimilibus induceretur ad aliquem actum cæteroquin per cenſuram prohibitum. Hinc etiam judico, ſi cenſura formaliter conſiſtat in ſola dignitate ſubjecti, quam habet ad pœnam, ſeu obligationem prohibentem uſum aliquorum bonorum ſpiritualium, effectus cenſuræ (præter formalem

imme-

immediatum) posse à solo Pontifice suspendi. Is enim solus dispensare potest in jure communi, & iis, quæ statuta sunt ab universali Ecclesia; ita Castropal. D. 1. de cens. in communi, p. 8. excipe casum unum, de quo n. 1752. De aliis censurarum effectibus magis constabit, cum agemus de singulis in particulari; ubi etiam dicemus, quando incurrat irregularitatem, qui censuram violat.

ARTICULUS XIV.

De absolutione à censura.

1819 ABsolutio à censura hìc aliud non significat, quàm actum jurisdictionis Ecclesiasticæ, per quem dissolvitur vinculum censuræ, quo quis per eandem potestatem ob delictum aliquod ligatus erat. De hac igitur in præsenti, quantum requiritur pro notitia censurarum in communi. Illud nota, ex eo, quòd quis per rescriptum absolvatur ab una excommunicatione, cujus mentionem fecit, aliâ tacitâ ex alia causa; eum non censeri absolutum ab hac, c. *Cùm pro causa*, 27. h. t.

1820 Quæres 1. an censura tollatur morte censurati? R. 1. censuram, quâ parte ligat alios fideles, defacto non tolli morte censurati. Sic enim, cùm quis in excommunicatione majori decedit, adhuc obligantur vivi eum non sepelire Ecclesiasticâ sepulturâ, ut constabit ex dicendis in seqq. Deinde R. 2. quâ parte ligabat ipsum censuratum, non tolli, nisi per tacitam absolutionem Ecclesiæ; ratio est, quia non minus solvere, quàm ligare pertinet ad actus jurisdictionis Ecclesiasticæ; ergo actus solvendi sine tali potestate nequit exerceri. Cùm ergo Ecclesia sæpius hunc actum non exerceat formaliter; & explicitè quoad morientes, qui in censura sunt; exercebit illum tacitè, & virtualiter. Ex hoc sequitur censuram, quâ parte ligat censuratum, directè desinere morte censurati, sed non sine omni absolutione. Cùm enim defunctus directè non subsit potestati Ecclesiasticæ, præsumi debet, quòd eum Ecclesia non velit ligare, ultra tempus vitæ, consequenter pro morte liberet à vinculo censuræ. Hinc omnino existimo, hanc obligationem posse simpliciter expirare, sine omni directa absolutione (licet defacto non contingat) morte censurati; cùm ut talis non sit subjectum capax directè obligari.

Confirmari hæc possunt ex c. *à nobis*, 18 et 28. de sent. excommunic. ubi Innocentio III. ab Abbate S. Andreæ quæstio proposita fuit, utrum si aliquis excommunicatus, in quo indicia fuerint pœnitentiæ manifesta, nec per eum steterit, quo minus reconciliaretur Ecclesiasticæ disciplinæ unitati, non suscepto beneficio absolutionis decesserit, pro absoluto ab Ecclesia sit habendus; & utrum pro tali sit recipienda eleemosyna, & à fidelibus sit orandum: rescripsit Pontifex in hæc verba, cùm ex sola culpa ligetur quis quoad DEum apud triumphantem Ecclesiam; ex sola verò sententia ligetur quoad hominem apud Ecclesiam militantem, quando vinculum culpæ remittitur, absolvitur apud DEum, sed apud homines non absolvitur, nisi quando vinculum sententiæ relaxatur, alioquin Ecclesiæ absolutio nullatenus necessaria videretur, si in sola cordis contritione præter sacerdotale officium rigor relaxetur disciplinæ Ecclesiasticæ. Nos ergo consult. tuæ de consilio fratrum nostrorum breviter respondemus, quòd judicium DEI, veritati (quæ nec fallit, nec fallitur) semper innititur; judicium autem Ecclesiæ nonnunquam opinionem sequitur, *quam & fallere sæpe contingit, & falli*: propter quod contingit interdum, ut qui ligatus est apud DEum, apud Ecclesiam sit solutus; & qui liber est apud DEum, Ecclesiasticâ sit sententiâ innodatus: Vinculum ergo, quo peccator ligatus est apud DEum, in culpæ remissionem dissolvitur; illud autem, *quo ligatus est apud Ecclesiam, cùm sententia remittitur, & relaxatur.*

Concludit Pontifex dicens: unde 18 quantumcunque se dictus vir juramento præstito, quòd Ecclesiæ mandato pareret, humiliare curaverit; quantumcunque pœnitentiæ signa præcesserint: *quia tamen morte præventus absolutionis non potuit beneficium obtinere*, quamvis absolutus apud DEum fuisse credatur, *nondum tamen habendus est apud Ecclesiam absolutus*: potest tamen, & debet beneficio ei Ecclesiæ subveniri, sic, ut cùm de ipsius viventis pœnitentia per evidentia signa constiterit, *defuncto etiam absolutionis beneficium impendatur.* Ac tandem ipse proponit, quod objici posset, & respondet: nec obstat, quòd Ecclesiæ legitur attributa potestas ligandi, atque solvendi homines super terram, tanquam non possit solvere, & ligare sub terra sepultos;

pultos: & quod legitur: Non communicetur mortuo, cui non est communicatum & vivo; *cùm etsi communicatum non fuerit, communicandum tamen illi fuisset, quem non contemptus religionis, sed necessitatis articulus impedivit: & in certis casibus à canonibus denotatis ligasse legitur Ecclesia mortuos, & solvisse.*

1823 Quæres 2. an censura desinat positâ emendatione Rei? R. censuram non tolli per emendationem Rei, nisi lata sit sub conditione; quàmdiu non satisfeceris. Primam partem tenet Leander D. 11. q. 2. cum communi. Secundam Castropalaus cit. n. 4. p. 11. quia tali casu cum eo præcepto simul tacitè datur absolutio sub ea conditione de futuro. Ratio autem primæ partis est, quia censura fuit Reo applicata per Ecclesiasticam jurisdictionem; ergo per eandem solùm tolli potest, quamdiu subjectum est capax subjectionis; & habetur in c. *Cùm desideres*, 15. de sent. excom. ubi Pontifex quærenti, *utrum alicui excommunicato, qui mandato Ecclesiæ stare juravit, & ante absolutionem Episcopus ei communionem reddidit, sit communicandum ab aliis; & an Episcopus id facere debeat?* rescripsit: quòd, cùm cautio juratoria, quam hodie, qui excommunicati sunt, præstant, potius ad cautelàm ex consuetudine Ecclesiæ, quàm ex rigore Canonum sit inducta, neque momenti tam validi reputetur, ut nisi absolutionis beneficium subsequatur, ille, qui excommunicatur; debeat communioni aliorum restitui, præsertim cùm ex eo juramento absolutionem consecutus non sit, & constet eum excommunicatum fuisse, & verum sit, absolutum non esse; *non potest Episcopus, nec debet ei communionem dare; neque alii eidem communicare, nisi fuerit secundùm formam Ecclesiasticam post juramentum præstitum absolutus.*

1824 Idem dicitur in c. *Sacris*, 38. eod. ubi Pontifex rescribens Archi-Episcopo Strigoniensi ait: Licet is, qui voluntarius excommunicatis communicaverat, qui cum omnibus fautoribus suis, & participibus excommunicationis sententiâ sint astricti, ad cor postmodùm rediens, de mandato Ecclesiæ illos, quos foverat, expugnaret; *non tamen prius, quàm absolutionis gratiam perceperit, habendus est absolutus*; nec, si occumbat in bello, oblationes sunt recipiendæ pro eo, vel orationes Domino porrigendæ: nisi cùm de ipsius viventis pœnitentia per evidentia signa constiterit, juxta cujusdam constitutionis nostræ tenorem, *defuncto etiam absolutionis beneficium impendatur.*

Dices 1. ablatâ causâ aufertur effectus. 1825
2. censura essentialiter respicit contumaciam; ergo eâ sublatâ, etiam censura tollitur. R. ad 1. antecedens verum esse. 1. de effectu formali, ablatâ causâ formali. 2. De causa conservante; culpa verò non est causa conservans censuram; licet hæc in fieri ab illa pendeat; & illa sit causa ponendæ censuræ. Ex hoc etiam patet ad 2. licèt enim essentialiter supponat contumaciam, ut censura ponatur ab homine; non tamen, ut conservetur; ita habetur in cit. c. *Cùm desideres*, de sent. excom. c. *quâ fronte*, de appell.

Quæres 3. An censura tollatur morte 1826
censurantis? R. negativè, si semel contracta sit; Colligitur clarè ex c. *Si Episcopus*, 11. q. 3. c. *Pastoralis*, 11. §. *Præterea*. de offic. ordin. ubi habetur: mortuo delegato Papæ, qui excommunicavit aliquem, non posse ab alio absolvi, quàm à Papa extra mortis articulum, nisi ab ejus Successore in delegatione. Censuræ enim ita institutæ sunt, ut licet in fieri, non tamen in conservari pendeant à vita, vel jurisdictione ferentis; hæc enim pœna disponente sic jure durat in potestati subjecto, quousque legitimè tollatur, ex decisione Concilii Sardicensis, relata, c. *Si Episcopus*, cit. & alibi; ita Coninch D. 14. d. 16. n. 198. Suarez D. 7. S. 1. in princip. & alii apud Castropal. loc. cit. Id etiam nota, esto censuratum censurans per epistolam salutet, per hoc non censeri absolutum, c. *Si aliquando*, 41. h. t. ibi: Si aliquando fortè contigerit, *quòd eis, qui auctoritate Apostolicâ sunt excommunicationi subjecti, nostræ literæ cum salutationis alloquio destinentur, non propter hoc excommunicationis credatur sententia relaxata.* Cùm per ignorantiam, vel negligentiam, aut occupationem nimiam, vel etiam subreptionem contingat hujusmodi literas impetrari. Sed excipe, nisi *sciens* scribat; tunc enim præsumi potest absolvisse.

Ex dictis colliges, censuram semel 1827
contractam per solam absolutionem tolli, loquendo de facto; non enim minus actus solvendi, quàm ligandi est actus jurisdictionis Ecclesiasticæ; ergo neuter sine illa exercetur. 2. Id clarè definit Clemens III. in c.

Cùm desideres, de sent. excom. prout constat ex textu relato superius. 3. Quia nec tollitur per mortem censurantis, aut censurati, nec per solam Rei emendationem; ergo aliud non restat, quàm quòd per solam absolutionem; ita communis. Concedo tamen, quamvis censura ex dispositione juris non tollatur sine absolutione, absolutè tamen tolli posse sine illa, etiam ex dispositione Pontificis; hoc enim totum pendet à jure humano; id quod verum est non tantùm de censura simpliciter lata, sed etiam solùm ad tempus; nam & hìc intervenit absolutio juris. Hinc semel vitandus, semper vitari debet, dum constet absolutum, c. *sicut*, h.t. excipe, nisi censura fuisset sub conditione, quæ scitur jam impleta. Vide Barbosam, hìc, n. 5. qui n. 3. dicit, non bene probari absolutionem per Confessarii schedulam; his præmissis:

1828 Cùm autem absolutio in genere sit liberatio ab aliquo vinculo, sive physico, sive morali; & in præsens agatur de absolutione à censura, quæ imponit quoddam morale vinculum illâ innodato, resolvendum venit, qualis & quotuplex ea sit? Notandum autem *absolutionem* differre à *revocatione* 1. quia absolutio est à sententia excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, juxta formam Ecclesiæ solenniter: at revocatio est sententia verbis sine solennitate 2. quia absolutio impenditur, quando censura tenuit: revocatio autem, quando non tenuit, quo posito:

1829 R. dici communiter esse quadruplicem; prima est, quæ fit *ab homine*; altera, quæ *à jure*; prior egreditur immediatè ab homine habente potestatem: posterior fit immediatè à jure, ut si in lege aliqua reperiatur hæc forma: *Qui hoc fecerit, ex tunc sit absolutus.* Secunda est, quæ vel datur *absolutè*, vel *sub conditione*, de præsenti, præterito, vel futuro. Conditionata de præsenti, vel præterito esse potest valida: sed nunquam incipiet valere, nisi impletâ conditione: propter non usum Ecclesiæ regulariter non est licita: erit tamen, si probabili necessitate, vel utilitate cohonestetur.

1830 Tertia est, quæ fit vel *simpliciter*, vel *ad cautelam*. Illa datur, quando de censura nullo modo dubitatur. Absolutio ad cautelam datur, quando dubium est de valore censuræ, vel præmittitur ante alium actum, cujus valor per censuram impediri potest. Unde confertur ei (inquit Bellanus D. 14. d. 16. n. 200.) qui non scitur esse excommunicatus, ut si fortè sit, ab excommunicatione liberetur: idque vel absolutè, & sic communiter præmitti ante absolutionem sacramentalem, vel ad certum tantùm effectum, ne v. g. collatio gratiæ sit irrita.

Quarta demùm, quæ fit vel *simpliciter*, vel *ad reincidentiam*; illa est absoluta, & perpetua: Absolutio ad reincidentiam datur, quando censura non tollitur in perpetuum, sed ut reditura post certum tempus, vel effectum, v. g. post collationem beneficii, quæ non valeret persistente censura. Alio modo (ut docet Suar. D. 7. S. n. 22.) & quidem magis propriè, datur absolutio ad reincidentiam, non ad certum tempus vel actum; sed sub conditione satisfaciendi intra certum tempus, quo transacto, & non impletâ conditione, reincidatur in censuram. Quid operetur clausula (*satisfacta parte*) in concessione potestatis absolvendi: & quid *partis* nomine veniat? declarat latè Suarez D. 7. de cens. S. à n. 38.

Ex hoc coll. absolutionem ad reincidentiam fieri dupliciter 1. propriè, cùm quis absolvitur ex intentione absolventis à censura in perpetuum; sed cum quodam onere, & conditione, si hoc, vel illud fecerit; si secus, ut reincidat in censuram, 2. impropriè solùm, cùm scilicet non tollitur censura, sed tantùm suspenditur ejus obligatio v. g. quoad unum actum, *ad dicendum testimonium &c. ad recipiendum beneficium.* Hæc absolutio dicitur *ad effectum gratiæ*; quibus positis:

§. 1.

De conditionata absolutione à censura.

CIrca hoc quæstio est, an valeat absolutio à censura sub conditione de futuro? Negativam tenent Sylvester, D. Antoninus, Angelus, Avila apud Leandrum q. 12. Sed probabilius affirmatur, si causa rationabilis subsit; Sic Gibalinus disq. 9. q. 2. Sayrus, Hurtado, Suarez, Layman, & alii, quos citat, & sequitur Castropalaus D. 1. de censur. p. 11. §. 2. n. 2. quia nec jure naturali, nec positivo irritatur. Deinde censura ferri potest sub conditione de futuro ex c. *Romana*, V. *Caveant*, de sent. excom. in 6. ergo & absolutio ab illâ. Quamvis autem hic modus absolvendi

stando

stando in rigore juris non sit illicitus, imò cùm necessitas, vel utilitas occurrit, adhiberi possit; tamen regulariter loquendo non est usurpandus; quia in Ecclesia defacto hic modus non est in usu; ita Suarez cit.

1834 Dices 1. ex regula juris 50. in 6. actus legitimi non recipiunt conditionem; sed absolutio à censura est actus legitimus; ergo non recipit conditionem. R. hanc regulam sic universaliter prolatam recipere multas limitationes ut diximus l. 4. tit 5. à n. 770. Nam contractus matrimonii est actus legitimus, & tamen recipit conditionem. Sensus ergo est, quòd actus legitimi, quibus ex natura sua vel juris dispositione repugnat conditio, vel adjectio diei, vel certi temporis, tamen conditionem non recipiant, quales sunt, qui statim habent executionem; inter hos autem non est absolutio à censura. V. lib. 4. Tit. 5. de Condit. appos. à n. 760.

1835 Dices 2. alia Sacramenta (excepto matrimonio) invalidè fiunt sub conditione de futuro v. g. absolutio à peccatis; ergo etiam à censuris. R. N. conseq. ita docent Castropal. D. 1. de cens. p. 11. n. 4. Layman l. 1. tr. 5. p. 1. c. 7. n. 1. & apud eum Covarruv. Suarez, & alii, concedentes absolutionem censuræ dari posse sub conditione de futuro, quâ posità, ipso facto, propter annexam absolutionem tacitam, tollatur censura. Ratio autem disparitatis est; quia valor censuræ, sicut omnis concessionis liberæ, atque adeo etiam valor absolutionis à censura, pendet immediatè à libera voluntate concedentis; sic autem concessam esse constat ex dictis textibus; valor autem Sacramentorum immediatè pendet ab institutione Christi, qui ea voluit, extra matrimonium, fieri per verba de præsenti.

§. 2.

De absolutione ad cautelam.

1836 Esp. Absolutionem ad cautelam (de qua n. 1830.) si à pœnitente petatur in foro interno, concedi posse ad solum ipsius absolvendi testimonium, modo promittat, ubi constiterit, se censurâ ligatum fuisse, quòd satisfaciet; ita Sayrus, quem ibidem sequitur Castropal. n. 5. Si autem præstetur in foro externo generatim, eò, quòd pœnitens nullius in particulari suspicionem habeat, concedi sine cognitione causæ, & datâ cautione; si autem concedatur quoad censuram specialem, tum absolvendus saltem semiplenè probare debet, se illâ censurâ ligatum non fuisse; quod fieret, si ostenderet, quòd vel contineat errorem intolerabilem causæ; vel lata sit post legitimam appellationem juxta c. *solet*, c. *Venerabilibus*, §. *potest quoque*, de sent. excom. in 6. quæ jam retulimus supra; vel quacunque alia de causa, ut tradit Innocentius III. in cit. c. *solet*. quo casu etiam citandus est, ad cujus instantiam censura lata est; vel Judex, qui eam tulit, si processit ex officio. His proponi debet allata ratio, & sin illi opponant manifestam offensam, vel contumaciam, concedendus est terminus octo dierum, ut id probent, & interim abstinetur ab absolutione: Si verò in probatione non subsistant, condemnandi sunt ad expensas factas, & censurandus erit absolvendus; secus, si probaverint intentum; ita cit. c. *solet*, & docent Covarruv. Ugolinus, Sayrus, &c.

Not. autem 1. quòd absolvendus de- 1837
beat agere de nullitate censuræ; si enim solùm foret illicita, indigeret absolutione simplici 2. hanc absolutionem posse usurpari in omni censura; ita Gibalin. cit. disq. 9. q. 2. n. 8. excipe interdictum generale loci, nisi sortiretur effectus interdicti specialis 3. ut sufficienter probet nullitatem censuræ pro hac absolutione, sufficere, si probet factam ante sententiam; nec requiritur, ut ante absolutionem cognoscatur à Judice ut justè, vel injustè facta. Gibalin. cit. n. 9. §. *quoties*. Ut autem habeatur probatio semiplena, sufficit unus testis fide dignus; Sic Joannes de Cardenas in Crisi Theol. tr. 1. de probabilitate D. 6. c. 9. a. 5. n. 192.

Quæres, quæ absolutio impendatur in 1838
communi absolutione, quam plerique Confessarii præmittunt absolutioni à peccatis? R. quòd absolutio ad cautelam; Si petas, an totalis, vel partialis? R. cum Gibalino D. 9. q. 2. de absolutione totali, quòd totalis, complectens omnes censuras, à quibus ille Confessari us absolvere potest, licet pœnitens eas non expresserit. Nec enim Confessarius debet intentionem suam restringere tantùm ad unam.

Not. 4. si censuræ aliquæ oblitæ, post 1839
acceptam in Confessione absolutionem à censuris, redeant in memoriam, non esse opus novâ absolutione; quia sublatæ sunt directè, & non tantùm per accidens, in

generali absolutione; aliud est de peccatis oblitis, quæ solùm per accidens, & ob connexionem cum aliis, deleta sunt; ita Suarez D. 7. S. 5. n. 15. apud Gibalin. loc. cit. Si autem pœnitens aliquas censuras de industria non manifestavit, & confessarius habens jurisdictionem habet expressum animum absolvendi ab omnibus, à quibus potest, pœnitens etiam ab illis absolvitur; Hurtad. D. 15. de excom. diff. 6. quem citat, & sequitur Gibalin. n. 18. Tunc enim ad hanc absolutionem habentur omnia necessaria; neque silentium pœnitentis, vel etiam renitentia obest; ita Gibalinus.

1840 Si verò Confessarius non habet expressum animum absolvendi ab omnibus, à quibus validè potest, non absolvitur ab iis, quæ scienter tacet, si censuræ tales sint, quæ postulent, ut Confessarius imponat obligationem satisfaciendi, &c. tunc enim non posset, hoc omisso, Confessarius operari licitè; ac proinde in generali absolutione non potest præsumi, habere intentionem pro alia, quàm à qua potest licitè; sic Hurtado, & alii cum Gibalino cit.

§. 3.

De absolutione ad reincidentiam.

1841 Cùm absolutio ad reincidentiam (de qua n. 1831.) fiat vel dum cessèt tale impedimentum; vel sub onere & obligatione, ut si præstet hoc, vel illud, secùs in censuram reincidat, quæri potest, quando censeatur cessare ejusmodi impedimentum? R. pro foro externo id resolvendum arbitrio Judicis juxta Gloss. in Clement. 1. §. *fin.* de pœnis; in foro autem conscientiæ, judicio ipsius absoluti; Glossa, Navar. cum Castropalao. Hoc tamen nota, quòd si quis taliter sit absolutus sub conditione, v. g.ª ut intra tres dies satisfaciat, & hanc satisfactionem omittat, quia non potuit hoc tempore satisfacere, probabilius non reincidat in censuram, saltem in conscientia; quia tunc non est inobediens, nec contumax Judici; Layman, Castropalaus, & alii. Quando autem non impletur culpabiliter conditio, sub qua quis absolutus fuit ad reincidentiam, illum reincidere in eandem numero censuram, à qua prius absolutus fuit, docent Suarez, Filliucius, Hurtad. apud Castropal. n. 70. qui cum Navar. Coninch, Henriq. Avila docet, reincidere in novam; quia prior fuit extincta, quoad priorem culpam. Hinc sicut requiritur nova culpa, sic erit nova censura. In hoc casu reincidentiæ pro foro interno non esse opus novâ sententiâ, si quis incidat ipso jure, tenet Gibalin. cit. n. 13. in fine; in externo autem opus esse declaratione novâ conditionis culpabiliter non impletæ, quæ in absolutione præcepta fuit. Unde etiam docet, cum esse noviter denuntiandum super hac ipsa reincidentia.

Quæstio est, an, si cui detur hæc ab- 1842
solutio, sub onere, ut intra certum tempus compareat, satisfaciat, si compareat per Procuratorem? R. affirmari à Cajetano, Navarro & Henriquz apud Castropalaum loc. cit. n. 8. quia quod per alium facis, per te ipsum facere videris: sed probabilius negatur cum Castropal. cit. & Ugolino; quia in c. *quod de his*, 16. de sent. excom. Clemens III. expresè requirit, *ut taliter absolutus in persona* compareat. Huic autem constitutioni omnino similis est illa Bonifacii VIII. c. *Eos, qui*, 22. de sent. excom. in 6. Textus in hoc c. 22. sic habet: *Eos* qui à sententia Canonis, vel hominis (quum ad illum, à quo aliàs de jure fuerant absolvendi, nequeunt propter immi. nentis mortis articulum, aut aliud impedi. mentum legitimum pro absolutionis bene. ficio habere recursum) ab alio absolvun. tur: si cessante postea periculo, vel impe. dimento hujusmodi se illi, à quo his cessan. tibus absolvi debeant, quàm citò com. modè poterunt, contempserint præsentare, mandatum ipsius super illis, pro quibus excommunicati fuerant, humiliter re. cepturi, & satisfacturi, prout justitia sua. debit: *decernimus (ne sic censuræ illudant Ecclesiasticæ) in eandem sententiam recidere ipso jure.* Putat tamen Leander q. 20. si taliter absolutus, ut se præsentet, prius satisfaciat, quàm allabatur terminus satisfactioni præfixus, in conscientia non amplius teneri ad eam præsentationem. Tunc enim si satisfecit tantum, quantum tenebatur coram DEO, ait, non tenetur parere Judici. Et videtur deduci ex ipsa mente constitutionis in c. *Eos, qui*; eò quòd ibi propterea exigatur juramentum præstandæ satisfactionis, quod eâ præstita cessat.

Dubitatur autem, an in absolutione, 1843
ad effectum gratiæ, tollatur censura, vel tantùm obligatio ad illum actum, pro quo conceditur, licitè celebrandum? Castropalaus cit. n. 12. probabilius stat pro parte posterema, nam finis talis absolutionis plus non

non exigit. Hanc absolutionem excommunicato ad effectum dicendi testimonium, quando aliâ viâ non potest cognosci veritas, posse dari à quocunque Judice tam ordinario, quàm delegato, docet Layman l. 1. Sum. tr. 5. p. 1. c. 7. in fine, apud Castropal. ex c. 2. *Veniens*, de testibus, junct. c. *Præterea*, de offic. delegati: in alio casu existimant nonnulli, à solo Pontifice hanc absolutionem concedi posse, juxta dicta supr. Gibalinus tamen putat dari posse etiam à Legatis Pontificiis, saltem in iis censuris, quas ipsi aliàs laxare possunt. Ex hoc deducit, si Legatus Apostolicus, apponeret clausulam absolutionis ad effectum gratiæ à quibuscunque censuris, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, posse illi merito stari; si verò tantùm dicat, à quibuscunque censuris, consulendum esse usum, an hæc verba in praxi etiam reservatas comprehendant?

§. 4.

De modo, & forma absolutionis à censura.

1844 ABsolutio à censura in jure non habet præscriptam formam, & ideo ea sufficit, quæ voluntatem absolventis sufficienter declarat, ut si diceret: *ego te absolvo à vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti*; vel, *ab omni vinculo censuræ*. Neque necessarium est, exprimi causam, ob quam est incursa, licet expediat: Præstari proinde potest verbis, vel scripturâ, idque in utroque foro; ita Castropal. cit. n. 3. quamvis Hurtado ibidem doceat, non esse mortale, id facere, etiam aliis signis. Ritus autem absolutionis solennis, quæ datur judicialiter, habetur in Pontificali Romano, & præscribitur c. 28. de sent. excom. hujus intermissio non facit absolutionem invalidam, neque graviter illicitam, nisi aliqua solennis absolutio ad satisfactionem Ecclesiæ requiratur; sic Hurtad. D. 14. de excom. difficult. 4.

1845 Si excommunicatio incursa est ob delictum gravius v. g. Clerici percussionem, incendium, &c. prius, ac detur absolutio, tenetur absolvens sub gravi culpa, exigere juramentum à Reo, quòd in simile delictum nolit amplius incidere; ita ferè omnes apud Castropal. n. 4. ex c. *Ex tenore*, 10. de sent. excom. ibi: *sibique in virtute juramenti præcipias, quòd de cætero in Clericum, Monachum, vel alicujus religionis conversum manus non injiciat violentas &c.* quod etiam habetur in c. *de cætero*, 11. eod. tit. ubi absolvendus in necessitate, *se obligare debet*, quòd adire velit eum, à quo aliàs extra necessitatem absolvendus erat, idque *sub juramento*; secus est, si censura sit incursa ob delictum leve; Henriq. Avila, Coninch, & alii, quos citat & sequitur Castropal. n. 41. nec ad hoc tenentur impuberes. Sylv. Henriq. & alii ibid. ex c. 1. ubi tantùm fit mentio *puberum*; & c. *fin.* de sent. excom. ubi nulla fit mentio *juramenti*, cùm absolvuntur *impuberes*. Et in absolutione Monachorum Græcorum sufficit promissio manualis, nec requiritur juramentum iis invitis, c. *Super eo*, 2. 51. de sent. excom.

Quæ requirantur ex parte absolventis, 1846
dicemus commodius infra; hoc inter cætera necessarium est, ut absolvens non fallatur in causa principali. Si enim absolvendus fingeret, se parti læsæ jam satisfeciisse &c. absolutio esset per surreptionem, & nulla, c. *Ex parte*, de officio ordin. c. *officii*, de sent. excom. ita Covar. Sayrus, Henriquez, quos citat, & sequitur Castropal. n. 8. excipe nisi absolvens habens potestatem, haberet expressam voluntatem absolvendi ab omni censura, à qua potest validè, ut dixi n. 1839. aliàs enim talis voluntas, utpote non rationabilis præsumi non potest.

Ex parte absolvendi convenienter re- 1847
quiritur petitio absolutionis, quæ tamen sine ea non foret invalida. Hinc etiam invito dari potest; & sicut potest excommunicari absens (v. g. per literas) sic etiam potest absolvi absens, ex c. *de manifesta*, 2. q. 1. c. *quanto*, 2. q. 5. c. *quisquis*, 2. q. 9. ita Sylv. Navar. & Sayr. quos citat, & sequitur Castropal. n. 10. potest etiam fieri medio procuratore habente speciale mandatum petendi absolutionem, ut constet censuratum à contumacia recessisse. Tali autem casu procurator omnia præstare debet, quæ aliàs ipse censuratus, si coram esset. Potest etiam fieri extra forum pœnitentiæ Sacramentalis, ut diximus alibi; Sic Busenbaumb in medulla. l. 7. de cens. dub. 6. coroll. 8. Joannes Streinius p. 3. juris Canon. tit. 16. §. 11. n. 12. cum Suarez, & Coninch.

Si quæras, an cùm conceditur alicui 1848
facultas absolvendi aliquem *pro foro tantum interno*, ea absolutio fieri debeat in Sacramento pœnitentiæ? R. negativè ex dict. lib.

4. decretalium à n. 2336. quamvis autem absolutio à censuris, per metum gravem injustè incussum ad eam extorquendam, juxta Tambur. l. 1. in decal. c. 2. §. 5. n. 24. ex se valida sit; tamen, quia invalidata est ab Ecclesia, c. *unico*, de iis, quæ vi, in 6. nulliter ex tali metu confertur. Absolutus autem in foro interno (nisi fuerit nominatim denuntiatus) non tenetur se foris gerere tanquam excommunicatum, præsertim si constet, sic esse absolutum; illa enim absolutio valet ad omnia, præterquam in judicio, ubi lis movetur. Lessius in Auctario, V. Absolutio, casu 8. n. 18.

1849 Præter hæc not. quòd impubes, qui percussit clericum, absolvatur ab Episcopo, c. *Super eo*, de sent. excom. Monachos se invicem percutientes in Claustro (idem est de Canonicis Regularibus) absolvat Abbas; & in hujus defectu Episcopus, c. *Monachi*, eod. ubi adverte, quòd ly *in claustro* non restringat: sed significet tantùm, quod sæpius fit, ut notat Barbosa hic n. 4. Si autem Abbas sit percussor sui Monachi, absolvit eum Confessarius electus.

PARS II.

De Excommunicatione.

1850 INter censuras in particulari excommunicatio primum locum habet; est enim inter omnes pœna gravissima. De hac præmissis iis, quæ omnibus censuris communia sunt, dicemus jam illa, quæ huic propria sunt, potissimumque sita in effectibus ejus, sanè copiosis, & gravibus. Multipliciter in jure solet nominari *excommunicatio*. Nam vocatur *Districtio* Ecclesiasticæ censuræ, prout habetur c. 1. de offic. vicar. in 6. Dicitur *abominatio*, & excommunicatus abominatus sæpè apud Alciatum, ut notat Alex. Scot. V. eod. Dicitur *subtractio gratiæ Apostolicæ Sedis* in c. *quæ sedem*, de offic. Ordin. Appellatur *censura divina* à Tertulliano in Apolog. adversùs gentes c. 39. Item *censura Ecclesiastica* ab Innocent. III. in c. *Nuncios*, de Decimis. Rectè autem censuræ nomen in illam quadrat, utpote pœnam, quâ hominum contumacia reprimitur; sicut olim reprimebatur apud Romanos censorio munere. Dicitur *Mors* à Cypriano l. 1. Epist. 11. & à jure c. *Absit* 11. q. 3. & c. *per venerabilem*, §. *Sunt autem*, qui filii sint legitimi. Quiâ sicut mortuus vitæ hujus fructibus caret, ità excommunicatus spiritualis vitæ fructibus privatus est. Vocatur *Medicina* à S. Augustino hom. 50. c. 12. & refertur c. *multi*, 2. q. 1. quia ad eum finem proferri debet, ut corrigat, & sanet, juxta Apost. 1. Corinth. 5. *Ut spiritus ejus salvus fiat in die Domini*.

Præterea nuncupatur *Mucro Episcopi* à Joanne Papa, c. *Visis*, 16. q. 2. quia (utinquit Cyprianus lib. 1. Epist. 11. aliàs epist. 62. ad Pomponium) spirituali gladio superbi, & contumaces necantur, dum de Ecclesia ejiciuntur. *Virga ferrea* dicitur à S. Hieronymo Epist. 58. quia nulla alia censura æquè atque excommunicatio superbiam comprimit & confringit. *Nervus Ecclesiasticæ disciplinæ* à Clem. V. in Clement. 1. de sent. excom. & Innocent. III. quia sicut nervis membra corporis ligantur, & stringuntur, ut munia sua obeant, sic fideles hâc censurâ in suo officio continentur. *Maxima omnium pœnarum* dicitur à S. Augustino de Corrept. & gratia c. 15. & refertur c. *Corripiantur* 24. q. 3. Quia in c. *Cùm non ab homine*, de judic. Cœlestinus III. ait: Ecclesiam post *anathema* latum non habere ultra quid faciat. Constat etiam ex c. *omnis Christianus*, 11. q. 3. ubi ponuntur hæc verba: *Omnis Christianus, qui à Sacerdotibus excommunicatur, Sathanæ traditur, quomodo? scilicet quia extra Ecclesiam Diabolus est, sicut in Ecclesia Christus*: ac per hoc quasi Diabolo traditur, qui ab Ecclesiastica communione removetur; Sic Pereyra in Elucidario à n. 1730.

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex sit excommunicatio?

EScobar Theol. mor. tr. 4. Exam. 2. c. 1. 1851 definit eam, dicendo *esse censuram Ecclesiasticam, quâ homo baptizatus privatur spiritualibus bonis, & communicatione civili*; Gibalinus disq. 1. q. 2. n. 2. ait, *esse censuram, quæ hominem privet communione fidelium*, idem sentiente P. Suarez D. 8. hic, sect. 1. Mihi placet definitio secunda. Nam prior non videtur excommunicationi minori convenire. Est autem triplex *communio* fidelium 1. *purè interna*, quam habent fideles, ut sunt membra ejusdem corporis mystici sub Christo capite, in quo per fidem, & charitatem uniuntur, ratione hujus unionis habent, quòd unus alteri applicare possit ex congruo specialia beneficia;

ARTICULUS X.

De servandis post latam censuram.

1764 EXpeditis illis, quæ pertinent ad observationem tum eorum, quæ antequam censura feratur; tum in ea ferenda servari debent; agendum etiam de iis, quæ attendi debent post censuram latam, ut sunt denuntiatio, & appellatio; de his igitur in in præsens.

§. 1.

De Denuntiatione.

1765 *DEnuntiatio* est ipsius pœnæ, seu censuræ executio, seu publicatio; hac enim positâ nanciscitur censura suum ultimum finem; non sumitur proinde hic pro accusatione, vel delatione subditi apud Superiorem, de qua latè alibi agitur, quo posito: Quæres 1. an post latam sententiam, debeat necessariò sequi denuntiatio? affirmat Leander tr. 1. de cens. in communi, D. 7. q. 1. & *de excommunicatione* probat ex decreto Honorii Papæ, in c. *Curæ*, 11. q. 3. c. *pervenit* 1. c. *Pastoralis*, §. *Verum*, de appellationibus, c. *Parochianos* & c. *conquesti*, de sent. excom. *De interdicto* habetur in Clement. ult. de censibus. *De suspensione* in Clement. 2. de pœnis: sed hoc limitari debet, ut non intelligatur de omni censura, sed solùm de censura lata contra particularem, & determinatam personam à judice, post trinam vel formaliter, vel virtualiter talem, canonicam monitionem; & de hujus executione loquitur c. *Curæ*, ibi: *Curæ sit omnibus Episcopis, excommunicatorum omnino nomina tam Episcopis vicinis, quàm suis parochianis pariter indicare, eaque in celebri loco posita præ foribus Ecclesiæ cunctis convenientibus inculcare, quatenus in utraque diligentia, & excommunicatis, ubique Ecclesiasticus aditus excludatur, & excusationis causa omnibus auferatur.*

1766 Sed nota ly *curæ sit.* Nam hæc verba præcisè non important necessitatem præcepti. Deinde in c. *Pastoralis* cit. solùm dicitur, denuntiare *potes*, licet excommunicatus appellet ab excommunicatione, quæ jam prius sumpsit vires. Unde ex his duobus textibus non rectè assertum suum probat Leander; secus tamen ex c. *Parochianos*, 9. de sent. excom. ibi: Parochianos vestros, si qui in Monachos, vel Conversos præfati ordinis violentas manus injecerint: *sublato appellationis remedio, secundum tenorem generalis decreti excommunicatos publicè nuntietis, ipsosque faciatis sicut excommunicatos arctius evitari*, donec læsis congruè satisfaciant, & cum literis vestris Apostolico se conspectui repræsentent. Ubi sermo est de percussoribus Monachorum, & Conversorum ejusdem ordinis. Idem habetur c. *Conquesti*, 22. eod. ibi: quoniam igitur hæc gravia sunt, nec clausis debent oculis pertransiri, *mandamus*, quatenus si ita est, *memoratos sacrilegos publicè accensis candelis, app. cess. excommunicatos denuntietis, & faciatis sicut excommunicatos arctius evitari*, donec passis injuriam congruè satisfaciant, & illata damna data resarciant, & cum literis vestris rei veritatem continentibus se Sedis Apostolicæ conspectui repræsentent. Loquitur ibi de his, qui Ecclesias violenter fregerunt, easque spoliarunt, & homines earum deprædari nullatenus dubitarunt.

Quando verò censura incurritur ipso 1767
facto, non tenetur Episcopus Reum denuntiare; quia censura tunc non lata juridicè; excipe nisi pars instaret pro plena executione talis pœnæ; tunc enim Judex non posset denuntiationem recusare. Ad idem tenetur in certis aliis casibus à jure præscriptis. 1. in Clement. 1. de pœnis, de eo, qui capit Episcopum 2. in Clemen. 2. de iis, qui capiunt viros Ecclesiasticos, ut renuntient suis beneficiis. 3. in Extravag. *unica* de furtis, de iis, qui surripiunt bona Ecclesiæ. 4. c. *Parochianos* de sent. excom. de iis, qui manus violentas injecerunt in Monachos. Ex hoc autem patet, sententiam Leandri, de qua n. 1765. nimis universalem esse.

Denuntiationem semper esse facien- 1768
dam à legitimo Superiore, seu de ejus auctoritate, negat Geminianus, & Ugolinus apud Leandrum q. 4. saltem tunc, cùm delictum est adeo clarum, & publicum, ut nullâ tergiversatione celari possit; sed rectius affirmat Leander q. 4. & apud eum Suarez D. 3. S. 13. n. 7. & 8. Filliucius, Bonacina, & alii; quia denuntiatio est executio censuræ, & consequenter actus potestatis coërcitivæ, qui pertinet ad legitimum Superiorem, vel ejus delegatum. Quando censura incursa, fuit lata ab homine, denuntiatio primò & per se fieri debet ab eo, qui censuram tulit. Nam ad ipsum per-

4. decretalium à n. 2336. quamvis autem absolutio à censuris, per metum gravem injustè incussum ad eam extorquendam, juxta Tambur. l. 1. in decal. c. 2. §. 5. n. 24. ex se valida sit; tamen, quia invalidata est ab Ecclesia, c. *unico*, de iis, quæ vi, in 6. nulliter ex tali metu confertur. Absolutus autem in foro interno (nisi fuerit nominatim denuntiatus) non tenetur se foris gerere tanquam excommunicatum, præsertim si constet, sic esse absolutum; illa enim absolutio valet ad omnia, præterquam in judicio, ubi lis movetur. Lessius in Auctario, V. Absolutio, casu 8. n. 18.

1849 Præter hæc not. quòd impubes, qui percussit clericum, absolvatur ab Episcopo, c. *Super eo*, de sent. excom. Monachos se invicem percutientes in Claustro (idem est de Canonicis Regularibus) absolvat Abbas; & in hujus defectu Episcopus, c. *Monachi*, eod. ubi adverte, quòd ly *in claustro* non restringat: sed significet tantùm, quod sæpius fit, ut notat Barbosa hic n. 4. Si autem Abbas sit percussor sui Monachi, absolvit eum Confessarius electus.

PARS II.

De Excommunicatione.

1850 INter censuras in particulari excommunicatio primum locum habet; est enim inter omnes pœna gravissima. De hac præmissis iis, quæ omnibus censuris communia sunt, dicemus jam illa, quæ huic propria sunt, potissimumque sita in effectibus ejus, sanè copiosis, & gravibus. Multipliciter in jure solet nominari *excommunicatio*. Nam vocatur *Districtio* Ecclesiasticæ censuræ, prout habetur c. 1. de offic. vicar. in 6. Dicitur *abominatio*, & excommunicatus abominatus sæpè apud Alciatum, ut notat Alex. Scot. V. eod. Dicitur *subtractio gratiæ Apostolicæ Sedis* in c. *quæ sedem*, de offic. Ordin. Appellatur *censura divina* à Tertulliano in Apolog. adversùs gentes c. 39. Item *censura Ecclesiastica* ab Innocent. III. in c. *Nuncios*, de Decimis. Rectè autem censuræ nomen in illam quadrat, utpote pœnam, quâ hominum contumacia reprimitur; sicut olim reprimebatur apud Romanos censorio munere. Dicitur *Mors* à Cypriano l. 1. Epist. 11. & à jure c. *Absit* 11. q. 3. & c. *per venerabilem*, §. *Sunt autem*, qui filii sint legitimi. Quiâ sicut mortuus vitæ hujus fructibus caret, ità excommunicatus spiritualis vitæ fructibus privatus est. Vocatur *Medicina* à S. Augustino hom. 50. c. 12. & refertur c. *multi*, 2. q. 1. quia ad eum finem proferri debet, ut corrigat, & sanet, juxta Apost. 1. Corinth. 5. *Ut spiritus ejus salvus fiat in die Domini*.

Præterea nuncupatur *Mucro Episcopi* à Joanne Papa, c. *Visis*, 16. q. 2. quia (utinquit Cyprianus lib. 1. Epist. 11. aliàs epist. 62. ad Pomponium) spirituali gladio superbi, & contumaces necantur, dum de Ecclesia ejiciuntur. *Virga ferrea* dicitur à S. Hieronymo Epist. 58. quia nulla alia censura æquè atque excommunicatio superbiam comprimit & confringit. *Nervus Ecclesiasticæ disciplinæ* à Clem. V. in Clement. 1. de sent. excom. & Innocent. III. quia sicut nervis membra corporis ligantur, & stringuntur, ut munia sua obeant, sic fideles hâc censurâ in suo officio continentur. *Maxima omnium pœnarum* dicitur à S. Augustino de Corrept. & gratia c. 15. & refertur c. *Corripiantur* 24. q. 3. Quia in c. *Cùm non ab homine*, de judic. Cœlestinus III. ait: Ecclesiam post *anathema* latum non habere ultra quid faciat. Constat etiam ex c. *omnis Christianus*, 11. q. 3. ubi ponuntur hæc verba: *Omnis Christianus, qui à Sacerdotibus excommunicatur, Sathanæ traditur, quomodo? scilicet quia extra Ecclesiam Diabolus est, sicut in Ecclesia Christus*: ac per hoc quasi Diabolo traditur, qui ab Ecclesiastica communione removetur; Sic Pereyra in Elucidario à n. 1730.

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex sit excommunicatio?

EScobar Theol. mor. tr. 4. Exam. 2. c. 1. 1851 definit eam, dicendo *esse censuram Ecclesiasticam, quâ homo baptizatus privatur spiritualibus bonis, & communicatione civili*; Gibalinus disq. 1. q. 2. n. 2. ait, *esse censuram, quæ hominem privet communione fidelium*, idem sentiente P. Suarez D. 8. hic, sect. 1. Mihi placet definitio secunda. Nam prior non videtur excommunicationi minori convenire. Est autem triplex *communio* fidelium 1. *purè interna*, quam habent fideles, ut sunt membra ejusdem corporis mystici sub Christo capite, in quo per fidem, & charitatem uniuntur, ratione hujus unionis habent, quòd unus alteri applicare possit ex congruo specialia beneficia;

neficia; & suas satisfactiones, quarum alter capax est, pro illo offerre; Layman l. 1. tr. 5. p. 2. c. 1. Deinde *purè externa*, seu *politica*, quæ consistit in fidelium convictu, colloquio, & commerciis: 3. *mixta* sita est in actionibus externis, & cœremoniis; interioremque, ac spiritualem fructum ex propria institutione confert. Huc spectat usus activus Sacramentorum, Ecclesiæ suffragia, quæ scilicet nomine Ecclesiæ in Sacrificio, aliisque precibus publicis, & officiis pro universa Ecclesia funduntur; item satisfactio Christi, & Sanctorum, quæ ab Ecclesia ex communi thesauro fidelibus justis applicantur.

1853 Not. autem 1. quòd Ecclesia nec velit, nec possit per censuram privare fidelem communicatione purè internâ; ita Layman cit. n. 3. Gibalin. disq. 1. q. 1. n. 5. Nam Ecclesia invito tollere non potest, quod est, *esse membrum corporis Christi per fidem, & charitatem cum reliquis fidelibus*, in quo sita est radix internæ communionis. Hinc quando diximus, hominem per censuram privari spiritualibus bonis communibus, intellige publicis, non internis.

1854 Not. 2. quòd nec possit hominem privare fructu, quem percipit ex aliorum privata pietate; hæc enim sunt bona privata operantis; Layman cit. n. 4. Hinc quilibet, etiam Sacerdos in sacrificio (sub memento) pro excommunicato privatim, & suo nomine licitè orat; Layman cit. & Streinius cit. n. 5. non autem nomine Ecclesiæ; hinc cùm dicitur, quòd excommunicatio privet Ecclesiæ suffragiis, intellige iis, quæ publicè fiunt nomine Ecclesiæ; non verò, quæ privatim à singulis nomine suo.

1855 Not. 3. Quòd nomine *excommunicationis* simpliciter, & sine addito prolatæ, post constitutionem Gregorii IX. in c. *Si quem*, 59. de sent. excom. intelligatur excommunicatio major; ita Gibalinus cit. q. 2. n. 4. & 5. Unde quando in c. 1. de exceptionibus in 6. dicitur: si quis in judicio *excommunicationem* opponat, illius speciem declarare debet; intellige *speciem excommunicationis majoris*, desumptam scilicet ex delicto, an ex violatione Ecclesiæ, an ex percussione Clerici? &c. non verò speciem excommunicationis ut sic, ita Castropal. D. 2. p. 2. n. 3.

1856 Nec locum habet regula juris, quòd in dubio benignior interpretatio capienda sit, hic enim post constitutionem Gregorii IX. vox excommunicationis simpliciter prolatæ, non amplius est in dubio, an stet pro majori, vel minori, nisi ex adjunctis colligatur, tunc solùm interdici usum passivum Sacramentorum. Ante Gregorium IX. excommunicatio simpliciter prolata stabat pro excommunicatione minori, ut notat Gibalin. cit. n. 4. & colligitur ex c. *Engeltrudam*, 3. q. 4.

Quoad divisionem excommunicatio- 1857
nis, non affero illam, quæ est à jure, & ab homine, idque per sententiam generalem, vel specialem; item eam, quæ est ipso jure, seu latæ sententiæ, & alteram, quæ solum est sententiæ ferendæ: de his enim in communi actum est à n. 1612. Solùm ergo agimus de excommunicatione, quâ dividitur in majorem & minorem; illa *simpliciter* privat communione fidelium; hæc tantùm secundùm quid, scilicet quoad solùm usum passivum, seu receptionem Sacramentorum. Hinc illa, est privatio totalis; ista, tantùm partialis; ubi etiam nota, quòd hæc nomina, *major* & *minor* sint nomina correlativa: nam major dicitur habito respectu ad *Minorem*: sicut è contra Minor vocatur, non ut quidam sentiunt, ob parvitatem objecti, sed respectu *Majoris*; quia est pars majoris, ut tenet Sotus in 4. dist. 22. q. 1. a. 1. *Minor excommunicatio*, ut sumitur ex c. *penult.* de sent. excom. sic definitur: *Est censura privans Sacramentorum participatione.*

Quarè (ut docet Suarez D. 24. sect. 2.) 1858
proprius, & adæquatus hujus censuræ effectus est privare hominem usu, & participatione Sacramentorum: quamvis enim sic ligatus hac excommunicatione, si celebret, vel Sacramenta suscipiat, nec irregularitatem, nec aliam pœnam ipso facto incurrat, tamen peccat graviter. Omnes alii actus Ecclesiasticæ communicationis, tam Sacri, quàm civiles illi excommunicato licent. Nec dicas positam definitionem competere peccato lethali, quatenus hoc privat receptione passiva Sacramentorum; R. enim N. quia peccatum illud non impedit directè, & per se prohibendo, imò non reddit incapacem Sacramenti pœnitentiæ: Secùs excommunicatio Minor. Unde ad illud tollendum sufficit contritio, ad hanc requiritur absolutio.

Excommunicatio major ulterius divi- 1859
ditur in *justam*, & *injustam*. Justa excommunicatio est, quæ in nullo deficit à justitia,

ac

ac proinde vendicat tria; primum, ut detur causa justa, & rationabilis, propter quam feratur; secundum, ut debito modo feratur: tertium, ut animo recto, ab habente potestatem, id est, à proprio judice feratur: *injusta* dicitur, quæ in aliquo ex tribus assignatis deficit. Dividitur, 3. ratione efficaciæ in *validam*, quæ efficax est, & *invalidam*, quæ nulla, & inefficax est. Dividitur, 4. ratione potestatis absolvendi in *reservatam*, & *non reservatam*. Quæ est ab homine, communiter reservata est suo authori, vel ejus Successori, ita ut juxta Covar. in c. *Alma mater*, §. 12. n. 13. nec per superiorem ejus absolvi possit, nisi de ejus scientia. Quæ est à jure, & reservata, à nemine regulariter potest absolvi, præterquam ab eo, cui reservata est. Si autem nulli reservetur, absolvi potest ab Episcopo, imò à proprio parocho in foro conscientiæ. *Anathema* non differt substantialiter ab excommunicatione majori, sed tantùm solennitate, & apparatu. Reliqua ex dictis à n. 1609. resolvi possunt.

ARTICULUS. II.

De excommunicato vitando, & non vitando.

1860 Cùm in sequentibus frequens mentio futura sit de excommunicatis vitandis, vel toleratis, not. *vitandum* dici, quem fideles tenentur vitare quoad communicationem cum illo tam in sacris, quàm in civilibus, & politicis; & ideo talis etiam dicitur *non toleratus*; is verò, quem non tenentur evitare, sed cum quo communicare possunt, dicitur *toleratus*, & *non vitandus*. Olim, & jure antiquo omnis excommunicatus excommunicatione majori vitandus erat à fidelibus, ac proinde nullus cum illo licitè habere poterat ullam communicationem; patet ex c. *Excommunicatos*, 11. q. 3. ex constitutione Calixti, ubi loquitur de excommunicatis quibuscunque: nunc tamen jure novo, ex Constitutione Concilii Constantiensis, quod celebratum est anno 1414. & confirmatum à Martino V. tantùm vitandi sunt. 1. qui sunt excommunicati excommunicatione majori, & vel publicè, ac specialiter denuntiati; aut adeo notoriè & sacrilegè percusserunt Clericum, ut eos in censuram canonis incidisse, nullâ tergiversatione, vel suffragio celari possit; ita Concilium Constantiense in Extravag. *ad evitanda*; illius verba sunt: *ad evitanda scandala* &c. *nemo teneatur abstinere à communicatione cum excommunicato, nisi sententia, seu excommunicatio fuerit à Judice promulgata, vel denuntiata specialiter & expresè*: tum subjungit aliud genus vitandorum, scilicet *notoriorum percussorum Clerici actu sacrilego.*

Exinde sequitur, quòd nullus se tueri 1861
possit privilegio Sedis Apostolicæ in c. *Nulli* h. t. quo minus vitare debeat talem excommunicatum non toleratum, post hanc constitutionem Concilii Constantiensis; at rationem non omnes eandem afferunt. Aliqui dicunt; quia præceptum vitandi est juris divini; sed contrarium esse patet ex Extravag. Martini V. *ad evitanda*. Vera igitur ratio est, non quòd Pontifex non possit concedere tale privilegium; *sed solùm*, quòd hoc non veniat generali privilegio exemptionis; Sic Barbosa in cit. c. *Nulli*, n. 6. Hinc intellige textum de privilegio Sedis Apostolicæ generali quoad exemptionem.

Not. autem 1. quòd hæc constitutio 1862
ad evitanda, sit posterior constitutione Clementis III. in c. *Cùm non ab homine*, de sent. excom. ubi præcipit, ut publicus excommunicatus vitetur publicè; occultus, occultè. Constitutioni Concilii Constantiensis aliqui volunt per Concilium Basileense, illo posterius, sess. 20. in fine, sub tit. de excommunicatis vitandis, moderationem adhibitam esse, ut non solùm notorius Clerici percussor; sed quicunque notorius excommunicatus vitandus esset. Verùm constitutionem Concilii Constantiensis, hoc non obstante, integram servandam esse, docet Sylvester, Suarez, Navar. Victoria, Avila, Coninch, & alii, quos citat, & sequitur Castropal. n. 5. quia Concilium Basileense fuit acephalum, atque adeo destitutum omni authoritate; & in Concilio Lateranensi sub Leone X. sess. 11. dicitur, non fuisse Concilium, sed conciliabulum; errasseque in multis, maximè in depositione Eugenii IV. ita Castropalaus, & addit Gibalinus disq. 7. q. 1. n. 4. & 8. hanc constitutionem tutò admitti propter communem jam ejus usum, licet fortasse vim legis synodalis, & universalis non obtineat; & propter hoc juri communi non deroget.

Not. 2. in dicta constitutione Concilii 1863
Constantiensis (ubi permittitur fidelibus cum certis excommunicatis aliqua communi-

munication, de qua dicemus infra) adjungi, *non esse de mente Concilii, favorem aliquem per hoc facere ipsis excommunicatis, sed tantùm fidelibus.* Ex quo sequitur, omnem cum excommunicatis toleratis communionem, fidelibus permitti; cùm solùm vitandi sint illi, qui aut notorii sunt percussores Clerici, vel nominatim denuntiati; non tamen aliter, quàm si à fidelibus requirantur.

1864 Not. 3. Non eoipso censeri denuntiatum, quòd quis publicè declaratus sit commisisse crimen, cui annexa est censura. Nam *declarare crimen*, & consequenter censuram, non est specialiter, & expresè *denuntiare censuram*, sed tantùm indirectè & implicitè; ita Navarrus, Castropal. Gibalinus disquis. 7. q. 1. n. 18. §. *non sufficit*, cum Reginaldo & Sanchez, contra Salas, Guttierez, Avilam, Bonacinam, Sanctarell. Covar. & alios ibi, qui tenent oppositum.

1865 Not. 4. Ut percussor Clerici dicatur *notorius*, requiri, quòd percussio facta sit coram majore parte populi viciniæ, vel communitatis, in qua ad minus sint decem, quibus constet, nullâ tergiversatione, vel suffragio injustitiam celari posse; Sic Navar. Avila, Layman, Hurtad, Coninch cum & apud Castropal. n. 7. quamvis addat Castropalaus n. 8. solam famam à fide dignis ortam, plenè & integrè probatam, de percussione Clerici, vel denuntiatione sufficere, ut vitandus sit percussor.

1866 Not. 5. Excommunicatum, in uno loco denuntiatum, vitandum esse ubilibet, doceri ab Henriq. Vasq. Filliuc. & Bonacin. sed probabilius negari à Castropalao p. 4. n. 9. cum Sanchez, Avila, & aliis. Quia excommunicatus, *publicus in uno loco*, non est censendus *publicus in alio*. Quando autem dicitur, quòd denuntiatio *afficiat personam*, intellige *respectu eorum*, in quorum notitiam venit denuntiatio. Unde, quoniam obligatio vitandi etiam secretò, oritur ex denuntiatione notoria; ubi non est notoria, ibi non teneris vitare etiam secretò, licet alibi denuntiatum.

1867 Ex his inferes. 1. quòd non tenearis eum vitare, quem etiam evidenter nosti excommunicatum, si non sit notorius Clerici percussor, vel *publicè*, *specialiter* & *expresè* denuntiatus, sequitur ex n. 1860. idem est, si dicatur: *Excommunicamus Petrum incendiarium, & ejus complices, illumque, & complices ut tales denuntiamus.* Teneris enim tantùm vitare Petrum, non complices; hi enim non sunt *specialiter*, sed tantùm *generaliter* denuntiati. Similiter nec teneris vitare excommunicatum, privatimque in cubiculo denuntiatum; quia talis non est denuntiatus *publicè*.

Quærunt aliqui, an obligatio vitandi 1868
excommunicatum denuntiatum, vel notorium Clerici percussorem sit juris divini? Respondet Suarez, & alii cum Castropal. p. 4. n. 2. esse solius juris Ecclesiastici; aliàs illam non posset Ecclesia restringere, vel extendere, aut mutare; sicut pro varietate temporum factum esse constat ex c. *quoniam multos*, 11. q. 3. hinc verba Mathæi c. 16. de habendo sicut Ethnico, qui Ecclesiam non audierit &c. non sunt præcepti, sed tantùm consilii. Cœterùm ut obligeris vitare excommunicatum non toleratum, requiritur certitudo moralis, eum esse talem; Sic Tamburinus l. 10. tr. 1. de excom. c. 3. §. 3. Et ut quis propter notoriam Clerici percussionem vitandus sit, non sufficit notoreitas juris, sed requiritur facti, ut dictum est alibi.

ARTICULUS III.

Quæ communicatio fidelibus permittatur cum excommunicatis toleratis?

RESP. permitti omnem fidelibus, acsi ii, 1869
qui stante excommunicatione tolerantur, excommunicati non essent, etiam seclusâ necessitate; ita Gibalin. disq. 7. q. 1. p. 3. Extravag. *ad evitanda.* Ratio est, quia ex nullo capite fidelibus interdicitur communicatio cum excommunicatis toleratis; aliundè clarè permittitur à Concilio Constantiensi, modò non inducas eos ad actionem, quam sine peccato, ex alio capite, quàm ex vi censuræ, peragere non possent. Hinc fideles licitè petunt sibi administrari Sacramenta ab excommunicatis toleratis; & hi ad fidelium instantiam licitè exercent suas actiones, perinde, acsi excommunicati non essent. Cùm enim fidelibus directè concedatur facultas utendi illorum communione; indirectè etiam illis conceditur facultas exhibendi petita. Nam aliàs fideles non possent licitè uti concessione Concilii, si illi non possent licitè respondere; ita Castropalaus, & Gibalin. loc. cit. Et ideo excommunicati tolerati, à fidelibus requisiti, licitè quidem exercent actus alio-

quin à censura vetitos; non tamen ex se, & si non requirantur. Tota enim concessio est in favorem fidelium; non autem ullo modo directè in favorem excommunicati. Hi enim ex parte sua eodem modo tenentur alios fideles vitare, ac ante Concilium Constantiense tenebantur. Verùm quidem est, per accidens. & ex consequenti (ex licentia, & petitione fidelium) aliquid eis commodi accedere, non autem per se. Hinc etiam excommunicati inter se tenentur se vitare.

1870 Datam responsionem extende, ut fidelibus non tantum publicam, sed etiam privatam, & secretam communicationem cum excommunicatis toleratis liceat habere tam in profanis, quàm in Sacris; ita Guttierez, quem citat & sequitur Gibalin. cit. n. 14. Et quoniam in textu Concilii Constantiensis cit. præcipiuntur solùm illi *vitandi*, qui inciderunt notoriè in sententiam Canonis ob sacrilegam Clerici percussionem; vel in aliqua censura sunt specialiter, & expressè denuntiati; universaliter in omnibus aliis licet fidelibus communicare cum quovis censurato, qui non est ex prædictis. Hinc putat Gibalin. disq. 7. q. 1. n. 15. notorios suspensos, vel interdictos non esse vitandos; atque adeo, dum hæ censuræ denuntiatæ non sunt, ut requiritur, potes cum ejusmodi censuratis communicare, acsi suspensi, vel interdicti non essent. Navar. Guttier. Sayr. Hurt. cum & apud Castropal. p. 5. n. 8. Gibalin. disq. 7. q. 1. n. 15. ubi tamen not. ex Layman apud Gibalin. n. 16. hanc facultatem communicandi, cum excommunicatis toleratis, concessam fidelibus, non esse obligationem, sed licentiam & veniam. Hinc potest fidelis non acceptare imperium sui Episcopi excommunicati; quia non tenetur ei communicare, licet, si velit, possit; excipe, nisi consuetudo, vel edicta Principum aliud postulent; Gibalin, loc. cit. n. 18. in fine.

1871 Si quæras, an etiam excommunicatus sententiâ speciali non sit vitandus ante denuntiationem? Negant Adrianus, Medina, Felin. Rodolphus & Ugolin. apud Gibalin. n. 18. quia in Concilii constitutione nihil dicitur de specialiter excommunicatis. Nam verba Concilii sunt: *Nemo deinceps ex prætextu cujuscunque sententiæ, ab homine, vel à jure generaliter promulgatæ, teneatur abstinere, vel aliquem vitare, &c.* Alii tamen ex communi consensu affirmant; quia scilicet priora verba explicantur sufficienter per sequentia, quibus requirit, *ut sententia in certam personam lata* (quæ utique est sententia specialis) *non obstringat ad vitandum, nisi promulgata, vel denuntiata.*

Quando fit appellatio à denuntiatione 1872 censuræ, docet Gibalin. cit. n. 19. in fine, impediri, ne, qui appellavit, vitandus sit. Nam effectus appellationis est rescissio actûs, à quo appellatur; & repositio appellantis in statum pristinum, juxta Bartolum, Panormitanum, Decium, & alios; prout tradit Navar. l. 2. consil. de sent. & re judicata, n. 6. apud Portel. p. 2. casuum, casu 12. n. 5. quod verum existimo, quoties appellatio est legitima; secus, si non sit legitima, ut notavimus supr. Etquamvis appellatio contra latam ab Episcopo excommunicationem, si fiat ad Metropolitanum, non suspendat hujus excommunicati evitationem in aliis, suspendit tamen in his, quibus probare vult nullitatem censuræ, vel intolerabilem errorem commissum, c. *Per tuas* 4. h. t. in his enim audiendus est; non autem, in sola probatione injustè latæ, nisi prius absolvatur, quod facere potest Metropolitanus ibidem. Econtra, si quis probet, se excommunicatum post appellationem, pendente probatione in judiciis evitabitur; extra judicium verò minimè, c. *folet*, 2. de sent. excom. in 6. ibi: *in secunda verò quæstione statuimus, ut is, qui ad probandum admittitur, pendente probationis articulo, in cæteris, quæ ut actor in judiciis attentaverit, interim evitetur. Extra judicium verò in officiis, postulationibus, & electionibus, ac aliis legitimis actibus nihilominus admittatur.*

Quæres, quid dicendum, si denun- 1873 tiatio sit dubia? R. quòd tunc nemo vitandus sit; tunc enim possessio non stat pro denuntiatione; ubi autem denuntiatio certa est, licet non constet excommunicatio, nihilominus denuntiatum vitandum esse, docet Gibalinus cum communi n. 28. quia obligatio vitandi oritur ex denuntiatione, quòd talis excommunicationem incurrerit; quod videtur limitandum ad forum externum; nam, si cui constaret, talem in re excommunicatum non esse, in foro conscientiæ non esset vitandus, seclusò scandalo, & contemptu. Denique si Confessarius ex sola confessione novit, aliquem esse denuntiatum, non tenetur illum vitare. Non enim novit illam denuntiationem

nem modo humano, exponitque se periculo violandi sigillum confessionis, quod nullo modo licet; Sic Tamburinus tr. 1. de excom. c. 3. §. 3. n. 10. Similiter Parochus non tenetur vitare, quem jussus est denuntiare, si nondum denuntiavit, licet actu habeat literas denuntiatorias; ita Sylvest. & Guttier. apud Gibalinum; quia tunc adhuc denuntiatus non est. Qui verò semel est denuntiatus, is semper vitandus est, quàm diu non constat, eum esse à censura liberatum. Imò in c. *Sicut nobis*, 39. de sent. excom. definitum est, præsumi durare excommunicationem, ubi non constat de obtenta absolutione. Reliqua, quæ pertinent ad licitam, vel non licitam communicationem cum excommunicatis, ex sequentibus intelligentur.

ARTICULUS IV.

De privatione communionis in Sacris.

1874 INter primos effectus excommunicationis majoris est, quòd eum, quem afficit, privet communicatione cum fidelibus *in rebus sacris*. De communicatione enim in profanis & civilibus, dicemus in seq. pertinent autem ad communicationem *in sacris*, Ecclesiæ suffragia, usus activus & passivus Sacramentorum, divinorum officiorum, & aliarum rerum sacrarum, sepultura Ecclesiastica, receptio & collatio beneficiorum Ecclesiasticorum, jurisdictio utriusque fori & similia.

§. 1.

An, & quomodo excommunicatio major privet communibus Ecclesiæ suffragiis?

1875 *COmmune suffragium Ecclesiæ* nihil aliud est, quàm communis totius Ecclesiæ oratio; qualis est sacrificium Missæ, recitatio Breviarii, cæteræ preces publicæ, & benedictiones, quæ fiunt ab ejusdem Ecclesiæ Ministris, nomine & in persona totius Ecclesiæ ad impetrandum suis fidelibus auxilium spirituale. Hinc not. ex Gibalino disquis. 7. q. 2. n. 3. per *preces publicas Ecclesiæ* non intelligi eas, quæ à fidelibus publicè fiunt, sed quæ à ministris & personis Ecclesiæ ad id deputatis, ac ipsius vices gerentibus, modo, ac ritu ab ipsa præscripto: per *privatas* autem, quæ fiunt à personis non designatis ab Ecclesia eo modo, ut dictum est.

1876 Potest autem in his omnibus considerari triplex fructus, in quo communicent fideles; primus, qui venit ex privata intentione operantis nomine suo; secundus, qui ex satisfactione, & meritis Christi, ut cùm Minister in ejus persona, & nomine agit: tertius, qui respondet operanti, ut agenti nomine Ecclesiæ. Primo, & secundo fructu non privat excommunicatio major, cùm non pendeat à jurisdictione Ecclesiæ. V. n. 1852. & seq. Sermo igitur est de tertio. Nam *privari communibus Ecclesiæ suffragiis*, aliud non est, quàm *carere fructu*, qui ex communibus sacrificiis, & orationibus Ministrorum, prout pendet ab intentione Ecclesiæ volentis, vel nolentis hunc vel illum in tali oratione, nomine suo facienda, inclusum, ad fideles derivatur, his positis:

Excommunicatio major quemlibet, 1877
quem afficit, non absolutum à tali censura, privat communibus Ecclesiæ suffragiis; ita Gibalin. cum communi, n. 8. hoc enim facere potuit Ecclesia; & eam hujus esse voluntatis, constat ex c. *à nobis*. 28. ibi: unde quantumcunque se quis juramento præstito, quòd Ecclesiæ mandato pareret, humiliare curaverit: quantacunque pœnitentiæ signa præcesserint, si tamen morte præventus absolutionis non poterit beneficium obtinere, *quamvis absolutus apud DEum fuisse credatur, nondum tamen habendus est apud Ecclesiam absolutus*, & c. *Sacris*, 38. de sent. excom. ibi: licet is, qui voluntarius excommunicatis illis communicaverat, qui cum omnibus favoribus, & participibus suis excommunicationis sententia sunt adstricti, ad cor rediens de mandato Ecclesiæ excommunicatos, quos prius foverat, expugnaverit; *non tamen, priusquam absolutionis gratiam perceperit, habendus est absolutus*. Ex quibus patet, hoc verum esse, licet foret contritus, si non sit absolutus. Contritio enim non tollit vinculum censuræ, *c. Sacris*, cit. item est, si censura injusta quidem sit, sed valida, Gibalin. n. 20. contra complures, quia talis revera est excommunicatus.

Ex dictis inferes, quòd peccet mortali- 1878
ter, qui suffragia Ecclesiæ in particulari offert pro excommunicatis vitandis; facit enim contra præceptum Ecclesiæ in re gravi; ita S. Thomas, Suarez, Filliucius, Bonacin. & alii. Licet tamen illis applicare fructum, ut respondet operanti ex intentione privata ex n. 1876. Si petas, an possit nomine Ecclesiæ quis orare pro illis saltem in communi?

affirmat Sylvester, Sonimas, & alii apud Castropal. n. 5. Sed rectius contrarium docet cum Castropal. n. 6. Gibal. n. 22. tum quia Ecclesia sua bona vult solùm communicare suis membris, sibi unitis; tum quia sic vitandi non magis privarentur illis fructibus, quàm fideles. Nam & pro his solùm generaliter oratur.

1879 Quæres, an liceat hoc facere pro illis, saltem in communi, tanquam pro extraneis, ut reducantur ad obedientiam Ecclesiæ? affirmat Sylvester, & alii apud Leandrum q. 7. quia ipsa Ecclesia, die parasceves, sic pro illis orat, ut etiam pro hæreticis &c. sed probabilius negatur, quia Ecclesiæ intentio est nullo modo, *nomine suo*, pro illis orare. Quando verò in parasceve orat pro hæreticis, id facit, quia Christus pro omnibus mortuus est; nunquam tamen pro excommunicatis sub hoc nomine. Cœterùm ex eo facto Ecclesiæ nihil concluditur ad alium inferiorem; hæc enim condidit legem, adeoque in illa dispensare potest. Unde alii negant à Sacerdote in aliis Missis licitè usurpari orationem illam, quâ utitur Ecclesia in parasceve pro hæreticis; intellige, *si vitandi sint*. Licet tamen indirectè orare etiam per communia Ecclesiæ suffragia pro illis, pro quibus aliàs non licet directè, v. g. si quis oraret *pro augmento Ecclesiæ, &c.* sic enim, indirectè, saltem, oratio etiam pro illis fieret.

1880 Licere facere publica Ecclesiæ suffragia pro excommunicatis vitandis, quando sunt contriti, & per eos non stat, absolvi à censura, docet S. Antonin. Navar. Covar. Henriq. Sayr. Davila apud Castropalaum n. 7. Sed rectius negat Sotus, Suarez, Coninch, Layman, Hurtad. cum & apud Castropal. n. 8. ex c. *à nobis*, 28. de sent. excom. ubi hoc expressè decidit Innocentius III. de eo, qui in excommunicatione defunctus, ante mortem signa contritionis dedit.

1881 Inferes 2. orationem publicam, nomine Ecclesiæ factam, directè pro excommunicato vitando, nullam fore; Gibalin. n. 23. quia donatio bonorum, subjectorum voluntati Ecclesiæ, contra ejus voluntatem nulla est; Secus est, si fieret nomine Christi, ex n. 1876. tali tamen casu peccaret minister, potest enim Ecclesia ministro prohibere, ne alicui ministret Sacramenta, licet in eorum ministratione gerat personam Christi. Cœterùm si minister nihilominus faceret, illicitè quidem, sed validè faceret; quia valor, & consequenter fructus, ut respondet ministro ut operanti in persona Christi, non subest voluntati Ecclesiæ. Not. tamen, licitum esse orationes publicas facere pro excommunicato tolerato, probabilius teneri ab Escobar Theol. mor. l. 1. S. 2. d. 9. sic licitè offerimus sacrificia pro hæreticorum reductione.

Inferes 3. quòd, quamvis nec excommunicatus toleratus per ipsam Ecclesiam includatur in communibus ejus suffragiis, & consequenter hac ratione non sit illius fructûs particeps; tamen, si ministret eum in illis, etiam ut fiunt nomine Ecclesiæ, includeret, licitè ageret, & excommunicatus, si obicem peccati non haberet, validè reciperet; ita Gibalin. n. 22. & apud eum Henriquez, Ugolinus, Sayr. Coninch, Hurtado, de Lugo, Layman, & alii; quia per Extravag. *ad evitanda scandala*, quilibet fidelium licitè in sacris, & extra, communicat cum excommunicatis toleratis; quæ communicatio ibidem in favorem fidelium non restringitur; atqui oratio, & oblatio sacrificii etiam est aliqua communicatio. Nam Innocentius III. postquam in dicto *c. à nobis*, de sent. excom. præcepit, ut excommunicatus, mortuus pœnitens, absolvatur, & deinde pro illo sacrificia offerri possint, statim subjungit: *nec obstat, quòd legatur, non communicetur mortuo, cui non est communicatum & vivo*; cùm etsi communicatum non fuerit, communicandum tamen fuisset; ergo oblatio sacrificii ex mente Innocentii, est aliqua communicatio.

1882 Dices: ex hoc sequitur, concessionem Concilii Constantiensis esse etiam in favorem excommunicatorum; cùm tamen ipsum expressè dicat: *per hoc tamen ejusmodi excommunicatos non intendit in aliquo relevare, nec eis quomodolibet suffragari.* Sed ℟. sub distinctione: sequitur, *per accidens, & indirectè* esse in favorem excommunicatorum, C. *directè, & per se*, N. illud autem non repugnat menti Concilii, quando favor, qui redundat in excommunicatos, solùm per accidens illis contingit ex eo, quòd directè faveat fidelibus. Est autem magnus favor fidelibus, posse accipere stipendia pro sacro ab excommunicatis toleratis; posse etiam communibus precibus succurrere suis, non teneri expungere nomen Principis (si fortè excommunicatus

tus esset) à publicis precibus &c. ita Villalobos t. 1. tr. 17. diff. 4. n. 8.

1884 Inferes 4. quòd sacerdos excommunicatus (cùm licitè celebrat, ut quando requiritur à fidelibus) sibi licitè applicet fructum sacrificii, etiam, ut provenit nomine Ecclesiæ, & in persona Christi operanti respondet; tunc enim licitè fit, cùm abest prohibitio; sed ita est in præsenti; ergo. min. pat. quia offerre sacrificium pro excommunicato vetitum est solùm, in quantum non licet ei communicare; sed huic Sacerdoti licet communicare secumetipso; ergo. Hinc etiam, si aliud peccatum non habet, fructum validè recipit; tunc enim ex nulla parte est incapax; *non vi alterius peccati*, ut supponitur; *non vi hujus actionis*; hæc enim ex dictis licita est; ergo. Et hoc etiam verum est de excommunicato vitando, si aliquando, ut ex gravi necessitate, celebret licitè.

§. 2.

An, & quomodo excommunicatio major privet usu indulgentiarum?

1885 Duplex est *indulgentia*; una, quam quisque sibi lucratur, & datur per modum absolutionis; altera, quæ per modum solutionis & suffragii, per quam unus fidelis alterum juvare potest, qualis est indulgentia, quam ex concessione Ecclesiæ, defunctis applicamus. Ejusmodi indulgentias per modum suffragii posse quoque viventibus distribui docet Gibalinus de jurisdict. sacra disq. 7. q. 2. n. 27. quibus positis: 1. quòd nullus excommunicatus, etiam toleratus, possit sibi lucrari indulgentias, licet opera in eam rem injuncta præstet; ita Ugolin. Rosella, Suarez, Bonacina, Sà, & alii. Excommunicatus etiam nullam habet facultatem usurpándi sibi bona Ecclesiæ communia, nisi dependenter ab ejus consensu, cujus dispositioni subsunt. Hunc autem consensum non dat Ecclesia in intentione generali, quâ de thesauro meritorum Christi, & Sanctorum indulgentias dispensat; ergo. Est contra Leandrum q. 17. qui stat pro parte affirmante; sed ejus ratio nihil suadet. Licet enim opera præscripta peragat, adhùc non lucrabitur, nisi in illum Ecclesia consentiat.

1886 Si quis tamen fidelium indulgentias, per modum suffragii concessas, excommunicato tolerato applicet, & licitè aget, & validè, si aliunde non habeat obicem. Nam. 1. licitè communicamus excommunicatis toleratis per n. 1869. Nec valet dicere, hìc fieri favorem excommunicato contra Concilium Constantiense; nam talis favor illi solùm fieret indirectè, & per accidens, ut diximus antè. Ex eo autem, quòd Pontifex alicui concedat indulgentias, non eoipso censeri debet absolutus à censura, nisi aliud verbis exprimatur, aliàs enim illa concessio est tantùm conditionata, si scilicet subjectum capax sit, Suarez tom. 4. in 3. p. D. 52. S. 2. n. 3.

§. 3.

An, & quomodo excommunicatio major privet usu activo Sacramentorum?

1887 Excommunicatio major omnino privat eâ affectum licito usu activo Sacramentorum, sive excommunicatus ille sit vitandus, sive toleratus. Hinc nunquam licitè confert ullum Sacramentum, nisi adsit causa excusans, *c. Latores*, 4. de Clerico excommunicato ministr. ubi tales deponi jubentur, nisi propter multitudinem eorum, qui peccârunt, pœna mitigetur; & *c. si celebret*, 10. eod. ibi: *peccat autem conferendo Ecclesiastica Sacramenta.* Si verò conferret extra dictam causam, peccaret graviter, quia violaret prohibitionem Ecclesiæ in re gravi, Castropal. p. 8. Gibalin. q. 4. n. 3. Excusat autem excommunicatum vitandum gravis necessitas propria, vel proximi: toleratum etiam petitio fidelium, vel ignorantia probabilis, ex *c. Apostolicæ*. 9. eod. ibi: *qui tempore suspensionis ignari celebrâstis divina vos reddit ignorantia probabilis excusatos. Cæterùm si fortè ignorantia crassa, & supina, aut erronea fuerit, propter quod dispensationis gratiâ exeatis, eam vobis de benignitate Apostol. indulgemus.* Et ideo excommunicatus etiam vitandus potest licitè celebrare, ne se infamet; ne suum delictum occultum revelet, ne scandalum generet, exigente id gravi necessitate; Sic Leander D. 5. q. 3. quod etiam procedit in periculo mortis alienæ, vel etiam sibi imminentis; hinc potest alteri in necessitate conferre baptismum; imò tenetur, si sit periculum mortis; non tamen debet facere solenniter, esto sacerdos sit; hoc enim necessarium non est; potest autem baptizare licitè in casu necessitatis, esto alius laicus non excommunicatus præsens sit; quia quando pluribus conceditur privilegium, servandum est inter ipsos jus

communiter, L. *Assiduis*, C. qui portionem in pignore habent. Jure autem communi jus baptizandi competit Sacerdoti, ex *c. Diaconos*, dist. 93. *c. Constat*, de Consecrat. dist. 4.

1888 Ex iisdem causis Sacerdos excommunicatus vitandus alteri in articulo mortis licitè ministrare potest Sacramentum pœnitentiæ, modò prius conteratur, & alius non adsit; ita Leander q. 10. cum pluribus contra Navar. Covar. & alios ibidem, quia pro hac necessitate non suspenditur illi jurisdictio, ut patet ex Trid. Sess. 14. c. 7. ubi dicit: *ne aliquis pereat, in Ecclesia DEI semper custoditum fuisse, ut nulla sit reservatio in mortis articulo*; atque ideo omnes sacerdotes, quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis, & censuris absolvere posse; quod verum est, licet talis Sacerdos excommunicatus sit propter hæresim; sequitur ex verbis Tridentini, cùm dicit: *omnes Sacerdotes*, imò in eadem necessitate potest, licet præsens sit alius Sacerdos simplex non excommunicatus. Non enim est major ratio unius, quàm alterius, cùm uterque tunc sit confessor ex privilegio; verba enim Tridentini universalia sunt, ita etiam Lugo de pœnit. D. 18. S. 2. n. 37. contra Suarium, & alios.

1889 Præter hæc quæres 1. an excommunicatus *vitandus*, alteri in mortis articulo, possit licitè ministrare Sacramentum extremæ unctionis? 2. an saltem tunc, si infirmus non potest accipere Sacramentum pœnitentiæ vel Eucharistiæ? Ad 1. affirmativè respondet Præpositus, esto receperit Sacramentum pœnitentiæ: communiter tamen negant Suarez, Bonacina, Filliucius & alii, si accepit Sacramentum pœnitentiæ vel Eucharistiæ; tunc enim non est saluti ejus necessarium. Videtur tamen probabilis etiam affirmans; quia sæpe conducit tum corpori, tum animæ, nec ex aliena culpa videtur fraudandus tanto bono, in ejusmodi periculo ad bonam mortem obeundam tam salutari. Ad 2. adhuc negat Suarez, & alii, sed etiam probabiliter affirmant alii; quia cùm sæpius ex attrito faciat contritum, videtur probabiliter necessarium illius saluti.

1890 Quæres 3. an Episcopus excommunicatus *vitandus*, in aliquo casu licitè conferat Sacramentum Ordinis? 4. an Parochus vitandus licitè assistat matrimonio, cùm in articulo mortis ducitur in uxorem, quæ fuit concubina? vel an peccet, si in hoc casu assistat? 5. an excommunicatus vitandus licitè, ac validè coram Parocho contrahat in articulo mortis cum concubina? Ad 3. negat Alterius, & alii apud Leandrum q. 16. sed affirmant probabilius Suarez, Cornelio, Diana; potest enim in aliqua terra remota esse magna necessitas Clericorum, ubi non esset nisi unus talis Episcopus; tunc enim ob commune bonum talis licitè conferret ordines sacros; quia credibile est, tali casu ex voluntate Ecclesiæ suspendi excommunicationem.

Ad 4. 82. affirmativè; quia probabili- 1891
us Parochus non est minister in Sacramento matrimonii, neque privatur per hanc censuram officio Parochi; ergo. Unde probabile etiam est, quòd sic assistendo nec venialiter peccet; quia nec hoc, nec sponsis benedicere juxta multos est actus jurisdictionis. Ad 5. 82. probabilius affirmativè, licet contrahens sit minister hujus Sacramenti; cùm enim hic actus maximè expediat saluti, non est censendus in his circumstantiis, periculo scilicet mortis, privatus activâ administratione Sacramenti. Sic Hurtad. & Leander q. 19. Cæterùm si Sacerdos sit excommunicatus toleratus, & se non ingerat, sed à fidelibus requiratur, licitè illis ministrabit Sacramenta ex dictis.

§. 4.

An, & qualiter excommunicatio major privet usu passivo Sacramentorum?

PEr usum passivum Sacramentorum in- 1892
telligimus eorundem receptionem. Omni excommunicato excommunicatione majori prohibitam esse Sacramentorum receptionem per se loquendo, docet Castropalaus D. 2. p. 7. cum communi. Hinc per se loquendo (nisi scilicet adsit ratio excusans) peccat mortaliter in ejusmodi receptione; quia prohibitionem Ecclesiæ violat in re gravi, ex *c. cùm illorum*, 32. ubi excommunicatus, scienter recipiens ordines, si est Clericus secularis, in perpetuum deponendus est; si regularis, ab executione ordinis, suspendendus, *si ignorantia* (facti vel juris) *est probabilis*; & *factum non est grave. c. si quem* 59. de sent. excom. ibi: *si quem* sub hac forma verborum (*illum excommunico*) vel simili, à judice suo excommunicari contingat: dicendum est eum *non tantum minori*, quæ à perceptione

ne Sacramentorum; *sed etiam majori excommunicatione* (quæ à communione fidelium separat) *esse ligatum.* Et ideo peccatum illud foret sacrilegium; quia acciperet Sacramentum in statu peccati gravis. Excusari tamen potest à peccato 1. si probabiliter ignoraret hanc obligationem, vel censuram in se, *c. Cum illorum*, ibi: distinguendum, quòd tales *vel sciunt* excommunicationis se vinculo irretitos, vel *non recolunt factum, pro quo in latæ sententiæ Canonem inciderunt, vel factum quidem scientes, juris ignari nesciunt exinde se teneri.* Quod etiam procedit, si urgeret gravis necessitas, vel ratio excusans ab obligatione præcepti positivi, quibus positis:

1893 Quæres, an excommunicatus, validè recipiat Sacramenta? R. quòd excommunicatus recipiens Sacramenta (excepto Sacramento pœnitentiæ) licet illicitè, ut constat ex n. 1876. tamen validè reciperet; quia horum valor non pendet à dispositione recipientis, nec à voluntate Ecclesiæ, sed institutione Christi. In eo autem casu possunt adesse omnia essentialia talium Sacramentorum; & arguitur ex dicto c. *Cum illorum*, cit. ergo; ita Suarez, Vasq. Henriq. Avila, Bonacina, & Layman cum Castropalao D. 2. p. 7. n. 2. Unde quamvis aliqui doceant, quòd Ecclesia possit reddere invalidum contractum matrimonialem excommunicati, de facto id non fecisse, constat ex c. *significasti*, 6. de eo, qui duxit in matrimonium. Dixi: *extra Sacramentum pœnitentiæ.* Nam, licet etiam hoc non sit invalidum præcisè ratione excommunicationis, quasi per illam hoc potius, quàm aliud Sacramentum irritetur; tamen ex alio capite foret irritum, defectu doloris de mortalibus, qui pertinet ad Sacramenti pœnitentiæ essentiam, ut suppono. Cùm enim excommunicatus in susceptione Sacramenti peccet mortaliter, nequit adesse dolor de mortalibus. Aliud dicendum foret, si dolor non diceretur pertinere ad ejus essentiam, uti dicunt nonnulli ex Theologis de Sacramento pœnitentiæ validò, & informi ex defectu doloris universalis. Unde si excommunicatus in susceptione Sacramenti pœnitentiæ excusaretur à peccato gravi (ut, puta, si per ignorantiam probabilem, vel necessitatem, aut Sacerdos fingeret, quòd ipsum prius possit liberare à censura, vel cùm potest, nolit, aut primo post absolutionem à peccatis absolveret à censura) tali casu Sacramentum pœnitentiæ validum esset, & feraxgratiæ; ita Covar. Medin. Navar. Layman, Suarez & alii cum & apud Gibalin. loc. cit. Castropal. cit. n. 3. contra Sylvest. Sot. Hurtad. & Vasq. qui tenent oppositum.

Quæres 2. An si Sacerdos alicui ex- 1894
communicato tolerato (qui se non ingerit) vellet administrare Sacramentum pœnitentiæ etiam extra causam ab obligatione censuræ ipsum excusantem, excommunicatus validè & licitè reciperet? R. quòd sic; quia respectu communicationis, quam habet cum fideli ad eam invitante, non est excommunicatis toleratis ulla prohibitio, ut patet ex num. 1869. ita Castropal. cit. n. 6. §. *Hæ rationes*, & Hurtad. apud Gibalin. p. 3. §. *tota itaque.*

Quæres 3. an, qui in excommunicatio- 1895
ne conficit Sacramentum matrimonii, possit licitè recipere benedictionem solennem in Ecclesia, licet prius non absolvatur? R. negativè. Est enim quædam communicatio spiritualis; excipe nisi alius sacerdos non excommunicatus eam offerat, ut in simili diximus supra, & ipse sit excommunicatus toleratus, aut compars non excommunicata petat.

Quæres 4. an qui in excommunicatio- 1896
ne illicitè recipit aliquod Sacramentum, incurrat aliquam pœnam Ecclesiasticam? R. quòd non, nisi Sacramentum ordinis. Ratio primæ partis est, quia nulla illi statuta est in jure: ratio secundæ partis, quia talis ex dicto *c. Cum illorum*, de sent. excom. suspenditur ab exercitio suscepti ordinis. Suarez, Coninch, Bonacina, Gaspar Hurtad. cum Castropalao n. 6. Loquitur autem illud capitulum, de excommunicato excommunicatione non minori, sed de tali absolutè, & simpliciter. Unde qui in minore excommunicatione reciperet Sacramentum ordinis, non incurreret illam pœnam; Sic Gibalin. disq. 7. q. 3. p. 4. n. 7.

§. 5.

De ministrantibus Sacramenta excommunicatis.

NOt. excommunicatis vitandis negan- 1897
da esse Sacramenta, quousque absolvantur à censura, vel rationabiliter absoluti præsumantur, *c. Cum desideres*, 15. h. t. de quo actum est supra; licitum tamen est cum iis agere, & loqui in iis, quæ ad

eorum

eorum salutem pertinent, *c. cum voluntate*, 54. h. t. ibi: cùm voluntate ac proposito, maleficia distinguantur; *excommunicationis sententiam non incurrit, qui excommunicato in his, quæ ad absolutionem, vel aliàs ad salutem animæ pertinent, in locutione participat, licet etiam alia verba incidenter (ut apud eum magis proficiat) interponat.* Qui verò tali sacramentum ministrat, *præter peccatum mortale* incurrit excommunicationem minorem latam in communicantes cum excommunicato vitando; & interdicitur ab ingressu Ecclesiæ, quousque de transgressione hujusmodi, ad arbitrium ejus, cujus sententiam contempsit, satisfecerit competenter, *c. Episcoporum*, de privileg. in 6. cujus hæc summa est: interdictus est ingressus Ecclesiæ *regularibus*, vel *sæcularibus* (quamvis *exemptis*) qui scienter celebrant, vel celebrari faciunt divina in civitatibus, vel locis interdictis: nisi secundùm permissionem juris, vel qui excommunicatos vel interdictos publicè ad divina officia, Sacramenta, vel sepulturam admittunt. Si verò is, cui scienter, & sponte ministrat, sit à Papa nominatim excommunicatus aut denuntiatus, Minister incurrit excommunicationem majorem reservatam Papæ, *c. Significavit*, 18. de sent. excom. ibi: Verùm, *Clericos, qui scienter & sponte participaverunt excommunicatis à nobis, & ipsos in officiis receperunt, eadem excommunicationis sententia cum ipsis non dubitamus involvi*: quos etiam pro beneficio absolutionis habendo ad nos volumus cum literarum tuarum insinuatione remitti.

1898 Denique, qui excommunicato vitando propter hæresim, vel ejus Fautoribus, Sacramentum ministrare auderet, privandus esset officio, nec restituendus absque dispensatione Papæ, *c. Excommunicamus*, 13. de hæreticis, §. *Credentes*, ibi: *Sanè Clerici non exhibeant ejusmodi pestilentibus Ecclesiastica Sacramenta.* Aliis verò excommunicatis toleratis non tenetur Minister negare Sacramenta ex vi censuræ (his enim in Sacris communicare licet) sed ex indebita eorum dispositione. Non sunt autem censendi indebitè accedere ex eo præcisè, quòd fuerint excommunicati, sed debet certò constare non esse absolutos, quod præsumere non debes; hæc Suarez, Vasq. Filliuc. Bonacin. cum, & apud Castropal. p. 7. n. 7. aliud esset, si tu illis offerres Sacramentum, tum licitè communicarent tecum, ex dictis aliàs; Excommunicato autem occulto publicè petenti Sacramenta, judicat Leander q. 21. non debere negari; cùm præceptum non infamandi prævaleat præcepto Ecclesiastico de non dandis Sacramentis excommunicatis.

Si quæras, an valeat Sacramentum receptum ab excommunicato? R. affirmativè, ita Castropal. cit. n. 1. & 2. Gibalin. cit. n. 1. Escobar Theol. moral. tr. 4. Exam. 2. c. 2. horum enim valor non pendet à voluntate Ecclesiæ, sed ab institutione Christi; ergo licet Minister illicitè ponat omnia essentialia alicujus Sacramenti, etiam contra prohibitionem Ecclesiæ, validè aget; & potest etiam invitâ Ecclesiâ, si demas Sacramentum pœnitentiæ, cujus valor pendet à jurisdictione Ministri per Ecclesiam auferibili, quæ etiam tempore excommunicationis vitando aufertur, *c. Ad probandam*, 24. de sent. & re judicat. ibi: Si pro eo, quòd unus ex delegatis Judicibus, qui eandem sententiam protulerunt, excommunicationis vinculo esset publicè innodatus, quando sententia lata fuit, sicut per Metropolitani literas prohibetur, aut ex alia justa causa eandem sententiam constiterit infirmandam: *ipsa cassata*, de ipsius electione Custodis iterum cognoscatis. *c. Romana*, 1. de offic. Vicar. in 6. ubi dicitur, quòd qui vices agunt Vicarii, vel Officialis excommunicati, eo excommunicato manente, propter hoc excommunicationis vinculo non adstringantur, *invalidè tamen agunt, quæ agunt dependenter a jurisdictione solum ab illo eodem recepta*; id, quod etiam colligitur ex *c. si celebret*, 10. de Cleric. excom. ministr.

Et quamvis aliqui velint, in citatis capitulis esse tantùm sermonem de jurisdictione externa; rectius tamen intelliguntur etiam de interna ex communi sensu Doctorum Navarr. Avil. Covar. Laym. Coninch. Bonacin. Suarez, quos citat & sequitur Castropalaus p. 8. n. 2. Gibalin. q. 2. Unde concedo, quòd excommunicatio major, saltem indirectè privet ipsâ etiam jurisdictione Ecclesiasticâ, seu pendente ab indulto Ecclesiæ, extra casus, in quibus diximus validum esse Sacramentum collectum ab excommunicato tum tolerato, tum vitando.

Hinc, si approbare aliquem pro audiendis confessionibus, vel alteri dare licentiam

centiam audiendi suorum confessiones, est actus jurisdictionis, ut affirmat Leander D. 6. q. 19. & alii, nec Episcopus, nec Prælatus excommunicatus hunc actum validè faciet; quod etiam verum est de tolerato, si agat ex se, & non requisitus à fidelibus, vel extra gravem necessitatem excusantem; quia per excommunicationem privatur jurisdictione omni, ex cit. *c. Ad probandam*, & reliquis. Et hoc extendit Leander q. 10. cum Navarro, Suarez, & aliis etiam ad jurisdictionem absolvendi à venialibus contra Vasquez ibid. docentem, quòd confessarius vitandus ad minus validè absolvat à venialibus.

1901 Quæres 1. an confessio mortalium facta excommunicato vitando à pœnitente invincibiliter ignorante sui confessarii excommunicationem, sit invalida, & iteranda? R. doceri à Leandro cit. q. 11. cum plurimis aliis, si fiat ex errore privato, esse; si ex errore communi, non esse invalidam; quòd in ejusmodi casu, propter periculum animarum Ecclesia, ubi adest talis error communis, suppleat jurisdictionem; seu, ut alii volunt, non subtrahat subjectionem Fidelium, quam fieri volunt ab Ecclesia per approbationem ad curam animarum. Cœterùm, si Minister Sacramenti sit excommunicatus toleratus, & pro illo requiratur à fidelibus, licitè, & validè confert quodlibet Sacramentum; pro hoc enim actu non est illi sublata jurisdictio in favorem fidelium: Secus, si directè uteretur tali casu in favorem suum, ut si sponte, nullo petente, se ingereret.

1902 Quæres 2. an excommunicatus, illicitè administrando Sacramenta, incurrat aliquam pœnam? R. quòd irregularitatem incurrat; excipe ministrum matrimonii. Omnis enim excommunicatus exercens illicitè *actum ordinis sacri*, fit irregularis; qui verò ab excommunicato vitando illicitè Sacramentum recipit, incurrit excommunicationem minorem (quia excommunicati vitandi Sacramenta illicitè ministrant) & incurrunt interdictum ab ingressu Ecclesiæ, ex *c. Episcoporum*, 8. de privil. in 6. Si verò recipientes sint excommunicati à Papa, conferens incurrit excommunicationem reservatam Papæ, *c. Significavit*, de sent. excom. de quo supra; 1897. ut tamen eum adire necesse sit, requiritur, ut sit Clericus, & hoc faciat scienter, & sponte.

§. 6.

An, & qualiter excommunicatus possit interesse divinis officiis?

REsp. cuilibet excommunicato excom- 1903
municatione majori ex vi censuræ simpliciter prohibitam esse omnem communicationem Ecclesiasticam in divinis cum aliis, ex *c. Nuper* 29. de sent. excom. *c. Responso* 43. eod. *c. Alma mater* 24. eod. in 6. ubi, dum quædam divina, tempore *interdicti*, permittuntur, *ne indevotio populi crescat, & Ecclesiis debita obsequia subtrahantur*, statim additur: *dum tamen excommunicati non fuerint.* Item *c. Sicut Apostoli*, cum tribus sequentibus, 11. q. 3. possunt tamen excommunicati Ecclesiam ingredi sine peccato, eo tempore, quo divina officia non celebrantur; hoc enim nullo jure est illis prohibitum, imò etiam, cùm eo tempore divina officia celebrantur, si non faciant animo orandi oratione communi, vel illis assistendi, sed ex alia causa, v. g. quia commodior est transitus &c. tunc enim in nullo quoad divina directè cum aliis communicant; imò licet, esto alii sint ibi privatim orantes, ibidem privatim orare; quia sic, si singuli privatim orent, non communicant in oratione.

Dubitatur tamen 1. an excommuni- 1904
catus divinis officiis, quæ in Ecclesia fiunt, cum aliis assistere possit? R. quòd non; sic enim cum illis in re sacra communicaret, contra n. 1860. est communis. Unde nec excommunicatus toleratus assistit licitè sacrificio missæ, *c. Illud*, de Cleric. excom. ministr. *c. ult.* de sent. excomm. in 6. excipe, nisi requisitus à fidelibus. Excommunicatus vitandus, culpabiliter assistens sacrificio, incurrit tantùm excommunicationem minorem; alia enim pœna in jure expressa non est, ut vult Castropalaus, sed probabilius est, quòd nec hanc incurrat; hic enim non communicaret cum alio excommunicato vitando; excipe, nisi esset Sacerdos sua authoritate coram se celebrari faciens 2. nisi monitus noluerit exire. Nam ob hanc contumaciam incurrit excommunicationem Papæ reservatam, *c. Eos*, de sent. excom. & Clement. 2. eod. tit. Si autem Sacerdos exemptus à potestate Episcopi, celebraret coram excommunicato vitando, præter peccatum mortale, & minorem excommunicationem, incur-

reret etiam interdictum ab ingressu Ecclesiæ, per cit. *c. Episcoporum*, de privil. in 6.

1905 Dubitatur 2. An si tempore sacrificii quidam excommunicatus vitandus eidem assistere vellet, teneantur alii assistentes eum monere, ut exeat; ac renuentem, si possunt, ejicere? R. quòd sic; & si non possent, missæ sacrificium (ut aliqui docent) consecratione nondum factâ, intermittendum esse; vel ut alii, si nondum inceptus est canon. Si verò inceptus est canon, vel peracta consecratio, teneri Sacerdotem factâ sumptione, reliquis omissis, in Sacristiam recedere, vel in alium idoneum locum, ibique, quod supereſt, absolvere, *c. Is, cui*, de sent. excom. & Clement. 2. eod. Assistentes verò, cùm ille recedere non vult, etiam pergente Sacerdote in Missa, relicto solo ministro, teneri abire, ne cum excommunicato in eadem oblatione communicent; Layman, Avila, Bonacina cum Castropalao p. 9. n. 5. quod tamen non requiritur, si tempore Sacrificii inferretur in templum cadaver excommunicati vitandi, Gibalin. q. 5 n. 8. §. *ut verò*. Cœterùm non videtur improbabile, quòd si fideles in priori casu præsentis excommunicati vitandi à Missa non recederent, plus, quàm culpam venialem non committant, sin per hoc ipsi non sint illi causa manendi; ita Henriq. Sayr. Filliuc. Bonacin. apud Castropal. n. 5. in fine.

1906 Dubitatur 3. An excommunicatus vitandus, ut satisfaciat præcepto Ecclesiæ de audiendo sacro diebus festis, teneatur procurare absolutionem à censura; negant Ugolinus, Sayrus, Coninch, Navar. Henriq. Avila, Suarez, Bonacina, Castropalaus, quia præceptum illud non ligat, nisi aliunde expeditos ad ejus impletionem: idem censet Gibalin. q. 5. de confessione propter Communionem Paschalem, contra Coninch, & alios, docentes oppositum. Cœterùm si in eadem Ecclesia essent plures Missæ, & unam audiret excommunicatus; alteram non excommunicatus, hic licitè pergeret; Leander D. 7. q. 41. sed in praxi quis sciet intentionem ejus? nisi forsan id prodat conversio corporis ad aliam aram.

1907 Dubitatur 4. An, & qualiter excommunicatio major privet recitatione horarum Canonicarum? R. si dicantur publicè, nomine Ecclesiæ, excommunicatum vitandum, nec posse simul cum eis dicere, nec assistere; sic enim communicaret cum illis in divinis, patet ex *c. Responso. c. Significavit*, *c.* Nuper, de sent. excom. toleratum solùm posse, cùm à fidelibus requiritur; aliter enim non est illi permissa communicatio. Hinc secus facientes, ambo, juxta complures, peccant mortaliter, quia violant in re gravi prohibitionem Ecclesiæ. Ex quo sequitur, quemlibet eorum esse deobligatum à recitatione publica Breviarii, si prius tenebatur; non tamen à privata, si aliàs adstrictus erat; ita Navar. Covar. Avila, Sayr. Bonacin. Suarez, Layman, quos citat, & sequitur Castropalaus p. 9. n. 7. Cuilibet enim privato permittitur hora privata, Gibalin. q. 5. n. 6. hinc patet ratio prioris, cur teneatur privatim, cùm enim possit præsente aliunde obligatione, tenetur; quod verum est, licet obligetur titulo beneficii, cujus fructibus privatur ratione censuræ. Nec enim decet, ut suâ culpâ deobligetur ab onere, quod exequi licitè potest; Gibal. cit. §. *Difficilius*; deberet tamen tunc omittere ly *Dominus vobiscum*; hoc enim est actus personæ publicæ. Avila tamen, & Hurtad. apud Castropalaum, censent, si diceret, non peccaturum etiam venialiter; potest enim censeri oratio privata; nam aliàs pluribus abstinere deberet in breviario.

Dubitatur 5. an peccet graviter, qui 1908
cum excommunicato vitando privatim orat horas Canonicas? Negativè respondet Castropalaus n. 9. imò si is, qui ad simul dicendum officium Canonicum invitatur ab excommunicato vitando, sit ejus famulus, vel Capellanus &c. idque faciat ob aliquam necessitatem, vel etiam corporalem utilitatem excommunicati, nec venialiter peccabit; ita Suarez, Bonacina, cum Castropalao cit. famulus enim non privatur communicatione sui Domini in iis, in quibus ei deservire tenebatur, *c. quoniam multos*, 11. q. 3. neque hoc auxilium numeratur inter ministeria Ecclesiastica, sed quasi corporalia.

Dubitatur 6. quid dicendum de ex- 1909
communicatis quoad conciones, lectiones, & processiones publicas? R. cùm omnis excommunicatus privatus sit actuali celebratione vel auditione divinorum officiorum, sequi, quòd nullus eorum, nec toleratus (nisi fidelium invitatu) vel ut Sacerdos in processione publica, vel lytaniis, vel ut aliorum socius in his comparere possit.

Idem

Idem est de solenni benedictione aquæ, candelarum & fructuum, vel epistolæ aut evangelii cantatione: vel aliâ quacunque solenni functione propria alicujus ordinis; Suarez D. 12. s. 2. & alii. V. *causam*, 11. q. 3. item *c. significavit*, de sent. excom. *c. Is cui*, eod. in 6. *c. Sacris*, de iis, quæ vi.

1910 Hoc tamen limitandum est, ut excommunicatus etiam vitandus licitè possit assistere concioni, per *c. Responso*, de sent. excom. non autem lectioni Theologiæ, vel juris Canonici; sic Castropalaus cit. n. 11. illud enim ordinatur proximè in bonum, & desistendum à contumacia, non illud. Verùm melius placet ratio ex clara definitione Pontificis in cit. *c. Responso*, ubi Ferrarienfi Episcopo rescribens sic loquitur: responso nostro postulas edoceri, cùm Ferrarienses cives excommunicationis, & interdicti sententiis sint ligati, *an liceat tibi viros, & mulieres simul in hebdomada, vel in mense apud aliquam Ecclesiam convocare, quibus prædices verbum DEI, & eosdem ad correctionem inducas.* Super quo f. t. respondemus, quòd *sine scrupulo conscientiæ hoc facere poteris*, cùm videris expedire, dummodo contra formam interdicti nullum eis divinum officium celebretur. Præterea quæsivisti, cùm Ferrarien. civitas interdicta sit, & excommunicationi supposita, & ideo sint ibidem præter baptisma parvulorum, & pœnitentiam morientium, universa Sacramenta Ecclesiastica interdicta, *an liceat tibi baptizatos pueros in frontibus consignare?* Super quo tibi taliter duximus respondendum, quòd *sicut baptizari pueri possunt, sic & baptizati ad confirmationem in frontibus à te possunt Sacro chrismate deliniri*; ex quo sequitur nomine *divinorum officiorum* non venire *concionem*. Concionari tamen non potest excommunicatus etiam toleratus, nisi requisitus à fidelibus; quia aliter non licet illis cum his communicare. Interesse autem lectioni juris Canonici non est prohibitum, quasi pertineret ad divina officia, sed ratione communicationis vetitæ, quæ in nullo excipitur, sicut interesse concioni.

1911 Dubitatur 7. an si excommunicatus suâ sponte, quasi ex officio prædicet, fiat irregularis? Ad hoc respondet Leander q. 21. negativè; quia prædicare, inquit, non est actus ordinis, sed tantùm jurisdictionis. Cœtera verò, quæ fiunt devotione privatâ, & more Laicorum, ut benedicere mensæ, signare se cruce, comitari Eucharistiam ad ægrum, docet Gibalinus q. 5. n. 12. ab eo licitè fieri.

Dubitatur 8. an Lector Theologiæ, vel 1912
juris Canonici, possit suis discipulis publicas lectiones prælegere, sin ipse sit excommunicatus vitandus? R. quòd non; hæc enim esset quædam cum illis communicatio in humanis. Si verò nec Lector, nec discipuli sint excommunicati, & tempore lectionis accedat alius excommunicatus vitandus, qui depelli non potest, videtur per se loquendo non teneri Lectorem desistere ob commune bonum, ne auditores suo consueto fructu destituantur; ita Suarez D. 12. s. 2. n. 3. Henriq. Filliuc. Coninch cùm Castropalao n. 12. contra Bonacin. & Avilam.

Dubitatur 9. quid dicendum de usu 1913
rerum sacrarum? ante respons. not. Sacramentalibus, ut aquæ benedictæ, granis, icunculis, & similibus, licet illis indulgentiæ annexæ sint, duplicem usum inesse; unum, ad consequendum fructum, qui provenit nomine Ecclesiæ; alterum, ex operatione privatæ intentionis, quam habet illis utens; his positis: R. quòd nullus excommunicatus possit illis uti ad lucrandam indulgentiam, vel deprecationem Ecclesiæ, sibi applicandam, ex communi principio dato n. 1704. quatenus tamen deserviunt ad usum privatæ intentionis, illa licitè usurpat; Suarez D. 12. de cens. S. 2. n. 8. Gibalin. n. 28. & alii; hinc isto secundo modo licitè utitur imaginibus, adorat Eucharistiam, &c.

Dubitatur 10. quid dicendum de ob- 1914
lationibus excommunicati? R. spontaneas oblationes sacras excommunicati vitandi, sive offerantur DEO immediatè, licet deinde cedant in usum Ministrorum Ecclesiæ; sive immediatè ipsis Ministris, ut pro ipso preces fundant, non esse recipiendas, doceri à Gibalino q. 5. n. 13. qui ait, hoc jam olim fuisse sancitum ab Apostolis; sed limitari, nisi fiant per modum eleemosynæ; tum enim recipi posse, concedit ibid. §. *an verò*. Si autem debitæ sint alio titulo (ut quia testamento relictæ, & excommunicatus tanquam hæres persolvere cogatur) Ecclesiam posse illas recipere, & ad persolvendas illum etiam censuris compellere, ibid. §. *ago etiam*.

Dubitatur 11. an excommunicatus 1915
possit sepeliri sepulturâ Ecclesiasticâ? De

excommunicato tolerato responsio est affirmativa: intellige, si non sit hæreticus, ac in hæresi notoriè mortuus. Et quamvis hæreticum, qui notoriè decedit in hæresi, esto non sit vitandus, licitè sepeliri in Ecclesia affirmet Henriquez l. 13. c. 11. n. 3. quia id prohibetur solùm, quatenus ei mortuo non licet communicare, cui non licebat vivo; meritò tamen negat Diana p. 9. tr. 8. resol. 1. quia esto verum sit, prohibitionem non esse vi excommunicationis, est tamen vi notoriæ hæresis, in qua decessit, c. *sicut*, de hæret. Sic Filliuc. tom. 1. tr. 22. c. 7. n. 229. Trullench. in decal. tr. 1. l. 1. c. 3. dub. 14. n. 1. de excommunicato autem vitando R. negativè; ratio primi est, quia prior, cùm ex consortio fidelium non sit ita exclusus, ut ipsi communicare non liceat, juxta Concilii Constantiensis extravagant. *Ad evitanda*, licitè potest honore funebri sepeliri; sic Escobar cit. tr. 4. exam. 2. c. 2. ratio secundi est ex c. *Sacris*, de sepulturis. Rationem dat Innocentius III. *ut, quibus non communicavimus vivis, non communicemus mortuis*; quo confirmari etiam potest pars prima; & ideo excommunicatus vitandus in hac censura mortuus, nec absolutus, non potest in loco sacro more Christianorum sepeliri, nisi prius absolvatur.

1916 Dubitatur 12. an sepelientes talem in loco sacro, graviter peccent? R. affirmativè cum communi; quia violant prohibitionem Ecclesiæ in re gravi. Olim, jure antiquo, incurrebant excommunicationem minorem, qui excommunicatum sive publicum, sive occultum in loco sacro sepeliebant: nunc verò jure novo in Clement. de Sepulturis, c. 1. ipso facto excommunicantur, qui excommunicatum vitandum, aut nominatim interdictum, vel usurarios manifestos, scienter sepelire præsumunt, sepulturâ scilicet sacrâ & ecclesiasticâ; hoc verum est, licet aliàs exempti sint. Hinc sin isti exempti nolint sepulti cadaver exhumare, id præstabit Episcopus non obstante illorum exemptione, ut dicitur loc. cit. cujus verba sunt: eos, qui propriæ temeritatis audacia defunctorum corpora, non sine contemptu clavium Ecclesiæ, in cœmiteriis interdicti tempore, in casibus non concessis à jure, vel excommunicatos publicè, aut nominatim interdictos, vel usurarios manifestos scienter sepelire præsumunt: *Decernimus ipso facto excommunicationis sententiæ subjacere: à qua nullatenus absolvantur, nisi prius ad arbitrium Diœcesani Episcopi eis, quibus per præmissa fuerit injuria irrogata, satisfactionem exhibuerint competentem: Nullo eis circa præmissa exemptionis, vel quovis alio privilegio sub quacunque forma verborum concesso aliqualiter suffragante.*

Si quæras 1. quid intelligatur per *sepulturam Ecclesiasticam*, quâ privantur excommunicati vitandi? R. hujus vocis acceptionem stare non tantùm pro inhumatione cadaveris in loco sacro, sed etiam pro illo actu, quo cadaver sepelitur more Christiano, adhibitis scilicet cæremoniis in Ecclesia consuetis, licet in loco profano; ita Gibalin. disquis. 7. q. 2. ex Glossa, §. *item quæritur*, 13. q. 2. & c. *quæsta*; ead. causa, & quæst. per *locum* autem *sacrum* intelligitur omnis ille locus, qui vel ad sacras functiones, vel ad fidelium sepulturas destinatus est; & quamvis in Clem. cit. de sepult. solùm in eos statuatur excommunicatio, qui excommunicatum vitandum *sepeliunt in Cæmiterio*, hoc tamen à fortiori intelligitur de templo, & ejus ambitu, & omni loco sacro; & patet ex aliis juribus, quæ clarè prohibent eum sepeliri *in loco sacro*, cujus nomine utique venit templum, &c.

Quid autem importet hic terminus *Ecclesiasticè sepelire?* 1917
planè diversæ sunt opiniones. Mihi videtur probabilior opinio Gibalini, qui cum Alterio, & Ugolino docet, supponere pro omnibus illis, qui non tantùm sepeliunt suis manibus, sed etiam mandant, vel proximè cooperantur ad talem sepulturam, quatenus sacra, & Christiana est, de cujus substantia, præter tumulationem, videtur locus sacer, recitatio psalmorum, & divini officii, aut saltem alterutrum ex his. Ne autem hæc Clementinæ consuetudo inutilis reddatur, videntur etiam comprehendi mandantes, & Prælati Ecclesiæ, vel etiam Laici (sed solùm accessoriè) qui cùm impedire possint, tamen permittunt. Aliàs enim sæpè fieret, ut vitandus Ecclesiasticâ sepulturâ condatur, quin ullus hanc Clementinæ censuram incurreret, nisi fortè vespillo rudis, qui tamen etiam ob ignorantiam excusari posset, his positis:

Inferes 1. excommunicatum vitandum 1918
in nullo loco sacro sepeliri posse; consequenter nec in templo, nec in cæmiterio, nec in ambitu templi &c. nec etiam in loco profa-

profano, sed consuetis Ecclesiæ cæremoniis adhibitis; hæc enim etiam est sepultura Ecclesiastica; ita Gibalin. disquis. 7. q. 2. n. 31. contra Bonacin. D. 2. q. 2. de cens. in partic. p. 30. & Suarez D. 13. s. 4. n. 13. sepulturam in loco profano factam cum consuetis Ecclesiæ Cæremoniis, negantes esse Ecclesiasticam, prout prohibetur *c. quicunque*, de hæreticis in 6. quod verum est, loquendo de actu Ecclesiasticè sepeliendi, secundum omnia inclusa in illo; non autem secundùm aliqua. Cæterùm sepeliri possunt in loco non sacro, sine consuetis cæremoniis, licet propinquus, aut contiguus sit Ecclesiæ, vel cœmiterio; quia sic nihil fit contra prohibitionem Ecclesiæ.

1920 Inferes 2. cum eo, qui mortuus est in excommunicatione majori, ob quam erat vitandus, nec absolutus, etiam post mortem à fidelibus communicationem directam haberi non posse; ita Gibalin. cit. n. 32. & *c. Sacris*, de sepulturis, ubi Innocentius III. hoc expressè definit; ex quo sequitur, eos, qui *remotè*, non *proximè*, ad talis excommunicati sepulturam Ecclesiasticam concurrunt, incurrere excommunicationem minorem, propter communicationem cum excommunicato vitando; Gibal. cit. §. *qui tamen*.

1921 Inferes 3. pœnam Clementinæ, de qua n. 1916. in omnes illos statui, qui proximè concurrunt ad excommunicati vitandi sepulturam sacram, & Ecclesiasticam, quà talem. Tales autem sunt, qui cadaver suis manibus tumulant, locum sacrum concedunt; vel, cùm possunt impedire, non impediunt, qui hoc fieri mandant, qui psalmos, & divina officia peragunt. Hi enim omnes cooperantur proximè ad sepulturam Ecclesiasticam, quà talem. Qui verò corpus defuncti lavant, induunt, comitantur, pulsant, crucem, & funeralia deferunt, tantùm remotè concurrunt, ut dictum est; ac proinde sunt immunes hujus censuræ: non tamen illius, de qua diximus n. præced.

1922 Inferes 4. quod hi, qui proximè concurrunt ad sepulturam Ecclesiasticam excommunicati vitandi, quà talem, non incurrant excommunicationem minorem, sicut illi, qui remotè, de quibus ante. Nam excommunicatio minor statuta in scienter communicantes cum excommunicato vitando in hoc casu, & quoad istos, per dictam Clementinam commutata est in excommunicationem majorem; ita Suarez D. 12. s. 2. n. 13. Castropal. D. 2. p. 6. n. 16. Gibalin. cit. n. 33. de pœnis sepelientium, §. *Secundò*, apud Leandrum, D. 8. q. 11.

Inferes 5. quòd, quamvis graviter 1923
peccent, qui excommunicatum vitandum sepeliunt in loco etiam profano cum pompa funebri in Ecclesia solitâ (cùm expressè prohibitum sit, tales afficere *Ecclesiasticâ* sepulturâ) posse tamen excusari à censura Clementinæ, juxta probabilem sententiam Leandri q. 12. docentis, quòd, qui vitandum cum solemni pompa sepeliunt in loco planè profano, non violent hanc constitutionem; quia Clementina, quæ imponit hanc pœnam, loquitur solùm de sepelientibus *in cæmiterio*, hoc est, *in loco sacro*; ita ille.

Inferes 6. ut quis incurrat censuram 1924
Clementinæ, requiri in delinquente *scientiam*, id, quod etiam requiritur ad contrahendam excommunicationem minorem, propter communicationem cum excommunicato vitando, ex *c. significavit*, *c. cùm desideres*, de sent. excom. Item ad priorem pœnam requiri, *audaciam*, *temeritatem*, *præsumptionem*, & *contemptum*; ut colligitur ex Clementina cit. in n. 1916.

Inferes 7. excommunicationem con- 1925
tra sepelientes excommunicatum, non esse reservatam juxta Gibalinum cit. §. *absolutio*, non posse tamen validè dari, donec qui illam contraxit, satisfecerit illis, quibus injuria fuit irrogata. Dicitur enim in Clementina *nullatenus absolvatur*, quæ particula æquivalet legi, vel decreto irritanti, ut docet Sanchez l. 1. de matr. D. 32. n. 6. & l. 6. D. 32. n. 7. apud Portel. p. 1. casuum, casu. 12. n. 2. iis autem est danda satisfactio, vel in quorum favorem lata est censura; vel quibus tali casu aliquid perit, aut damnum, vel injuria, ex ea tumulatione contingit, quod ex novis circumstantiis colligere incumbit Episcopo, ad cujus arbitrium exhiberi satisfactionem statuit Pontifex.

Inferes 8. si per violentiam illatam 1926
Parocho, aut metum propinquorum excommunicatus vitandus in loco sacro sepeliretur, & ossa illius discerni possent ab ossibus fidelium ibidem sepultorum, cadaver illius exhumandum esse, & procul à loco sacro projiciendum; si verò non possent discerni, non debere ossa fidelium si-

mul exhumari, sed permitti posse omnia simul, ut dicitur *c. Sacris*, de sepulturis, & c. *ad hæc*, de privileg. Locus autem ille, in quo reliquorum ossa permixta cum ossibus fidelium, debebit reconciliari, ut sit habilis ad divina officia; non enim impedit reconciliationem, cùm in his circumstantiis ille locus sit quodammodo occultus; nec illius violatio, quæ in illatione, vel sepultura talis cadaveris commissa est, perpetuò iteretur, ut fit in alio casu; ita Suarez l. 4. D. 10. c. 6. cum Gibalino disq. 7. q. 2. n. 32. Quod autem locus sacer ejusmodi cadaveris tumulatione impietur, & reconciliari debeat, patet ex c. *consuluisti*, de consecr. altar. & Ecclesiar. Si tamen res occulta sit, non peccant, qui in eo loco divina peragunt. Cœterùm quando incurritur excommunicatio propter hæreticum denuntiatum sepulturæ traditum, requiritur etiam ante absolutionem, præter satisfactionem, ut, qui publicè illum sepelivit, illum propriis manibus extumulet; & deinde locus, in quo talis hæreticus tumulatus fuit, perpetuò careat sepulturâ, ex c. *quicunque*, de hæreticis, in 6. quod intellige *de loco adæquato cadaveri*. Nam reliqua Ecclesia potest expiari; ac in eâ deinde condere licebit fideles; ita Bonacina, & Alterius apud Josephum Gibalinum de sacra jurisdictione, disq. 7. q. 2. in fine.

ARTICULUS V.

An, & qualiter excommunicati sint inhabiles ad beneficia Ecclesiastica?

1927 QUæstio est, an excommunicatio major privet hominem ipso facto beneficiis ante ipsam obtentis? R. quòd non, ita Suarez D. 13. S. 1. n. 1. in c. *pastoralis*. 13. §. *verum*, de appellat. ibi: & *illi proventus Ecclesiastici meritò subtrahuntur, cui Ecclesiæ communio denegatur*; ergo supponit Pontifex non amitti beneficium durante excommunicatione. Et licet *diu perseveraret* in excommunicatione (hoc enim est *in ea insordescere*) quæ lata est ob contumaciam in causa civili, non debet privari per Judicem (hoc enim in nullo jure expressum esse, docet Leander q. 2.) secùs, si esset excommunicatus pro crimine hæresis, vel alio, ipso jure privante Reum beneficio, & per annum integrum in ea excommunicatione insordescat; tum enim ipso jure est privatus beneficio. Si verò excommunicatus per annum perseverat in excommunicatione, lata ob contumaciam super crimine, quod dignum est privatione beneficii per sententiam, non autem habet annexam ipso jure; tunc non est privatus post annum, sed per sententiam privandus; eò quòd tunc habeatur pro convicto vel confesso; ita Leander cit. cum aliis, Gibalin. disq. 7. q. 7. n. 44.

Ex hoc nota, quòd in multis textibus, 19
quibus nonnulli probant per insordescentiam privari fideles beneficiis prius legitimè obtentis, ejusmodi insordescentibus negetur tantùm audientia. Deinde, quando in c. *cùm bonæ*, de ætate & qualitate, ordinandi suspensi per triennium privantur beneficiis, sermo est primò de acquisitis tempore suspensionis. 2. De privatione non propter insordescentiam in censura, sed ob contemptum Sedis Apostolicæ, de quo ibidem loquitur Cœlestinus III. Unde quando Clerici quandoque jubentur privari suis beneficiis, id non est ex mora, quam habent in excommunicatione; sed vel ex causa, ob quam censura lata est; vel ex natura ipsius excommunicationis, quam non immutat major, vel minor mora in illa; similiter, antiqua jura nihil omnino habent de Clerico deponendo propter insordescentiam in excommunicatione; semper enim est ex alio capite. Vide Gibalinum cit. D. 7. q. 7. n. 44.

Not. 2. ex Joanne Streinio in prole- 1928
gom. juris Can. §. 8. de leg. pœn. quando legi pœnali, ipso facto privanti omni titulo, dominio officii, vel beneficii, additur hæc clausula: *absque alia declaratione*, eam intelligendam, de declaratione, quâ declaretur *pœnam incursam esse*; non autem, quâ declaretur, *crimen esse commissum*; hinc dicit, Reum quidem ex vi talis legis, amittere titulum, & dominium beneficii; retinere tamen possessionem, quâ privari nequeat ante sententiam declaratoriam criminis. Sic enim receptas esse ejusmodi leges, & habere usum; ita ille ex Lessio & Barbosa ibid. n. 5. & seq.

Not. 3. qui elapso anno excommuni- 1929
cationis, quam per id tempus solvi non procuravit, adhuc in ea manet, sive lata sit ob causam criminalem, sive civilem haberi suspectum de hæresi, ex Trid. Sess. 25. c. 5. & quamvis nondum ut hæreticus damnari possit; citari tamen posse, ut respondeat de fide; si noluerit, damnandum esse

esse ut hæreticum per *c. excommunicamus*, §. *qui autem*, de hæreticis, & *c. Cùm contumacia* eod. in 6. ad annuam autem insordescentiam requiritur 1. tempus completum, 2. continuum, non interruptum 3. pervicacia, & contemptus clavium, 4. sententia saltem declaratoria hujus criminis, seu insordescentiæ.

§. 1.

An collatio beneficii facta excommunicato vitando sit ipso jure nulla?

1931 Resp. affirmativè, si collatio facta sit eo tempore, quo erat in statu dictæ excommunicationis. Ex quo sequitur talem collationem non tantùm esse illicitam, sed etiam irritam, nisi accesserit dispensatio tacita; vel expressa. Ratio est ex *c. Pastoralis*, de Cleric. excom. ministr. Ubi Innocentius III. dicit, quòd *Clericis excommunicationis vinculo innodatis Ecclesiastica beneficia conferri non possint; nec illi valeant retinere licitè*, nisi fortè fuerint misericorditer dispensati; *Cùm ea non fuerint Canonicè consecuti.* Et ratio est, quia cui primo, & per se prohibetur actus, illi etiam submovetur principium talis actus: sed Clerico tali primò & per se prohibetur actus, cujus principium proximum est novum jus, quod acquiritur collatione beneficii; ergo ei etiam submoveretur hoc principium. Ma. est ex solenni regula; quam tradit Panormitanus apud Gibalinum Disq. 7. q. 7. n. 3. Min. etiam patet, quia novum jus ad beneficium est propter officium illi annexum, quod consistit in communione sacra cum fidelibus, quæ primò, & per se tali excommunicato prohibetur ex dictis; ergo reverà, sicut est inhabilis ad actum, sic erit inhabilis ad recipiendum novum principium talis actus.

1932 Quæres, an omnis excommunicatio major inducat inhabilitatem acquirendi beneficium? R. affirmari à Leandro D. 9. q. 4. & communi cum illo; negari tamen ab Hurtado, Navarro, Lessio, & probabiliter etiam à Suarez, & Felino apud Gibalinum cit. §. *Verum*, qui censet, collationem beneficii factam excommunicato tolerato, validam quidem esse, elidi tamen posse, & irritari exceptione excommunicationis contractæ à collatario. Mihi negativa videtur probabilior, quæ scilicet negat de omni, & concedit solùm de excommunicatione denuntiata, vel quam incurrit notorius Clerici percussor; quia excommunicatio major inducit hanc inhabilitatem solùm, in quantum non licet ei uti communicatione cum fidelibus, quam tamen requirit beneficio annexum officium; sed hæc communicatio licet excommunicatis toleratis, saltem ad instantiam fidelium; ergo.

Not. autem, duplex esse jus ad officium, 1933
& beneficium; jus in re, quod est jus plenum, & completum nullo alio indigens, quo compleatur; & jus ad rem, quod est jus solùm inchoatum, & ulterius perfici debet, completurque per confirmationem, vel institutionem; tale jus dant electio, vel præsentatio; & qui habet solum jus ad rem, seu beneficium, non ita illud obtinet, ut ejus morte dicatur beneficium vacare. Jus porrò, quod aliquâ exceptione elidi potest, dicitur debile, & infirmum; ejusque collatio irrita, & nulla; quia, cùm jus, quod facilè eliditur, perinde sit, ac nullum, sic se habet jus debile, ejusque collatio, acsi nihil conferret; Sic Gibalinus cit. Disq. 7. q. 7. n. 2. quo posito: deducitur 1. omnem excommunicatum vitandum esse incapacem, & inhabilem ad acquirendum jus novi beneficii, collationemque proinde nullam esse, quæ fit eo tempore, quo excommunicatus vitandus est: excommunicatum verò toleratum non esse incapacem ad ejusmodi nova beneficia validè recipienda, saltem cùm requiritur ad hoc à fidelibus.

Deducitur 2. collationem beneficii 1934
factam excommunicato vitando, etiam invincibiliter ignoranti se talem esse, adhuc invalidam esse, quia talis revera inhabilis est, sicut revera est excommunicatus vitandus; & ignorantia inhabilitatem non aufert; Secus est, si quis tempore collationis credebatur excommunicatus, sed falsò. Talis enim reverà inhabilis non est; vel si fuit excommunicatus per sententiam, sed nulliter; secus, si tantùm injustè, sed validè; manet tamen inhabilis, licet errore communi, sed falso, habetur pro absoluto à censura; sic Gibalinus Disq. 7. q. 7. n. 7. & cum illo Suarez, Coninch, Layman. &c.

Sed quid si eligeris ad beneficium tem- 1935
pore, quo habilis es, sed acceptes, dum es excommunicatus vitandus, eritne acceptatio valida? affirmat Leander q. 9. contra Suarez, Vasquez, Coninch, Hurtadum, & Layman, qui negant. Gibalinus autem

autem censet q. 7. n. 31. esse validam, & efficacem, *quoad declarationem consensûs, & voluntatis*; non tamen *quoad jus novum acquirendum, vel prius collatione acquisitum, complendum*; quia quàm diu quis est vitandus, est inhabilis novi juris acquirendi per ordinem ad actum primò & per se vetitum à censura, ex n. 1931. Hæc sententia conciliat sententias dissidentes, & præ reliquis placet. Excommunicatio enim non tollit, quô quis voluntatem suam ritè declaret. *c. pro illorum*, de præbendis, *c. Si verò*, de sent. excom. *c. decernimus*, eod. in 6. & *c. Significasti*, de eo, qui duxit &c. affirmat etiam Escobar Theol. mor. c. 4. Exam. 2. n. 3.

1936 Ex hoc fit, quòd, cùm quis in statu excommunicationis acceptat beneficium, collatum in statu, quo aptus erat eligi, nihil quidem desit ad plenum jus beneficii, cùm adsit collatio & acceptatio; jus tamen in actu secundo non acquiratur plenè ante absolutionem à censura; hæc enim ponit obicem formæ quoad effectum formalem subjecto tribuendum. Unde hoc ablato non est opus ullâ novâ collatione vel acceptatione; ita Gibalinus cit. Licet ante absolutionem à collatore possit irritari collatio; quia quàm diu adest obex, non habet jus plenum, sed tantùm inchoatum, quod exceptione excommunicationis irritari potest ex dictis. Si verò ejusmodi collatarius ante obtentam absolutionem moriatur, beneficium ejus morte non vacat; quia non habebat jus plenum in re, quoad actum secundum. Nam ad hunc acceptatio fuit inutilis, propter obicem, ita Covar. & alii, quos citat, & sequitur Gibalin. q. 7. n. 31. sub finem.

1937 Dices 1. consensus matrimonii durante impedimento dirimente expressus est irritus; ergo etiam consensus, seu acceptatio expressa durante excommunicatione. Secundo Episcopus electus & confirmatus incidens in excommunicationem, repellendus est à consecratione; ergo similiter ab acceptatione, qui factus est inhabilis ad acceptandum. Confirmatur: excommunicatio reddit excommunicatum inhabilem ad beneficium; ergo etiam ad acceptandum, ne acceptet personam indignam. R. ad 1. N. conseq. quia consensus in matrimonium non est pura conditio ad jus in corpus alterius: acceptatio verò est pura conditio ad jus in beneficium, consensus enim tribuit jus, non acceptatio. R. ad 2. antecedens concedi à Castropalao D. 1. p. 10. n. 18. N. conseq. quia per consecrationem confertur jus, non per acceptationem. Ad conseq. R. dist. reddit illum inhabilem ad acceptandum beneficium collatum tempore excommunicationis C. collatum extra excommunicationem, N. ant. ad probat. similiter R. esse personam indignam beneficio collato *in*, non *extra* excommunicationem.

§. 2.

An, qui post absolutionem ab excommunicatione acceptat beneficium, sibi collatum, dum erat vitandus, indigeat nova collatione, ut valeat acceptatio?

RESP. negari à Navarro, & Henriquez 1938 & probabile censeri à Layman, ac Lessio apud Castropalaum n. 19. Sed rectius affirmari ab isto p. 10. n. 20. Gibalino cit. n. 32. Leandro q. 11. & apud hos Bonacina, Hurtad. Coninch, & aliis, quia acceptatio valida supponit collationem validam, sed illa collatio non fuit valida ex dictis; ergo nec acceptatio, ergo requirit novam collationem, unde nec collatio beneficii non vacantis revalidatur per subsequentem vacationem, quod enim prius nullum fuit, non potest revalidari per subsequens; sed debet validum fieri per aliquod potens conferre valorem.

Dices: Collatio prius facta perseverat 1939 virtualiter; ergo cùm accesserit acceptatio legitima, effectuum suum sortietur. R. Illam quidem, si voluntas collatoris interim rescissa non est, perseverare; sed tamen per acceptationem non revalidari, cùm prius defectu illius non fuerit invalida, sed defectu alterius. Excommunicatio enim major collationem beneficii adeo facit nullam, ut non convalescat post absolutionem, nisi revocetur, c. *Cùm bona*, 8. de ætat. & qualit. ubi dicitur, quòd qui stetit per annum in suspensione, privetur beneficio, quod prius habebat; & *quæ postmodum sunt adepti, aliquatenus retinere, c. postulastis*, 7. cum Glossa, & ei annot. de Cleric. excom. ministr. quod videtur ex eo deduci, quia voluntas collatoris tempore excommunicationis fuit nulla, hoc est, perinde se habuit, acsi canonica collatio facta non esset; ergo dici non potest perseverare usque post absolutionem; quod enim non fuit, non dicitur perseverare.

Sed,

1940 Sed, quæres, an saltem possit Papa, vel Episcopus absque nova collatione, vel expeditione literarum dispensare, ut quis post absolutionem ab excommunicatione, licitè retineat beneficium, quod ei tempore excommunicationis collatum fuit? Sanchez negat; alii verò, ut Navarrus, & Felinus affirmant apud Leandrum cit. q. 12. quia dispensatio æquivalet novæ collationi; quod probabiliter dicitur, si dispenset in radice nullitatis; qualiter quandoque dispensatur in radice matrimonii cum natis illegitimè; modò dispensatio fiat ab iis, qui beneficium conferre possunt; ita Gibalinus cit. n. 13. Pro cujus ulteriori resolutione:

1941 Nota, duplicem esse dispensationem, tacitam, & expressam. Tunc autem est tacita, quando Pontifex sciens aliquem in censura, nihilominus confert beneficium. Sic enim censetur illum solvere quoad illum effectum, atque adeo beneficii obtinendi capacem reddere. Dispensatio autem expressa datur in rescriptis Pontificiis, aut etiam à Legatis à latere, cùm ponitur clausula *teque absolventes ad effectum gratiæ* duntaxat impetrandum; quo posito: aliqui docent, Papam etiam tacitè posse dispensare in dato casu; non autem Episcopum, aut Prælatum inferiorem; ita Panormit. Felin. Sayrus, & alii apud Gibalinum cit. q. 7. n. 13. Sed is contrarium tenet, & melius, si excommunicatio tolli possit per Episcopum, ut si reservata non sit.

1942 Si autem sit expressa, pariter affirmandum est. Nam ea clausula reddit omnia rescripta, & gratias efficaces, ac validas non obstante excommunicatione; Sic Navarrus, Gutrierez, Henriquez, Ugolinus, Sayrus, Avila, Bonacina, quos citat, & sequitur Gibal. n. 16. excipe, si non sint tales censuræ, quæ hac generali clausula non tolluntur. Talis est excommunicatio facta ob hæresim, ut cum communi docent Navarr. Ugolinus, & alii, quos citat, & sequitur Castropalaus D. 2. p. 10. n. 27. Eadem clausula non prodest insordescentibus per annum in excommunicatione, ex stylo curiæ Romanæ, juxta regulam *de insordescentibus*, teste Navar. Henriq. Avila; neque insordescentibus per quatuor menses in excommunicatione ob crimina bullæ cœnæ, vel similia; ita Castropalaus cit. ex cad. regul.

1943 Ex hoc inferes 1. si collatio, vel electio beneficii tempore excommunicationis facta pertineat ad Ordinarium Collatarii, Collatarium licitè retinere beneficium ex dispensatione Ordinarii valentis dispensare in illa inhabilitate; Sic Castropalaus cit. p. 10. n. 22. Talis enim dispensatio æquivalet novæ collationi, ex dicto *c. postulastis*, ubi dicitur, quòd, *ut clerici beneficium, in excommunicatione collatum, licitè retinere valeant, nihil requiratur, nisi ut cum illis fuerit misericorditer dispensatum.* Si verò collatio beneficii, pertinens ad Ordinarium, prærequirat præsentationem Patroni Laici, vel Ecclesiastici, quæri potest, an tunc sufficiat dispensatio Ordinarii, ut quis beneficium in excommunicatione acceptum licitè retineat? Communis negat apud Castropalaum n. 23. quia hæc dispensatio æquivalet novæ collationi, quæ non est penes Ordinarium. Alii tamen probabiliter dicunt, sufficere, si dispensatio non sit reservata, collationis nullitas sit occulta, dispensatio non cedat in præjudicium tertii, & collatarius non accepit beneficium, sciens se inhabilem; Sic Castropalaus n. 24. Abbas, Glossa, & Layman ibid.

1944 Inferes 2. quòd hæc omnia, quæ diximus de inhabilitate ad beneficium, locum non habeant in provisionibus Apostolicis, cùm datur rescriptum à Papa, vel ejus Legato, in quo habetur clausula absolutionis ad effectum gratiæ; sic Castropal. D. 2. p. 10. n. 26. excipe, ut monui n. 1942. nisi censura sit una ex iis, quibus non prodest hæc clausula. Nam talis provisio fit à potente per provisionem tollere obicem ex censura in subjecto existentem. Cœterùm per excommunicationem supervenientem validæ collationi beneficii, non impeditur ejus executio. Excommunicatio enim solùm impedit novi juris acquisitionem; non autem privat jam obtento virtualiter; sic Gibalin. disq. 7. q. 7. n. 27.

1945 Inferes 3. quòd, qui nec dispensatus, nec absolutus obtinuit beneficium, majori excommunicatione ligatus, teneatur primò absolutionem petere, & deinde resignare beneficium in manibus illius, ad quem pro tunc spectat, illud conferre; & tandem si tale beneficium retinere vult, petere dispensationem, seu, quod idem est, novam collationem ab eo, ad quem pro tunc spectat conferre: prior enim collatio

fuit invalida, ac proinde talis est, quasi facta non esset, & caret vi canonicæ provisionis; ergo non habet illius jus, ergo retinere non potest; ita Leander q. 13. debet autem resignatio simpliciter fieri, ideoque non sufficit causâ permutationis, aut absolutè in favorem tertii resignare, minus autem ei licet alteri conferre, aut cum altero permutare.

§. 3.

An non solum collatio beneficii, sed etiam electio, postulatio, præsentatio, aut alia quæcunque provisio, facta excommunicato vitando, sit nulla, & irrita?

1946 Resp. affirmari probabilius à Navarro, Coninch, Layman, Vasquez, & aliis, quos citat, & sequitur Castropalaus D. 2. p. 10. n. 1. Gibalin. disq. 7. q. 7. n. 16. quia per hæc omnia venitur ad acquisitionem novi juris pro beneficio; cujus talis capax tunc non est, ut in præcedentibus probatum est, id, quod confirmari potest ex *c. Cùm dilectus*, 8. de consuetud. ibi: *quia nobis constitit, electionem ipsam à suspensis, & de suspenso etiam celebratam esse, eam justitiâ cassavimus exigente*; item *c. si celebret*, 10. de Cleric. excom. ministr. ubi dicitur, quòdsi excommunicatus etiam minori excommunicatione scienter electus fuerit, ejus electio sit *irritanda*, pro eo, quod ad susceptionem eorum eligitur, à quorum perceptione à Sanctis Patribus est privatus. Similiter impostulabilis dicitur, qui violat interdictum c. 1. de Postulat. Prælat. De aliis autem idem est ex universali ratione in præcedentibus tradita.

1947 Idem in hac materia dicendum est de qualibet alia beneficii acquisitione, tametsi ex causa permutationis, vel resignationis fiat; quia tali casu acquisitio beneficii canonica non est; Ita Suarez, Azor & alii cum Castropalao cit. n. 2. quod intellige, si tempore, quo beneficium acquiritur, in hoc subjecto sit excommunicatio; nam si eo tempore, quo acquirit, ab excommunicatione solutus esset; licet tempore, quo facta est resignatio, vel permutatio, excommunicatus fuisset, beneficii acquisitio valida esset; Sic Garcia cum Castropalao cit. juxta superius dicta. Et ideo etiam promissio beneficii facta in gratiam excommunicati vitandi, nulla est, si quod jus tribuat promissario, quod extendit Castropalaus cit. n. 3. etiam ad excommunicatum toleratum; quamvis contrarium probabiliter teneri possit cum Gibalino q. 7. n. 21. si hic se non ingerat, sed à collatore legitimè requisitus acquirat.

Quæres an inhabilitas excommunicati, 1948
ad beneficia Ecclesiastica, extendat se etiam ad dignitates Ecclesiasticas? R. quòd sic, quia beneficium Ecclesiasticum in dicta prohibitione Innocentii III. supponit universaliter, cùm ibi sumatur indefinitè; qui modus, præsertim in propositione negativa, æquipollet termino affecto signo universali, vel æquipollenti. Hinc Glossa in c. *penult.* de verb. signific. V. *beneficiorum*, ait hanc vocem *beneficium* indefinitè positam, *de omnibus beneficiis* capiendam esse; ita etiam Suarez D. 13. S. 1. n. 4. Lessius l. 2. c. 34. d. 22. n. 116. ubi excipit solam Sedem Romanam, ad quam excommunicatum, aliâve censurâ innodatum, evehi posse, colligitur ex c. *Licet*, de elect. & Clem. *Romani*, §. *Cæterùm*, eodem; ita Gibalinus n. 4. Castropalaus D. 2. p. 10. n. 1. cum aliis.

Nec juvat dicere, quòd in odiosis voces 1949
strictius accipiendæ sint. 1. quia sic etiam in c. *dilectus*, de concess. præbend. negat Innocentius III. constitutionem in Concilio Lateranensi ab Alexandro III. editam, contra eos, qui ultra 6. menses differrent conferre beneficia vacantia, extendi ad Archi-Episcopatus & Episcopatus; sed tantùm ad beneficia minora. Similiter in c. *Felicis*, de pœnis in 6. advertit Glossa, nomen *beneficii* in odiosis non comprehendere Episcopatum, nisi exprimatur: respondetur enim 1. transeat, quando non ponitur cum suppositione universali, vel formaliter, vel æquivalenter, non autem secus. Tunc ergò strictè accipi debet in odiosis, quando non ponitur cum signo laxante. Cæterùm patet ejusmodi terminum, indefinitè positum, semper æquipollere universali, nisi restringatur vel per ipsam materiam, vel exceptionem expressam, aut generalem, etiam tunc valentem, ut fit in allatis in contrarium textibus; imò ea ipsa exceptio Innocentii probat, aliàs illam vocem indefinitè prolatam æquipollere universali; aliàs enim exceptio esset de re non contenta. Denique Capitulum *cùm bonæ*, de ætat. & qualit. ubi dicitur, suspensum non posse retinere beneficia, tempore suspensionis acquisita, ex communi Doctorum intelligitur de quolibet beneficio.

Et ex hoc ipso sumitur ulterior respon- 1950
sio.

sio. Nam ubi ratio, quæ reddit inhabilem etiam ex dispositione juris positivi, secundùm quod influit in dispositionem, reperitur in quolibet significato termini, super quo ex ea disponitur, præsumitur disponens velle sub ea dispositione comprehensum quolibet eorum; sed ratio secundùm quod influit in dispositionem, quæ excommunicatum reddit inhabilem ad recipiendum beneficium, reperitur in quolibet significato vocis *beneficium*, super qua ex illo disponitur; nam ratio, propter quam ex dispositione juris positivi excommunicatus inhabilitatur ad *beneficium*, est, ne detur illud, qui de jure non potest præstare officium, cujus causâ datur beneficium; hæc enim ratio reperitur in quolibet habente beneficium, sive simplex, sive qualificatum, quando habens est excommunicatus; ergo. Ma. videtur ex eo vera, quòd aliàs commune pronuntiatum juris: *ubi est eadem ratio, est eadem juris dispositio*, in nullo casu circa non expressum posset verificari, si intelligatur pro casu, quo non limitatur à disponente, & materia, de qua loquitur, capax sit, effectûs, quem ea inducit. Et ideo ea inhabilitas extenditur etiam ad reliqua munera, & dignitates Ecclesiasticas acquirendas, quales sunt, Vicarii, Rectoris, Delegati, Guardiani, Gubernatoris, Commendatoris, & similes, sive ad tempus, sive in perpetuum donentur.

ARTICULUS VI.

An excommunicatus sit capax pensionum?

1951 ANte resolut. supponendum, *pensionem* aliam esse merè laicam, & temporalem. *Merè laica* est stipendium, nihil habens commune cum beneficio, datum laico propter causam merè temporalem, v. g. propter obsequium, quod vel ipse, vel majores ejus Ecclesiæ præstiterunt; & talis pensio validè confertur excommunicato. Sic Gibalin. q. 7. n. 34. Castropalaus p. 8. n. 6. *Spiritualis* autem *pensio* triplex est 1. vocatur *præstimonium*, estque stipendium, quod ex beneficii alicujus fructibus extrahitur in perpetuum ad munus aliquod spirituale, & sic est verum, & propriè dictum beneficium, 2. est stipendium, quod alicui datur propter munus, seu titulum spiritualem; sed non in perpetuum, ob quod recedit à ratione beneficii strictè accepti. Talis pensio est Vicariatus temporaneus, 3. est stipendium mixtum partim ex causâ spirituali, partim temporali, cùm scilicet assignatur Clerico beneficium resignanti, permutanti, juri cedenti, vel sustentationem non habenti. Dicitur *temporalis*; quia in pensionario nullum munus ordini annexum exigit, quod à Laico præstari non possit: dicitur *spiritualis*, quia in pensionario supponit statum clericalem; & ideo etiam à nonnullis dicitur *pensio Clericalis?* his positis.

℟. Collationem præstimonii, factam 1952
excommunicato vitando, irritam esse, ut docet Castropalaus n. 6. Gibalin. n. 34. idque ex n. 1932. præstimonium enim est verè beneficium; hoc extendit Castropalaus etiam ad excommunicatum toleratum, sed contrarium probabiliter dicitur ex n. 1869. sed nec pensio spiritualis, licet non perpetua, excommunicato vitando licitè dari, aut accipi ab eo potest, quia nequit licitè exercere actus illos spirituales, quorum intuitu datur talis pensio. Collationem autem pensionis mixtæ, factam excommunicato vitando non esse irritam, sentit Layman, Sà, & Castropalaus, n. 8. quia nullus est textus, quo dicatur irrita; nam textus in c. *postulastis*, & c. *ult.* de Cleric. excom. ministr. loquitur tantùm *de beneficio Ecclesiastico*, qui textus extenduntur ad præstimonium, quòd loco beneficii succedat, quod non habet pensio mixta. Quando autem Pontifex in collatione talis pensionis præmittit absolutionem à censuris, fit, ne ipsius rescriptum invalidum fiat; vel ne in petenda pensione repellatur à judicio. Verùm si pensio mixta, secundùm quod est spiritualis, importet onus aliquod spirituale præstandum à pensionario, & is id præstare non possit propter excommunicationem, quâ innodatus est, rectius dici videtur, non esse illius capacem seclusâ dispensatione, vel absolutione; idque ex eadem causa, quæ militat contra pensionem temporalem. Hinc quando Congregatio Cardinalium in c. 7. Sess. 14. Trid. de reform. negat, decretum de incapacitate beneficiorum, ratione homicidii, ad pensiones extendi, non concluditur idem ad nostrum casum, propter exceptionem in illo.

ARTICULUS VII.

An excommunicatus lucretur fructus beneficii?

1953 SUpponend. ex proventibus Eccleſiaſticis alios eſſe, qui competunt beneficium habenti; alios, qui tanquam merces, & ſtipendium redduntur quotidie peragentibus divina officia, vocanturque diſtributiones quotidianæ; ita Covar. apud Gibalin. D. 7. q. 7. n. 51. qui ait nomine *fructuum Eccleſiaſticorum*, ſi laxè ſumantur, venire non tantùm reditus ex beneficio, ſed etiam penſiones, & quotidianas diſtributiones, decimas, oblationes, & eleemoſynas, ac quidquid quomodocunque acquiritur titulo Canonico: revera enim ſunt proventus Eccleſiaſtici, & vocantur impropriè beneficia manualia: in ſtricta tamen acceptione non veniunt nomine fructuum, niſi proventus præbendarum, non autem quotidiana ſtipendia; Quia jus ad hæc non eſt ſtrictè beneficium; ergo nec dictæ diſtributiones ſtrictè dici poſſunt *fructus beneficii*; quibus poſitis, quæſtio eſt, an excommunicatio major etiam privet fructibus Eccleſiaſticis? Qua in re ℟. 1. ſi beneficium accepiſti tempore, quo excommunicatus eras, cùm acquiſitio fuerit nulla, etiam jus nullum te habere ad fructus beneficii. Hoc intellige de excommunicato vitando; nam de tolerato diſcurrendum eſt ſecundùm dicta jam ſæpius; ſi tamen judicâſti, te verum habere titulum beneficii, & fructus ejus bonâ fide percepiſti, non es obligatus reſtituere, niſi quantum de illis adhuc extat vel in ſe, vel in eo, quo factus es ditior; ita Suarez, Coninch, & Layman, quos citat & ſequitus Caſtropalaus p. 11. n. 1. in fine, quia tunc proceſſiſti ex poſſeſſione munitâ exiſtimato titulo, & bonâ fide. Sed

1954 Quæres 1. an excommunicatio major ipſo jure privet fructibus? ℟. quòd affirmativam ſequatur Guttier. Suarez, Garcia, & alii apud Caſtropalaum 1. quia in c. *Paſtoralis, §. verum*, de appellation: dicitur, *quòd illi proventus Eccleſiaſtici meritò ſubtrahantur, cui Eccleſia communio denegatur*, ex quo textu patet, revera privari excommunicatum fructibus beneficii; ubi notant, quòd Pontifex comparet ſubtractionem fructuum cum carentia communionis; ſed hanc habent excommunicati vitandi ipſo jure; ergo & illam, 2. quia Pontifex ibidem dicit hanc ſubtractionem non impediri per appellationem, quod tamen falſum eſſet, ſi non eſſet contracta ipſo facto: Gibalinus tamen diſq. 7. q. 7. n. 52. docet illis privari, ſolùm poſt ſententiam Judicis. Idem tanquam verius ſequitur Caſtropalaus cit. n. 4. Gloſſa, Vaſquez, Coninch, Hurtado, Layman & Sanchez. Ratio horum eſt; quia talis ſubtractio non probatur incurri ipſo facto per ullum textum juris. Nam in c. *Paſtoralis* cit. non dicitur, *ſubtractos eſſe*, ſed *meritò ſubtrahi*, quod ſignificat actionem Judicis. Deinde ſin ipſo facto ſubtracti eſſent, malè Epiſcopo quærenti, num talì ſubtrahendi ſint fructus, reſpondiſſet Pontifex, *meritò ſubtrahi*, ſi jam ſubtracti ſint. Ex quo patet ad primam rationem ſententiæ contrariæ.

Cæterùm, illa comparatio ſubtractionis, cum carentia communionis, non fit, ut habeant ſe eodem modo in omnibus. Carentia enim communionis eſt excommunicationi denuntiatæ neceſſaria, non autem ſubtractio fructuum; ſunt enim nonnulli excommunicati, qui privantur communione fidelium, non autem fructibus, ut notat Gibalinus cit. n. 54. Ad 2. rationem ℟. non ſemper infertì effectum aliquem induci ipſo facto, cùm in jure dicitur, *non impediri per appellationem*. Senſus enim eſt, quòd Judex ab actu ſuo non impediatur per appellationem, quod fit, ſi ſcilicet legitima non eſſet, aut etiam contra legitimam ſpecialiter cavetur, & hanc ſententiam etiam probabilem, & tutam in praxi, cenſet Leander cit. 1955

Ex hoc inferes cum Gibalino cit. n. 54. 1956 *§. cùm itaque*, excommunicatum vitandum, omnes fructus ſui beneficii prius legitimè obtenti, quos durante excommunicatione percipit, facere ſuos (niſi aliud ferat ſententia excommunicationis) quàm diu non privatur illis per ſententiam Judicis. Nam ipſo facto non privatur illis ſecundùm dicta: adunt Hurtado D. 6. de excommunic. diffic. 1. & Suarez, quòd licet extaret jus aliquod, talem excommunicatum ipſo facto privans fructibus dictis, ei tamen nunc derogatum ſit contrariâ conſuetudine; ſic ut nec Judex privatus, ſtante hac conſuetudine, poſſit ejuſmodi excommunicatum privare fructibus, jam perceptis, aut percipiendis.

Imò ſi per ſe, vel per alium adminiſtret 1957 officium ſuum, propter quod habet beneficium,

ficium, probabilius est juxta Gibalin. cit. n. 55. quòd, licet peccet ingerendo se divinis, tamen validè recipiat stipendia, sic possessor malæ fidei validè accipit mercedem laboris à se impensi circa rem iniquè detentam, ut habet Petrus Navarra, Henriquez, Sanchez, & alii; ex quo sequitur, quòd habens beneficium simplex, obligans tamen ad horas Canonicas recitandas privatim, licet excommunicatus sit, omnino capiet fructus illius beneficii; ita Vasquez, de benefic. c. 4. §. 3. n. 229. quod idem de suspenso dixit Navarrus, c. 27. n. 160. quos citat, & sequitur Gibalin. cit.

1958 Sive autem supponas excommunicatum privari fructibus beneficii primò post sententiam Judicis, sive ipso facto; probabilius tamen est, illum posse frui fructibus sui beneficii, sin ipse non dormit in contumacia, nec per ipsum stet, ab excommunicatione liberari; ita Layman, & alii quia talis non manet culpabiliter in censura; hæc autem pœna est solùm in eos, qui sunt in excommunicatione cum mora culpabili; non enim oritur ex natura censuræ; aliàs induceret eam ipso facto. Deinde quia talis pœna, in hac hypothesi, est solùm secundarius effectus censuræ; non est autem necessarium, ut semper habeat omnes tales effectus, saltem, de quibus prudenter præsumi potest, quòd illos legislator hìc & nunc nolit; sed in hoc casu id de isto effectu prudenter præsumi potest ex benignitate Ecclesiæ; ergo: contrarium tamen tenet Castropalaus p. 11. n. 14. quamvis n. 13. cum Suarez existimet, omnes fructus beneficii à tali judice restituendos esse excommunicato à tempore absolutionis injustè dilatæ.

1959 Sin excommunicatus sit egens, juxta Gibalinum n. 58. probabile est, quòd possit sibi retinere partem fructuum, quibus aliàs sive ipso jure, sive sententiâ Judicis privaretur; potest enim hoc ipsum in tali statu capere titulo eleemosynæ, cum alioquin aliis pauperibus dandum esset. Unde in tali casu Ecclesia non censetur invita: aliud enim est, quòd suos ministros non obliget, ut ejusmodi excommunicatos alat; aliud, quòd molestè ferat, si sibi ob egestatem clanculum aliquid surripiant; primum verum est, sin ipsi non impediant liberationem à censura; non verò secundum.

1960 Quæres 2. an privatio fructuum afficiat quemlibet excommunicatum? R. quòd afficiat quemlibet vitandum, saltem post sententiam judicis, si lata sit excommunicatio per sententiam; non verò si à jure: ratio est, quia vitandus, etiam petentibus aliis, peragere nequit officium, propter quod dantur fructus beneficii, nisi officium agat per alium; hoc enim sonat simplicem commissionem, non verò jurisdictionem. Deinde c. *pastoralis*, loquitur tantùm de excommunicato per sententiam: secùs dicendum est de excommunicato tolerato; hic enim etiam potest officium peragere per alium; vel per se ad aliorum petitionem. Sic Gibalinus n. 59. cum quo dicendum ulterius, non amitti fructus beneficii, Creditoribus assignati, subsequente excommunicatione beneficiati, esto stante excommunicatione illis per expressam sententiam privetur, si sermo sit de acquisitis ante excommunicationem; nam peccatum debitoris superveniens non debet afferre præjudicium creditori in illis, quorum jus ante illud erat penes debitorem: secùs si sermo sit de fructibus, quos primò lucraturus erat, nisi expresè excipiatur præjudicium Creditoris. Nam assignatio per debitorem facta non stat, nisi supposito jure, in illos fructus; hoc autem ei impeditur per supervenientem excommunicationem posità sententiâ Judicis; ergo.

Quæres 3. ad quid nihilominus teneatur Clericus privatus fructibus sui beneficii? R. quòd teneatur. 1. ad onera personalia, ne scilicet ex sua malitia fructum habeat. 2. Ad onera realia affixa rei, quam excommunicatio non tollit ex eadem ratione; & ideo in c. *Si verè*, 34. de sent. excom. dicitur: *Ab excommunicatis exigi, & recipi posse, quod debetur*; ubi redditur ratio à Pontifice, quia *aliàs videremini Vos* (nimirum non excommunicati) *damnum ex pœnitentia, ipsi verò præmium, ex contumacia reportare: cùm ad hoc debitum exsolvendum ipsi vobis maneant obligati, & ab excommunicatis exigi possit, & recipi, quod debetur.* Est autem cautum in jure, quòd si quisquam per terram hæreticorum, aut quorumlibet excommunicatorum, transierit, necessaria emere ac recipere poterit ab eisdem. Præterea si paterfamilias domûs excommunicationis sententiâ fuerit innodatus, à participatione illius familia excusatur. Licet ergo Dux Venetorum, Dominus navium, *tanquam paterfamilias domus*, in excom-

municatione persistat; *Vos tamen tanquam ipsius familiam, dum in navibus ejus fueritis, ipsius excommunicatio non continget, & excusabiles eritis apud DEum, si in excommunicatorum navibus existentes, cum dolore cordis, sub spe pœnitentiæ, communicaveritis ipsis, in quibus eorum communicationem non potueritis evitare.* Ratio enim oneris oritur ex re, cui affigitur; unde per oppositum non tenetur ad onera realia rei, quam tollit excommunicatio, sic Gibalin. n. 61. hinc non tenetur solvere pensiones impositas beneficio; hæ enim sunt annexæ fructibus, qui supponuntur sublati; Suarez D. 13. de cens. sect. 2. n. 24. idem est de alio quocunque subsidio fructibus annexo; tunc enim petendum est ab eo, qui fructus capit. Neque Superior tenetur excommunicatum contumacem sustentare de fructibus beneficii, si laboret egestate; ipse enim tunc in causa illius est, licet possit aliquam illi partem dictorum fructuum, tanquam pauperi, applicare; Filliucius tr. 12. c. 5. q. 6. n. 136.

1962 Quæres 4. an in dicto casu nomen *fructus* strictè, vel amplè sit accipiendum? Respondet Leander q. 35. debere sumi *laxè*, pro quolibet proventu Ecclesiastico, & titulo spirituali, redundante in illum ex bonis Ecclesiæ, asserens, id velle Innocent. III. in c. *Pastoralis §. Verum*, de appellat. & cum eo omnes Doctores; verba dicti c. sunt: *illi proventus Ecclesiastici meritò subtrahantur, cui Ecclesiæ commune denegatur.* Notandum tamen, licet nomen *fructus* sumeretur amplè; sub eo tamen non venire fructus patrimoniales, etiamsi assignati sint in titulum ordinationis; quia ejusmodi patrimonium manet merè temporale; nec fit spirituale, etiam per indirectam connexionem; sic Glossa in c. Tuis, 23. de præbend. & ibid. Panormit. n. 6. & 8. Colligitur ex Trid. Sess. 21. c. 2. de reform. ubi Clericus de consensu Episcopi permittitur illud alienare, si ei de beneficio legitimè provisum sit.

1963 Quæres 5. ad quem pertineant fructus, quibus excommunicatus privatur? R. 1. si privatur distributionibus quotidianis, quia non peragit suum officium, cùm prohibitus sit; eas pertinere ad illos, ad quos propter quamcunque absentiam, aut non residentiam pertinerent, jure accrescendi, vel decrescendi; sic Alterius, & alii, quos citat, & sequitur Gibalinus q. 7. n. 63. qui addit, illos fructus, vel distributiones, quæ dabantur Dignitatibus, vel Personatibus, ratione certi servitii in Ecclesia Cathedrali, vel Collegiata, applicandas esse vel fabricæ Ecclesiæ, si indigeat; vel alteri loco pio, ex arbitrio Ordinarii, ut fit propter absentiam, vel non impletionem debiti servitii, ut habetur in Trid. Sess. 22. c. 3. de reform: fructus autem grossos, qui scilicet nascuntur ex beneficio, quàm diu excommunicatus illis privatus manet, convertendos esse in utilitatem Ecclesiæ, constituto alio, qui assignato stipendio, curam gerat ejus Ecclesiæ; si verò excommunicatus habeat Coadjutorem, etiam cum jure successionis, ei cedere fructûs; tunc enim ita se habet, ac si nullus esset coadjutus, quamvis applicari quoque debeat aliquid ad sustentanda onera beneficio imposita, & alia opera pia, v. g. in sustentationem pauperum, saltem in quantitate, quam aliàs à beneficiato accepissent; ita Suarez, & Garcia apud Gibalin. Disq. 7. q. 7. n. 63. in fine.

Quæres 6. an excommunicatus ali- 1964
quando possit repetere fructus, quibus privatus est? R. posse, si excommunicatio fuit in re invalida; licet valida, existimatione; nam eo casu licet fructus capere, & amissos recuperare, vel ab eo, qui percepit, vel à judice, qui in alterius utilitatem applicari jussit. Aliud censent Authores de distributionibus quotidianis; nam illas volunt aliqui repetendas esse à Judice, qui sententiam iniquam tulit; ita Suarez, & Filliuc. apud Gibalinum cit. qui tamen sentit repetendas prius ab iis, qui percepe-runt. Quia tunc in eos jus fuit revocabiliter translatum, ut fit, cùm quis inculpabiliter abest officio; Clericus autem inculpabiliter abest officio, cùm abest ob talem excommunicationem.

Dices: Judex, qui tulit iniquam sen- 1965
tentiam, puniri potest; ergo ab illo repetendæ sunt dictæ distributioes. R. cum dist. anteced. & C. si ostenditur, quòd illam sententiam injustè tulerit; secùs, N. ita c. 1. de re judicata in 6. ubi dicitur, quòd *Judex, qui contra justitiam, & contra conscientiam aliquid in judicio fecerit in gravamen partis, per gratiam, vel sordes, condemnandus sit parti læsæ in æstimationem litis.* Nam contra Judicem ex officio agentem nunquam præsumenda est iniquitas, nisi convincatur, c. *Absit*, 11. q. 3. ubi Anterus Papa, scribens ad Episcopos Hispaniæ, *absit*, inquit, *ut quidquam siniſtrum de his arbitrentur, qui*

appa-

Apostolico gradui succedentes, Christi corpus, sacro ore, conficiunt, &c. hinc cùm in jure dicitur: *injustam sententiam potius obesse ferenti, quàm injuriam passo*, intellige, cùm fertur *injustè*.

ARTICULUS VIII.

An, & qualiter excommunicatio major privet habilitate conferendi beneficia?

1966 QUæstio est, an omnis excommunicatus, excommunicatione majori, reddatur inhabilis ad validè, & licitè conferendum alteri beneficium? R. 1. id verum esse de excommunicato vitando, 1. per c. *unicum*, ne Sede vacante, in 6. c. *diversitatem*, 6. de concess. præb. ex c. *Tanta*, 18. de excessib. Prælator. ubi dicitur, *quando collatio communiter ad Episcopum & Capitulum pertinet, uno ipsorum effecto inhabili, alterum conferre*; id, quod etiam colligitur ex c. *quia* 4. ubi habetur, non servantem interdictum, suspensum esse ab officio, beneficio, & *omni jurisdictione*. Deinde, quia excommunicatus vitandus privatus est jurisdictione, consequenter ejus exercitio; collatio autem beneficii est actus jurisdictionis; ergo. Ma. constabit ex n. 1976. min. ex Glossâ communi in c. *cùm inter* de elect. V. *de talibus*, apud Leandrum D. 10. q. 1. hoc autem in excommunicato tolerato non procedit; cùm ejus acta in favorem fidelium valeant, post Concilium Constantiense, ut supr. diximus, & patebit in seq. Si tamen sponte se ingereret, & non requisitus, secundùm alibi dicta peccaret.

1967 Quæ diximus de excommnnicato vitando, vera sunt, si vel unus sit ex Collatoribus talis, cùm collatio est penes plures, Leander cit. q. 6. idem est de jurisdictione eligendi quoad excommunicatum vitandum, quod diximus de jurisdictione conferendi, ex c. *cùm inter*, 1. de elect. ubi hoc dicitur de electione à suspensis, quod Glossa apud Leand. cit. extendit etiam ad excommunicatos; cùm beneficiorum collatio, æquè ac electio sit actus jurisdictionis, quâ privatum dicemus talem infra à n. 1976. Hinc electio facta ab excommunicato vitando, cujus suffragium necessarium est, ut colligitur ex casu in c. *ad probandum*, 24. de sent. & re judic. ubi sententia per Judices delegatos, ex omnibus si unus excommunicatus fuit, lata, *infirmanda dicitur*; Secùs, si ejus suffragium non sit necessarium, vel non fuerit scienter admissus; quamvis idem affirmat Gaspar Hurtado contra Leand. q. 10. esto scienter admissus fuerit. Electio autem summi Pontificis valida est, licet fiat electoribus excommunicatis, ex Clem. *Romani*, §. *Cæterum*, de elect.

Ulterior dubitatio est 1. an præsenta- 1968
tio ad beneficium Ecclesiæ, à Patrono Laico, sed excommunicato vitando, licitè fiat? R. negativè; quia non potest fieri sine communicatione Ecclesiastica. Sic Suarez D. 14. s. 2. n. 21. & alii: si verò præsentator sit Clericus, negat illam valere Leander q. 15. quia tunc habet vim electionis, arg. c. *cùm autem*, c. *nobis*, c. *penult.* de jure Patron: & hoc jus præsentandi habet Clericus ratione beneficii, vel dignitatis Ecclesiasticæ, quo, dum excommunicatus est vitandus, privatur. Si enim Episcopus dictam præsentationem Laici admittat (quamvis id licitè non possit, ne communicet cum excommunicato vitando) & persona præsentata digna sit, valida erit, etiam quoad institutionem & collationem; esto Hurtadus, Vasquez, & Covar. velint ejusmodi præsentationem invalidam esse. Ratio autem prioris est, quia Laicus non præsentat *ex officio*, sed, ut quid ad suum patrimonium spectans, quod validè administrare potest etiam excommunicatus non toleratus. Est enim tantùm expressio voluntatis, quod non est quid juris, sed facti. Ex hoc patet ratio discriminis inter Patronum Clericum & Laicum. 1. quia hujus præsentatio non habet vim electionis, atque nihil juris confert, sed est tantùm mera nominatio personæ, ab Episcopo instituendæ, in cujus institutione relinquit totalem dispositionem beneficii, c. *quoniam*, de jure patron. 2. quia ejus præsentatio non est principium proximum, nec dat jus ad actus excommunicato vetitos. Nam Laicus non habet potestatem conferendi jus spirituale; secus est de Clerico. Unde cùm hic præsentat, præsentatus non accipit totale jus ab Episcopo, sed partialiter à Clerico. Cæterùm, cùm suppositâ præsentatione facta à Laico excommunicato, totum jus sit ab Episcopo, si is nolit, ut talis præsentatio in re effectum habeat, potest; quod verum est, licet præsentatus dignus sit; quia non tenetur ei communicare, præsentationem ejus recipiendo.

Dubitatio est 2. quid dicendum de ad- 1969
missione, vel sumptione beneficii legitimè collati,

collati, facta ab excommunicato vitando? R. eam esse licitam & validam, teneri ab Hurtado D. 7. de excom. diffic. 3. versu *admissio tamen*; quia nihil novi juris confert; sed alter ab excommunicato sumit tantùm, quod est suum, at hoc licitum est; ita ille, Suarez autem D. 14. S. 2. n. 34. & Filliucius cum Leand. cit. q. 21. docent, non esse validam; quia licet possessio non conferat novum jus, multùm tamen illud firmat, & securius reddit, quod est aliquod commodum ex beneficio, quo tamen vi talis excommunicatus privatus est. Sed hæc ratio potius est contra recipientem, non verò admittentem: videtur tamen probari posse ex eo, quia talis admissio est actus jurisdictionis spiritualis; hac enim privatus est excommunicatus vitandus.

1970 Dubitatio est 3. quid dicendum de resignatione beneficii ab excommunicato facta? R. resignationem beneficii simpliciter factam à quolibet excommunicato in manibus Prælati, à quo beneficium confertur, validam esse; cùm nullo jure irritetur. Dubium tamen est, an valeat, si ab excommunicato vitando fiat in favorem tertii? affirmativam tenet Castropal. D. 2. de cens. p. 13. n. 26. quia talis nec confert, nec eligit, nec præsentat, nec instruit; sed tantùm vult relinquere beneficium, si tertio detur: negativam autem Covarr. Suarez, Alterius, Filliuc. & alii; quia per hanc resignationem tertius acquirit aliquod jus; atque adeo æquivalet electioni factæ à Clerico. Sed electio à Clerico vitando non valet; ergo nec talis resignatio. Cœterùm verius videtur, per talem resignationem nihil juris acquiri Resignatario, nisi per eum, ad quem pertinet, admittatur; ergo non est, unde ex illo excommunicationis titulo invalidetur. Et ideo negatur, eam electioni æquivalere.

1971 Dubitatio est 4. quid dicendum de institutione præsentati, vel confirmatione electi ad beneficium, facta ab excommunicato vitando? R. invalidam esse; ita Suarez D. 14. s. 2. n. 32. illi enim actus supponunt jurisdictionem spiritualem in instituente, vel confirmante, & à collatione simpliciter sumpta differunt, quod institutio non sit omnino libera, sed restricta ad personam præsentatam; Sic Suarez cit. Idem dicendum est de postulatione solenni, factâ ab excommunicato vitando; habet enim vim electionis, quæ nulla est, si à tali fiat: Secus, si sit simplex; hæc enim non habet vim electionis, sed est quid facti, non juris; Sic Suarez, Filliuc. & alii, etiam Leander q. 27. 28. si tamen Prælatus sciens defectum postulantium, postulationem admittat, & confirmet, postulatio habuit effectum electionis, & confirmationis; Leander q. 20. in simil. de præsentatione, & q. 27.

ARTICULUS IX.

De rescriptis ab excommunicato impetratis?

PEr rescriptum Pontificium intelligun- 1972
tur responsa, & literæ Pontificis, quæ vel pro justitia administranda, vel beneficio conferendo, aliave de causa redduntur; ita Joannes Streinius in prolegom. juris Canon. §. 10. de rescript. hinc quando rescriptum datur contra jus commune, dicitur privilegium, vel dispensatio; si ad lites, rescriptum justitiæ, ut si Pontifex constituat Judicem, qui causam cognoscat. Alia sunt rescripta gratiæ, quòd per illa concedatur aliquid præter jus; ut si alicui personæ idoneæ assignetur præbenda, vel tribuendo jus ad beneficium vacaturum (quæ concessio dicitur *expectativa gratiæ*) vel mandando Ordinario, aut alicui executori, ut de beneficio vacante provideatur Clerico, & hæc vocari solent *mandata*; ita Streinius. Rescriptum de beneficiorum provisione aliud est *in forma dignum*, seu commissaria, committendo nimirum alteri collationem beneficii, quod Streinius, ut notavi, vocat *mandatum*; aliud *in forma gratiosa*, quod fit, cùm per ipsas literas immediatè confertur beneficium: his positis ad q. propositam

R. Nullum rescriptum Pontificium ab 1973
excommunicato vitando impetratum, nullumque processum virtute illius habitum, esse validum, sed omnia ipsò jure irrita; nisi detur super excommunicationis vel appellationis articulo; ita expressè statuit Gregor. IX. c. 1. de rescriptis in 6. ibi; *ipso jure rescriptum, vel processus per ipsum habitus, non valeat, si ab excommunicato (super alio quàm excommunicationis, vel appellationis articulo) fuerit impetratum.* Excipe, nisi detur cum clausula ad effectum gratiæ, ut supr. iam notavimus; nam quoad illum effectum concedunt absolutionem & valorem. Et hanc clausulam in iis duntaxat, à quibus absolvere possunt, etiam Episcopi suis

suis rescriptis apponere valent; ita Garcia, Ugolin. Castropalaus D. 2. p. 10. n. 29. & Gibalinus de jurisdict. sacra, disq. 7. n. 17.

1974 Quæstio est, an hoc etiam affirmandum sit de rescriptis datis ab Ordinariis, Papâ inferioribus, quod diximus de Pontificiis? affirmativam tenet Alterius apud Leandrum cit. q. 2. sed probabilius negatur; quia, ut patet ex contextu capitis, & discursu tituli, Gregorius ibi loquitur solùm de rescriptis *Apostolicis*; quod etiam sentit Suarez, de rescriptis ad privilegia & gratias, per excommunicatum impetratum à Principe seculari. Aliqui autem constitutionem Gregorii volunt intelligi solùm de excommunicato vitando, secùs de tolerato; & hoc verum esse censet Archi-Diaconus, & probabile judicat Suarez, ac Navarrus apud Castropal. p. 12. hic tamen etiam de aliis de omnibus vult intelligi, cùm indefinitè loquatur, & nulli excommunicato fiat favor, excipe, nisi habeat clausulam absolutionis ad effectum gratiæ; vel fiat in favorem fidelium. Tunc enim respectu excommunicati tolerati valeret.

1975 Circa præsentem quæst. ulterius not. 1. collationem beneficii validam esse, factam per rescriptum Pontificium in forma gratiosa, licet tempore rescripti excommunicatus sis; quia per hoc ipsum rescriptum absolveris ad effectum gratiæ; ita Castropal. cit. p. 10. n. 28. qui secùs dicendum censet, si rescriptum fiat in forma commissaria. Tale enim rescriptum non continet collationem, sed solùm mandatum conferendi, & huic, non illi prodest absolutio in rescripto data, atque adeo talis pro collatione aget novâ absolutione à censuris: Gibalinus tamen cit. n. 17. §. *mihi*, probabilius censet, si rescriptum in forma commissoria datum sit ad beneficium vacans, validè à commissario beneficium conferri, esto tempore rescripti, vel impetrationis recipiens in excommunicatione sit; quia per clausulam, *teque absolventes*, contentam in mandato, censetur dispensatus ad effectum impetrationis. Cadit enim in adæquatum effectum rescripti, qui est in hoc casu, ut Commissarius Titio validè conferat beneficium non obstante quocunque censurarum impedimento. Aliud est, si mandatarius post acceptum ejusmodi rescriptum ad beneficia vacatura, de novo incideret in excommunicationem. Tunc enim, ut validè reciperet beneficium, egeret novâ absolutione. Sic ille. V. l. 1. tit. 3. de rescript.

ARTICULUS X.

An excommunicatus gaudeat jurisdictione Ecclesiasticâ?

1976 QUæstio est, an excommunicatus vitandus, omni judiciariâ potestate in foro Ecclesiastico, sit privatus? R. nullum talem excommunicatum excommunicatione durante licitè uti suâ jurisdictione, quam aliàs habuit, vel haberet eâ seclusâ; patet ex c. *audivimus*, 24. q. 1. ubi Alexander II. ad Valerianum Episcopum, *audivimus*, inquit, *quòd Henricus, Ravennas Archi Episcopus, visus sit te excommunicare. Verùm, quia excommunicatus te excommunicare non potuit, Apostolica auctoritate te, tuosque absolvendo, mandamus, exinde nunquam curare.* c. *ad probandum*, 24. de sent. & re judicata, ubi *reprobatur sententia lata à Delegatis, si unus eorum fuit publicè excommunicatus*, c. 1. de suppl. negl. Prælator. in 6. ubi habetur jurisdictionem suffraganei excommunicati non devolvi ad Metropolitanum. c. 1. de officio Vicar. in 6. ubi dicitur, quòd acta Successoris Officialis excommunicati non valeant, quæ agit ipso excommunicato manente, si jurisdictione solùm ab eo receptâ hoc facit; denique c. *decernimus*, de sent. excom. in 6. Alexander IV. decernimus, inquit, ut Judices seculares per sententiam Ecclesiasticam ab ecclesiasticis Judicibus (Canonicâ monitione præmissâ) repellere excommunicatos ab agendo, patrocinando & testificando in suis curiis, & judiciis compellantur. Unde Castropalaus D. 2. de cens. p. 13. n. 1. docet, quòd si talis exerceat aliquem actum suæ jurisdictionis, mortaliter peccet.

1977 Ex his juribus etiam deducitur, acta excommunicati vitandi non solùm esse illicita, sed etiam invalida. Et ideo talium sententiæ, vel quæ de ipsorum mandato fuerint promulgatæ, decernuntur inanes, & irritæ, nullo unquam tempore valituræ, ut etiam colligitur ex c. *adversus*, 7. de Immunit. Eccles. Nam si eorum jurisdictio etiam durante excommunicatione in ipsis staret, verum non esset, quod Summus Pontifex dicit, *excommunicationem, ab excommunicato latam, non esse curandam, quia non potuit excommunicare*; ita

Suarez D. 14. de cens. sect. 1. n. 4. Castropalaus cit. p. 13. n. 7.

1978 Ex dictis inferes 1. quemlibet actum jurisdictionis Ecclesiasticæ quem exercet excommunicatus vitandus, irritum esse; quia fit à non habente jurisdictionem. 2. Irritam esse delegationem jurisdictionis factam ab excommunicato vitando; ipsa enim delegatio est jurisdictionis exercitium. Et ideo etiam in delegato cessat jurisdictio, delegante taliter excommunicato, quod intellige, re integrâ; si enim res non foret integra, & delegatus constitueret diversum tribunal à delegante, jurisdictio maneret in delegato, c. *gratum*; de officio deleg. Si verò habeant idem tribunal, etiam re non integrâ, cessaret jurisdictio in delegato, sicut fieret, si delegans moreretur, c. *Romana*, de offic. Vicar. in 6. ita Leander tract. 1. de cens. D. 3. q. 35.

1979 Not. autem, nos loqui de jurisdictione delegati quoad forum externum, non internum. Nam jurisdictio interior, in foro scilicet pœnitentiæ, & qualibet alia, quæ judicialis non sit, non suspenditur etiam re integrâ, ob excommunicationem postmodum incursam à delegante; hæc enim est gratia facta, quæ ob impedimentum concedenti superveniens, imò ob ejus mortem, non infirmatur. Textus autem annullantes delegato jurisdictionem, loquuntur de jurisdictione fori contentiosi, quorum decisio, utpote odiosa, extendi non debet ad jurisdictionem extrajudicialem; ita Sotus, Avila, Bonac. & Hurtad. apud Castropal. loc. cit. Extra casum autem delegati, jam supr. diximus per excommunicationem majorem excommunicato vitando tolli jurisdictionem etiam pro foro interno, ut bene notat Gaspar Hurtado de excom. D. 6. diffic. 2. quatenus scilicet Ecclesia non tantùm prohibendo, sed etiam irritando privat usu omnis jurisdictionis Ecclesiasticæ.

1980 Inferes 2. quòd subditus nec teneatur, nec possit obedire mandatis sui Superioris Prælati, si est communicatus vitandus; ratio primi, quia tali casu caret jurisdictione spirituali; ratio secundi, quia prohibetur communicare cùm excommunicato vitando: si tamen ei aliquid præstaret, non animo parendi, sed ex urbanitate, secluso scandalo excusaretur à mortali; Sic Leander q. 5. D. 11. citans Suarium.

1981 Inferes 3. quòd Episcopus, qui est excommunicatus vitandus, non possit dare approbationem pro audiendis confessionibus; nam approbatio est actus, & usus propriæ jurisdictionis Ecclesiasticæ, quâ talis tunc caret; Sanchez l. 3. de matrim. c. 21. n. 9. Suarez & alii contra Henriquez, qui putat non esse actum jurisdictionis; quamvis rectius affirmetur. Saltem in quantum explicat actum, quo approbans approbando subjicit oves pastorali curæ suæ commissas.

Inferes 4. Parochum excommunicatum vitandum posse dare licentiam alteri sacerdoti, ut assistat matrimonio. Est enim substitutio testis, non autem exercitium jurisdictionis; Sic Sanchez, Rebellus, Hurtado, Diana, & Bonacina, imò ipse talis parochus ex eadem ratione valide assistit: sic iidem, contra Avilam, Sylvium, & alios; adhuc enim manet Parochus, nec ad hoc eget jurisdictione.

1982 Inferes 5. acta à Judice Ecclesiastico, qui est communicatus toleratus, esse valida; ita Suarez, & alii, quia cùm Ecclesia tam in humanis, quàm in divinis permittat fidelibus communicationem cum excommunicatis toleratis, perinde, ac si excommunicati non essent; conservare debet in illis (ut ad hanc apti, & expediti essent) jurisdictionem. Confirmatur 1. quia sententia à tali lata in foro interno valet juxta communem; ergo magis in externo 2. in jure antiquo Judex, qui erat excommunicatus occultus, retinebat jurisdictionem, quousque per exceptionem elideretur, c. *Exceptionem*, de exceptionibus, & c. 1. eod. in 6. Sed per Concilium Constantiense, & jure novo excommunicatus toleratus perinde se habet, ac se habebat excommunicatus occultus in jure antiquo; ergo. Sic Castropal. D. 2. p. 13. n. 6. id quod etiam affirmant Suarez, Coninch, Layman, & alii apud Castropalaum de excommunicato tolerato etiam cum non requiritur à fidelibus; quia per hoc illi non directè, sed solùm indirectè favor conceditur, cum sit in utilitatem fidelium, saltem in communi, ad tollendas multas anxietates.

ARTICULUS XI.

De privatione communicationis in civilibus.

1983 QUæ diximus hactenus, pertinent ad communicationem in Sacris; nunc agemus de communicatione profana, quæ duplex est, una forensis, quæ occupatur circa

circa judicia; altera usualis, quæ politica dicitur, & continetur cæteris omnibus actionibus humanæ, & communis vitæ, extra forum & judicia.

1985 Quæstio 1. est, an excommunicatus licitè, ac validè exerceat actus Judicis forensis? v. g. judicando, agendo, procurando, advocando, scribendo & testificando? Ad 1. R. quòd non, si sit vitandus, quia illi illicitum est omne commercium cum fidelibus, etiam in his actionibus, ut constat ex c. *decernimus*, 8. de sent. excom. de quo supra, c. *veniens*, 38. de testibus, ibi: *quia verò, quæ in Capitulo aguntur, non facilè possunt, nisi per Canonicos ipsos probari, volumus, ut ad cautelam absolvatis eosdem, ut vocati ad testimonium liberè valeant pro utraque parte testari.* Unde potest excommunicato vitando in quacunque parte litis objici excommunicatio, ut repellatur, non obstante quocunque juramento à Judicibus præstito de servandis locorum statutis, aut consuetudinibus libertati, & disciplinæ Ecclesiasticæ obviantibus, ex c. 1. de except. in 6. Secus dicendum est de excommunicato tolerato à fidelibus requisito.

1986 Ad 2. R. Acta Judicis excommunicati & vitandi, si in tali censura per annum insurduit, esse irrita, & nulla, per c. *excommunicamus*, 13. de hæreticis; Sic Castropalaus de censuris D. 2. p. 14. §. 2. n. 1. Si autem sit vitandus, & in excommunicatione non insurduit per annum, actus ejus validos censet Victoria in Summa n. 16. de excom. sed negandum est cum Suarez D. 16. S. 1. & Gibalin. disq. 7. q. 8. n. 3. id probabile censente ex eo, quia cùm lex prohibet substantiam actûs, aut aliquid ad eum pertinens, prohibitio sufficit ad ejus invaliditatem, esto non dicat, inutile esse debere, quod gestum fuerit; sed excommunicato vitando prohibetur actus Judicis in judicio forensi; ergo: Deinde c. *Præsidentes*, de hæret. in 6. ob favorem fidei conceditur excommunicato, ut possit Judicis officium exercere; ergo id nequit extra hunc casum, sic etiam Escobar cit. l. 10. sect. 2. n. 216. Et ideo in praxi jam receptum est, ut facta Judicis forensis, qui sit excommunicatus vitandus, irrita reputentur à Principibus, nolentibus, valere ejus acta, quem Ecclesia rejicit. Hinc Castropalaus cit. n. 2. ait, quòd Pontifex in c. *Nos sanctissimorum* 115. q. 6. liberet subditos à fidelitate Dominorum excommunicatorum.

Si petas, an, tametsi excommunicatus vitandus illicitè assumatur ad officium, vel dignitatem, cui sit annexa jurisdictio secularis, etiam assumatur invalidè? R. negativè, quia id nullo jure invalidatur; ita Suarez D. 16. S. 2. quem citat, & sequitur Gaspar. Hurt. de excom. D. 7. diffic. 2. n. 4. 1987

Quæstio est 2. An excommunicatus possit esse Actor in judicio? R. affirmativè, si sit toleratus, si pars adversa, quæ sola potest, non excipiat; sic Hurtad. cit. difficult. 3. Cæterùm excommunicatus vitandus extra causam suæ excommunicationis (in qua, ut probet se, vel non esse excommunicatum, vel esse absolvendum, admitti debet, ut constat ex c. *per tuas*, 40. de sent. excom.) non potest licitè Actor esse in judicio, sive agat civiliter, sive criminaliter, licet agat per alium, ex c. *decernimus*, 8. de sent. excom. & c. 1. de except. in 6. Si tamen admitteretur, acta ab ipso ante repulsam, valida essent ad eum effectum, ut possit ulterius procedi in causa, si ab excommunicatione absolvatur, per cit. c. 1. de except. Vid. Castropal. cit. p. 14. 1988

Quæstio est 3. An excommunicatus, ut Reus trahi possit ad judicium? R. esse communem sententiam, quòd Reus, qui est excommunicatus vitandus, per se ipsum possit in judicio comparere, & respondere, ut habetur in c. *dilecti fili*, 8. & c. *ult.* de exceptionibus. Hæc permissio non est restricta per c. *intelleximus*, de judiciis, ubi dicitur debere per alium respondere; cùm in judicio convenitur; nam ly *debet* ibi significat tantùm convenientiam, ut notat Escobar l. 50. §. 2. n. 231. Trahi autem ad judicium ut Reus potest etiam excommunicatus vitandus, ne commodum recipiat ex sua excommunicatione, c. *intelleximus*, de Judiciis. Et tunc sic citatus omnia etiam per juramentun agere potest, quæ sunt in sui defensionem, Gibalin. q. 8. n. 18. & seq. 1989

Quæstio est 4. An excommunicatus, validè ac licitè exerceat munus Tutoris, vel Curatoris, quod quidem est officium publicum, sed in privatam utilitatem Clientis, pupilli, &c. Negativam tenent Sayrus & Ugolinus, quia tale officium publicâ authoritate constituitur, etsi jurisdictionem non habeat; sed excommunicatus vitandus ab omni officii publici usu excluśus est. Est enim à communione fidelium separatus; sed hoc probat solùm illicitum esse, at non invalidè munus illud per eum exerceri; sic 1990

Escobar cit. dub. 39. quia licet authoritate publicâ sit constitutus, non tamen in utilitatem publicam. Nam etiam officium Procuratoris & Advocati est ex publica authoritate, & tamen eorum acta valida sunt, si non repellantur, nullibi enim dicuntur irrita, sed tantùm repellenda; Suarez de Cens. D. 16. S. 7. n. 8. Hinc si excommunicatus vitandus advocaret, quamvis illicitè ageret, validè tamen ageret, nisi fieret contra illum exceptio, quâ deficiente, stipendium pro impenso labore, licitè retineret; Sic Gibalin. q. 8. n. 6. Castropal. p. 14. n. 13.

1991 Quæstio est 5. an excommunicatus in electione validè det suffragium? præsertim in casu, quo reliqui omnes dant suffragia sua, & superst solum suffragium alicujus excommunicati vitandi? in hoc quæritur, an electio valida sit sine hujus suffragio? Ante resolut. nota, id dupliciter posse intelligi 1. ut, nisi excommunicatus suffragetur, desit requisitus numerus ad validam electionem, & sic sine dubio non est valida, 2. ut illi habeant quidem sufficientem numerum, an tamen, quia hic etiam est inter Electores, ob id etiam illorum electio invalida sit? Aliqui enim docent, si ab ipsis scienter ad electionem admissus sit talis excommunicatus, sine illius suffragio invalidam esse; secus, si se intrusit. Alii, ut Hurtado, Layman, Coninch cum Escobar dub. 29. dicunt semper validam; quia per admissionem excommunicati non fiunt inhabiles ad eligendum; & licet velint eum esse coëlectorem, per hoc tamen non volunt, irrita esse sua suffragia. Sed V. l. 1. tit. 6. de Electione.

1992 Quæstio est 6. an excommunicatus possit esse Procurator, Advocatus, Testis, Tabellio, seu Notarius publicus in judicio forensi? R. excommunicatum vitandum, si tempore excommunicationis acceptet officium Procuratoris, graviter peccare, quia est communicatio politica, & in officio publico, à quo excluſus est per excommunicationem; valere tamen acceptam in eo statu instructionem, & mandati acceptationem; nullus enim est textus irritans, & constat ex dictis; Qui enim adducuntur in oppositum, solùm probant non esse admittendum ad procurandum, quod Gibalinus disquis. 7. q. 8. n. 9. verum existimat, sive is, qui eum constituit, sciat, sive ignoret, excommunicatum esse. Hinc sequitur valere ejus acta etiam tempore constitutionis, 2. non posse illum repelli à judicio post obtentam absolutionem, esto non accesserit novus consensus, aut constitutio Actoris principalis; sic Gibalin. cit. n. 12. Excommunicatus autem toleratus à Fidelibus requisitus licitè & validè procurat; si autem non requisitus, agit illicitè. V. dicta à n. 1869.

1993 R. 2. excommunicatum toleratum posse testem esse in judicio forensi; quia hoc est in favorem alterius; potest tamen Judex ejus testificationem non admittere, vel exceptionem opponere; Vitandus autem non potest licitè, licet peccet solùm venialiter juxta Castropalaum p. 14. n. 17. hic enim actus non procedit, nisi à potestate privata; licitè autem, & validè, testem aget etiam iste in causa fidei contra hæreticum, c. *in fidei*, de hæret. in 6. item in omnibus illis casibus, in quibus potest infamis testificari; Gibalin. q. 8. n. 18. In aliis casibus à judicio rejiciendus est etiam quoad actum testificandi, c. *Venient*, 2. de testibus, c. *decernimus*, de sent. excom. in 6. quia excommunicato credendum non est, ut dixit Stephanus Papa c. *nullus*, 3. q. 4. testimonium tamen ejus esse validum, licet nec à parte excipiatur, nec à Judice repellatur, negat Vasquez, Hurtado, & alii apud Castropal. cit. n. 18. Sed rectius affirmat cit. Gibalinus q. 8. n. 5. quia nullo textu invenitur irritum; potest tamen irritari exceptione, quia non est obligatio illi fidem dandi, quod Gibalinus intelligit quoad testificationes extrajudiciales, ut contractus, testamenta, & similia.

1994 R. 3. quòd excommunicatus vitandus non possit *licitè* agere tabellionem; possit tamen *validè*, si à partibus non rejiciatur. Qui enim sciunt excommunicationem, & tamen non excipiunt, videntur cedere juri excipiendi, consequenter irritare amplius non possunt. Nec in tali casu ullâ irritatione afficiuntur ejus acta; sic Coninch, & Castropal. loc. cit. n. 21. Toleratus autem, ad instantiam fidelium licitè agit Notarium, si actus non pertinet formaliter ad valorem scripti, quod conficit; sed tantùm ad probationem. Nam in testamento, in sententia Judicis definitiva, & similibus pro actis postulatur irrefragabilitas; acta verò excommunicati tolerati irritabilia sunt exceptione; Sic

Sic Castropalaus n. 20. cum Layman, & Coninch, ibidem.

ARTICULUS XII.

De officiis publicis.

1995 QUædam sunt, quæ habent annexam jurisdictionem, quædam verò non; dicuntur tamen publica, eò quod authoritate publicâ constituantur. De his quæritur, an excommunicatio major privet, quocunque usu officii publici? Recolenda hìc, quæ diximus in præmissis; pro reliquis adhuc quæri potest. 1. An Parochus excommunicatus, etiam vitandus, validè assistat matrimonio? ad quod R. affirmativè; quia non est usus officii publici supponens jurisdictionem, cùm præstari possit etiam ab invito; ita Sanchez, Henriquez, & alii. Si dicas, excommunicatus vitandus nequit esse testis; respondet Castropalaus distinguendo: nequit esse testis *deponens* C. solùm inspiciens, ut postmodum testificari possit N. Deinde testificatio excommunicati vitandi valida est, cùm non excipiatur.

1996 Quæri potest. 2. An licentia sit valida, quam Parochus excommunicatus concedit alteri, ad assistendum matrimonio? R. concessam à tolerato validam esse, cùm agat in utilitatem fidelium, communis sensus est; concessam verò à vitando, validam esse negat Coninch, & Avila; quia talis concessio est actus jurisdictionis, quâ privatus est; sed rectius affirmat Filliuc. Sanchez, Bonacina & & Hurtado, quos citat, & sequitur Castropalaus n. 3. negans esse actum jurisdictionis, sed dominii, sicut est quæcunque Procuratoris constitutio. Deinde, quòd matrimonium valeat factum coram eo, qui est idoneus assistere, & ad hoc designatur, non habet à designante, sed à Tridentino. Hoc autem ei non tollitur per excommunicationem designantis; ergo.

1997 Quæri potest 3. an admisso ad professionem Religiosam facta à Prælato excommunicato valida sit? Affirmant Sanchez, & Layman, quos citat, & sequitur Castropalaus n. 4. quia talis admissio est actus cujusdam Superioritatis, non jurisdictionis Ecclesiasticæ. Alias fœminæ, vel Laici, non possent admittere ad professionem Religiosam; cùm careant jurisdictione Ecclesiasticâ. Quod etiam verum est, licet talis excommunicatus committat alteri, ut professionem excipiat, nisi aliunde prohibitus sit. Et hoc ad professionem Religiosam excommunicati etiam vitandi extendit Pellizarius in manuali regul. tom. 1. tit. 3. c. 2. n. 15. quia matrimonium carnale contractum ab excommunicato vitando valet: ergo etiam professio, quæ est quoddam matrimonium spirituale, 2. quia professio est quidam contractus naturalis; qui validè fit ab excommunicato vitando; ergo.

ARTICULUS XIII.

De communicatione publica.

NOn posse unum excommunicatum vi- 1998
tandum licitè communicare cum alio excommunicato etiam vitando, docet Gibalinus disquis. 7. q. 9. n. 3. Privatur enim omni communicatione etiam civili, & politicâ cum aliis fidelibus; ut patet ex c. *Sicut Apostoli*, 11. q. 3. ibi: Sicut Apostoli statuerunt dicentes: *Cum excommunicatis non est communicandum*: & si quis cum excommunicatis, aversando regulas, scienter saltem in domo semel locutus fuerit, vel oraverit, ille communione privetur, c. *cum excommunicato*, eod. ibi: *cum excommunicato neque orare, neque loqui* (nisi quæ ad eandem excommunicationem pertinent) *nec vesci liceat*. Si quis enim cum eo aut palâ, aut absconsè locutus fuerit, statim cum eo communem excommunicationis contrahet pœnam, & c. *Quoniam multos*, eod. caus. & quæst. ibi: quoniam multos peccatis nostris exigentibus pro causa excommunicationis perire quotidie cernimus, partim ignorantiâ, partim nimiâ simplicitate, partim timore, partim etiam necessitate, *devicti misericordiâ*, anathematis sententiam ad tempus, prout possumus, opportunè temperamus. Apostol cà itaque auctoritate *ab anathematis vinculo hos subtrahimus*: videlicet *uxores, liberos, servos, ancillas seu mancipia*, nec non *rusticos servientes*, & *omnes alios, qui non adeo curiales sunt, ut eorum consilio scelera perpetrentur, & eos, qui ignoranter excommunicatis, sive illos qui communicant cum eis, qui excommmunicatis communicant*. Quicunque autem orator sive peregrinus, aut viator in terram excommunicationum devenerit, ubi non possit emere, vel non habeat, unde emat, *ab excommunicatis accipiendi licentiam damus*. Et si quis excommunicatis non in sustentationem superbiæ, sed humanitatis causa dare aliquid voluerit, non prohibemus. Ubi vides à communicatione cum

excommunicatis solùm excipi domesticos, vel casum necessitatis, aut ignorantiæ, idque solùm ex misericordia; sic Gregorius VII. ibid. Reducitur autem hæc civilis communicatio, quâ major excommunicatio privat, ad pauca capita, expressa per hunc versum: *Os, orare, vale, communio, mensa negetur.*

1999 Per *os* intelliguntur signa benevolentiæ, ut oscula pacis, complexus, missio munerum, collocutio, sermo, ut notat Gibalinus cit. n. 3. *§. tertiò nomine oris*; hæc enim omnia cum excommunicato fidelibus, & huic cum illis prohibita sunt, c. *Sicut Apostoli*, cit. quod verum est etiam de sermone propter literas, c. *Si aliquando*, de sent. excom. vel etiam propter signa, & nutus. Advertit tamen Gibalinus, quòd etsi accipiens munera ab excommunicato vitando peccet accipiendo, non tamen peccet retinendo, nec obligetur ad restitutionem. Excommunicato autem salutanti respondere licet per verba deprecatoria pro ipso v. g. *DEus te illuminet, &c.* sic enim est potius locutio cum DEO; ita Castropalaus p. 17. n. 2.

2000 Per *orare*, intelligitur communicatio in sacris, de qua jam egimus supra. Per *vale*, intelligitur quælibet honorifica salutatio excommunicati, respectu cujus fidelibus ea prohibetur, c. *excommunicatos*, 11. q. 3. c. *omnis*, 24. q. 1. an autem liceat excommunicato transeunti assurgere, pileum deponere, vel alia signa exhibere, quæ jam per consuetudinem urbanitas induxit? probabilius negant Suarez, Sylv. Navar. Layman, Hurtad. Bonacina, Vasquez, apud Castropalaum p. 17. n. 4. quia hæc est vera salutatio exterior, in quam incidit prohibitio, licet non fiat animo salutandi: quamvis ibidem probabile censeat Castropalaus, fieri posse sine ullo peccato, & sine incursu excommunicationis minoris. Videtur enim hæc salutatio inducta per consuetudinem, non ut excommunicatus honoretur; sed ut necessaria, ne inhonoretur, vel contemnatur, quod à fortiori verum censet, si ab excommunicato præveniaris salutatione; tunc enim resalutatio videtur debita; ita etiam Henriq. & Filliuc. ibid.

2001 Per *mensam* intelligitur commercium cum excommunicato, comedendo, vel bibendo, per modum socii, esto fiat in diversis mensis materialibus: non verò si fiat casu, & absque societate, esto contingat in eadem mensa; sic enim unus non communicat cum alio; Gibalinus q. 8. n. 8. Per verbum autem *communio* significatur, & prohibetur quæcunque alia cooperatio, & Societas in negotio aliquo gerendo, quæ reliquis quatuor vocibus non comprehenditur, ut est, *cohabitare*, simul iter agere, communicare in Sacramentis, & in quocunque humano contractu; ita Hurtad. de excomm. D. q. diffic. 1. & Gibalinus q. 8. n. 7.

Quæres, an contractus initi inter excommunicatum vitandum, & fideles, validi sint, & firmi, ita ut non tantùm vi illorum excommunicatus, sed etiam fidelis obligetur? Aliqui apud Castropal. p. 16. n. 2. putant, validos esse, si sint in favorem contrahentium non excommunicatorum; secùs, si in favorem excommunicatorum: alii verò docent, omnes validos esse; sic ex communi Panormit. Felinus, Covar: Sayrus, Ugolinus, Vasquez, Coninch, Hurtado, quos citat & sequitur Castropalaus n. 3. & hoc ex c. *inter dilectos* 8. de donationibus, & colligitur etiam ex c. ult. de pœnis, ubi subditi à fidelitate debita Domino solvuntur, non ob excommunicationem Domini præcisè, sed *quòd in ea per duos annos insorduerunt.* Nec etiam ullus est textus juris irritans ejusmodi contractus. Illud certum est, quòd quis licitè cum excommunicato communicet in iis, quæ pertinent ad executionem contractus ante excommunicationem initi, ut supr. diximus ex c. *Si verè*, h. t. nam contractus non solvitur per supervenientem excommunicationem, ut etiam notat Barbosa hic n. 2. saltem si contractus est contra excommunicatum; Suarez tom. 5. D. 15. S. 8.

2002

2003 Dices: quæ contra jus fiunt, pro infectis haberi debent; Sed ejusmodi contra jus fiunt; ergo. R. cum dist. quæ contra jus *irritans* fiunt, pro infectis haberi debent, C. contra jus *solùm inhibens* N. ma. ejusmodi autem contractus fiunt quidem contra jus *inhibens*; sed *non irritans*, hinc esto excommunicatus, petens executionem contractus in excommunicatione initi repellatur: ex hoc tamen non ostenditur, eum esse nullum; quia non repellitur ob nullitatem contractûs, sed ob excommunicationem. Unde absolutus

lutus ab excommunicatione, poterit agere pro obligatione sibi excommunicato facta, arg. c. *felicis*, V. *Cùm autem*, de pœnis in 6. ita Felinus & Selva, quos refert, & sequitur Sayrus & Hurtado apud Castropal. loc. cit.

2004 Ex hoc sequitur 1. validam esse venditionem, emptionem vel locationem, ab excommunicato factam, ex c. *Si verè* 34. de sent. excom. & c. *quoniam multos*, 11. q. 5. secundò validam esse donationem factam tum excommunicato, tum alteri ab ipso, c. *inter dilectos*, de donationibus; ita Sayrus, Vasq. Coninch, Hurtado, Bonacina apud, & cum Castropalao p. 16. n. 3. quod verum est de contractibus non tantùm privatim, & nomine proprio, sed etiam factis authoritate publicâ, & ratione officii publici, Sanchez l. 5. in Decal. c. 4. n. 78. Hinc etiam valet contractus matrimonii celebratus ab excommunicato; quia nullus est juris textus irritans; imò valere colligitur ex c. *Significasti*, de eo, qui duxit; ita Felinus, Covar. Ugolin. Sayr. Bonac. & alii. Deinde excommunicatio non impedit conjugalem convictum, utpote à natura concessum, & maximè necessarium; ergo licet talis contractus sit illicitus, non est tamen invalidus: Contrarium tamen docent aliqui apud Castropal. p. 16. n. 5.

2005 Sequitur 2. testamentum ab excommunicato vitando confectum valere; nullibi enim habetur irritum; Sic Castropal. n. 6. contra nonnullos ibidem negantes. Deinde omnibus permissum est testari, nisi expressâ lege prohibeantur, §. *fin.* Institut. quibus non est permissum testimonium ferre. L. *Si quæramus* ff. de testam. L. 1. C. de SS. Ecclesiis; sed excommunicato non est generaliter interdicta testamenti confectio: & ideo testamento relicta per mortuum in excommunicatione, & non absolutum, si sint sine onere pro illo applicandi communia Ecclesiæ suffragia, recipi possunt; non autem si secùs; nam his privatus est; Sic Barbosa in c. *Sacris*, h. t. n. 4. Hinc etiam validè institui hæres potest excommunicatus vitandus; ad hoc enim minus requiritur, quàm ad testandum; ita Coninch, & alii apud Castropal. n. 7. excipiuntur tamen aliqui casus, in quibus tam activa, quàm passiva testamenti confectio criminosis interdicitur. 1. hæreticis, eorumque fautoribus, c. *Excommunicamus*, §. *credentes*, de hæreticis; 2. percutientibus, & in sequentibus Cardinalem, c. *Felicis*, de pœnis in 6. 3. Reis læsæ Majestatis, ex jure civili; 4. Usurariis manifestis, nisi cautionem præstent, juxta c. *quamquam*, de Usuris in 6. extra hos casus testamenti confectio, quibusvis criminosis permissa est.

ARTICULUS XIV.

De Culpa, & pœna communicationis cum excommunicato.

QUæres 1. an, qui cum excommunicato vitando in Sacris communicat, peccet mortaliter? item an ipse excommunicatus, si in his communicet cum alio? Castropalaus p. 18. ait, affirmativam teneri ferè ab omnibus Doctoribus juxta textum in c. *Significavit*, 18. de sent. excom. ubi excommunicatio major statuitur in Clericos scienter, & sponte communicantes in Sacris cum excommunicatis à Papa; hæc enim utpote maxima, ex vi excommunicationis, directè prohibetur. Ubi tamen nota cum Suarez, & Gibalino disq. 7. q. 9. n. 9. non bene inferri, transgressionem præcepti esse levem ideo, quia est in materia indirectè solùm prohibita. Per *sacra* autem, ait Castropalaus hìc, intelligi Sacramenta, officia Ecclesiæ solemnia, & sepulturam. Ex hoc infertur, communicationem in rebus sacris prohibitam vi excommunicationis, si non sit in materia gravi, non esse per se mortalem, ut tenet Barbosa in c. *quod in dubiis*, h. t. n. 4. Talem non gravem censet Castropalaus n. 2. recitationem divini officii privatim fidelis cum excommunicato, vel hujus cum illo; collationem beneficii, ejus receptionem, usum, & jurisdictionis Ecclesiasticæ exercitium. Non enim censentur materia sacra *gravis*; nec enim ratione sui, & ex se sunt sacræ; sed ratione finis, vel principii, à quo fluunt: quamvis per accidens talis communicatio fieri possit gravis, scilicet ex vi nullitatis, quæ regulariter in talem actum inducitur ab excommunicatione vitanda. Præter hoc notand. ex Gibalino, triplices esse actiones, sacras, profanas, & temporales, ac medias. *Sacræ* sunt, quas dixi n. 1874. *Profanæ*, quæ nihil habent commune cum Sacris; mediæ, quæ pertinent ad collationem beneficiorum, electionem, præsentationem, acceptationem &c. Hæ enim pertinent ad fo- 2006

rum

rum sacrum, in quo sacra jurisdictione proceditur: dicuntur autem *sacræ* non ex se, sed vel ratione finis, vel ratione principii.

2007 Quæres 2. An peccet mortaliter, vel fidelis, vel excommunicatus, si invicem communicent in aliis rebus, quàm in sacris, v. g. communicatione civili? R. hanc communicationem ex genere suo solùm esse venialem; ita Gibalinus, disquis. 7. q. 9. n. 9. Castropalaus D. 2. p. 8. n. 2. quia talis communicatio communi sensu non censetur ex se materia gravis. Hinc complures tenent, etiam communicationem in sacris, quantum est ex genere suo, gravem, ob parvitatem materiæ, fieri posse levem; sic Gibalinus loc. cit. §. *circa hanc.* Et quamvis afferantur aliqui textus juris, quibus aliqui probant, communicationem cum excommunicato in quavis actione gravem esse; eos tamen bene expositos habes apud Castropal. p. 18. ubi ostendit, eos non probare universaliter, sed tantùm in certis casibus, scilicet, si communicatio sit essentialiter mala, nimirum independenter à prohibitione; ut si sit in crimine criminoso, seu illo, propter quod alter excommunicatus est, & paucis aliis.

2008 Circa pœnas autem communicationis illicitæ cum excommunicato, quæstio est, quæ illi iure decreta sit? R. quòd excommunicatio minor. Nam in c. *statuimus*, 3. de sent. excom. in 6. id expressè deciditur de excommunicatione minori, *quamvis ibidem addatur*; quod si excommunicatus vitandus ex locatione, & aliis, propter quæ communicans labitur in excommunicationem minorem, fortius indurescat, *posse communicantem, post monitionem canonicam, simili censura damnari*; non autem hâc omissâ: juxta hunc textum explicandi sunt alii, quibus nonnulli volunt in pœnam dictæ communicationis statui excommunicationem majorem; licet enim excommunicatio simpliciter prolata, stet pro majori; id tamen solùm valet, nisi aliunde, vel ex alio titulo, vel ex sola materia oppositum colligatur. Hinc licet nulla communicatio illicita cum excommunicato puniatur aliâ pœnâ, quàm excommunicatione minori, regulariter: sunt tamen casus pauci, in quibus oppositum expressè statuitur in jure, tali communicationi imponente in pœnam excommunicationem majorem. Talis est communicatio cum excommunicato in crimine criminoso, cujusmodi est id, propter quod hic incurrit communicationem incidit; tunc enim dicitur communicare cum illo in crimine criminoso, c. *Si concubinæ* 55. & si Clericus participat scienter, & sponte, cum excommunicatis à Papa, eosque in officiis divinis recipit per cit. c. *significavit*, 18. h. t. ita P. Stephanus Bauny de Censur. in epitome de excommunic. cit. c. 17.

Præter hæc notand. communem quidem esse regulam, quòd omnes Christifideles, Ecclesiæ præcepto teneantur, non communicare in præfatis cum excommunicato vitando, secundùm doctrinam prius allatam; & ab illa lege prohibente communicationem cum excommunicatis vitandis excipi solum Pontificem; non autem Episcopum (nam & hic tenetur vitare excommunicatum à se, ut habetur c. *nunquam*, de sent. excom.) esse tamen aliquos casus, in quibus Ecclesia noluit obligare fideles ad vitandum excommunicatum, aliàs non toleratum, quos Authores plerumque exprimunt per verba sequentis versûs: *Utile, lex, humile, res ignorata, necesse*, ut notat tum Hurtado diffic. 4. tum alii; & colligitur ex c. *quoniam multos*, 11. q. 3. 2009

Per *utile* significatur non prohiberi communicationem fidelibus cum excommunicato, aliàs non tolerato, si cum illo agendum est, vel agatur propter *utilitatem* non utcunque acceptam, sed 1. propter spiritualem ejus utilitatem, ex c. *cum voluntate*, 54. de sent. excom. Sic admitti potest ad concionem, c. *responso*, 43. eodem, & admoneri per literas, vel alia signa, directè pertinentia ad ipsius spirituale bonum; Sic Hurt. diffic. 4. qui etiam concedit, audiri propter eundem finem posse confessionem Sacramentalem excommunicati, ante absolutionem ab excommunicatione, non tantùm cùm agitur de utilitate spirituali excommunicati, sed etiam temporali.

2. Idem licere propter propriam utilitatem spiritualem, aut temporalem, quam quis sperat ex communicatione cum excommunicato, aliàs non tolerato, docet Hurtado n. 20. quando ea æquè commodè haberi nequit à non excommunicatis; nam excommunicati pœna non debet esse oneri aliis innocentibus. Hinc infert, in dicto casu posse fidelem audire concionem ab excommunicato, consilium, favorem, vel eleemosynam, petere debitum, ac legatum ab ipso relictum accipe-

cipere; Epistolam ab ipso scriptam legere, post ejus obitum. Hinc in *c. inter alia* 31. de sent. excommunic. traditur hæc regula: quòd, qui prius obligati alicui erant ad familiare obsequium; eidem etiam excommunicato communicare teneantur; excipiuntur tamen Clerici respectu Episcopi, & Monachi subditi respectu Abbatis excommunicati, nisi habeant titulum subjectionis, temporalis servitii; Sic Barbosa ibi, n. 10. & 11. aliud est quoad actus jurisdictionis; nam sine his præstari possunt servitia, consequenter in illis non tenentur; Barbosa n. 9.

2011 *Lex* hic significat legem, seu *obligationem conjugalem*; propter quam ab obligatione non communicandi cum excommunicato vitando excipitur uxor. Hæc enim non solùm quoad usum conjugalem, & obsequia solita, sed etiam quoad omnia alia communicare potest cum marito excommunicato vitando, ut constat ex *c. inter alia*, 31. de sent. excom. & tenet Hurtado cit. D. 9. de excom. diffic. 4. Excommunicatio enim, ut dixit Innocentius III. in cit. *c. inter alia* non privat excommunicatum suo jure; ergo illi reddendum est, quòd ei debetur; & quamvis in *c. quoniam multos*, 11. q. 3. solùm sermo sit de uxoribus, quibus permittitur communicatio cum excommunicato marito (cùm frequentius fit excommunicari viros, quàm mulieres) extenditur tamen etiam ad maritum respectu uxoris excommunicatæ propter allatam rationem. Hæc tamen omnia intelligi vult Castropalaus, si quis conjugum excommunicatus ob aliam causam, quàm matrimonialem; Sic etiam Bauny de cens. D. 6. q. 4. & Barbosa in cit. c. n. 5. tunc enim excommunicatio (cùm pendet lis, & divortium de valore matrimonii) petit eorum cohabitationem impedire. Deinde etiam, si unus scienter nupsit excommunicato vitando; sed hoc negat Sanch. de matr. l. 9. D. 14. n. 11.

2012 *Humile* significat obsequia à servis Domino; à liberis Patri exhiberi posse sine pœna, aut culpa; Bauny cit. §. *Lex*, & habetur *c. si verè*, 34. h. t. Notat autem Hurtado cit. n. 24. per *servos* hic non intelligi vasallos; hi enim nec sunt filii, nec servientes, nec aliter de familia Domini temporalis. Et ob eandem rationem vult etiam clericos non excipi à prohibitione communicandi cum excommunicato suo Episcopo, nec econtra. Solùm ergo ly *humile* comprehendit servientes ex obligatione prius, quàm incurreretur censura, contracta. *Res ignorata* significat ignorantiam tam juris, quàm facti, quæ sicut operantem eximit à peccato, sic etiam eximit à pœna. *Necesse* verò significat necessitatem tam spiritualem, quàm temporalem excommunicati, vel communicantis, quæ si postulet communicationem excommunicati cum non excommunicato, vel econtra facit immunem à culpa, & pœna; Sic Bauny de censur. D. 6. q. 4. ex *c. inter alia*, 31. de sent. excom. Quod enim non est in lege licitum, necessitas licitum facit, inquit 4. regula juris.

ARTICULUS XV.

De remoto effectu excommunicationis majoris.

TRes effectus habet excommunicatio major, qui remotè vocantur, ut ait Hurtado hìc D. 11. n. 1. quia non incurruntur immediatè ob excommunicationem, sed ob transgressionem excommunicationis vel prohibitionis. Primus est, quòd is, qui convenitur super crimine sive civiliter, sive criminaliter, & ob contumaciam in ea causa excommunicatur, atque in ea excommunicatione per annum perseverat, censeatur convictus de eo crimine, ut deducitur ex c. *rursus*, ibi: *si verò intra annum causam suam purgare contempserint, nulla eorum vox postea audiatur.* & c. *quicunque*, 11. q. 3. ubi Gelasius Pontifex, *Quicunque*, ait, *intra anni spatium civiliter, sive publicè causam suam coram suis excommunicatoribus non peregerint, ipsi sibi aditum audientiæ clausisse videantur.* Quod si obstinato animo sine communione defuncti fuerint, nos eorum causam, juxta B. Leonis Prædecessoris nostri sententiam, divino judicio reservantes, *quibus vivis non communicavimus, nec mortuis communicare debemus.* 2013

Secundus est, quòd is, qui excommunicatione (idem dic de suspensione & interdicto) innodatus, obdurato animo in ea per annum perseverat, fiat suspectus de hæresi, & ut talis possit puniri; intellige secundùm praxim, quòd inducat purgationem, in qua, si deficiat, puniri poterit ut hæreticus. Tertius effectus est irregularitas, quæ incurritur à Clerico excommunicato, suspenso, vel interdicto, exercente solen- 2014

niter officium Ordinis sacri, quem habet, ut constat ex c. 1. de sent. & re judicata, ibi: *Si suspensione durante damnabiliter ingesserit se divinis, irregularitatis laqueo se involvet*; id, quod etiam habetur in c. 1. h. t. in 6. ibi: *Si contingeret, eos sic suspensos divina officia exequi sicut prius, irregularitatem non effugient juxta Canonicas Sanctiones*; item c. *Is, cui*, 20. eod. in 6. Sic Hurtado loco cit. quibus addit Bauny de censur. tract. 1. q. 10. etiam de illo, qui tale quid coram se exerceri scienter imperat. Hæc tamen intellige de re ipsa censurato; non eo, qui solùm talis putetur.

2015 Nota autem, hanc irregularitatem esse reservatam Papæ, licet excommunicatio esset ab inferiore Prælato per cit. c. 1. de sent. excommunic. in 6. ibi: *Super qua non nisi per Summum Pontificem poterit dispensari.* Procedit autem hæc pœna excommunicati, si divinis se ingerat, si ligatus sit excommunicatione majori. Nam de hac simpliciter accepta textus loquitur; qui enim in excommunicatione minori celebrat, ob hoc non fit irregularis. Sic Bauny loc. cit. t. 1. q. 10. & probabilius intelligitur de exercitio officii, quod ab Ordinibus pendet; & solùm infligit pœnam propter talem actum *præsumptuosè*, ac *temerè* exercitum.

ARTICULUS XVI.

De Excommunicatione minori.

2016 EXcommunicatio minor est censura Ecclesiastica, quæ propter communicationem cum excommunicato contracta *privat* usu passivo Sacramentorum, ac participatione beneficiorum Ecclesiasticorum; sic Bauny de cens. t. 5. D. 6. q. 1. patet ex c. *Si celebrat*, de Cleric. excommunic. ministr. Incurritur etiam ab Episcopo communicante otiosè cum excommunicato vitando, esto denuntiatus sit ab ipso; Barbos. in c. *cùm desideres*, hìc n. 4. Inter ejus effectus primus est, amittere jus passivum recipiendi Sacramenta; secundus, excludere ab electione passiva ad beneficium, quatenus, si electio talis excommunicati fiat, irritanda est, ut patet ex c. *Si celebret*, de excommunic. ministrante; ubi Gregorius IX. sic loquitur: *Si celebret à minori excommunicatione ligatus, licet graviter peccet, nullius tamen notam irregularitatis incurrit, nec eligere prohibetur, vel ea, quæ ratione jurisdictionis sibi competunt, exercere. Si tamen scienter talis electus fuerit, ejus electio est irritanda, pro eo quod ad susceptionem eorum eligitur, à quorum perceptione, à sanctis Patribus est privatus.* Peccat autem conferendo Ecclesiastica Sacramenta, sed ab eo collata virtutis non carent effectu, *cùm non videatur à collatione, sed participatione Sacramentorum (quæ in sola consistit perceptione) remotus.* Dummodo non in contemptum Ecclesiasticæ disciplinæ, videlicet contra prohibitionem Superioris, communioni excommunicatorum pertinaciter se ingesserit: in quo casu est anathemate feriendus.

Not. tamen 1. quòd excommunicatio 2017
minor directè privet solùm jure passivo recipiendi Sacramenta; & tantùm indirectè jure passivo recipiendi beneficia; ideo enim privat illo, quia privat receptione Sacramentorum, ad quam beneficium saltem remote ordinatur, quia ordinatur ad celebrationem, ac proinde ad susceptionem ordinum, & Eucharistiæ; Sic Hurtad. D. 14. diffic. 1.

Not. 2. mutuam communicationem 2018
fidelium, & excommunicati (ob quam solùm nunc contrahitur excommunicatio minor, ut notat Hurtado cit. D. 16. n. 1.) prohibitam esse, ut vult Hurtad. D. 11. diffic. 2. n. 5. intuitu ac virtute religionis; ac proinde esse peccatum oppositum religioni, quod Hurt. vocat peccatum irreligiositatis; facta enim prohibitio est in odium excommunicati, tanquam indigni communicatione fidelium, qui sunt membra Ecclesiæ.

Not. 3. Susceptionem Sacramento- 2019
rum in excommunicatione minori illicitam esse, cùm violet prohibitionem Ecclesiæ; & quidem, ut vult Hurtado D. 16. Diffic. 1. n. 2. mortaliter, ut habetur ex textu in *c. si celebrat*, de quo supr. ubi dicitur, quòd, si in excommunicatione minori celebret, *peccet graviter*; non autem, quia ministrat, ut patebit; ergo quia recipit. Dubitatur autem, an licet Sacramenta illicitè, tamen valide recipiat? R. affirmativam teneri à Navarro, & Covar. Vasquez autem, & alii, quos citat, & sequitur Hurtado cit. n. 3. ait, esse inhabilem ad recipiendum Sacramentum pœnitentiæ, esto naturaliter oblitus esset suæ excommunicationis; quòd Ecclesia eum removeat à Sacramentorum susceptione, quantum potest; Sed P. Anton. Escobar. Theol. mor. l.

50. sect. 2. d. 51. probabiliter censet, quòd etiam pœnitentiam validè recipiat, si nullam in ejus receptione culpam commisit; Ecclesia enim licet prohibeat, non tamen irritat.

2020 Not. 4. in quæstione, an talis illicitè ministret Sacramenta? affirmativam teneri à Soto, Layman, Suarez, aliisque apud Bauny t. 5. D. 6. q. 1. qui docent eum peccare venialiter; sed probabile censeo, nec venialiter peccare. Non enim agit contra ullam legem; nec etiam ex eo, quòd recipere sit prohibitus, irreverentiam facit dando. Sic Navarr. apud Bauny, §. *quodsi*, Fillucius tr. 13. n. 22. Suarez D. 24. S. 2. n. 12. aliique apud Escob. cit. n. 281.

2021 Unde cùm in *c. Si celebrat*, dicitur de excommunicato excommunicatione minori: *peccat autem conficiendo Ecclesiastica Sacramenta*, intelligendum de collatione eorum, quæ conjuncta est, cum susceptione, ut colligitur ex contextu, ubi dicitur, *quòd non videatur remotus à collatione, sed participatione Sacramentorum, quæ in sola consistit perceptione.* Hinc excommunicatus excommunicatione minori potest aliquem ab excommunicatione licitè absolvere. *c. duobus*, 56. de sent. excom. ibi: *duobus collata potestas, ut à minori excommunicatione, si in ipsam inciderint, invicem se absolvant, utroque ligato vinculo excommunicationis hujusmodi, non expirat.*

2022 Not. 5. excommunicatum excommunicatione minori, ex hoc, quòd illicitè in illa celebret, non fieri irregularem. Nam ut in tali casu illa irregularitas contrahatur requiritur peccatum commissum ob activum exercitium Ordinis: sed ex eo, quòd celebret activè, non committit ullum peccatum; peccat enim solùm ex eo, quòd sacram Eucharistiam recipiat; ergo. Sic Hurtado cit. n. 5. & habetur c. *Si celebret*, cit. in n. 2016.

2023 Not. 6. Electionem passivam taliter excommunicati, prababilius valere; & solùm *irritandam* esse; cùm scienter facta est; ut dicitur c. *Si celebret*, in n. 2016. Unde quando Innocentius III. in c. *postulastis*, eod. electionem excommunicati vocat *irritam*, loquitur de excommunicato majore; nam hæc semper intelligitur, ubi simpliciter sermo est de excommunicatione juxta n. 1855. Neque dicas: ergo si talis electio fiat cum ignorantia, quòd eligendus irretitus sit excommunicatione minori, non erit irritanda; sic enim non est facta *scienter*. R. enim cum P. Bauny, §. *ad partem alteram*, negando illatum; quia ignorantia non facit eum habilem, qui ratione excommunicationis inhabilis est ad persistendum in electione facta; unde talis electio non deficit à firmitate ratione eligentium illum, sed ratione eligendi.

Not. 7. hanc excommunicationem 2024
vocari *minorem*, non quòd parvâ re privet; sed primò, quia infligitur ob minus peccatum, quam excommunicatio major; 2. quòd habeat minores & pauciores effectus, quam major: 3. quòd opinione hominum minus sit, tantùm à Sacramentorum participatione removeri, quàm ab omni Fidelium communione.

Not. 8. causam materialem hujus cen- 2025
suræ esse conversationem, seu communionem cum excommunicato vitando, sive mortalis sit, sive venialis. Causam efficientem esse secundum jus, & hominem. *Jus*, quod ipso facto infligit hanc censuram ei, qui illicitè communicat cum excommunicato; *hominem*, cùm eam imponit in pœnam culpæ. Sed hoc postremum nunc in casu non est. Contrahitur autem in omni casu illicitæ communicationis cum excommunicato vitando, de quo in præmissis actum est. Illud not. per communicationem cum excommunicato vitando semper quidem incurri tantùm minorem excommunicationem; esse tamen casus, in quibus si Clericus scienter, & sponte in divinis communicat cum excommunicato à Papa, incurratur excommunicatio major, ut jam diximus ex c. *Significavit*, 18. h. t.

ARTICULUS XVII.

De absolutione ab excommunicatione.

QUæ pertinent ad absolutionem à cen- 2026
suris in genere, diximus à n. 1819. ubi etiam de divisionibus variis hujus absolutionis, aliisque ad eam pertinentibus. In præsens agendum de eo, qui per absolutionem tollere possit excommunicationem. Cùm autem jam dixerimus à n. 1820. an excommunicatio possit auferri absque absolutione? 2. à n. 1820. an tollatur morte censurati, vel censurantis? 3. à n. 1823. an solâ emendatione Rei? 4. ex n. 1823. an lata ad tempus, eo ipso sine ulla absolutione cesset appulsu termini?

5. ex n. 1833. an absolutio ab excommunicatione fieri possit sub conditione? 6. ex n. 1841. utrum ut absolutus ab excommunicatione ad reincidentiam, in eam reincidat, sit necessaria nova culpa? 7. ex n. 1844. quæ forma sit necessaria ad absolutionem ab excommunicatione? cùm inquam, hæc jam præmissa, procedimus ad reliqua. Unde

2027 Quæres 1. An possit quis absolvi ab excommunicatione incursa ob injuriam alteri factam non satisfactâ parte? R. non posse licitè, si possit satisfacere, & hoc ex c. 2. de sent. excom. in 6. ibi: *nisi prius sufficiens præstetur emenda, vel competens cautio de parendo juri, si offensa dubia proponatur.* Secus est, si non possit satisfacere, modo similiter præstet cautionem, se facturum, cùm poterit. Si autem alicui jurisdictio absolvendi ab excommunicatione detur cum clausula, *satisfacta parte?* poteritne tunc licitè absolvere pœnitentem, qui non potest satisfacere parti, vel non nisi cum magno detrimento, esto præstet dictam cautionem? R. affirmativè; ea enim clausula tantùm fit, ut satisfaciat, si possit; sic Vasquez, Henriquez, & alii cum Hurtado diffic. 5.

2028 Circa hanc quæstionem not. 1. ex Hurtado loc. cit. ab Ordinario, vel etiam eo, cui absque privilegio generaliter delegata est potestas absolutionis à censuris simpliciter, nullâ additâ limitatione, validè absolvi eum, qui esto commodè possit, parti læsæ non satisfacit, quamvis in commissione addatur: *satisfacta prius parte*, si subdatur, *& aliter non absolvet*; his enim postremis verbis notatur absolutionem aliter factam non irritari, sed tantùm prohiberi; sic ille, licet non immeritò videri posset, dictam satisfactionem requiri tanquam formam, saltem, ubi alicui potestas absolvendi delegata est ex privilegio, vel commissione particulari, cum clausula: *satisfacta parte* absque aliis verbis, quibus denotatur nullitas, aut valor absolutionis, prout affirmant Vasquez & Suarez, apud Hurtad. diffic. 5. n. 22. licet Avila & Sancius etiam in hoc casu censeant, per eam clausulam non limitari potestatem, sed tantùm admoneri, ut servet formam juris communis. Quando autem Papa absolutionem excommunicati delegat, mandat recipi cautionem de parendo deinceps Ecclesiæ, c. *adhæc*, 12. h. t. ibi: Romana Ecclesia absolutionem sententiæ delegatorum Judicum nequaquam consuevit aliis delegare: nisi in literis commissionis contineatur, expressè de sufficienti cautione præstanda ab his, qui absolvi debent, quòd judicio Ecclesiæ debeant obedire.

Quæres 2. quomodo absolvatur pluribus censuris ligatus? R. breviter, si absolvens habeat expressum animum seu intentionem absolvendi ab omnibus à quibus validè potest; & utitur verbis v. g. *absolvo te ab excommunicatione*, pœnitentem ab omnibus absolutum esse: Si verò non habeat illum expressum animum, censeri eum absolvere ab illis, quas pœnitens expressit; Hurtado diffic. 6. Cœterùm excommunicatus à pluribus Judicibus ob diversas causas, cùm ab uno absolvitur, tacitis aliis causis, ab his non liberatur, c. *officii* 42. h. t. nisi is possit ab omnibus, & animum habeat liberandi ab omnibus Reum dispositum. His positis:

§. 1.

Quis ritè absolvat ab excommunicatione majori?

2029 PRima quæstio est, an id possit Clericus non Sacerdos; pro resolutione supponendum, omnem Sacerdotem habentem jurisdictionem Ecclesiasticam *in foro* exteriori, seu judiciali, sive ordinariam, sive delegatam, posse absolvere ab excommunicatione majori, non reservata; sic Hurtad. D. 5. diffic. 1. hanc autem censentur habere 1. qui habent similem potestatem ferendi excommunicationem majorem, de quibus egimus à n. 1627. deinde illi, quibus id competit ex privilegio, vel alio jure speciali, quibus positis colliges, quòd, quamvis ordinaria potestas absolvendi semper juncta sit cum potestate ligandi, cum hac tamen illam non semper conjunctam esse, ut liquet ex c. *Tua nos*, 19. de sent. excom. ubi absolutio excommunicationis publicatæ, quam incurrunt injicientes manum in Clericum, vel incendiarii, reservatur soli Papæ. His prænotatis

2030 Quæstio est, an Clericus non Sacerdos, qui habet jurisdictionem Ecclesiasticam in foro judiciali, ac potest non tantùm in eodem foro excommunicare, sed etiam ab excommunicatione absolvere, possit etiam absolvere pro foro conscientiæ, & quoad DEum? an talis Clericus non Sacerdos, nullam habens jurisdictionem in foro

foro exteriori possit existentem in articulo mortis absolvere ab excommunicatione majori? Ad 1. negativam tenet Sylvester V. *Absolutio* 1. §. 3. casu 5. & non pauci Canonistæ.

Nam in c. *Canonica*, 50. de sent. excom. exigi videtur, ut absolvens sit *Presbyter*, ibi: Nos ergo ad vos statutum hujusmodi duximus extendendum auctoritate præ: statuentes, ut in tali casu (nisi majoris sit providentia requirenda) *per Priorem vestrum, qui (sicut audivimus) Presbyter esse debet, fratribus vestris absolutionis beneficium impendatur:* affirmativam verò probabilius docent D. Antoninus, Covar. Avila, aliique cum Hurtado, diffic. 1. n. 2. quia quibus conceditur potestas verè ligandi (Math. 18.) etiam conceditur potestas verè solvendi. In dicto autem c. *Canonica*, sermo est de absolutione à culpa reservata Papæ, propter quam incursa est excommunicatio; ibi enim sermo est de casu, quo Monachi & Canonici Regulares quocunque modo se percusserint. Hoc verum esse volunt solùm quoad *forum judiciale*; nam quoad pœnitentiale, debere esse Sacerdotem, docet Barbosa in cit. c. n. 4. quod tamen procedit solùm, ubi absolutio fieri debet *Sacramentaliter*. Ad 2. affirmativam tenent Sylvester, & Angelus apud Hurtad. cit. n. 3. §. *Circa*. Nam Ecclesia potest illi hanc facultatem concedere; & ex benignitate præsumitur pro tali articulo concedere, cùm sit piâ Mater. Negativam tamen rectius tenet communior cum Suarez D. 7. S. 7. quia talis absolutio non est necessaria ad salutem; consequenter pro tali casu immeritò præsumitur.

§. 2.

Quis possit absolvere excommunicationem latam à jure?

2032 Resp. Si non sit reservata, esto lata sit à jure Pontificio, vel Synodali, etiam per Papam confirmato, posse Episcopum. Nam in c. *nuper*, 29. de sent. excom. dicitur, quòd, *quando Canonis Conditor absolutionem sibi non reservat, eoipso videatur aliis concedere facultatem relaxandi*; quod, tametsi ibidem dicatur solùm de excommunicatione minori (ut notat Hurtado diffic. 2.) tamen etiam intelligitur de majori, ob rationem eandem ibi adductam. Intelligitur autem hìc nomine *Episcopi*, omnis habens jurisdictionem quasi Episcopalem, ut alibi jam sæpe diximus. Sed quæres, an ab eadem excommunicatione non reservata possit absolvere proprius Parochus, vel etiam Confessarius alius, licet non Parochus? Negativam tenet Paludanus; quia hi carent jurisdictione fori exterioris; affirmant probabilius Navarrus, Vasquez, & alii. Nam ad hoc sufficit concessio potestatis exterioris, ex voluntate excommunicantis; hæc autem habetur, ubi non reservat talem absolutionem; & fieri potest etiam extra confessionem ab omnibus prædictis; ita Hurtad. diffic. 2. n. 7.

Respondetur 2. si excommunicatio 2033
reservata sit, absolutionem, extra mortis articulum, fieri posse tantùm ab eo, qui reservavit, vel ejus Superiore; sic enim eoipso, quod reservetur, alii non conceditur facultas. In articulo mortis autem conceditur facultas cuilibet Sacerdoti dandi talem absolutionem, quacunque censurâ innodato, ex Tridentino sess. 14. c. 7. pro quo tamen nota, absolutionem tunc dandam sub conditione, seu potius onere comparendi coram legitimo Superiore, si absolutus poterit, eoque jurato; quamvis hoc juramentum à pueris exigi non debeat. Sic Hurtad. n. 9. Si autem is, qui habet censuram Papæ reservatam, ipsum adire nequeat, sub prædicto illum onere absolvere potest Episcopus etiam extra articulum mortis; quod intelligitur de quibuscunque excommunicationibus reservatis, nec opus est mittere ad Pontificem; nec etiam adire delegatum Papæ, modò verificetur strictè, *quòd non possit adire Papam*; Sic Hurt. cit. n. 10. Idem posse Parochum, si personæ ipsius subditæ non possint Episcopum adire, & instet necessitas communicandi, vel celebrandi, amittique nequeat sine scandalo, vel nota infamiæ, tenet Castropalaus apud Mathæum de Moya in quæstionibus select. Theol. mor. t. 3. D. 8. q. 1. n. 5. intelligens id de casibus non tantùm Papæ, sed etiam Episcopo reservatis.

Præter hæc not. in Trid. sess. 24. c. 6. 2034
de reformat. ampliatam Episcopis esse potestatem in hac materia. Textus sic habet: *Liceat Episcopo in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus, ex delicto occulto provenientibus (exceptâ eâ, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductiis ad forum contentiosum) dispensare, & in quibuscunque casibus occultis, etiam Sedi Apostoli-*

ca reservatis, delinquentes, quoscunque sibi subditos, in diœcesi sua, per se ipsos, aut Vicarium, ad id specialiter deputandum, in foro conscientiæ gratis absolvere, impositâ pœnitentia salutari. Idem & in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ, eis tantùm, non eorum Vicariis, sit permissum.

2035 Si petas, an Episcopus uti possit dictâ concessione Tridentini quoad casus Bullæ cœnæ, etiam hæresis, & excommunicationes eis annexas? Affirmativam docent Henriquez, Ledesma, Lorca, Rodriquez & alii apud Hurtadum n. 12. negativam ibidem Toletus, Azor, Molina, Suarez; utramque opinionem probabilem censet Hurtado.

2036 Dices: hæc propositio (*sententia asserens Bullam cœnæ solùm prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt; & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, Anno* 1629. 18. *Julii in Consistorio Sacræ Congreg. Eminentiss. Cardin. visa est, & tolerata*) est inter propositones ab Alexandro VII. damnatas tertia; ergo non amplius uti possunt Episcopi dictâ Tridentini facultate. Responderi fortasse posset ab Authoribus negantibus, ex damnatione allatæ propositionis nihil concludi aliud, quàm quòd falsum sit, dictum, seu assertum ejus propositionis, nimirum eam sententiam, in Consistorio S. Congreg. Cardin. *esse visam, & toleratam*, consequenter verum esse oppositum, nempe *vel non visam, vel non toleratam*. Deinde iidem respondere possent, ut verificetur, falsum esse assertum, quod Bulla Cœnæ solùm prohibeat absolutionem hæresis, & aliorum criminum, *quando publica* sunt; & id non deroget facultati Tridentini, in qua de occultis sermo est, satis est, si dicatur, per Bullam Cœnæ illis prohiberi etiam absolutionem ab hæresi, licet occultâ; & in hoc derogatum esse dictæ constitutioni Tridentini; prout tenent Toletus, Garcia, Sanchez, Suarez & complures alii apud Barbos. in cit. Sess. 24. c. 6. n. 52. asserentem non paucos esse Doctores, qui dicunt sic declarasse Gregorium XIII. fuisseque in Supremo Generalis Inquisitionis Prætorio pronuntiatum, & non semel decisum. V. infra à n. 2494.

2037 Quæstio ulterius est 1. an Regulares ex privilegio habeant facultatem absolvendi ab excommunicatione majori? R. variis Religionibus concessam esse facultatem absolvendi ab omnibus excommunicationibus Papæ reservatis. Not. tamen in tali facultate generaliter concessa, non comprehendi casus Bullæ Cœnæ; isti enim sunt specialissimè reservati, ac proinde sub generali concessione non continentur, ubi non exprimuntur.

Quæstio est 2. an quoties conceditur 2037
facultas à casibus Pontifici reservatis, etiam censeatur concedi à casibus *reservatis Episcopo*? affirmat ex communi Doctorum Hurtado de censur. D. 15. difficil. 3. n. 14. hæc enim est minor, & continetur sub facultate Pontificia; id tunc esse manifestum, ait, cùm conceditur facultas absolvendi ab omnibus casibus reservatis, addendo: *adhuc Summo Pontifici*, quod aliquibus etiam videtur, si dicatur: *ab omnibus casibus, etiam Papæ reservatis.* Nam ly *etiam* denotat *præter* reservatos Papæ, *alios.*

Dices: hæc propositio. *Mendicantes* 2038
possunt absolvere à casibus Episcopo reservatis, non obtentâ ad id Episcoporum facultate, est inter propositiones ab Alexandro VII. prohibitas duodecima. Deinde in bulla Clement. X. quæ incipit: *Superna Magni Patris:* editâ 2. Aug. 1670. & apud Franciscum de Verde, in anacæphaleosi sent. prohibitar. habetur hæc propositio: *habentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reservatis, non idcò à casibus Episcopo reservatis posse absolvere*; ergo R. omnino tenendam esse prohibitionem Alexandri; dicendumque Regulares dictam potestatem non habere, nisi obtentâ ad id Episcoporum, vel Papæ facultate; non enim rectè arguitur ex hoc antecedente: *Mendicantes habent facultatem absolvendi ab omnibus Papæ reservatis; ergo etiam à reservatis Episcopo*; qualiter non bene argueret, qui sic diceret: *Monachus est privilegio Papæ dispensatus ad beneficium curatum; ergo etiam ad simplex; Episcopus est dispensatus ad dignitatem majorem; ergo etiam ad æqualem, vel minorem.* Et ideo etiam præcitati Doctores locuti sunt, non ex illo antecedenti nudo, sed aliis adhuc terminis affecto, ut liquet ex ipsorum fundamento bene animadverso.

Quæstio est 3. an quando in privilegio, 2040
pro absolutione à casibus, & censuris reservatis, non fit ulla restrictio, *ut valeat tantùm pro foro conscientiæ*, absolutio facta vi talis privilegii, vel etiam jubilæi, valeat etiam pro foro exteriori? R. negativam tene-

teneri à Convarruvia; affirmativam à Suarez D. 7. sect. 5. n. 10. quia tunc non est, unde limitetur; & posse absolutionem ab excommunicatione, ac aliis censuris fieri, etiam extra Sacramentum pœnitentiæ, docet Hurtad. cit. diffic. 5. & nos jam alibi diximus.

2041 Quæstio est 4. quæ intelligatur, quando in aliqua diœcesi reservatur *excommunicatio major*, an lata tantùm, an etiam ferenda? sive sit à jure, sive ab homine? R. 1. non intelligi ferendam, sed latam; quia cùm simus in materia odiosa, ly *excommunicatio* major, strictè accipiendum est, sed excommunicatio ferenda non est talis absolutè, sed erit, 2. non intelligi casus Papales habentes annexam excommunicationem, sed tantùm eos, quos diœcesanus reservat ob peculiare bonum suæ Ecclesiæ, præsertim cùm casus Papales sint extra jurisdictionem inferiorum; id, quod confirmatur ex declaratione Clementis VIII. apud Quarantam V. *Casus reservati*, fol. 167. ita Quintanad. tr. 3. singul. 1. n. 6.

§. 3.

Quis possit absolvere excommunicationem latam ab homine?

2042 Dicitur ab homine excommunicatus, qui talis est per excommunicationem, ab homine specialiter latam, vel medio præcepto, vel mediâ sententiâ speciali. Ab hac ergo excommunicatione primum potest absolvere is, qui eam tulit; 2. ejus Superior, 3. is, cui vel hic, vel ille hanc potestatem delegavit; 4. ejus Successor, 5. Capitulum Sede vacante; non autem alius, esto excommunicatio reservata non sit. Nam absolutio à dicta excommunicatione nullo jure conceditur; ut tribunal Judicis sit ordinariè illæsum, & non turbatum; Sic Hurt. de Censuris, D. 15. d. 6. n. 19. & Bauny mox citandus. Sed hæc intellige extra articulum mortis. Nam in eo quilibet Sacerdos à quocunque casu, & censura potest absolvere, per Trid. Sess. 14. c. 7.

2043 Quæres 1. An in privilegio concesso ad absolvendum ab omni excommunicatione tam à jure, quàm ab homine, intelligatur etiam facultas absolvendi ab excommunicatione per hominem specialiter lata? R. negativam teneri à Vasquez, & Hurtado cit. contra Henriquez, Avilam & alios; quia est contra jurisdictionem Judicum, quam eâ generali concessione turbandam concedi non est credibile, intellige lite nondum finitâ. Cœterùm etsi P. Bauny cit. q. 27. Similiter teneat negativam; probabilem tamen reputat oppositam; non enim potestas solvendi à vinculis animæ, sine restrictione data, limitari debet, præsertim si detur alicui toti Ordini, vel per Jubilæum, quod tamen intelligi vult tantùm pro foro conscientiæ, ut notat ibid. §. *tertia assertio*; idem §. *priori* extendens etiam ad casus Bullæ, si cui datur generalis facultas absolvendi à censuris reservatis Papæ.

Quæres 2. an saltem in eo privilegio 2044
veniat facultas absolvendi ab excommunicatione non reservata, generaliter ab homine lata? R. affirmativè; hinc iidem possunt absolvere ab hac censura, quos posse diximus à censura lata à jure non reservata. Quæ enim censura vagè fertur, ac nemine designato, in hac parte comparatur censuræ juris, & docet Layman l. 1. tr. 5. c. 7. cum Stephano Bauny de Censuris t. 2. D. 3. q. 20.

Not. præterea quosdam esse casus, in 2045
quibus excommunicanti est interdicta absolutio ab excommunicatione à se lata 1. cùm ipse factus est excommunicatus vitandus 2. cùm eam intentavit authoritate Papæ sine ulla causæ notitia, 3. cùm eam tulit consulto Superiore, & sententiam ejus confirmante, 4. cùm lata est in incendiarium; hæc enim est reservata Papæ, ut dictum est supr. 5. si eum excommunicavit, ut delegatus Papæ, & ille in tali censura per annum, vel aliquanto amplius perseveravit. Nam anno cessante authoritas sic excommunicantis ex commissione cessat; hæc Bauny loc. cit.

§. 4.

Quis possit absolvere ab excommunicatione minori?

Resp. quòd excommunicatus excom- 2046
municatione minori absolvi possit à proprio Episcopo, vel Parocho; ex *c. nuper*, 29. de sent. excom. ubi dicitur, quòd, quando Canonis Conditor absolutionem sibi non reservat, eoipso videatur concedere aliis facultatem relaxandi; sed excommunicatio minor reservata non est. Hinc etiam docet Hurtado D. 15. diffic. 2. n. 6. quòd etiam ab ea absolvere possit confessarius Ordinarius, non Parochus; quia eoipso, quòd excommunicatio non reser-

reservetur, ejus absolutio videtur committi ei, qui aliàs potest à peccato, cui annexa est, ut non impediatur absolvere à peccato, à quo aliàs potest.

2047 Sacerdoti autem simplici non approbato, & solùm absolvere valenti à venialibus, hanc potestatem negant Vasquez, Avila, & Bauny t. 2. D. 3. q. 43. quia absolutio à pœna requirit jurisdictionem contentiosam, quâ talis caret. Alii tenent affirmativam, ut Felinus, Armilla, & Toletus; quando sic excommunicatus non habet peccatum mortale; quia sic talis excommunicatus potest absolvi per talem Sacerdotem à veniali, à quo, ut non impediatur, cùm excommunicatio minor reservata non sit, eoipso etiam poterit eum ab hac censura absolvere, ut possit eum absolvere, à quo aliàs potest.

2048 Hurtado D. 16. diffic. 2. ait, talem Sacerdotem posse illi dare absolutionem ab excommunicatione minori incursa propter peccatum veniale, esto etiam alia mortalia tunc pœnitens habeat, quia potest directè absolvere à peccato, propter quod hæc excommunicatio non reservata incursa est. Felinus autem, & Armilla ibidem tenent affirmativam, esto hæc excommunicatio incursa fuisset ob mortale; quia cùm excommunicatio minor non exigat ad sui incursionem peccatum mortale, non videtur exigere absolventem, potentem absolvere ab eo peccato mortali.

PARS III.

De Suspensione.

2049 NOn omnem suspensionem esse censuram, sed interdum esse puram pœnam Ecclesiasticam in odium delicti præteriti, tradit Tamburinus l. 10. tr. 2. c. 1. De utraque dicendum aliquid; potissimum tamen, in quantum est censura; cùm sit propria hujus loci.

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex sit Suspensio?

2050 *Suspensio*, prout est communis puræ pœnæ, & veræ censuræ, definitur pœna Ecclesiastica, quâ Clericus privatur usu functionum sui beneficii, officii aut Ordinis; Sic Pellizarius tom. 2. Manual. Regular. tr. 7. c. 3. l. 1. q. 1. Unde *censura erit*, cùm imponitur in medicinam, nimirum, ut fidelis resipiscat ab inobedientia; pura verò pœna, cùm imponitur *in punitionem delicti commissi*. Difficultas est, unde cognoscamus, quòd, cùm imponitur suspensio, imponatur jam *ut censura*, jam *ut pura pœna*? Suarez de suspensione D. 25. sect. 1. n. 3. præscribit hanc regulam: cùm imponitur ad certum tempus; vel ex materia, aut fine legis colligitur, imponi solùm in punitionem delicti commissi, esse tunc puram pœnam; quando verò non habet terminum præfixum, vel colligitur imponi, ut recedatur à contumacia, esse censuram; ita etiam habet D. 26. Sect. 1. n. 15.

Hurtado, de suspens. diffic. 3. & 11. docet, si suspensio feratur, vel addendo: *in perpetuum*, vel *sine spe relaxationis*; vel ad tempus limitatum v. g. *ad biennium*; aut, *donec Reus reipsa satisfaciat*, vel, *quamdiu judex judicaverit &c. independenter ab ipsa pœnitentia delinquentis*, semper esse puram pœnam, esto feratur ob contumaciam: si verò feratur absque assignatione ulla temporis v. g. sic: *nisi hoc fecerit*, *suspensus sit*, vel, *si hoc fecerit*, *suspensus sit* (ubi scilicet attenditur ad pœnitentiam delinquentis) fore censuram. Limitari tamen vult hanc doctrinam Tamburinus citandus infra n. 2055. ut suspensio sine termino temporis lata, tunc sit censura; cùm aliunde ex fine, verbis, vel aliis circumstantiis non intelligitur, eo etiam casu, *tantùm in delicti punitionem ferri*. Hinc si dicatur: *sit suspensus*, *quia tale delictum commisit*, esto non exprimatur certus terminus temporis, quo duret, videtur esse mera pœna, ut colligitur ex ipsis verbis solam delicti commissi punitionem significantibus. Sic Tamb. cit. n. 4. hinc facilè colliges definitionem suspensionis, quæ est censura, & quæ est mera pœna.

Ad quæstionem, quotuplex sit suspensio? 2051 R. suspensionem strictè sumptam alteram esse à jure, alteram ab homine, ut diximus de excommunicatione n. 1857. ubi etiam vide reliquas ejus divisiones ipsi communes cum omni censura. Propria ejus divisio est in *totalem* (quâ scilicet quis privatur, seu suspenditur ab officio, & beneficio) & *partialem*, quâ quis suspenditur solùm ab officio, vel solùm à beneficio: suspensio autem ab officio subdividitur in alias pro varietate officiorum Ecclesiasticorum.

Si petas 1. an, quando in genere dici- 2052
tur:

tur: *sit suspensus*, intelligatur suspensio *totalis*, vel *partialis?* Felinus, & alii dicunt intelligi tantùm suspensionem ab officio; sed hoc sine fundamento dici, ait Hurtado cit. diffic. 2. Tunc enim non fertur cum limitatione; ergo est suspensio ab omni eo, à quo esse potest; nisi fortè quis limitandum hoc censeat ex generali regula, in pœnalibus mitiorem esse interpretationem.

2054 Si petas 2. quibus modis ferri possit suspensio? R. duobus, scilicet vel ut censuram, vel ut puram pœnam. Quando autem feratur jam hoc, jam illo modo, diximus n. 2050. Not. autem cùm fertur ut censura, eam ferri non posse, nisi propter delictum contra præceptum Ecclesiæ, esto non solum, (censura enim supponit contumaciam in Ecclesiam) cùm autem fertur ut pura pœna, eam ferri posse ob peccatum solo jure naturali prohibitum; Sic Hurtado diffic. 3.

2055 Si petas 3. Quid judicandum, quando omnibus expensis dubium adhuc apparet, an suspensio lata sit ut censura, an ut mera pœna? R. censendum probabilius *esse censuram*. In lege enim odiosa benignior interpretatio est adhibenda, suspensionem autem *esse censuram*, magis subdito favet, quàm esse pœnam; mitior enim est pœna ad salutem medicinalis, quàm vindicta. Not. autem, quòd suspensio, quà est pura pœna, non prærequirat judicialem monitionem; secùs, si sumatur, quà censura, ut diximus, & habet Tamb. l. 10. tr. 2. de suspens. c. 1. n. 6.

ARTICULUS II.

Quos effectus habeat Suspensio?

2056 RESP. Suspensum ab officio absolutè (sine limitatione functionum officii) prohibitum esse ab exercitio omnium functionum Clericalium, atque adeo tam solennium Ordinis, quèm Ecclesiasticæ jurisdictionis. Officium enim utramque potestatem importat; sic Hurtado cit. diffic. 4. n. 7. suspensum autem ab aliquo officio determinato non tantum esse prohibitum ab exercitio actionum illius officii, sed etiam ab exercitio actionum officii, alterius, quæ *includunt* actum, à quo suspensus est; non autem si hoc officium tantùm *supponat* actiones illius. Hinc suspensus à Diaconatu non potest celebrare, quia actus celebrandi includit actum Diaconatûs; econtra suspensus à Diaconatu potest audire confessiones, quia actus audiendi confessiones non includit actum Diaconatûs; ita Hurtado cit. §. *conveniunt*, 2. Hinc nec fiet irregularis suspensus à Diaconatu, audiens confessiones, ut notat Pellizarius mox citandus, n. 22. quia non facit aliquid sibi per censuram directè vetitum. Suspensio autem ab Ordine absolutè, privat omni usu Ordinum, etiam minorum; non item jurisdictionis, aut alterius functionis, quæ fieri potest sine usu Ordinis; Pellizarius in manual. regul. tom. 2. l. 7. c. 3. S. 1. n. 21. Similiter justè suspensus à beneficio, prohibitus est percipere fructus beneficii, & hoc specialiter administrare etiam per Procuratorem; hi enim sunt proprii actus beneficii: Episcopus autem suspensus à Pontificalibus, prohibitus est quemcunque actum Ordinis Episcopalis, ut ordinare, consecrare aras, &c. non verò actus Jurisdictionis Episcopalis, nec actus Ordinum inferiorum Episcopalium. Sic Hurtado cit. à n. 8. Sed hoc intellige juxta dicenda in seqq. quibus positis:

Dubitatur 1. an suspensus *ab officio, vel beneficio*, utriusque usum habeat interdictum? 2057 R. affirmativam teneri à Layman l. 1. p. 3. tr. 5. c. 1. n. 2. aliis dicentibus, forè tantum ab alterutro, quod ipse suspensus elegerit; Sic Purhesius apud Hurtadum cit. n. 11. Sed P. Bauny t. 8. de suspens. q. 8. §. *primum*, ait, neutrius illi usum esse interdictum; non enim ab utroque, ut patet ex ipsa disjunctione; non ab alterutro, quòd non sit major ratio pro uno, quàm pro altero. An autem quis suspendatur ab omnibus? si quis habet plura beneficia, & simpliciter *à beneficio* suspenditur? nec id colligi potest ex verbis, vel intentione suspendentis, colligendum est ex culpa, & ejus natura. Hinc si culpa respicit *ipsum statum Clericalem*, eoipso suspenditur ab omnibus; si verò *Ecclesiam certam*, in qua habet beneficium, non verò alteram, in qua etiam habet beneficium, suspensus censetur à beneficio tantùm illius Ecclesiæ; ita P. Bauny cit. §. 2. ex Ugolino.

Dubitatur 2. an suspensus *à beneficio*, 2058 eoipso etiam sit suspensus *ab officio*? R. negativè; ab eo enim duntaxat quis per suspensionem prohibetur, quod verba sententiæ propriè significant; beneficium autem non significat *officium*: ergo; Sic To-

letus l. 2. Summæ c. 43. n. 4. Ad quæstionem autem, an suspensus à beneficio, eoipso etiam suspensus sit à jurisdictione? affirmat Bauny cit. si annexa sit beneficio, non autem officio. Nam accessorium principalis naturam sequitur. Cùm ergo jurisdictio sit effectus beneficii, ut ponitur (ejus enim intuitu debetur beneficiario) suspensus ab ipso, est etiam ab illa: Negativam tamen tenet Hurtado diffic. 4. n. 9. quia licet actus jurisdictionis sint actus potestatis annexæ beneficio; non tamen est actus ipsius beneficii. Axioma verò illud hìc locum non habet, quia ea tantùm intelligenda est, quàm verba sonant.

2059 Dubitatur 3. quid prohibeatur per suspensionem *ab ingressu Ecclesiæ?* R. prohiberi cujuscunque ordinis intra illam exercitium solenne, & publicum. Nam is, cui Ecclesiæ interdictus ingressus (cùm sibi per consequens censeatur in ipsa divinorum celebratio interdicta) irregularis efficitur, si contra interdictum hujusmodi divinis in ea se ingerat in suo agens officio, sicut prius. Talis quoque si hoc interdicto durante decedat, non debet in Ecclesia, vel cœmiterio Ecclesiastico (nisi pœnituerit) sepeliri. Sanè sicut excommunicatio, sic ab officio, vel ab ingressu Ecclesiæ lata suspensio, aut ipsius effectus, per appellationem sequentem minimè suspenduntur. Sic Bonifacius VIII. in c. *Is, cui*, 20. h. t. in 6. Unde talis licitè celebrat extra Ecclesiam in ara portatili, etiam in cœmiterio, aut oratorio privato; modo sacellum, in quo celebrat, non sit erectum authoritate Episcopi, aut oratorium non sit ab Episcopo designatum in perpetuum pro celebratione. Sic Pellizarius in manual. regul. t. 2. l. 7. c. 3. S. 1. n. 25. Similiter suspensus ab ingressu Ecclesiæ sepeliri non potest in Ecclesia, vel in cœmiterio: nisi ante mortem doloris signa dederit in Ordine ad absolutionem receptam, vel recipiendam ex c. *Is, cui.* Si autem impœnitens obiit, & tamen in Ecclesia sepeliatur, non polluitur per hoc Ecclesia; quia id nec in dicto Capitulo, nec alibi exprimitur, ita Sayrus l. 4.

2060 Dubitatur 4. an taliter suspensus, aliquam actionem ordinis intra Ecclesiam exercens, eoipso efficiatur irregularis? R. quòd sic; quia id expressè deciditur in cit. c. *Is, cui* 20. de sent. excom. in 6. ibi: *cùm sibi per consequens censeatur in ipsa divinorum celebratio interdicta*; non autem si aliquam actum officii. Nam irregularitas incurritur solùm per exercitium ordinis prohibitum per censuram, quod non venit in casu nostro. Ubi etiam nota suspensum ab ingressu Ecclesiæ, potius, & magis propriè esse *interdictum*, quo etiam verbo utitur cit. c. *Is cui*, quàm *suspensum*. Nam suspensio propriè non privat auditione missarum, sed tantùm celebratione; interdictum verò utroque.

Dubitatur 5. quid intelligatur per suspensionem *à Corpore, & Sanguine Christi?* Ad hoc respondet Armilla, V. *Missa* n. 12. volens intelligi receptionem, SS. Eucharistiæ, esseque excommunicationem minorem partialem; alii, ut Paludanus, & Majolus apud Bauny loc. cit. dicunt, intelligi excommunicationem majorem: verior sententia docet intelligi suspensionem à sola celebratione Missarum; nam extra hanc rarò Sacerdos communicat; consequenter, cùm ea suspensio sit pœna, ultra verborum proprietatem extendi non debet, atque adeo non de alia communicatione corporis, & sanguinis, quàm ordinaria; sic Filliucius de suspens. n. 104. 2061

Dubitatur 6. quid importet suspensio *à divinis?* R. cùm quis suspenditur à divinis, prohiberi Clericis, & Religiosis sic suspensis recitare psalmos in choro, iis interesse, divina officia vel celebrare, vel audire, tanquam Clericis, & ex officio; & contravenientibus impositam esse irregularitatem, docet Pellizarius in manual. regul. tom. 2. l. 7. c. 3. s. 1. n. 20. quamvis id non procedat, sin actus faciant tanquam Laici; sic ille. Suspensio autem *ab administratione Ecclesiæ*, prohibet usum potestatis disponendi de rebus spiritualibus, si loquamur de administratione spirituali; si de temporali, usum potestatis agendi in judicio, super juribus, & possessionibus rei, quam quis administrat; nec non respondendi, & disponendi aliter, etiam extra judicium; Sic Pellizarius cit. n. 27. 2062

Cùm verò Episcopo dicitur: *suspendo te ab Episcopali ordine*, non prohibetur aliud, quàm illi actus, qui Episcoporum sunt proprii, & Sacerdoti jure ordinario competere nequeunt; hi enim sunt actus ordinis Episcopalis, quà talis; sic Bauny cit. t. 8. q. 8. §. *Sextum.* Cùm verò suspenditur à solis Pontificalibus, directè prohibetur usus insignium, quæ Episcopis ferre est in more; indirectè autem eoipso reli-

qua

qua opera, quæ sine his ei obire non licet; non autem usus jurisdictionis; ad hunc enim non eget illis insignibus; ita ille loc. cit.

ARTICULUS III.

Quid Suspensio operetur in beneficiis?

2064 PRima quæstio est, an suspensus sit capax beneficii? R. quòd velit prima sententia, à suspenso beneficium illicitè, & invalidè admitti; sic Lessius l. 2. de Just. c. 24. d. 22. n. 110. Secunda verò, quòd electio vel collatio beneficii facta alicui suspenso, illicita sit, & irritanda, non autem ipso jure irrita; ita Suarez de censur. D. 26. S. 3. & D. 27. S. 5. n. 25. cum Bauny cit. §. *Septimum.* Ratio est, quia textus juris, quos affert prima sententia, non dicunt *cassam, sed ut cassetur.* Deinde, cùm Clementi III. (ut habetur c. *Cùm bonæ*, 8.) propositum esset, an Canonici, propter contumaciam suspensi, ac triennio in eadem perseverantes, privari debeant beneficiis prius habitis, ac interim acquisitis? respondit Pontifex: *Quòd non licet eis illa, quæ habuerunt beneficia, vel quæ postmodum sunt adepti, aliquatenus retinere.* Unde Batanen. Archi-Episcopo dedimus in mandatis, ait, ut eos pro tanta pertinacia, & contemptu Apostolico, *beneficiis, quæ habent, non differant spoliare.* Ubi vides, quòd Pontifex eodem modo loquatur de beneficiis ante suspensionem habitis, ac obtentis pòst; at illa non tenentur sponte dimittere, cùm dicantur *spoliandi per Archi-Episcopum* ex mandato Papæ; ergo nec ista.

2065 Altera quæstio est, an suspensus à beneficio, possit eligere, vel eligi ad novum beneficium? vel tale conferre, aut recipere? Supponendum autem nos loqui de casu, quo ei aliàs competit talis potestas, idque vel ratione officii, vel ratione beneficii; quo posito R. talem, qui habet vi officii electionem, vel collationem activam, utrumque licitè ac validè facere; sic enim usus ejus potestatis non est impeditus; secus si habeat vi beneficii; sic enim ab ea potestate foret suspensus; cùm ponatur suspensus à beneficio, vi cujus ponitur habere potestatem illorum actuum; & pari modo discurrendum erit de electione, vel receptione passiva, aliud sentire videtur Hurtado, de quo diximus n. 2058. in fin.

Tertia quæstio est, an suspensus *ab ordine*, liberetur ab horis Canonicis? 2066 Negativam sequitur P. Bauny loc. cit. esto in choro cantare deberet; quia precum persolutio propriè non est ordinis actio 2. quia Ecclesia non vult, ut quis lucrum referat ex turpi aliquo suo opere, vel crimine, quod tamen fieret, si liber esset ab onere horarum. Si autem sit suspensus à beneficio? R. beneficiatum, à judice damnatum, ut per annum careat fructibus beneficii, pro eo spatio non teneri ad horas Canonicas; quia sic per ipsum non stat, quo minus percipiat fructus, quorum perceptioni alligatur obligatio horarum; Sanchez, & Henriquez apud Pellizarium in manual. l. 1. t. 5. c. 8. n. 190. quibus addit P. Bauny loc. cit. taliter suspensum removeri à susceptione ordinum; nec posse populo apprecari personam DEI, his verbis: *Dominus vobiscum*, quia hic est actus ordinis.

Quæstio est 4. an suspensus ab officio 2067 sit etiam suspensus à beneficio? Prima sententia affirmat; ita nonnulli apud P. Bauny §. *decimum*; 1. quia beneficium datur propter officium; 2. quia excommunicatio privat beneficiatum obventionibus diurnis, & annuis; ergo etiam suspensio; 3. quia ideo excommunicatio privat fructibus beneficii, quia privat omni usu officii Ecclesiastici; at idem facit suspensio: ergo. Secunda verò negat; quia officium, & beneficium sunt res distinctæ, & non necessariò connexæ; ergo privatio unius non est alterius 2. quia aliàs facta divisio suspensionis in suas species non esset legitima 3. quia verba suspendentia ab officio, *beneficium* non exprimunt; ita Fagundez in 5. præcept. decalog. c. 2. n. 36. Suarez t. 5. de de cens. D. 26. S. 3. n. 24. cum P. Bauny loc. cit. Et hi ad rationes in contrarium respondent, ad 1. negant universaliter antecedens; officium enim non semper est causa beneficii, sed precum in Choro pro fundatoribus beneficii. Ad 2. transmittunt antecedens: negant consequentiam; quia fructus non pendent ex re, qua privat ejus suspensio. Ad 3. respondent, quòd suspensio ab officio non privet actu recitandi horas, consequenter nec fructibus beneficii, qui dantur titulo horarum. Cæterùm cùm beneficium principaliter fundetur in functionibus officii, ubi has exercere prohibetur suspensus, probabilius videtur etiam à per-

perceptione fructuum suspensus, saltem pro rata temporis, nisi eas faciat per alium, ut dicemus num. seq.

2068 Difficultas est, an perpetuò suspensus ab officio, etiam sit suspensus à beneficio? affirmant Sayrus, Sanchez, Layman, & alii; negat P. Bauny, §. 11. & cum eo alii; quia perpetuitas non facit, ut officium & beneficium sit eadem res; quia tamen, si in perpetuum prohibetur exercere actus officii, non potest satisfacere obligationibus beneficii, censet Bauny sic suspensum debere recedere per simplicem cessionem; at Hurtado hic diffic. 4. n. 7. rectè docet, quòd satisfacere possit, beneficium per alium administrando, & sic fructus facere suos; quia hoc ei per suspensionem ab officio non est prohibitum.

2069 Quæstio est 5. An suspensio verbo tantùm, & non scripto, privet officio & beneficio? ante respons. nota, talem prohibitionem non ferri licitè solo verbo, ex c. *Cùm medicinalis*, 1. de sent. excom. in 6. nota 2. talem prohibitionem sub pœna suspensionis solo verbo factam, non esse propriè suspensionem; non enim potest, ut talis à Prælato volita præsumi, quia ferens præsumeretur velle peccare, quod non licet: not. 3. subditum, contra talem sui Prælati prohibitionem agentem, peccare quidem, non tamen ob id irregularem fore; quia sic non violat censuram, ut notat Suarez hìc, D. 28. S. 2. n. 30. Portel. in dub. regul. V. *Suspensio* n. 2. & P. Bauny l. 8. q. 8. §. dico. 1. V. n. 2073.

2070 Sunt autem plures actiones, à quibus abstinere debet suspensus à beneficio: inter eas est. 1. ut docet Layman l. 1. p. 3. c. 1. t. 5. administratio beneficii in temporalibus, ut est locatio fructuum, renovatio contractuum super his &c. hinc alium constituere debet Oeconomum, qui hæc faciat: ingerens autem se illi administrationi prohibitæ, beneficio privatus est ipso jure c. *Cupientes*, §. *Cæterum*, de elect. in 6. ubi negligentes electiones factas intra octo dies (postquam commodè poterant) electis præsentare, quoad se à processus prosecutione totaliter excluduntur, ac, ut ait Pontifex, *ab omnibus beneficiis suis, quæ in ipsa Ecclesia, de cujus electione agitur, obtinent, per triennium continuum ex tunc inchoandum, volumus eo ipso fore suspensos, ad quæ, si intra illud tempus se propriâ temeritate, vel alio quæsito colore ingesserint, illis ipso jure perpetuò sint privati.* Illud tamen nota, suspensum à beneficio, per hoc non prohiberi exercere actus suæ jurisdictionis non pendentis à beneficio, sed officio, ut ex dictis constat, & notat Bauny loc. cit. § *dixi:* Si autem ea pendeat à beneficio, erit etiam suspensus à tali jurisdictione; nam accessorium naturam sui principalis sequi solet. De regul. Jur. in 6. regul. 43.

Inter easdem actiones suspenso à be- 207
neficio prohibitas, est *perceptio fructuum*, quod accipe de illis, qui respondent actui, à quo est suspensus; quia perceptio fructuum ex beneficio est donatio sub conditione talis, vel talis actûs; sic P. Bauny cit. §. *nihilominus*; licet nec illos amitti ante Judicis sententiam, teneat Pellizarius tom. 1. manul. regul. t. 5. c. 8. n. 190. excipitur tamen beneficiatus, qui sine talibus fructibus non haberet congruam sustentationem; tunc enim etiam eos, quantum necesse est, retinere potest, sed curare simul, ut à suspensione liberetur; excipitur 2. juxta Pellizarium loc. cit. qui suspensus est, & procurat absolutionem à suspensione, etsi per ipsum non stet, eam dari, vel acquiri; hunc enim vult lucrari fructus perinde, ac si absolutus esset: fructus autem illos, quos ejusmodi suspensus non facit suos, censent Turrecremata, & Præpositus (secuti Glossam in Clement. 2. de vita & honestate Clericorum) si sint è quotidianis distributionibus, accrescere aliis præsentibus in divinis officiis; reliquos verò deberi utilitatibus Ecclesiæ.

Quæstio est 6. an suspensus à jurisdi- 207
ctione possit exercere actus ordinis? R. quòd sic, de illis omnibus ordinis actibus, qui jurisdictionem non postulant actualem; Suarez D. 26. S. 4. n. 16. Nam pœna non debet extendi plus, quàm verba significent; sed suspensio à jurisdictione est pœna, & jurisdictio non significat ordinem, qui non includit jurisdictionem; ergo. Hinc etiam sequitur, suspensum ab ordine, posse omnes actus jurisdictionis exercere, qui actualem usum ordinis non requirunt. Et ideo Episcopo suspenso *ab ordine*, licitum est excommunicare, suspendere, &c. Colligitur ex c. *Transmissam*, 15. de electione, ubi dicitur: per confirmationem electionis, non concedi potestatem exercendi ea, quæ sunt ordinis, sed per consecrationem. Et ratio dicti est, quia illi actus non requirunt actualem usum ordinis; econtra non potest

test talis audire confessiones, celebrare, &c. propter rationem oppositam. Ex eodem fit, quòd Prælatus à jurisdictione suspensus licitè celebret, vel audiat missam, canat in Choro, &c. hi enim actus non requirunt actualem jurisdictionem; econtra nequit audire confessiones, conferre ordines, &c. quia hi actus requirunt actualem jurisdictionem: Similiter suspensus à sacerdotio non potest licitè celebrare, nec extremam unctionem dare, &c. potest autem agere Diaconum, &c. hic enim actus non supponit, nec includit ullum actum Sacerdotis; cùm hæc pœna plus extendi non debeat, quàm verba significent.

2073 Quæstio est 7. an suspensi sint vitandi? R. non esse aliter vitandos, nisi, ut non inducantur ad actus sibi prohibitos; atque adeo tunc solùm peccari communicando cum suspensis, quando inducuntur ad actus ipsis per suspensionem interdictos, vel ii ab ipso postulantur, qui ob suspensionem sunt nulli; in utroque enim casu talis communicans eum induceret ad peccatum. Excusatur autem quis, ut scilicet licitè ab eo petat fieri actus per suspensionem prohibitos, quòs validè exercere potest, 1. si postulet necessitas; 2. si sponte suâ, & ultro se offerat; 3. si non sit suspensus denuntiatus, ut alibi diximus de excommunicato tolerato; ita P. Bauny tr. 8. q. 8. §. *dubium*, n. 19. Cùm autem suspensio personam, non locum afficiat, ubique abstinendum est suspenso ab actibus per suspensionem vetitis; ubi tamen nota, si suspensio feratur absque scripto, ac tantùm oretenus, non habere vim suspensionis, nec quà talem obligare, juxta Portell. in dub. regul. V. *Suspensio*, n. 9. & Rodriquez tom. 4. addition. c. 143. n. 11. ex quo patet ad n. 2069.

2074 Conveniunt autem in hoc Doctores, quòd suspensus exercendo actus, à quibus per suspensionem prohibitus est, mortaliter peccet (nisi excuset materiæ levitas) fiatque irregularis, si solenniter exerceat actum ordinis sacri, c. *Cùm medicinalis*. 1. de sent. excom. in 6. hoc tamen de irregularitate accipe, quando suspensio est censura. Excusatur tamen à culpa, & irregularitate, si exerceat actum etiam ordinis sacri, per suspensionem alioquin prohibitum, non suâ sponte, sed ad instantiam fidelium; ita Hurtado hìc diffic. 5. secundùm Extravag. *ad evitanda*, in qua ait esse sermonem de quacunque censura.

Quæstio est 8. an suspensus exercens, 2075
quamvis illicitè, actum per suspensionem interdictum, etiam agat invalidè? R. affirmativè, per se loquendo, si suspensus sit non toleratus, & valor actionis pendeat à jurisdictione Ecclesiastica, neque sit actus puri ordinis: secus, si sit toleratus. Ratio primi est, quia per suspensionem impeditur quis ab usu, quantum potest ab Ecclesia impediri, intellige de suspenso non tolerato; si autem illum Ecclesia tolerat in favorem aliorum fidelium, hoc ipso ostendit, quòd relinquat illum per se sufficientem ad validè operandùm, cùm illi postulant, esto per accidens etiam fiat, quòd ipse se ingerat. Dixi: *per se loquendo*. Nam per accidens etiam *validè aget*, cùm scilicet adest titulus coloratus, & communis error in populo, tunc enim eum defectum supplet Ecclesia. Sic Hurtado cit. n. 14.

ARTICULUS IV.

Ob quam causam ferri possit suspensio?

NOtandum, sermonem esse de suspen- 2076
sione, quæ est pœna, vel pura; vel medicinalis, cujus violatio inducit irregularitatem; nam contingit, aliquem interdum suspendi, etiam citra suam culpam, ut si quis citra suam culpam ordinetur, ante debitam ætatem, ut habetur c. *vel non est compos*, 14. de temporalib. ordinib. ubi dicitur, *puerum tredecim annorum ordinatum in Diaconum, ab hujus ordinis executione suspendi usque ad ætatem legitimam*. Verum hic non agimus de suspensione simili. Hinc quæres 1. an suspensio possit ferri absque culpa suspensi? 2. propter quam culpam ferri possit? Ad 1. R. 1. quod suspensio personalis, seu particularis non possit immediatè, ac directè ferri validè in personam particularem, nisi propter personalem ejus culpam; quia sic est propria, & personalis pœna. Sic Hurtado diffic. 7.

R. 2. si suspensio feratur distributivè 2077
contra singulos directè de una communitate, requiri culpam propriam in singulis; sic enim æquivalet pluribus suspensionibus in particulari; sed hæ ex anteced. num. requirunt culpam propriam in quolibet; ergo & illa; sic Tamburin. l. 10. de censur. t. 2. c. 2. n. 3. Hurtado diffic. 9. n. 25. §.

Suspensione verò, contra Sylvestrum, & alios.

2078 R. 3. cùm fertur suspensio in totam communitatem, ut communitas est, & unum corpus, suspendendo illam à functionibus illi competentibus, quà unum corpus est, non requiri culpam in singulis, sed sufficere culpam communitatis, quà talis; ita Hurtado, Tamburin. cit. & Suarez D. 28. contra nonnullos negantes apud Hurtado; quia sicut est contra rationem, ut quis absque propria culpa *in se*, & secundùm se puniatur; ita puniri potest *in alio*, propter culpam commissam *in alio*; sed quando peccat communitas, quà talis, in ea etiam censetur peccare pars, non peccato proprio, sed totius: ergo etiam sic puniri potest sine propria culpa; sic per accidens etiam punitur filius infamiâ Patris peccantis.

2079 Si dicas, in c. *Romana*, 5. de sentent. excom. in 6. prohibitum est *excommunicare totam communitatem*, ibi: *in Universitatem, vel Collegium proferri excommunicationis sententiam penitus prohibemus: volentes animarum periculum vitare, quod exinde sequi posset; cùm nonnunquam contingeret innoxios hujusmodi sententiâ irretiri: sed in illos duntaxat de Collegio, vel universitate, quos culpabiles esse constiterit, promulgentur.* Ergo etiam suspendere. R. Neg. conseq. Nam ex allato textu solùm sequitur, quòd pro statuenda excommunicatione, quæ inter censuras est pœna omnium gravissima, Innocentius IV. requirat culpam personalem; quod non rectè extenditur ad censuram illâ minorem. Cœterùm etsi etiam integra communitas suspendi possit ob delictum Communitatis quà talis; at confessiones audiendi facultatem omnibus simul unius Conventûs Regularibus Confessoribus adimi ab Episcopo, inconsultâ Sede Apostolicâ, nullatenus posse, expresè definivit Clemens X. in Constitut. *Superna Magni*, §. *Porrò*, 6. edita anno 1670. 11. Cal. Julii, solùm publicata in Urbe.

2080 Ad 2. R. 1. culpam, ob quam fertur suspensio, ut communiter solet, ex probabiliore sententia debere esse mortalem; ita P. Bauny tr. 8. q. 3. §. 4. *assertio*; Hurtado diff. 7. & apud eundem Vasquez, Suarez, aliique contra Cajetanum, Avilam & Navarrum, qui putant sufficere venialem. Ratio est, quia suspensio ex objecto suo est grave malum, quod non facilè tollitur; sicut excommunicatio minor; hæc enim, ut diximus, tolli potest à quolibet Sacerdote; licet interdum ferri possit, etiam ob culpam tantùm venialem, sed suspensio solùm levis aliqua v. g. ab uno tantùm actu, ad breve tempus; sic enim non læderetur æquitas, foret enim tunc inter pœnam & culpam æqualitas; ita P. Bauny loc. cit. §. 5. *assertio*.

ARTICULUS V.

Quis possit suspendere, aut suspendi?

AD 1. R. omnes illos habere potestatem ordinariam suspendendi, qui ex officio habent potestatem excommunicandi; qui enim potest majus, potest etiam minus contentum sub illo, nisi aliundè limitetur. Suspensio autem, utpote censura minus gravis, quàm excommunicatio, sub hac continetur. Qui autem possint ex officio ferre excommunicationem, diximus à n. 2030. quibus autem ab habente potestatem ordinariam hæc eadem committitur, in iisdem est potestas delegata secundùm mensuram commissionis; de quibus V. dicta à n. 1819. quibus positis: Sequitur 1. quòd Parochus in sua Ecclesia possit Clericis ex justa causa prohibere divina, non tamen ferre suspensionem, *cujus* violatio (esto peccatum sit) *inducat irregularitatem*; nam talis irregularitas sequitur culpam, non quamlibet, sed violatæ censuræ; at talis suspensio censura non est, cùm Parochus hanc potestatem non habeat, ut constat ex dictis. Hinc nota: si Episcopus in personam exemptam ferat suspensionem, hanc non esse propriè talem, imò irritam (defectu potestatis in talem) ejusque violationem non inducere irregularitatem; excipe casus, in quibus non valet exemptio, Bauny cit. §. *Secunda assertio*.

2081 Sequitur 2. Prælatum Ecclesiasticum non posse ferre suspensionem, dum est excommunicatus; secùs de tolerato sentiunt aliqui, volentes, quòd agat validè, sed non licitè. Sic P. Bauny §. *quarta assertio*; 1. quia non caret jurisdictione, ut constat ex supradict. deinde quia usus jurisdictionis non est eis licitus ad communicandum cum fidelibus, nisi ipsi velint; quis autem credat in pœna velle fidelem communicare cum Episcopo volente suspendere? Mihi tamen probabilius videtur, quòd nec validè ferat censuram; hæc enim in censurando

ſupponit inobedientiam, atque adeo obligationem parendi. Fideles autem non tenentur parere tali, eſto toleratus ſit, quia non tenentur cum eo communicare, eſto poſſint; Sic Hurtado diſſic. 8. n. 21.

2083 Ad 2. ℟. *non Clericum*, non poſſe ſuſpendi; talis enim non eſt capax effectuum ſuſpenſionis; 2. nec eos, qui non ſunt baptizati; hi enim non ſubſunt ulli Superiori Eccleſiaſtico, uti nec Summus Pontifex, 3. nec mortuos, niſi quoad aliquod jus fructuum, quod illis etiam à morte competat: econtra verò ſuſpendi poſſe Clericos vivos, Epiſcopis inferiores, ab eo, qui in eos habet jurisdictionem fori externi; tum enim nihil deeſt ex parte cauſarum.

ARTICULUS VI.

Quibus modis impedtatur, aut tollatur Suſpenſio?

2084 QUantum ad primum, idem eſt, ac quærere, quæ cauſæ ſint excuſantes ab incurſu ſuſpenſionis, an ignorantia, an metus? &c. Séd de his habes reſolutionem ſupr. à n. 1792. & ſeq. Quod attinet ad ſecundum, vel loquimur de ſuſpenſione, quà eſt cenſura? & ſic tolli debet per abſolutionem ſecundum dicta à n. 1819. & ſeqq. vel eſt ſermo de illa, quâ eſt pura pœna? tum tollitur vel impletione termini præfixi, vel diſpenſatione; ſic Hurtado diſſic. 11. Hinc not. 1. ſuſpenſionem propter contumaciam, & per modum cenſuræ latam à jure, ſive generaliter, ſive ſpecialiter, niſi reſervetur Papæ, auferri poſſe à ſuſpenſi Ordinario, ut diximus de excommunicatione à n. 2032. ſi verò reſervata ſit, eo modo, quo diximus n. 2033. Si denique lata ſit ab homine, auferri non poſſe aliter, quàm dixerimus de tali excommunicatione à n. 2042. & ſequentibus. Quamvis autem regulariter idem, qui ſuſpenſionem tulit, ab eadem abſolvat, tamen ſunt aliqui caſus excepti, in quibus non poteſt.

2085 Primus eſt, cùm ſuſpenſio lata eſt ab Epiſcopo in Clericos, vel Regulares, eò quòd admiſerint hæreticum ad Sacramenta, vel Eccleſiaſticam ſepulturam; vel quòd ab eis receperint eleemoſynas, aut oblationes; hæc enim ſuſpenſio reſervatur Papæ c. *Excommunicamus* 13. §. *credentes*, de hæreticis; Secundus, cùm quis à proprio Epiſcopo eſt degradatus, ut notat P. Bauny hic q. 9. §. *tempus ſecundum*. Tertius, cùm quis beneficia indignis contulit, ac ſemel iterumque à Concilio Provinciali admonitus non deſiſtens, ſuſpenſus eſt, c. *grave nimis*, 29. de præbendis.

Præter hæc quæres 1. an ſuſpenſio, in- 2086
ſtar cenſuræ à jure lata, ſi reſervata non ſit, auferri poſſit, ſicut excommunicatio, etiam ab ordinario Confeſſario, vel proprio Parocho? ℟. probabiliter affirmari à Pellizario in Manual. tom. 2. tr. 7. c. 3. S. 1. n. 50. de quocunque Confeſſario ex ratione data n. 2042. Unde quando id reſtringit Hurtado ſolùm ad ſuſpenſionem, quà cenſura eſt, lata à jure, non autem ſi ab homine, eſto tantùm lata ſit generaliter, exponendus eſt de foro externo; & cenſurâ ſolùm latâ ſpecialiter; nam cùm hoc caſu perſona ſit incognita ei, qui ſuſpenſionem *generaliter* tulit, tribunal ejus per ablationem cenſuræ per Ordinem ad forum externum non turbatur.

Quæres 2. à quo auferri poſſit ſuſpen- 2087
ſio, quæ eſt pura pœna? ℟. non poſſe auferri, niſi à potente diſpenſare in eo jure, quando lata eſt à jure; & non niſi à Papa, quando lata eſt ab homine, ſeu Judice; quod verum eſt, etiam reſpectu inferioris Papâ; nam neque hic talem pœnam, etiam à ſe latam auferre poteſt; non enim aufertur abſolutione, ſed diſpenſatione, ad quam non eſt poteſtas in inferiore, etiam reſpectu pœnæ à ſe latæ. Abſolutio verò cenſuræ homini bene diſpoſito, eo-ipſo debita eſt, ex natura cenſuræ; Sic Hurtado. Epiſcopus tamen poteſt omnem ſuſpenſionem ſuorum ſubditorum provenientem ex delicto occulto, nec deductam ad forum contentioſum, quantumvis Papæ reſervatam, auferre, ut conſtat ex Trident. Seſſ. 24. c. 6. de quo V. n. 2034.

Quæres 3. quam pœnam incurrat, qui 2088
violat ſuſpenſionem? ℟. 1. ſi quis ſuſpenſus ſit ab ordine, & tamen exerceat actus talis ordinis, ſive majoris, ſive minoris, etſi non ſit denuntiatus, incurrere irregularitatem, ut patet ex c. *Is, qui*, de ſent. excom. in 6. & c. 1. de ſent. & re judicata in 6. ubi tamen nota, quòd textus loquatur de exercitio ſolenni, ut bene obſervat Pellizarius in manual. tom. 2. tr. 7. c. 3. ſ. 1. n. 44. Secus tamen dicendum eſt, ſi exercet actum jurisdictionis, à qua ſuſpenſus eſt, modò non ſit actus ordinis; quia nullibi reperitur talis pœna in jure contra ejusmodi exercitium; ita Pellizarius loc. cit.

quod

quod intelligi vult universaliter Suarez ibid. n. 47.

2089 Quæres 4. an violans suspensionem, quà est pura pœna, incurrat irregularitatem? Negant aliqui Canonistæ, quia in c. *Is, qui*, de sent. excom. in 6. hæc regula constituitur: *quòd is incurrat irregularitatem, qui divina celebrat, dum est censurâ ligatus:* hoc non fit in præsenti; ergo. Pellizarius autem n. 48. & alii apud eundem affirmant, probantes, quia talis suspensio punitur irregularitate in c. 1. de sent. & re judicata, in 6. Verùm in cit. c. *Is, qui*, hoc non dicitur; sic enim habet: is, qui in Ecclesia sanguinis, aut seminis effusione polluta, vel qui præsentibus majori excommunicatione nodatis, scienter celebrare præsumit: licet in hoc temerariè agat, irregularitatis tamen (*cùm id non sit expressum in jure*) laqueum non incurrit. Nam ex hoc textu solùm habetur, irregularitatem propter exercitium alicujus actûs non incurri, nisi hoc sit expressum in jure; at in jure non est expressum, indefinitè irregularitatem incurri propter exercitium alicujus actus prohibiti in puram pœnam; exemplum autem, quod Pellizarius adducit ex cit. c. 1. non evincit, per violationem suspensionis, quæ est pura pœna, irregularitatem indefinitè incurri; sed tantùm *in casu particulari*, ibidem expresso, *si Judex Ecclesiasticus violet suspensionem inflictam ad unum annum*, si contra conscientiam & justitiam, in gravamen partis alterius in judicio quicquam fecerit per gratiam, vel sordes.

ARTICULUS VII.

De nonnullis Suspensionibus in particulari.

2090 PRima est, cùm quis Ordinem suscipit ab Episcopo hæretico, schismatico, vel excommunicato vitando, vel simoniaco juridicè declarato, c. *Tuæ* 1. de Schismat. Item, qui ab Episcopo, qui dignitati Episcopali renuntiavit, ordinem sacrum suscipit, manet suspensus ab Ordine sacro. c. *Requisivit*, 1. de Ordinatis ab Episcopo, qui &c. Sic Hurtado diffic. 13. sed nec ista, nec ulla alia suspensio ex delicto incurritur ab ignorante, cùm supponat peccatum. Secunda est, quòd Ordinatus ab Episcopo alieno sine licentia proprii maneat suspensus ab Ordine sic recepto ad beneplacitum proprii Episcopi. Episcopus autem ordinans per annum à collatione Ordinum. Sic Trident. Sess. 23. c. 8. de reform. ibi: *Si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cujusvis generalis aut specialis rescripti, vel privilegii prætextu, etiamsi statutis temporibus, permittatur: nisi ejus probitas, ac mores Ordinarii sui testimonio commendentur; si secus fiat, ordinans à collatione Ordinum per annum; & ordinatus, a susceptorum Ordinum executione, quàm diu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus.* Excipe nisi sic ordinatus fuerit familiaris illius Episcopi ordinantis, & per triennium fuerit cum illo commoratus, ut patet ex Trident. Sess. cit. c. 9. ibi: Episcopus familiarem suum, *non subditum*, ordinare non possit, *nisi per triennium secum fuerit commoratus, & beneficium quacunque fraude cessante, statim re ipsa illi conferat*, consuetudine quacunque etiam immemorabili, in contrarium non obstante. Si autem ille Episcopus alienus alium sine proprii Episcopi licentia ordinans fuerit merè titularis, manet suspensus à Pontificalibus per annum; Trident. Sess. 14. c. 2. ibi: Nemo Episcoporum, qui Titulares vocantur, etiamsi in loco nullius diœcesis, etiam exempto, aut aliquo Monasterio cujusvis Ordinis resederint, aut moram traxerint, vigore cujusvis privilegii sibi de promovendo quoscunque ad se venientes pro tempore concessi, alterius subditum, *etiam prætextu familiaritatis, continuæ commensalitatis suæ, absque sui proprii Prælati, expresso consensu, aut literis dimissoriis ad aliquos sacros, aut minores Ordines, vel primam tonsuram promovere, seu ordinare valeat:* contra facientes ab exercitio Pontificalium per annum, taliter verò promoti ab executione Ordinum sic susceptorum, donec suo Prælato visum fuerit, ipso jure sint suspensi.

Præter hæc not. 1. eum, qui ante annum completum, post vacationem Sedis, impetratis à Capitulo reverendis, ordinem suscipit, manere suspensum ad beneplacitum futuri Episcopi, nisi ad id fuerit arctatus ratione beneficii suscepti, vel suscipiendi; Capitulum verò manet interdictum. Trident. Sess. 6. c. 5. de Reformat. ibi: Nulli Episcopo liceat cujusvis privilegii prætextu Pontificalia in alterius diœcesi exercere, nisi de Ordinarii loci expressa licentia, *& in personis eidem Ordinario subjectis tantùm*; si secus factum fuerit, Episcopus ab exercitio Pontificalium, & sic ordinati 2091

ab executione ordinum sint ipso jure suspensi. Ubi tamen nota, ea verba: *nisi de Ordinarii expressa licentia, & in personis eidem Ordinario subjectis tantùm*, intelligenda, nisi alieni habeant dimissorias generales à suis Ordinariis. Tunc enim & hos cum Ordinarii licentia poterit ordinare; sic Barbosa ibid. n. 4. dicens, sic esse decisum, sicut etiam quoad subditos proprios.

2092 Not. 2. Episcopum, qui in aliena diœcesi absque licentia expressa proprii Ordinarii ordinat, manere absolutè suspensum à Pontificalibus, & ordinatum ab ordine suscepto; Trid. cit. Sess. 6. c. 5. de Reform. Volebant tamen aliqui Doctores in quadã contingentia facti ab hoc videri probabiliter exceptum Episcopum, qui aliquem Religiosum Societatis JEsu sacris initiaret in aliena diœcesi, etiam Ordinarii licentiâ non requisitâ; quia per privilegium Gregorii XIII. quod habetur apud Pellizarium in Manual. regul. tom. 2. tr. 8. c. 2. n. 168. Religiosi Societatis *de licentia suorum Superiorum* possunt ordinari *à quocunque Antistite, seu Episcopo, absque eo, quòd ab ipsis requirat ullam functionem in ipsis ordinibus, aut observationem interstitiorum ad illos suscipiendos, aut inquirant de peritia cantûs, cæremoniarum, de idoneitate*, vel NB. *proprii Ordinarii licentia &c.* quod tamen facere deberent, si alioquin eam suspensionem incurrerent. Eum autem, qui scienter, vel cum affectata ignorantia ante legitimam ætatem, vel absque dimissoriis, vel extra tempora ordinatus est, manere suspensum ab ordine sic suscepto; posse tamen absolvi ab Episcopo, ut notat Hurtado n. 36. excipe nisi factum sit cum simonia, tunc enim reservatur Papæ. V. n. 2495.

2093 Not. 3. qui aliquem ordinat, vel præsentat ad ordinem, accepta prius promissione ab ordinato, quòd non petet ab eo alimenta, incurrere suspensionem per triennium: ordinantem à collatione, præsentatorem ab executione ordinum, & ordinatum ab ordine sic suscepto, dum à Papa dispensetur, c. *penult.* de Simonia; in c. autem *Per tuas*, 37. de Simonia: ordinatus ad præsentationem cujusdam, cui promisit, se non petiturum alimenta, interdicitur ad Superiores ordines ascendere, & in susceptis ministrare, etiamsi id ignoret, esse illicitum; sed si ignoraverit hanc pœnam, eam in foro conscientiæ non incurrit; unde illud videtur dictum pro foro tantùm externo, ubi præsumitur scientia, ita Suarez loc. cit. apud Hurtado diffic. 13. n. 37.

Not. 4. Ordinatum titulo ficto, v. g. 2094
ficto patrimonio, beneficio, vel pensione, graviter peccare, non tamen incurrere suspensionem; quia id nullo jure exprimitur. Esto enim hoc sit peccatum in c. *Neminem*, & in c. *Sanctorum*, 70. dist. 70. & tales ordinationes eorum, qui sine titulo promoventur, antiqui canones in injuriam Ordinantium irritas voluerint, & inanes; hoc tamen revocatur per c. *Cùm secundùm* 16. de præbendis. Hinc Tridentinum Sess. 21. c. 2. de Reformation. remittens se ad pœnam antiquorum Canonum (si quis sine titulo vero ordinaretur) non respicit illos Canones, sed alios, ubi agitur *de ordinatis simoniacè*, scilicet cum pactis supra positis, quæ Ordinationes saltem æqualiter sunt sine vero titulo, V. Barbos. in cit. loc. Trid. n. 67.

Not. 5. Ordinatum ab alieno Episco- 2095
do per literas dimissorias, falsâ relatione obtentas, incurrere suspensionem, quam ordinatus ab alieno Episcopo, sine licentia proprii, aut sine hujus dimissoriis; sic enim ordinatur sine veris dimissoriis: eum autem, qui ordinat simoniacè, manere suspensum à collatione omnium ordinum, à collatione primæ tonsuræ, à Pontificalibus, & ingressu Ecclesiæ; Ordinatum verò ab Ordinibus sic susceptis, absque omni spe ascendendi ad altiores Ordines; & hæ pœnæ secluso, & ablato omni privilegio, reservantur Papæ; ita Hurtado cit. n. 39.

Not. 6. ordinatum per saltum esse 2096
suspensum ab ordine sic suscepto; in hoc tamen posse dispensare Episcopum, si sic promotus non ministravit; si verò secùs, incurrere irregularitatem, per violationem suspensionis, in qua solus Papa potest dispensare; sic Hurtado, §. 6. de quo jam egimus lib. 1.

Not. 7. qui post contractum matri- 2097
monium, licet non consummatum, suscipit ordines sacros aliter, quàm in jure concedatur, manere suspensum ab ordine sic suscepto, & aliis suscipiendis, & promotione ad beneficia; ita Hurtado cit. n. 40. excommunicatum autem ob percussionem Clerici suscipientem ordines, manere suspensum à susceptis; & hanc absolvi à solo Papa, nisi sit Religiosus, qui id aliquo

modo ignoranter fecit, quem tunc ejus Prælatus absolvit c. *cùm illorum*, 32. de sent. excom.

2098 Not. 8. Sacerdotem, qui absque Parochi licentia, cujusvis privilegii, aut consuetudinis intuitu, sponsos benedicit, aut matrimonio conjungit, manere suspensum, donec ab Episcopo Parochi absolvatur; sic Trident. Sess. 24. c. 1. de reformat. matrimon. ita Suarez D. 11. S. 1. qui putat hanc suspensionem, esse tantùm ab officio Sacerdotali, sed alii dicunt esse totalem.

2099 Not. 9. Capitula, & Conventus aliquid recipientes, aut petentes ob receptionem alicujus in Religionem, aut etiam post illam, esse suspensos in Extravag. *Sanè*, de Simonia; & quidem ab omni actu, seu officio Capitulari requirente jurisdictionem, & administrationem Ecclesiasticam; sic Pellizarius tom. 2. t. 7. c. 3. n. 88. quod intellige de receptione alicujus in Religionem, completâ, scilicet ad habitum simul & professionem. Ad hoc autem sufficit, quòd directè vel indirectè aliquid petatur sponte pro ingressu Religionis, scilicet per professionem.

2100 Not. 10. Quòd Regulares mendicantes, qui ad professionem admittunt, ante expletum probationis annum, incurrant suspensionem à recipiendis amplius Religiosis in eodem Ordine, quod verum est, licet per Trident. Sess. 25. c. 15. de Regular. professio tunc nulla sit; quia in eo casu non spectatur valor, sed factum; assertio autem probatur ex c. *non solùm*, de regular. in 6. ibi: quòd si fortè contra hanc nostram prohibitionem, quemquam recipere præsumpseritis, decernimus eum (qui taliter receptus fuerit) *nullatenus vestro esse Ordini alligatum, vosque à receptione quorumlibet ad professionem ejusdem Ordinis fore ipso facto suspensos, & insuper pœnæ subjiciendos, quæ fratribus ipsius Ordinis pro culpis infligi gravioribus consuevit.* Item absque alia declaratione, suspensionem à divinis latam à Pio V. incurri à Regularibus admittentibus fœminas intra Monasterium, absque debita licentia, ut notat Pellizarius loc. cit. n. 115.

2101 Not. 11. à Regularibus exercentibus actum Sodomiticum incurri suspensionem ab officio, beneficio & dignitate Ecclesiastica, imò etiam à privilegio Clericali, seu Canonis; intellige. 1. Si actus Sodomiticus sit consummatus, & publicus jure, vel facto. 2. Si hoc frequenter faciant, id enim sonat *exercere*. 3. Non nisi post sententiam Judicis: & verosimilius concedi, Clericum nullum habentem beneficium, si committat crimen, pro quo lata sit ipso jure absoluta suspensio à beneficio, impediri, ne acquirere possit beneficium, ut tenet Pellizarius in manual. regul. tom. 2. tr. 7. c. 3. S. 1. n. 33. qui enim prohibitus est ab actu, etiam prohibitus est, ut ei conferatur principium talis actûs, ut colligitur ex c. *fin.* de Clerico excommun. ministr. quod sic accipe, ut non acquirat, nisi *irritabiliter*.

Not. 12. Cùm in jure fertur suspensio usque *ad unum mensem*, non exprimendo determinatum, probabiliter sumi posse *mensem* pro 28. diebus; Februarius enim plures non habet, qui tamen est verè ac propriè *mensis*; quod maximè valet hìc, quia sumus in materia pœnali, imò id verum est, qui suspensus esset per *Februarium*, esto eo anno haberet 29. dies; hoc tamen dici non potest, si quis suspensus esset per quatuor annos, tunc enim Februarius saltem semel sumi debet pro 29. diebus. Ita Pellizarius loc. cit. n. 4. Tempus autem suspensionis non interrumpitur ejus violatione. Ejus enim effectus non est realis privatio actionum, sed obligatio ad abstinendum ab illis; hæc autem manet etiam stante violatione talis obligationis; ergo.

Not. 13. Regulares absolvi posse à 2102 suspensionibus per proprios Prælatos locales, & Confessarios Ordinis, ex privilegio bullato Pauli III. concesso Regularibus Societatis JESU, quod extendit Layman etiam ad suspensionem, quæ est pura pœna: item ex concessione bullata Pii V. facta Dominicanis, & relata à Rodriquez in Bullar. Bullâ 13. Prælatos Regulares respectu suorum subditorum habere omnem illam authoritatem absolvendi & dispensandi in foro conscientiæ, quam habent Episcopi erga suos subditos. Ubi advertit Layman, privilegium in Tridentino Sess. 24. c. 6. de reformat. concessum Episcopis ad absolvendum ab omnibus irregularitatibus, ac suspensionibus, ex delicto occulto proventibus, extendi ad quamcunque suspensionem etiam Papæ reservatam, sive lata sit ut censura, sive ut pœna, sive ad tempus, sive in perpetuum; ex hoc autem infertur ergo idem poterunt etiam respectu suorum Prælati regulares.

PARS

PARS IV.

De interdicto.

INterdictum non minus, quàm ſuſpenſio, infligitur quandoque ut pœna medicinalis, & ſic erit cenſura; quandoque verò ſolùm in vindictam delicti præteriti, & hac ratione eſt pura pœna: Regula verò dignoſcendi, quando fertur, ut pura pœna, quando ut cenſura, eſt ferè eadem, quam dedimus de ſuſpenſione ſupr. à n. 2050. Quæ interdicta, tanquam pœnæ medicinali communia ſunt cum aliis cenſuris, quà talibus, petenda erunt ex dictis: nunc ea tantùm, quæ ipſi propria ſunt.

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex ſit interdictum?

2104 AD 1. ℟. quòd ſit cenſura Eccleſiaſtica, Chriſtianum hominem privans divinis officiis, Sacramentorum uſu, & ſepulturâ ſacrâ, prout hæc ad divinum cultum, hominemque tendunt; ita P. Stephanus Bauny tr. 9. hic q. 1. ubi not. 1. *uſum divinorum* conſiderari poſſe 1. ut eſt actus ex poteſtate, quem habet ipſum exercens, & ſic eo privat ſuſpenſio, non autem interdictum. Hinc ſuſpenſio privat uſu ſed ſolùm activo, interdictum autem etiam paſſivo, ut notat Pellizarius in Manual. regul. tr. 7. c. 4. S. 1. deinde conſiderari poſſe, ut eſt quædam communicatio cum fidelibus, & ſic eo privat excommunicatio 3. in quantum per communem uſum talium rerum cultus DEI promovetur, & ſic eo privat interdictum, ut notat Bauny loc. cit. Ex quo vides, quomodo hæ tres cenſuræ in particulari differant, quamvis plures ſint differentiæ, quæ innoteſcent ex dicendis, tum hic in ſeq. tum. n. 2300.

2105 Ad 2. ℟. interdictum eſſe triplex; aliud enim eſt *perſonale*, quod immediatè afficit perſonam, ei prohibendo uſum divinorum in omni loco; aliud *locale*, quod immediatè afficit locum, & perſonas mediatè, ſcilicet ratione loci, in quo ipſis prohibetur celebrare divina; aliud ex utroque *mixtum*, quo indiviſibiliter & locus & perſonæ interdicuntur; ita Gaſpar Hurtado tract. de interdicto, diffic. 2.

2106 Not. autem, tam perſonale, quàm locale interdictum, iterum dupliciter dividi, ſcilicet in *generale*, & *ſpeciale*. Interdictum *perſonale generale* eſt, quo interdicitur una communitas hominum, quæ conſtituit unum corpus, ut populus, exercitus, imò & collegium in populo contentum. Hoc afficiuntur omnes perſonæ talis communitatis, non ſecundùm ſe, ſed quaſi membra ejus, & quàmdiu ſunt membra. Hinc ſi deſinat aliquis eſſe membrum talis communitatis interdictæ, deſinit etiam eſſe interdictus, niſi perſona culpabilis ſit; nam tum etiam afficitur interdicto ſpeciali; ſic Hurtado loc. cit. n. 3. Si autem petas, an interdictum generale perſonale privet perſonas talis communitatis actionibus cuilibet propriis, vel tantùm propriis communitati, ſicut dum ſuſpenditur tota civitas? reſpondet Hurtado nullam actionem, quâ privat interdictum, eſſe actionem propriam communitati, quà tali; omnes enim ſunt actiones perſonarum ſingularium, hinc affirmandum cenſet de primis actionibus; Sed dici poſſet, alias eſſe actiones, quas exercent communi nomine; alias, quas non communi, ſed ſuo privato: id quod colligitur ex c. *ſi ſententia*, 16. de ſent. excom. in 6. ibi: cùm divinorum auditio, & Sacramentorum perceptio populo, *ut univerſis*, non competant. Interdictum autem *perſonale ſpeciale* eſt, quando interdicitur una, vel plures perſonæ ſecundùm ſe; ſed non ut faciunt unam communitatem; Sic P. Bauny cit. q. 1. in fine.

Interdictum *locale generale* eſt, cùm in- 2107
terdicitur locus aliquis complectens ſub ſe alia loca particularia, idque cum aliqua latitudine, ut Regnum, Provincia, civitas, Parochia, ſumpta pro diſtrictu toto Parochiali. Interdictum autem *locale ſpeciale* eſt, quo interdicitur locus ſpecialis v. g. hæc Eccleſia, vel hæ Eccleſiæ, ſcilicet in ſuppoſitione diſtributiva, quæ ſingulares ſunt, ut colligitur ex c. *Cùm in partibus*, 17. de verborum ſignificatione. Nam cum in partibus ſæpè contigiſſet, diverſa loca interdicto ſupponi, & dubitaretur, an generale, vel particulare dici debeat? & illi, qui ab Eccleſia Romana decorari privilegio meruerunt, videlicet, ut cùm generale interdictum terræ fuerit, liceat eis januis clauſis, non pulſatis campanis, excluſis excommunicatis & interdictis, ſuppreſſâ voce divina officia celebrare: interdicto particulari ſe aſſerant non arctari, *dicentes interdictum generale*, duntaxat cùm regnum, vel ſaltem provincia tota ſubjicitur interdicto: ex quo fiebat, quòd & juſtitia ſæpe deperiret,

& Prælatorum ſententiæ contemnerentur: Innocentius III. dubio ſatisfacturus, reſcripſit: cùm in privilegiis de regno, vel provincia nihil expreſsè dicatur, nomine *terræ* non ſolum regnum, vel provinciam intelligi volumus, verùm etiam villam & caſtrum, ut in his locum habeat, quod de generali dicitur interdicto. Præter has diviſiones aliæ ſunt communes; aliud enim eſt *totale*, quod habet omnes effectus, aliud *ſpeciale*; aliud *à jure*, aliud *ab homine*; aliud per modum cenſuræ; aliud per modum puræ pœnæ. Hæc autem omnia ex dictis conſtant.

2108 Quæſtio ulterior eſt, an poſito interdicto locali, ſive generali, ſive ſpeciali, cenſeatur etiam poſitum perſonale? 2. an locale, poſito perſonali? Ad utramque R. negativè; excipe in primo, niſi ſit perſona, ob cujus culpam poſitum eſt interdictum locale, c. *ſi ſententia*, 16. de ſent. excom. in 6. ubi Bonifacius VIII. ſic loquitur: ſi ſententia interdicti proferatur *in Clerum*, non intelligitur (niſi aliud ſit expreſſum in ea) *interdictus populus*, nec etiam è converſo. Unde uno interdicto ipſorum, alius licitè admittitur ad divina. Cæterùm, *cùm propter delictum domini, vel rectoris eſt civitas interdicta*: cives ejuſdem (qui culpabiles non exiſtunt, dummodo & ipſi propter dominum, vel rectorem puniendum in eis non fuerint interdicti) poſſunt extra ipſam licitè intereſſe divinis. Cùm verò *alicujus terræ populus* interdicto nodatur, ſingulares ex eo perſonæ, quas interdictas eſſe conſtat (ne ſententia effectu careat, cùm divinorum auditio, & Sacramentorum perceptio populo ut univerſis non competant) non debent alicubi (caſibus expreſſis à jure duntaxat exceptis) adire divina, vel Eccleſiaſtica recipere Sacramenta.

2109 Quamvis autem in quæſt. an interdicto generaliter populo, cenſeatur etiam eo ipſo interdictus locus populi, v. g. Civitas, affirmativam teneat Covarruvias; negativam probabilius defendit Navarrus c. 27. n. 167. illius enim nulla ratio eſt, cùm ſint interdicta inconnexa. Hinc concedo, Clericos, alios ab interdictis, poſſe in templo talis urbis facere divina, ſed januis clauſis, ne ſcilicet interſint, qui interdicti ſunt.

2110 Ne autem, cùm in jure occurrit, aut contingit mentio *interdicti*, exinde naſcatur confuſio, aut error (cùm interdictum aliter, & aliter acceptum pariat diverſos juris effectus) not. Interdictum apud Latinos, idem valere, ac maximè prohibitum, ſicut interdicere, à quo derivatur, maximè prohibere. Apud Legiſtas, ff. de interdicto, & Inſtitut. eod. tit. ſumitur ampliſſimè pro ſolemni dicto Prætoris aliquid prohibentis, vel præcipientis inter duos, reum nempe & actorem, & eſt interdictum, quaſi inter duos dictum, definiturque à Gloſſ. ad c. *Paſtoralis*, de cauſ poſſeſſ. in hunc modum: *Erat olim quædam formata, & ſolemnis conceſſio verborum, quibus Prætor aliquid fieri jubebat, vel prohibebat.* Sic acceptum dividitur in tria, ſcilicet *Prohibitorium*, quo Prætor vetat aliquid fieri: *Reſtitutorium*, quo Prætor aliquid reſtitui jubet: & *Exhibitorium*, quo agitur ad aliquid exhibendum. Accedit *Fraudatorium*, quo revocantur alienata in fraudem creditorum: Strictè verò accipitur pro ſolo *Prohibitorio*: quia propinquius deducitur ab interdicendo, prohibendo.

Hinc etiam olim erant quædam leges, 2111
quæ fuêre juſſa Prætorum, & vocantur *interdicta*, quæ in individuo capiunt denominationem, vel ab authore, vel à materia, in qua verſantur. Nam *interdicere*, quamvis accipiatur pro *deficere*, L. *interdicit*, ff. de cond. & demonſtr. tamen propriè *eſt denuntiare* & *prohibere*, ut Inſtitut. de interdict. §. 1. dicitur igitur *interdictum* ab interdicendo, hoc eſt, interim dicendo. Nam quoties Prætor non in perpetuum, ſed ad tempus, donec pleniore judicio de jure petitorii quæratur, aliquid edicit, propriè eſt interdictum. Et quidem olim nihil aliud erat, quàm quædam formata, & ſolemnis conceptio verborum, quibus Prætor aliquid fieri jubebat, quod tunc maximè faciebat, cùm de poſſeſſione, vel quaſi poſſeſſione inter aliquos contendebatur, Inſtitut. de interdict. in princ. Differebat olim interdictum ab actione; quia actio erat inducta de jure civili, & generaliter ſine ulla ſolemnitate verborum in ſingulas perſonas; at interdictum de jure prætorio; & quot erant homines volentes proponere, tot pro ſingulis fiebant verborum ſolemnitates & conceptiones. Hodie tamen inter actiones, & interdicta non eſt diſcrimen. Inſtit. eod. tit. *§. fin.*

Interdictum Salvianum, quod ab Au- 2112
thore nomen accepit, competit Domino fundi adverſus colonum in ſua domo habitantem, & ejus hæredes, de rebus coloni

tacitè

tacitè pignoratis pro mercedibus, quas colonus in fundum intulit, L. 1. ff. eod. tit. ubi textus hæc habet: Si colonus ancillam in fundum pignoris nomine induxerit, & eam vendiderit, quod apud emptorem ex ea natum est, ejus apprehendendi gratia utile interdictum reddi oportet. Pro exemplo de interdictis accipientibus nomen à materia, celeberrimum est interdictum de novi operis nunciatione, quo prohibetur, ne ædificium fiat in aliquo loco, vel ne cæptum continuetur, L. *Prætor.* ff. eod. tit. Quando locum habeat, & quas habeat partes, latè exponit Molina tom. 3. D. 706. Est interdictum, ne quid in loco sacro fiat: ne quid fiat in loco publico, vel itinere: ne quid fiat in mari, aut flumine publico: Est *interdictum, undevi: quod vi, aut clam: quorum bonorum: quorum legatorum: de ripa munienda: de rivis: de sepulchro ædificando: de superficiebus: de tabulis exhibendis: de vi, & vi armata, de aqua quotidiana, & æstiva: de aqua pluviali arcenda*: & multa alia quæ dilucidè explicat Alexander Scot. in suo diction. V. *Interdictum.*

2113 Cœterùm apud Canonistas, & Theologos sumitur dupliciter (ut notat Sayrus de cens. lib. 5. c. 1. n. 5.) 1. pro prohibitione Judicis Ecclesiastici, seu juris canonici, ut habetur c. *Minor*, 17. q. 4. c. *significâsti*, de offic. Archid. & c. *Cum illorum*, de sent. excom. Et hoc modo non differt hæc acceptio à secunda Legistarum acceptione, nisi quòd ibi sermo sit de prohibitione Prætoris, hic verò de prohibitione Ecclesiæ, sive per judicem, sive per jus Ecclesiasticum 2. sumitur pro sententia juris, vel Prælati Ecclesiastici prohibentis alicui divina officia, sacramenta, vel sepulturam Ecclesiasticam in pœnam delicti, vel contumaciæ, sive illius, qui interdicitur, sive alicujus alterius.

2114 Hinc *interdictum* in acceptione canonica, & Theologica, prout accipitur hoc titulo, rectè definitur à Suarez de cens. D. 32. s. 1. n. 4. in hunc modum: *est censura Ecclesiastica prohibens usum quarundam rerum divinarum, ut fidelibus communem, quatenus talis est.* Ubi intelligitur, rectè definiri interdictum acceptum in genere, utpote abstrahens à loco, & personis, interdicto locali, & personali, item ab usu activo, & passivo: siquidem in particulari, vel utroque, vel altero ex his modis fertur. Particula (*ut fidelibus communem*) distinguit interdictum à suspensione, quæ privat determinato usu potestatis Ecclesiasticæ, ideoque in solos Clericos ferri potest. Particula (*quatenus talis est*) distinguit interdictum ab excommunicatione, nam hæc privat quidem usu rei sacræ, non tamen, ut est usus rei sacræ, sed ut est communicatio cum fidelibus. Ponitur (*quarundam rerum divinarum*) quia non semper privat omnibus, sed illis, quæ in jure exprimuntur.

ARTICULUS II.

Quæ personæ comprehendantur sub interdicto personali?

QUæstio est de interdicto generali per- 2115
sonali? quo posito: eo comprehendi omnes omnino personas talis communitatis, etiam inculpabiles, habetur ex c. *si sententia*, 16. de sent. excommunicationis in 6. sed de discrimine, quòd hæ veniant sub illo interdicto solùm, ut, & quamdiu sunt membra illius communitatis: sic enim absque ulla etiam relaxatione, si desinant esse ejus communitatis, desinunt esse interdictæ; culpabiles verò, seu nocentes sunt etiam interdictæ specialiter, ubi præterea not. quòd sub interdicto generali personali v. g. *totius populi*, veniant etiam absentes localiter, habitantes in suburbiis, & ædificiis continentibus, habentes domicilium in eo populo, esto etiam alibi habeant; item pueri ratione utentes (& amentes, ac infantes quoad privationem sepulturæ sacræ) nam sunt vera membra illius communitatis, seu populi. Sic Hurtado diffic. 4.

Præter hæc nota, nomine *populi interdicti* non venire *Clericos*, aut *Religiosos*; nec nomine *Cleri interdicti*, venire *populum*; sunt enim distinctæ communitates, patet ex cit. c. *Si sententia*: deinde nomine *universitatis interdictæ* venire etiam Clericos, & Religiosos, qui sunt ejus membra; 3. nomine *populi interdicti*, non venire illos, qui studiorum, vel negotiorum causâ morantur etiam diutius in loco illius populi; non enim sunt membra talis communitatis, 4. nomine *Cleri interdicti* post Trident. Sess. 23. c. 6. de Reform. non venire illos, qui gaudent privilegio fori, esto gaudeant privilegio canonis; sic Hurtado loc. cit. 2116

Sed quæres 1. an nomine *monasterii Regularium interdicti* veniant etiam Novitii? 2. Religiosi peregrini? 3. an si quis ex 2117

eo monasterio abeat, adhuc maneat interdictus? 4. an is, qui in illud prius jam interdictum primò advenit, & fit membrum? 5. an etiam veniant eo nomine absentes Religiosi? 6. an Regulares subjaceant interdictis generalibus? 7. an Moniales, si interdictum personale generaliter feratur in Religiosos? 8. an Regulares transeuntes per loca interdicta, teneantur ibi servare interdictum, quam diu ibi commorantur? 9. an unus ex populo personaliter, generaliter interdicto, desinat esse interdictus, si fiat Religiosus?

2118 Ad 1. ℟. affirmativè; quia Novitii sunt pars, & membra talis communitatis, & Monasterii; ad 2. ℟. negativè, propter rationem contrariam; ad 3. ℟. quòd non, quia tunc desinit illius loci, & Monasterii, seu Communitatis esse membrum; excipe nisi talis sit ex personis, quæ ratione delicti sui causa sunt hujus censuræ; Sic Pellizarius sæpe cit. in Manual. Regul. tom. 2. tr. 7. c. 4. sect. 1. Ad 4. affirmandum est; quia tali casu evadit pars dictæ Communitatis; quod etiam dicendum ad 5. quia talis absentia non facit absentem non esse de tali Communitate. Ad 6. dicendum negativè de interdictis generaliter latis in Populum, vel in Clerum, ratio est ex dict. sup. Ad 7. affirmat Pellizarius n. 16. quia masculinum comprehendit fœmininum, ubi non limitatur; verum hoc in pœnalibus non procedit. Ad 8. ℟. affirmativè, si interdictum sit generale locale; secùs, si generale personale: Ad 9. autem affirmat Sayrus de illo, postquam fecit professionem; Pellizarius à n. 18. affirmat, etsi tantùm sit Novitius, quia sic jam desinit esse de illo populo; tum quia tunc eximitur à potestate Judicis sæcularis, imò etiam ab Ordinarii jurisdictione; tum quia tales in favorabilibus generaliter veniunt nomine Religiosi, teste Suarez l. 4. de Religiosis tr. 10. s. 9. c. 1. n. 28.

2119 Quæres 2. utrum ingressus Ecclesiæ prohibitus sit ex vi interdicti, & an hujusmodi prohibitio constituat aliam interdicti speciem? Quæstio solùm habet locum in interdicto personali, ita tamen, ut non sit effectus communis omnibus interdictis personalibus privare ingressu Ecclesiæ. Est igitur censura hæc peculiare genus interdicti spectans ad personalia, ab aliis personalibus differens, quòd partiale sit, & fortè addat aliquem effectum, quem non habent reliqua personalia. Unde homini sic interdicto extra Ecclesiam existenti licitum non est audire divina, quæ intra illam fiunt. Nam ideo ingressus Ecclesiæ illi interdicitur, ut divinorum, quæ in eâ celebrantur, particeps non fiat.

ARTICULUS III.

Quæ loca comprehendantur sub interdicto locali?

RESP. Cùm generaliter interdicitur ipse locus v. g. oppidum, vel civitas, comprehendi etiam suburbia, domosque continentes, seu contiguas c. *Si civitas*, 17. de sent. excom. in 6. ubi idem Bonifacius VIII. ait: *si civitas, castrum, aut villa*, subjiciantur Ecclesiastico interdicto: *illorum suburbia, & continentia ædificia, eoipso intelligi volumus interdicta.* Nam licet prædicta videantur aliàs murorum ambitu terminari: hoc tamen casu, ne vilipendi valeat sententia interdicti (quod fieret, si posset in ipsorum suburbiis, vel continentibus ædificiis licitè celebrari, ut prius) expedit interpretationem fieri latiorem. Ratione quoque simili, si sit Ecclesia interdicto supposita, vel subjecta, nec in capella ejus celebrari, nec in cœmiterio ipsius eidem Ecclesiæ contiguis poterit sepeliri. Secus si ei contigua non existant. Ubi nota, per verbum *continentia* intelligi etiam domos & ædificia, quæ non procul ab urbe visuntur, nullo inter se ordine, vel contiguitate disposita, ut exponit P. Bauny t. 9. q. 4. & ly *non procul* explicari ab Hurtado diffic. 5. quando est major conjunctio illorum ad civitatem, quàm unius milliarii, qui ibidem addit, id verum esse de ædificiis continentibus, esto non sint subjecta Domino temporali oppidi, ejus culpâ interdicti; verùm de locis tantùm distantibus non videtur procedere, prout colligi potest ex postremis textûs verbis, ubi explicat, quid intelligatur, quando interdicta est Ecclesia.

2121 Quæres præterea, an, quando oppidum generaliter interdictum est, etiam interdicantur Ecclesiæ Religiosorum exemptæ à jurisdictione Episcopi? 2. an etiam tunc, quando omnes oppidi Ecclesiæ speciali interdicto ab Ordinario interdicantur? 3. An cùm interdicitur aliqua Ecclesia, eoipso etiam interdicatur capella ipsi contigua, & cœmiterium ipsi contiguum? Ad 1. affirmativè respondet Hurtado cit. diff. 5. ex

ex Trid. Sess. 25. c. 12. de reformat. ibi: *Censuræ & interdicta, nedum à Sede Apostolica emanata, sed etiam ab Ordinariis promulgata mandante Episcopo, à Regularibus in eorum Ecclesiis publicentur, atque serventur.* Verùm aliud est, quòd interdicta Episcoporum, etiam Regulares exempti vi hujus textus debeant publicare in suis Ecclesiis, ac in eisdem observare, *ne ibi fiant, quæ per tale interdictum inhibita sunt*; aliud, quòd *ipsæ illorum Ecclesiæ* sint interdictæ; primum rectè deducitur ex cit. textu; non secundum. Hinc ad 2. ℟. negativè, quia Episcopus in eas non habet jurisdictionem, ad 3. ℟. affirmativè, cùm expressè habetur in cit c. *Si civitas.*

2122 Not. Ulterius, interdictis generaliter *terris* alicujus Domini; intelligi etiam terras ipsi datas in feudum, in dotem uxoris, in usumfructum, & omnes illas, in quas habet jurisdictionem; non autem eas, quas habet in pignus (hæ enim non sunt ipsius) nec eas, in quas habet solùm dominium directum (quales sunt, quas aliis dedit in feudum) sic enim non puniretur ipse; nec eas, quas acquirit post latum interdictum; quia sententia non extenditur ad futura, nec istæ sunt pars terræ prius interdictæ; Sic Hurtado cit. n. 15.

ARTICULUS IV.

Quos effectus habeat Interdictum?

2123 SUpponendum interdictum ab ipso Latore interdicti limitari posse quoad effectus; hi enim non sunt necessariò connexi; quo posito: ℟. per interdictum totale, seu absolutè latum, causari tres effectus, seu triplicem obligationem abstinendi 1. à celebratione, seu publica dictione divinorum officiorum, publicaque eorum auditione; 2. ab usu Sacramentorum *aliquorum*, activo & passivo: 3. à sepultura Ecclesiastica. Constat ex c. *si sententia*, 6. c. *si civitas*, 17. c. *Alma Mater*, 24. de sent. excom. in 6. & c. *Responso*, 43. de sent. excom. c. *quod in te*, 11. de pœnit. & remissionibus. His addit Bauny cit. q. 13. quartum, scilicet irregularitatem, quam incurrit, qui in loco interdicto celebrat, ex c. *Is, qui.* de sent. excom.

§. 1.

Quid veniat per officia divina in interdicto prohibita?

2124 REspondet Bauny venire 1. Missæ Sacrificium 2. recitationem publicam, & solemnem precum Ecclesiasticarum 3. confectionem Sacramentorum, & Sacramentalium, qualis est benedictio aquæ lustralis, ac ejus aspersio solennis. Dicitur autem fieri *publice*, ac *solenniter*, quod fit *nomine Ecclesiæ cum ritu, & cæremoniis*, quæ ad Ecclesiasticos propriè pertinent. Si autem quæras, an his omnibus privetur is, qui absolutè interdictus est? ℟. affirmativè; patet ex c. *Alma Mater*, de sent. excom. in 6. ubi dicitur, *dudum statutum fuisse, ut tali casu (certis casibus, & Sacramentis exceptis) nulla divina celebrentur officia, vel ministrentur Ecclesiastica Sacramenta*; quæ verò excepta sint, habentur num. seq.

Not. tamen, circa hunc effectum (scilicet privationem divinorum) jure antiquo, pro interdicto locali generali quædam fuisse concessa. Primò enim servatis certis conditionibus, statim referendis, Parochis, & Ecclesiarum Rectoribus concedebatur, semel in septimana celebrare Missam pro conficienda Eucharistia, quæ pro infirmis asservari consuevit; in Ecclesia etiam specialiter interdicta licebat Ministris Ecclesiæ, saltem semel in hebdomada, aut ex necessitate, pluries celebrare, causâ conficiendi Corpus Christi pro infirmis, c. *Permittimus*, h. t. 57. ibi: Permittimus Ecclesiarum ministris semel in hebdomada tempore interdicti, *non pulsatis campanis, voce submissa, januis clausis, excommunicatis, & interdictis exclusis*, Missarum solennia celebrare causâ conficiendi corpus Domini, quod decedentibus in pœnitentia non negatur. 2. Concedebatur Clericis, legere horas canonicas sine cantu, idque non pluribus, quàm tribus simul; 3. Ex Sacramentis concedebatur solùm *pœnitentia, & viaticum morituris.* c. *quod in te*, 11. de pœnit. & remissi. 4. Ut Clerici non specialiter interdicti, qui interdictum generale servarunt, possent in cœmetirio sepeliri. Ubi Innocentius III. ad varias quæstiones respondens ait: in illo verbo, per quod pœnitentiam morientibus non negamus, viaticum etiam, quod verè pœnitentibus exhibetur, intelligi volumus, ut nec ipsum decedentibus denegetur. Licet autem per generale interdictum denegetur omnibus tam unctio, quàm Ecclesiastica sepultura: concedimus tamen ex gratia, ut Clerici decedentes, qui tamen servaverint interdictum, in cœmiterio Ecclesiæ sine 2125

cam-

campanarum pulsatione cessantibus solennitatibus omnibus cum silentio tumulentur. Et in conventualibus Ecclesiis bini, & bini, vel simul tres horas Canonicas valeant *legere, non cantare*, januis clausis, interdictis & excommunicatis exclusis, & voce ita remissâ, quòd exterius audiri non possit: cùm & Regularibus secundùm privilegium Sedis Apostolicæ sit indultum, ut cùm generale interdictum terræ fuerit, liceat eis januis clausis, excommunicatis & interdictis exclusis, non pulsatis campanis, suppressâ voce celebrare divina, quibus positis.

2126 Quæres 1. An dicta prohibitio procedat etiam hodie? R. quòd non; nam jure novo plura tempore interdicti *localis generalis*, non autem alterius, à Bonifacio VIII. concessa sunt, ut habetur in c. *Alma Mater*, 24. h. t. in 6. cùm enim advertisset, quòd ex districtione hujusmodi statutorum excrescat indevotio populi, pullulent hæreses, & infinita pericula animarum insurgant: ac Ecclesiis sine culpa earum debita obsequia subtrahantur, subjungit: cum Fratribus nostris deliberatione habita super his diligenti, *concedimus: quòd tempore interdicti ab homine, vel à jure prolati: non tantummodo morientes, sed etiam viventes, tam sani etiam, quàm infirmi, ad pœnitentiam* (quæ propter pronitatem & facilitatem hominum ad peccandum, summè necessaria est) *licitè admittantur: dum tamen excommunicati non fuerint*, quos admitti (præterquam in mortis articulo) nolumus ad eandem.

2127 Secundò: illis etiam, propter quorum culpam, dolum, vel fraudem lata est sententia interdicti, vel qui ad perpetrandum delictum, cujus occasione ipsum interdictum est latum, præbuerunt auxilium, consilium, vel favorem: nisi de ipso delicto (si sint tales, quòd id facere valeant) prius satisfecerint, vel de satisfaciendo idoneam dederint cautionem, aut si satisfacere nequeunt, vel hujusmodi cautionem præstare juraverint, quòd quum poterunt, satisfacient, & ad satisfactionem hujusmodi per eum, vel per eos, qui facere ipsam debent, & possunt, præstandam, dabunt consilium, & auxilium, ac juxta posse suum fideliter laborabunt, non est pœnitentiæ beneficium aliquatenus concedendum. Nec tunc etiam quoad istos vel alios, qui circa hoc minimè deliquerunt (ubi civitas, vel locus alius, seu universitas interdicti existunt) facienda est relaxatio interdicti, sed est eis solummodo injungenda pœnitentia salutaris.

Tertiò adjicit, quòd singulis diebus 2128 in Ecclesiis, & Monasteriis, Missæ celebrentur, & alia dicantur Divina officia sicut prius: submissâ tamen voce, & januis clausis, excommunicatis, ac interdictis exclusis, & campanis etiam non pulsatis. Et tam Canonici, quàm Clerici Ecclesiarum, in quibus distributiones quotidianæ illis, qui horis intersunt Canonicis, tribuuntur, si ad officia non venerint suprà dicta, distributiones easdem amittant: sicut interdicto perderent non extante, si divinis officiis non adessent.

Quartò, ut in festivitatibus Natalis 2129 Domini, Paschæ, ac Pentecostes, & Assumptionis Virginis glorioſæ, campanæ pulsentur, & januis apertis altâ voce, divina officia solenniter celebrentur, *excommunicatis* prorsus *exclusis*, sed *interdictis admissis*, quibus ob reverentiam dictarum solennitatum (ut ipsi ad humilitatis gratiam, & reconciliationis affectum facilius inclinentur) præfatis diebus participicationem permittimus divinorum: sic tamen, quòd illi, propter quorum excessum interdictum hujusmodi est prolatum, altari nullatenus appropinquent. Cæteris, quæ circa observationem interdictorum à nostris sunt Prædecessoribus instituta, in suo robore duratutis: non obstantibus quibusvis privilegiis, Ecclesiis, Monasteriis, Ordinibus, Religionibus, seu personis Ecclesiasticis, secularibus, vel regularibus, exemptis, & non exemptis, sub quavis forma, vel expressione verborum ab Apostolica Sede concessis, quæ, contra tenorem præsentis Constitutionis, nullis volumus suffragari, cùm quibuslibet, tam secularibus, quàm regularibus sufficere debeat, ut tempore interdicti, modo præmisso, diebus celebret supradictis.

Quæres 2. an hæc concessio sit tan- 2130 tum pro interdicto locali generali? 3. ubi celebrare liceat? 4. an omnis campanæ pulsus prohibeatur? 5. an hæc concessio etiam extendatur sub iisdem conditionibus ad sepulturam illorum Clericorum in Ecclesia? Ad 2. R. affirmativè cum Tamburin. l. 10. tr. 3. c. 1. §. 3. & patet ex illis verbis in textu: *ut in terris, seu locis Ecclesiastico suppositis interdicto.* Ad 3. respondet Hurtado diffic. 7. licere in Ecclesiis, & Mona-

Monasteriis ex cit. c. 24. ibi: quòd *singulis diebus in Ecclesiis, & Monasteriis Missæ celebrentur*; Ad 4. R. quòd is tantum, *quo convocetur populus ad eam celebrationem audiendam*, ibi: & alia dicantur divina officia *sicut prius*, campanis tamen non pulsatis. Hinc poterunt juxta Tamburin. n. 5. pulsari campanæ ad convocandum populum pro concione, ad recitandam salutationem Angelicam, ad designandas horas diei: ad elevationem autem in Missa, posse pulsari negat Lezana, V. *interdictum* n. 26. probabilius concedit Hurtado diffic. 7. n. 20. non enim fit *ad convocandum populum*, sed ad eos, qui in Ecclesia sunt, monendos de exhibenda reverentia Christo Eucharistico; sic etiam Tamburin. loc. cit. Ad 5. affirmativè respondet Tamburin. cit. n. 6. colligitur ex verbis: *sicut prius divina officia dicantur.*

2131 Quæres 6. An hæc concessio Clericis facta, quà Ministris Ecclesiæ, extendatur etiam ad Regulares utriusque sexûs? 7. an ad omnes Clericos? 8. an interdicti, qui excludendi sunt, etiam ii intelligantur, qui tales sunt solùm ratione loci, non suâ culpâ? 9. an ad carentes usu rationis? 10. an per Ecclesias ibi intelligantur etiam oratoria? Ad 6. R. affirmativè, etiam quoad Novitios, & omnes personas Ecclesiasticas, incolas, alienigenas, etiam primâ solùm tonsurâ initiatos (si habeant beneficium, aut de mandato Episcopi alicui Ecclesiæ inserviant, aut in literarum studio ad recipiendos majores Ordines versentur juxta Trident. Sess. 23. c. 6. de reform.) imò & Clericos conjugatos cum Virgine unica, si & ipsi de mandato Episcopi alicui Ecclesiæ deserviant; Sic Pellizarius in Manual. Regul. tom. 2. tr. 7. c. 4. S. 1. n. 35. quia sumus in materia favorabili. Quamvis Hurtado diffic. 7. n. 19. neget de Clericis conjugatis. Ex quo etiam patet responsio ad quæst. 7.

2132 Ad 8. affirmativè respondet Hurtado cit. n. 21. nisi habeant aliud privilegium, vel exposcat necessitas, ut si non adsit nisi Laicus, qui inserviat Missæ. Ad 9. R. affirmativè; hi enim non sunt capaces hujus prohibitionis. Ad 10. negat Hurtado n. 18. sed rectius affirmatur sumendas illas voces amplè (cùm simus in materia favorabili) pro omni loco sacro, etiam hospitali, imò & oratorio privato, si ab Episcopo deputata sunt, vel etiam ex potestate Prælati Regularis juxta propria privilegia. Ratio est, quia mens Papæ erat, ut celebrentur divina æquè, acsi non esset interdictum (demptis iis, quæ supra retuli) ergo exercere possunt tempore interdicti, ubicunque ante interdictum poterant; sed in his omnibus poterant; ergo, ita Pellizarius ex Suarez D. 34. S. 1. n. 9.

Circa eandem concessionem, quæ 2133
tempore interdicti generalis localis jure novo facta est, à Bonifacio VIII. in dicto c. *Alma Mater*, ubi dicitur in festivitatibus Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, & Assumptionis B. V. campanas pulsandi, & januis apertis, altâ voce, officia divina solemniter celebrandi, excommunicatis prorsus exclusis, sed interdictis admissis, quibus ob reverentiam dictarum solennitatum præfatis diebus participatio permittitur divinorum: nota, iisdem festivitatibus additam esse à Martino V. festum Corporis Christi, & ab Eugenio IV. totam ejus octavam, ut habet Hurtado diffic. 7. n. 24. his positis:

Quæstio tamen est 1. an per *Pascha*, 2134
Nativitatem &c. intelligantur omnes tres dies Paschatis, Nativitatis &c. 2. Unde sumatur initium illorum dierum? 3. quando desinant? 4. an his diebus etiam permittatur per auditionem Missæ communio? 5. an extrema unctio? Ad 1. affirmativè respondet Pellizarius in Manual. tom. 2. tr. 7. c. 4. s. 1. n. 37. §. Suppono 7. & Hurtado cit. n. 24. contra Henriquez, volentem intelligi tantum primum diem; ratio est, quia duo dies sequentes pertinent principaliter, tanquam festa ad illud Mysterium, licet feria secunda Nativitatis alicui Sancto, minus principaliter, sacra sit.

Ad 2. R. illos incipere à primis vesperis, quoad eorum celebrationem, excepto Paschate, & Pentecoste, quæ incipiunt à Missa Vigiliæ, quia in earum vigiliis Missa per anticipationem fit de ipsis festivitatibus; sic Pellizarius cit.

Ad 3. respondent aliqui, festivitates finiri in Completorio inclusivè, & non in secundis vesperis; sic Hurtado cit. n. 25. contra Avilam, & alios; quia etiam Completorium pertinet ad celebrationem illius diei. Hæc ratio, Completorium pertinere etiam ad celebrationem illius diei, vera est; sed non videtur esse terminus festi; aliàs labor servilis, post illud licitus esset, &c.

2135 Ad 4. negativè respondet Avila, & Sylvester; alii affirmant de interdictis tantùm localiter, exclusis interdictis personaliter ob culpam, ratione cujus latum est illud interdictum locale; hi enim, etsi tunc admitti possint ad Ecclesiam, tamen prohibiti sunt accedere ad altare, sine quo, ordinario modo, non est communio. Hurtado n. 26. assentitur Avilæ; probabiliter tamen etiam affirmantium opinio defenditur à Pellizario cit. n. 40. §. *Moneo* 4. de non interdictis personaliter; nam exceptio est tantùm quoad hos; ergo quoad alios firmat regulam.

Ad 5. negativam tenet Pellizarius cit. §. *Moneo*, 6. idque de illa tam activè, quàm passivè; ratio est, quia circa ministrationem, vel receptionem extremæ unctionis in hac concessione, imò nec alibi, innovatum est aliquid; ergo manet ut antè; antè autem non permittebatur tempore interdicti, & aliunde hic per participationem divinorum, non venit extrema unctio, ut supra monui: ergo.

2136 Præter dictos favores, scilicet celebrandi privatim (de quo dixi n. 2126.) ac etiam publicè in quibusdam Festis (ut dixi n. 2134.) concedit etiam Bonifacius VIII. ut in memorato interdicto locali generali, possit omnibus, benè & malè valentibus, ministrari Sacramentum pœnitentiæ, ut patet ex n. 2125. & seq. exclusis tamen excommunicatis (extra articulum mortis) 2. iis, ob quorum culpam, vel fraudem latum est interdictum; 3. etiam illis, qui ad eam culpam perhibuerunt consilium, auxilium, vel favorem, nisi prius delicto satisfaciant, vel de hoc dent cautionem, aut si neutrum possint, jurent, ut primum possint, satisfacturos. Ex quo patet ad primum effectum interdicti, scilicet quoad passivam, & activam tractationem divinorum; si enim sit interdictum personale, tam generale, quàm speciale, absolutè in totum privat eâ divinorum tractatione, quod etiam de locali speciali absolutè prolato tenendum.

§. 2.

An, & quæ Sacramenta tempore interdicti prohibeantur?

2137 PRæter effectum, de quo priori §. alter est prohibitio quorundam Sacramentorum tam activè, quàm passivè, ut patet ex dictis. Hinc quæres 1. quæ Sacramenta prohibeantur? 2. an tractatio activa? 3. an receptio? Ad 1. R. per interdictum non privari quem Sacramento pœnitentiæ, c. *Alma Mater*, de sent. excom. in 6. intellige cum limitationibus datis à n. 2135. Deinde non prohiberi Baptismum solenniter ministrari, & consequenter recipi posse tempore interdicti, etiam à bene valentibus, Eucharistiam autem tantùm ægris & constitutis in mortis articulo.

De baptismo habetur ex definitione Alexandri III. in c. *Non est Vobis*, 11. de Sponsalibus, ubi sic loquitur: *Non est Vobis* (sicut arbitramur) *incognitum*, qualiter Rex Anglorum pro discordia, quæ inter ipsum, & filios suos est suborta, uxores eorum detineat: Nos itaque attendentes justum, & honestum esse, ut viri suas petant uxores, mandamus, quatenus eundem Regem ad eas restituendas solicitè moneatis: & si juxta commonitionem vestram filiis suis uxores suas intra certum terminum non restituerit, *ex tunc in quacunque provinciarum vestrarum detinentur vel transferuntur, donec ibi fuerint, nulla divina officia (præter Baptismum parvulorum, & pœnitentias morientium) celebretis, nec permittatis aliquatenus celebrari*; & c. *quoniam* 19. de sent. excommunic. in 6. ibi: quoniam *in Baptismo*, & *Confirmatione* (quæ nedum pueris, sed adultis propter moræ periculum exhiberi possunt licitè tempore interdicti) Chrismatis utimur unctione: *posse* (licet terra interdicta existat) *Chrisma die cœnæ Domini confici*, dubium non existit. De confirmatione, in c. *Responso*, 43. h. t. ibi: *sicut baptizari possunt pueri, sic & baptizati ad Confirmationem in frontibus à ut possunt sacro chrismate deliniri*: Altera pars de Eucharistia habetur c. *Quod in te*, 11. de pœnit. quod retulimus superius, & c. *permittimus*, 57. de sent. excom. ita P. Bauny tr. 9. q. 14. Loquimur autem de communione more Laicorum, quo omnia fiant, acsi interdictum non esset.

Dubitatur, an tempore interdicti, de quo agimus, inter Sacramenta prohibita, veniat etiam matrimonium? R. non prohiberi matrimonium; ratio est, quia licet in interdicto generatim prohibeatur susceptio *Sacramentorum*, exceptis casibus in jure expressis, ut habetur c. *si sententia*, 16. de sent. excom. in 6. & *matrimonium* non excipiatur: id tamen intelligi debet de iis tantùm, quæ commissa sunt administrationi Eccle- 2138

Ecclesiæ, seu Ministris ejus ad hoc ordinatis, aut deputatis; Ministri autem in Sacramento Matrimonii sunt ipsi contrahentes, non autem ipsi Ecclesiæ Ministri; sic Hurtado cit. diffic. 8. n. 28. hinc per oppositam rationem non possunt licitè fieri benedictiones nuptiarum, cùm pertineant ad divina officia; nec extrema unctio, etiam Clericis; hæc enim ministratur ab Ecclesia, & in jure non excipitur, & habetur in c. *quod in te*, 11. de pœnit. & remissionibus, ibi: *Licet autem per generale interdictum denegetur omnibus tam unctio, quàm Ecclesiastica sepultura*, &c.

2140 Ex ratione porrò superius data sequitur, nec Ordines durante locali, ac generali interdicto conferri posse; nec etiam alia Sacramenta, quæ exigunt administrationem Ministri ad hoc ordinati vel deputati; consequenter tam activè, quàm passivè prohiberi administrationem Sacramenti Ordinis dandi, vel recipiendi, extremæ unctionis, ac Eucharistiæ more Laicorum extra mortis articulum, juxta dicta superius; quod tamen accipe de iis, qui non habent speciale privilegium, de quibus articulo sequenti; & ex his patet responsio ad quæstiones n. 2137. propositas.

2141 Præter hæc not. 1. cùm dicitur, ne absolutio tempore interdicti excommunicato detur extra mortis articulum, intelligi de absolutione solenni, non privata; Sic Suarez D. 33. S. 1. n. 16. Secundò, si sano Sacramentum pœnitentiæ ministretur in Ecclesia, fieri debere tempore, quo in ea non celebrantur officia divina; his enim interesse non permittitur interdictus, extra festivitates, & casus supra exceptos. Tertiò, cùm datur facultas ministrandi Sacramentum tempore interdicti, intelligi datam secundùm morem, quo illa consuevit Ecclesia ministrare cum omnibus cæremoniis; ita Sylvester V. *interdictum* 5. q. 7. Quartò, Communionem moribundis non tantùm non negari in interdicto locali generali; sed etiam in personali tam generali, quàm speciali; nam nulli morienti negatur Communio, cui conceditur pœnitentiæ Sacramentum, ut dicitur in c. *quod in te*, 11. de pœnitent. & remission. hoc autem moribundo personaliter interdicto, suppositâ debitâ dispositione, non negatur, ut liquet ex illis verbis: *in illo enim verbo, per quod pœnitentiam morientibus non negamus.* Quintò interdictum locale circumscribi loco, id est, extra limites terræ interdictæ non ligare; sic Bauny cit. q. 17. §. dubium. 3. Sextò prohibitionem ab ingressu Ecclesiæ, verum esse interdictum, sed probabilius personale, ut notavimus; hinc talis nec privatæ devotionis causâ, esto tunc divina non celebrentur, intrare potest in Ecclesiam; & Clericus, qui talem ad divina recipit in Ecclesiam, punitur interdicto ingressûs in Ecclesiam, c. *Episcoporum*, de privileg. 8. in 6. quod retulimus supr. Insontes autem Laici, aut etiam Clerici, qui divinis intersunt, non peccant, si ab adventu in Ecclesiam alicujus interdicti vitandi, à divinis non abeant.

§. 3.

Qualiter prohibita sit tempore interdicti sepultura Ecclesiastica?

TErtius effectus interdicti est carentia se- 2142
pulturæ sacræ, patet ex c. *quod in te*, de pœnit. & remission. Circa hunc effectum not. 1. distinguendum esse, an interdictum sit locale? an personale? quando interdictum solùm est locale, *in tali loco* sepeliri non possunt fideles Ecclesiasticâ sepulturâ, per c. *Quod in te*, 11. §. *Licet autem*, de pœnit. & remiss. ibi: *Licet autem per generale interdictum denegetur omnibus Ecclesiastica sepultura*; excipe *Clericos, qui servaverunt interdictum, hi enim* (juxta cit. §. *Licet autem*) *in Ecclesiæ cœmiterio* (licet interdicto) *sine campanarum pulsatione, cessantibus solemnitatibus omnibus, cum silentio tumulari possunt.* 2. Etiam in ipsa Ecclesia, quantumvis interdicta etiam specialiter; nam *cœmiterium*, quod in hac favorabili dispositione exprimitur, non debet strictè sumi, excipe 3. ut in supra dictis festivitatibus (de quibus n. 2129.) etiam cum pulsu campanarum, & cantu, dicti Clerici sepeliri possint, ut ibidem ostensum est. Sic Layman l. 1. tr. 5. p. 4. c. 2. n. 3. Dixi *in tali loco*. Nam qui sunt interdicti generaliter solùm ratione loci, non autem personaliter, in alio loco non interdicto ecclesiasticè licitè sepeliuntur; quia tunc neque circa personam, neque circa illum locum extat ulla constitutio prohibens; Dixi 2. *ecclesiastice*. Nam tumulare interdictum in loco non sacro, prohibitum non est. Not. 2. interdictos localiter, in loco non sacro sepultos, cessante interdicto, licitè transferri ad locum sacrum; quia tunc cessat prohibitio, sepultos autem contra interdictum

in loco sacro, non propterea debere rursum exhumari, ac transferri ad locum interdictum, quia hoc nullibi statutum est.

2143 Not. 3. interdictos personaliter, si non decesserunt impœnitentes, nec fuerunt denuntiati, posse in loco sacro non interdicto sepeliri, ut colligitur ex c. *Sanè*, 24. q. 2. ubi Urbanus II. ait: *quibus vivis communicavimus, etiam mortuis communicare possumus*; si autem nondum fuerunt denuntiati, nec à divinis, nec à sepultura sacra ex obligatione repellendi sunt, post Concilium Constantiense, juxta dicta. Nam post Constitutionem Martini V. *Ad evitandum*, nullum interdictum, ante denuntiationem obligat ad vitandum, quod interdicitur; ita Navarrus in Manuali, c. 27. n. 187. & alii, & videtur colligi ex c. 1. de postul. Prælat. licet aliàs nominatim interdicti, etiam ab exemptis, jure antiquo fuerint evitandi, in his, quibus illis interdictum est, ut dicitur in c. *cùm & plantare*, 3. de privileg. §. *excommunicatos*. Sufficit autem, cùm tota communitas personaliter interdicitur, denuntiari totam Communitatem; cùm denuntiare singulos, moraliter impossibile sit; ita Suarez de Censuris D. 37. s. 2. n. 3.

2144 Si autem quæras, qualiter, & quibus modis violetur interdictum? responsio generalis est, interdictum violari, quoties prohibitus tali censurâ (citra causam excusantem) exercet actum sibi interdictum; aut permissum in substantia cum certis limitationibus præscriptum excedendo; quæ autem in interdicto locali, vel personali, tali censurâ laborantibus, aut innodatis interdicta sint? ex præmissis colligendum est à n. ubi egimus de triplici effectu interdicti, quorum primus est usus tam activus, quàm passivus aliquorum Sacramentorum prohibitus; Secundus celebrare, & audire divina officia: tertius carere Ecclesiastica sepulturâ.

ARTICULUS V.

De pœnis violantium interdictum.

2145 REsp. primam pœnam esse irregularitatem, statutam in Clericos, tam Regulares, quam sæculares, qui violant interdictum, sive personale, sive generale per exercitium solemne actûs ordinis; ex c. *Is, cui*, 20. de sent. excom. in 6. quod Hurtado diffic. 12. verum esse vult, esto interdictum illud non sit censura; nam c. *Is, cui*, loquitur indefinitè de violante *interdictum*, ibi: *is, cui Ecclesiæ interdictus ingressus (cùm sibi per consequens censeatur in ipsa divinorum celebratio interdicta) irregularis efficitur, si contra interdictum hujusmodi divinis in ea se ingerat, in suo agens officio, sicut prius.* Ubi nota textum hunc loqui de interdicto, seu prohibito ab ingressu Ecclesiæ, quod interdictum est personale ex dictis supr. deinde de celebrante divina, *ut prius*, in Ecclesia, à cujus ingressu prohibitus est, ut liquet ex textu, si contra interdictum *in ea se ingerat* in suo agens officio, *ut prius*; hinc talis extra illam Ecclesiam poterit celebrare divina; sic Barbosa in cit. c. 20. n. 4. Not. 3. interdicto, seu prohibito ab ingressu Ecclesiæ non esse prohibitum omnem introitum in Ecclesiam, sed tantùm eum, qui est ad celebrandum divina officia; colligitur ex illis verbis: cùm sibi per consequens censeatur *in ipsa divinorum celebratio interdicta.*

Altera pœna est, ut, qui secluso privi- 2146
legio scienter celebrat in loco suppositio interdicto, irregularis fiat, irregularitate servatâ Papæ, ac ineligibilis passivè, ut dicitur in c. *Is, qui*, 18. eod. §. *Is verò*, ibi: is verò, qui scienter in loco celebrat suppositio interdicto (nisi super hoc privilegiatus existat, aut à jure sit concessum eidem) irregularitatem incurrit: *à qua nequit per alium, quàm per Romanum Pontificem liberari, & adeo efficitur intelligibilis, quòd nec ad eligendum cum aliis debebit admitti*, & c. 1. de postulat. Prælator. ubi, qui violat interdictum, *impostulabilis* est, ibi: quoniam nobis pro certo constabat, quòd idem Episcopus interdicti sententiam non servasset, *postulationem hujusmodi* non propter postulantem Ecclesiam, sed propter postulatam personam *repulimus ut indignam.* Dixi: *in loco interdicto supposito, scienter celebrantem*, dictas pœnas incurrere, quod non contingit, si quis scienter celebret in Ecclesia, vel loco sanguinis, vel seminis effusione polluto; quod etiam procedit de scienter celebrante coram excommunicato, per c. *Is qui*, 18. h. t. licet huic, scienter celebranti coram excommunicato interdicatur ingressus Ecclesiæ; & si sub hoc in ea celebret, irregularitas infligatur per

c. *Epi-*

c. *Episcoporum*, 8. de privileg. in 6. quod loquitur de Regularibus etiam exemptis.

2147 Præter hæc not. 1. eos, qui in loco interdicto missas, & alia divina publicè, & solemniter *præsumptuosè* faciunt celebrari; vel alios cogunt celebrare, incurrere excommunicationem reservatam Papæ per Clementin. *Graves* 2. h. t. ubi idem statuitur 2. in eos, qui per campanarum pulsationem, vel voce præconis, interdictos non obstante prohibitione ad audiendas Missas faciunt evocari, 3. in eos, qui prohibent, ne publicè excommunicati, vel interdicti ab Ecclesiis, in quibus Missæ celebrantur, etiam admoniti à celebrantibus, discedant, 4. in ipsum etiam publicè excommunicatum, vel interdictum, existentem in Ecclesia interdicta, dum Missæ celebrantur, si nominatim monitus exire nolit.

2148 Advertendum autem textum in primo casu procedere de nobilibus, & Dominis temporalibus quibuscunque, si in suis terris Ecclesiastico interdicto suppositis, in Capellis, vel insignibus Ecclesiis Collegiatis, sive Missas, sive alia divina officia solemniter, & publicè celebrari faciunt, aut ad celebrandum compellunt. Deinde secundum casum loqui de evocantibus prohibitos *ad audiendam Missam*; igitur non, si ad alia divina officia; cùm ea dispositio sit pœnalis. Unde etiam illud in tertio casu, *ne ab Ecclesiis discedant*, strictè sumi debet ex eadem ratione, non de privatis Ordinariis, & aliis locis, quæ non sunt strictè *Ecclesiæ*. Si autem contingeret talem, quando Missæ celebrantur, intrare locum celebrationis, in Missa (si Sacerdos nondum incepit canonem) non debet ulterius procedi, si monitus exire nollet; sic Navarrus in Tractat. de Oratione, c. 16. n. 19. apud Barbosam in cit. Clem. 2. n. 3. & colligitur ex textu, ibi: ex quo frequenter contingit, quòd non sine DEI offensa, Clerique ac populi scandalo, ipsa Missarum solemnia remanent inexpleta, de quo plura Gloss. ibid. V. *inexpleta*.

2149 Not. 2. Regularibus etiam Mendicantibus, ac exemptis, scienter transgredientibus interdictum per Sedem Apostolicam, vel Ordinarium loci positum, ipso facto statui excommunicationem, non obstantibus appellationibus, & aliis objectionibus, quas afferunt in sui defensionem, ut habetur in Clement. *Ex frequentibus*. 1. h. t. junctâ Glossâ V. *Quibuscunque*. Circa istam constitutionem advertendum. 1. hanc obligationem non præjudicare his, quæ Regularibus etiam tempore interdicti concessa sunt per c. *Alma Mater*, de quo supra n. 2126. jam egimus; constat ex textu cit. Clementinæ, ibi: *cum moderatione tamen Decretalis, Alma*; 2. Eos sub dicta pœna teneri ad observandum interdictum, quoad Cathedralem, vel Matricem, seu Parochialem loci Ecclesiam, intellige, in qua ipsi habitant, observare sciverint; 3. hanc constitutionem loqui solùm de interdicto generali locali, ex textu, ibi: *civitatum, terrarum, & aliorum generalia locorum interdicta*; 4. Procedere solùm de *Religiosis*; non autem Clericis secularibus, vel Laicis, ibi: *mandamus quatenus Religiosi quicunque tam exempti, quam non exempti, cujuscunque Ordinis, & conditionis existant*. Huc etiam pertinet Decretum Trid. Sess. 25. de Regularib. c. 12. ut Regulares etiam in suis Ecclesiis Episcoporum interdicta publicent & servent. de quo V. Azor. p. 1. l. 12. c. 13.

ARTICULUS VI.

Qui possint interdicere, quos, & ob quam causam?

PRo resolut. suppon. 1. interdictum non 2150
posse validè ferri absque culpa; quia omne interdictum est pœna; consequenter supponit culpam; secundò posse quem localiter interdici, seu generaliter, seu particulariter ob culpam alienam, ut constat ex c. *Non est*, 11. de sponsalibus; quod etiam procedit de interdicto personali generali; quia sic innocens non patitur ut innocens, sed ut pars corporis, seu communitatis, aut capitis, cujus culpa supponitur; ità Hurtado hìc diffic. 13. ex c. *Si sententia*, 16. de sent. excom. in 6. ob culpam autem Capitis in communitate, detinentis æs alienum, non posse ferri prædicta interdicta sine Papæ licentia; quia sic ea culpa non est culpa capitis, *ut est caput communitatis*; sic Hurtado cit. ex constit. Extra vag. *Providè*, de sent. excom. demum nec interdictum personale particulare ferri validè absque culpa personali (sic enim est pœna propria; ergo supponit culpam propriam) rectè tradit Suarez D. 36. S. 3. Hinc interdictum locale generale, vel particulare; item generale personale, non fertur validè,

nisi ob culpam mortalem; hæc enim interdicta sunt pœnæ gravissimæ; sic Hurtado cit. §. *est tamen*; licet interdictum personale particulare, non integrum, sed solùm ab uno v. g. actu, & ad modicum tempus, validè ferri possit, ob culpam solùm venialem; sic enim est pœna valde levis.

2151 Difficultas est, an ob culpam solùm venialem ferri possit validè præfatum interdictum omnino integrum? negativam sequitur Suarez cit. & Vasquez 1. 2. D. 58. n. 50. quia sic est pœna gravis: affirmativam autem Hurtado n. 40. quia non est pœna major, quàm minor excommunicatio; quod tamen limitat, si sit generaliter latum à jure, vel ab homine; secus si latum sit ab homine specialiter, quia sic difficilius tollitur; verùm negativa probabilior videtur; quia totale interdictum est pœna gravis; & multò pluribus privat, quàm minor excommunicatio, ut patet ex utriusque effectibus. Præter hoc not. 1. omnia, quæ excusant à culpa, quæ supponitur ad interdictum, excusare etiam ab interdicto, 2. interdictum, quà est censura, ferri tantùm posse ob culpam, quæ sit contra legem Ecclesiasticam; puram verò pœnam, ob culpam etiam, quæ sit contra legem etiam solùm naturalem, esto non contra legem Ecclesiæ; quibus positis:

2152 Prima quæstio est, qui possint interdicere? R. quòd omnes illi, & soli, qui habent jurisdictionem Ecclesiasticam in foro exteriori, vel ordinariam, vel delegatam; quamvis Prælati Regulares ex desuetudine non possint jam localiter interdicere; ita Hurtado cit. diffic. 14. ubi tamen nota, excommunicatum, vel suspensum vitandum nec validè, nec licitè uti hâc potestate, quia tunc eâ privatus est 2. nec etiam toleratum posse illâ uti validè, aut licitè, etiamsi provocetur à fidelibus, quia etsi possint, non tamen tenentur ei obedire: ergo non obediendo ejus præceptis non committunt inobedientiam, quam supponit punitio per interdictum. Interdictus autem etiam non toleratus, validè, & licitè suam potestatem interdicendi exercet, si quam habuit antè, quia interdictum non prohibet, nec privat jurisdictione interdicendi; sic Hurtado loc. cit. n. 43. sub fine: non ferri tamen licitè, nisi in scriptis exprimendo causam interdicti, ex c. 1. de sent. excom. in 6. & qui secùs facit, interdicitur per unum mensem ab ingressu Ecclesiæ, & divinis officiis. Ut autem interdictum, propter communicationem cum excommunicato, in rebus, ubi à jure solùm imponitur excommunicatio minor communicanti, validum sit, requiritur prævia monitio, vel formaliter, vel virtualiter trina, cum interstitio competenti c. *statutum*, 13. de sent. excom. in 6. junct. c. *statuimus*, 3. & c. *constitutionem*, 9. eod.

Verùm in c. *statuimus*, solùm dicitur, ut quòd excommunicatio lata in participantes excommunicatis in locutione, & similibus non teneat, canonicâ monitione non præmissâ; in c. *Constitutionem* Gregorius X. declaramus decretalem Innocentii IV. de qua in c. *Statuimus*, ait: *ad tollendum omnem ambiguitatis scrupulum declarantes decernimus, ita demum esse monitionem Canonicam in hoc casu, si aliis ritè servatis, in qui monentur, exprimas nominatim*; & exponens, quæ dicatur monitio canonica? *Statuimus quoque*, inquit, *ut inter monitiones, quas (ut Canonicè promulgetur excommunicationis sententia) statuunt jura præmitti: Judices sive monitionibus tribus utantur, sive unâ pro omnibus observent aliquorum dierum competentia intervalla: Nisi fuerit necessitas aliter ea suaserit moderanda*; ubi vides in duobus allatis canonibus nihil dici de interdicto: clarè tamen exprimitur in c. *statutum*, 13. ibi: *Statutum* Gregorii Papæ X. factum ad declarationem constitutionis Innocentianæ, quæ prohibet participantes excommunicatis eâ participatione, quæ solùm minorem inducit, majore excommunicatione ligari monitione canonicâ non præmissâ: in suspensionis & interdicti sententiis (quæ pro hujusmodi participatione plerumque ab ordinariis, vel delegatis Judicibus promulgantur) præcipimus inviolabiliter observari. Decernentes easdem sententias non tenere aliter promulgatas.

Altera quæstio est, qui possint interdici? 2153 R. quòd omnes Baptizati, vivi adulti, excepto Papâ, interdici possint, non tantùm ut personæ particulares, sed etiam, quà sunt membra alicujus communitatis; quia hi omnes sunt subjecti potestati Ecclesiæ, & capaces obligationis; res autem inanimatæ, v. g. templa, urbes, &c. possint non aliter, nisi ut circumstantiæ, quatenus scilicet homines prohibentur in tali loco

loco divina celebrare, sic assistere, Sacramenta aliqua recipere, vel sepeliri. Infantes autem & amentes, si loquamur de interdicto personali & aliis, quà pro effectu suo habent aliquam prohibitionem, interdici nequeunt, utpote incapaces; secùs: quoad Ecclesiasticam sepulturam; id, quod etiam procedit de jam defunctis; quia non amplius subsunt potestati Ecclesiæ.

2155 His adde, interdictum, quod est censura, non tolli, nisi absolutione ex n. 1820. &c. quando autem est pura pœna, cessare elapso termino præfixi temporis; aliàs non tolli, nisi legitimâ dispensatione. Si autem quæras, à quo possit auferri interdictum, quod indiget auferri ab aliquo? R. 1. si latum sit, ut censura, ab homine in aliquem nominatim, auferri debere à Latore, vel ejus Superiore aut Successore; ratio est ex n. 2027. & seq. interdictum autem locale, & generale personale latum ut censuram, generaliter à jure, vel ab homine, quatenus non reservatur, posse tolli ab Ordinario, ex c. *Nuper*, 29. de sent. excom. V. dicta àn. 1819. de reliquis etiam discurre, ut ibi; quæ tamen intellige de interdictis, quæ sacramentaliter tolli possunt; non verò de iis, quæ secùs, ut sunt localia; locus enim sacramentaliter absolvi non potest, sicut nec civitas; ubi tamen nota, hoc interdictum, quod diximus auferri posse ab Ordinario, non posse auferri à Parocho, vel Confessario ordinario juxta Hurtado de interdict. diffic. 16. (nisi sit solùm particulare personale) quia interdictum personale particulare adjunctum generali locali non impedit absolutionem à peccatis, ex c. *Alma Mater*.

2156 Interdictum, quod est pura pœna, sive à jure, sive ab homine, generaliter latum auferri non potest, nisi à potente dispensare in eo jure, quando latum est à jure; & à Papa, quando latum est ab homine, seu judice; Judex enim inferior dispensare non potest in ulla pœna juris; nec in alia pura pœna lata per sententiam etiam ab ipso; nam hæc potestas non est in ipso, etiam respectu pœnæ à se latæ; nec ei conceditur ex eo, quòd non reservetur, nisi ad absolutionem, quæ debetur bene dispositi; sic Hurtado cit.

2157 Not. 2. solum interdictum generale auferri non posse ad cautelam, ex c. *præsenti*, 10. de sent. excom. in 6. ibi: præsenti generali declaramus edicto, *beneficium relaxationis ad cautelam, quoad interdicti sententias in civitates, castra, vel quælibet alia loca, sive terras aliquas generaliter promulgatas, locum aliquatenus non habere*: potest tamen etiam hoc tolli ad tempus ab eo, qui potest totaliter auferre; aut etiam suspendi, suspendendo scilicet causam, seu sententiam.

ARTICULUS VII.

Quæ interdicta sint jure lata?

RESP. ipso facto interdicuntur primò 2158
Universitates, seu Collegia, quæ locum habitationis concedunt alienigenis usurariis, per c. 1. de usur. in 6. secundo si concedant repressalia, seu pignorationes, quibus unus pro alio gravatur contra personas Ecclesiasticas, vel eorum bona, nisi revocaverint intra mensem c. *unico*, de injuriis in 6. tertiò Universitates, & Capitula, quæ à sententia Papæ appellant ad Concilium generale, ex Bulla Cœnæ; quartò Universitates, quæ sine licentia Papæ tributum exigunt ab Ecclesiasticis, c. *quanquam*, 4. de censib. in 6. ibi: *cùm igitur Ecclesiæ, Ecclesiasticæque personæ, ac res ipsarum, non solum jure humano, quin imò & divino, à sæcularium personarum exactionibus sint immunes*. Qui verò contra fecerint, si personæ fuerint singulares, excommunicationis: si autem Collegium, vel Universitas civitatis, castri, seu loci alterius cujuscunque, *ipsa civitas, castrum, vel locus interdicti sententias ipso facto incurrant*: nec ab excommunicatione hujusmodi absolutionem, vel interdicti relaxationem obtineant, donec exacta plenariè restituerint, & de transgressione satisfecerint competenter.

Quintò interdicuntur ipso facto Capi- 2159
tula, quæ sede vacante intra annum concedunt dimissorias ad Ordines non arctato ad id ratione beneficii. Trid. Sess. 7. de reform. c. 10. Sextò, quæ, non servatâ solemnitate præscriptâ præsumunt aliquam censuram ferre, ex c. 1. de sent. excom. in 6. Si autem excommunicant sine monitione competenti, solùm interdicuntur per unum mensem ab ingressu Ecclesiæ, c. *Sacro*, 48. de sent. excom. & in c. præcit. Septimò ab ingressu Ecclesiæ, donec restituant, interdicuntur Episcopi & Superiores, usurpantes sibi bona Ecclesiarum, aut beneficiorum, c. *præsenti*, 9. de offic. Ordin. in 6.

Octa-

Octavò similiter interdicuntur, donec ei, cujus sententiam violârunt, satisfaciant, omnes etiam exempti, qui scienter celebrant, aut celebrari faciunt divina officia in loco interdicto, aut excommunicatos, vel interdictos non toleratos ad divina officia, Sacramenta, vel Ecclesiasticam sepulturam admittunt, c. 8. *Episcoporum*, de privileg. in 6.

2160 Nonò interdicuntur ab ingressu Ecclesiæ, si non restituant intra mensem in duplum Episcopi, qui inter visitandum aliquid eis prohibitum acceperunt ex c. 1. de Censib. in 6. & c. *exigit*, 2. eod. Decimò interdicuntur Laici conferentes Episcopatum, vel Abbatiam, & recipientes ab illis, donec dignitas deferatur, c. *si quis deinceps*, 16. q. 7. Reliqua interdicta localia videri possunt apud Suarez D. 37. quia post extravagantem *ad evitanda scandala*, non obligant ante denuntiationem à Judice factam.

ARTICULUS VIII.

Quid possint Regulares tempore interdicti?

2161 Resp. Plura esse privilegia Regularibus concessa, quibus à lege interdicti eximuntur. Primum habetur in c. *Ut privilegia*, 24. *§. illud etiam*, de Privileg. ubi Bonifacius VIII. primùm refert, quæ Sedes Apostolica Regularibus indulsit, nimirum, ut his, qui Fraternitatem eorum assumpserint, si forsitan Ecclesiæ, ad quas pertinent, à divinis officiis fuerint interdictæ, ipsosque mori contigerit, sepultura Ecclesiastica non negetur, nisi excommunicati, vel nominati fuerint interdicti. Suos quoque Confratres, quos Ecclesiarum Prælati apud Ecclesias suas non permiserint sepeliri, nisi excommunicati, vel interdicti fuerint nominatim, ipsi ad Ecclesias suas deferant tumulandos: & postmodum declarat, qualiter hoc privilegium intelligendum sit, dicens: hoc autem de illis Confratribus intelligimus, vel qui adhuc manentes in sæculo eorum ordini sunt oblati, mutato habitu sæculari, vel eis, qui bona sua dederant inter vivos, retento sibi (quamdiu in hoc sæculo vixerint) usufructu, qui tamen sepeliantur apud ipsorum regularium, vel aliorum non interdictas Ecclesias, in quibus elegerint sepulturam, ne si de quibuslibet ipsorum fraternitatem assumentibus fuerit intellectum, pro duobus, aut tribus denariis annuatim sibi collatis, dissolvatur pariter, & vilescat Ecclesiastica disciplina: certam tamen & ipsi remissionem obtineant ab Apostolica sibi Sede concessam.

Subjungit: illud etiam, quod hujusmodi regularibus est indultum, ut si qui fratrum suorum, qui ab eis missi fuerint ad recipiendas fraternitates sive collectas in quamlibet civitatem, castellum, vel vicum advenerint, & fortè locus ille à divinis officiis sit interdictus, in eorum jucundo adventu semel in anno aperiantur Ecclesiæ: ut exclusis excommunicatis, divina ibidem officia celebrentur: sic intelligi volumus, quod in eadem civitate, aut castro, aut villa una tantùm Ecclesia ejusdem ordinis fratribus semel (ut dictum est) aperiatur in anno: quia licet pluraliter dictum sit, quòd in eorum jucundo adventu *Ecclesiæ aperiantur*, non tamen ad Ecclesias ejusdem loci divisim, sed prædictorum locorum conjunctim sano referendum est intellectu: ne si hoc modo singulas ejusdem loci visitarent Ecclesias, nimirum vilipendi contingeret sententiam interdicti. Qui verò contra declarationes prædictas quidquam sibi usurpare præsumpserint, gravi subjaceant ultioni.

Circa hoc privilegium Regularibus 2162
concessum not. 1. id etiam per ipsam legem extendi ad Episcopos, ut expressè habetur in c. *Quod nonnullis*, 25. eod. ibi: *quod nonnullis est Religiosis indultum, in favorem provincialis officii ad Episcopos extendentes concedimus*, ut cùm commune terræ interdictum fuerit, excommunicatis, & interdictis exclusis, possint quandoque januis clausis, suppressâ voce, & non pulsatis campanis divina celebrare officia: *Nisi & hoc ipsum eis expressè fuerit interdictum.*

Not. 2. hoc privilegium non esse con- 2163
cessum quibuscunque Regularibus, & lege disponente Episcopis, ut procedat etiam de ipsis, qui causam dederunt interdicto, ut apertè declarat Pontifex in cit. c. *Quod nonnullis*, ibi: *verùm hoc illis concedimus*, qui causam aliquam non præstiterint interdicto nec quicquam (doli vel) fraudis ingesserint tale compendium ad iniquum dispendium pertrahentes. Tales enim sunt personaliter interdicti, licet interdictum eorum causâ latum sit generaliter etiam locale, arg. c. *si sententia*, 16. de sent. excom. in 6. at personaliter interdicti, spectato jure communi, non possunt celebrare, aut interesse divinis per c. *fin. §. adjicimus*,

cimus, in 6. ibi: sed interdictis admissis, *sic tamen, quòd illi, propter quorum excessum interdictum hujusmodi est prolatum*, altari nullatenus appropinquent. id quod etiam dicitur in c. *Licet* 1. eod. in 6.

2165 Not. 3. Privilegiatis, ut tempore interdicti possint celebrare divina, clausis Ecclesiis, per hoc non concedi, quòd possint alios etiam extraneos admittere, nisi super hoc specialiter privilegiati sint; 2. si persona particularis privilegiata sit, ut submissâ voce divina celebrare possit tempore interdicti, vel audire divina, ejus familiares domesticos ad eadem licitè admitti; non sic autem in familiaribus alicujus Conventûs, seu Collegii, nisi & illi privilegiati sint, ut expressè definitum est in c. *Licet*, 11. de privileg. in 6.

2166 Nota 4. quando propter aliquorum delictum, qui aliàs facilè corrigi non possunt, fertur generale interdictum locale, etiam reliquos ad id de jure observandum teneri, licet illi, quorum causâ latum est, illud non observent; nam horum excessus non dat aliis, nec dare potest licentiam delinquendi, ut dicitur in c. *Petistis*, 20. de privileg. Nam, cùm Episcopus, & Capitulum Tripolitanum resolvi petiissent, utrum, cùm propter Hospitalarios vel Templarios civitas illorum generali supponitur interdicto eisdem non servantibus, ipsi illud teneantur observare? respondit Pontifex Innocentius III. quòd *illorum excessus, vobis non præbet licentiam excedendi.* Sed si præfati Hospitalarii vel Templarii privilegiorum suorum fines excesserint, violando temerè interdictum, quòd pro eis fuerat promulgatum: ne videantur de aliorum fletu ridere, vos in pœnam præsumptionis eorum, quamdiu ipsi violaverint interdictum, de nostra licentia celebretis.

2167 Not. autem 5. interdictum, de quo in c. *Petistis*, fuisse latum ad instantiam, & favorem Templariorum, & ideo, cùm hi ipsi non observarent illud, etiam Episcopo & Capitulo indultum esse Papali gratiâ, ut ipsi clàm celebrare possent; cujus rationem dat Pirhing de privileg. n. 81. quòd alii servare non teneantur interdictum, positum in favorem aliorum, quod hi ipsi non observant; secus, si in pœnam, & sic puniti transgrediantur.

2168 Alterum privilegium habetur quoad sepulturam Ecclesiasticam in eod. c. Ut privilegia, cujus verba dedimus supr. n. 2161. unde constare poterit, quibus & pro quibus hoc indultum sit. Ubi tamen not. quando dicitur, Fratribus eorum Regularium concedi, ut, nisi sint excommunicati, vel nominatim interdicti, non negetur Ecclesiastica sepultura in Ecclesiis, ad quas pertinent, seu quarum Parochiani sunt, intelligendum esse, licet interdictæ sint, si morientes nullam sibi elegerunt sepulturam; nec etiam habeant propriam, nimirum talem, in qua majores eorum sepeliri consueverunt: quo casu etiam in hac, quantumvis interdicta sepeliri possunt, & debent, non electâ alia. Quod si Prælati dictarum Ecclesiarum eorum cadavera non permiserint ibi sepeliri, vi ejusdem privilegii dictis Regularibus concessum ad suas Ecclesias deferre, ac ibidem tumulari, modò illi Fratres non sint excommunicati, vel nominatim interdicti. Ita textus hujus c. in n. jam cit. Ex hoc autem, quòd ejusmodi oblati gaudeant privilegio Religionis suæ quoad sepulturam Ecclesiasticam, non licet inferre idem de privilegio exemptionis, ut supra diximus.

Præter hæc not. 1. licet Regulares 2169
personaliter interdici possint à Papa, & Prælatis suis Regularibus, non autem ab Episcopis, nec Legatis, nisi sint à latere, vel horum literæ faciant expressam de hoc mentionem (ut habetur ex privileg. Clementis IV. apud Pellizarium in Manual. regul. tom. 2. tr. 7. c. 4. q. 3.) hoc tamen limitari, ut non procedat, si habeant beneficium sub tali Episcopo; quibus adde, Prælatos Regulares posse solùm personaliter interdicta ferre, non localia; Sic Pellizarius cit. n. 5. Quando autem Episcopus interdicit specialiter Ecclesias alicujus urbis, non intelliguntur Ecclesiæ Regularium exemptæ. Nam Tridentinum (quod attulimus in præmissis) loquitur solùm de interdicto *locali generali*; sic Pellizarius cit.

Not. 2. Prælatos Regulares non sub- 2170
jacere interdicto generali personali, à se lato contra communitatem sibi subditam. Nemo enim directè potest in se censuram ferre; ac in interdicto generali personali *contra Viros Religiosos*, non comprehendi moniales; non enim sunt *viri*; in lato autem *contra Religiosos*, comprehendi vult eas Pellizarius q. 12. verùm illæ non sunt *Religiosi*, & res pœnalis est, consequenter odiosa, & interpretationis strictæ.

2171 Not. 3. Regulares transeuntes per loca interdicta, teneri ibi servare interdictum, quamdiu ibi commorantur, si interdictum latum sit locale generale; secùs, si sit generale personale. Nam interdictum locale quodammodo inhæret loco; non autem personale. Hinc legitimè interdicto personaliter aliquo monasterio Regularium, non subjacent huic interdicto Religiosi ibi hospites; bene tamen Novitii ibi commorantes. Hi enim sunt pars illius communitatis, non autem illi; si autem Regulares fiant pars communitatis prius interdictæ, subjiciuntur & ipsi ei interdicto; si verò desinant esse pars communitatis prius interdictæ, desinunt etiam esse interdicti, nisi sint ex iis, qui illi interdicto dederunt causam, ut diximus supr.

2172 Not. 4. Regulares interdictos posse administrare Sacramentum pœnitentiæ, & recipere, ex jure novo in c. *Alma Mater*, de sent. excom. in 6. quod intellige tempore interdicti localis, tam generalis, quàm specialis, & personalis generalis; idque cum hac limitatione, ut persona interdicta non sit etiam excommunicata, aut interdicta specialiter. 2. Ut non dederit culpabilem causam interdicto. Sed de his plura jam dicta sunt in his, quæ præmisimus.

PARS V.

De irregularitate in communi.

2173 SAyrus l. 6. de Censur. c. 1. n. 16. multas irregularitatis definitiones affert; & ante aliàs, tanquam communem approbat hanc: *Irregularitas est canonicum impedimentum ex facto, vel defectu proveniens, quo quis ad Ecclesiasticos Ordines promoveri, & jam promotus in iisdem ministrare prohibetur.* Cùm hac ferè coincidit definitio, quam affert Suarez D. 40. de Censur. S. 1. *Est inhabilitas, seu impedimentum canonicum, ex se directè, ac primariò impediens acceptionem Ordinum Ecclesiasticorum, & consequenter etiam usum eorum.* Loco generis ponitur *inhabilitas*, & non *pœna*; quia non omnis irregularitas pœna est. Additur, seu impedimentum *canonicum*, quia irregularitas humano jure, non civili, sed Ecclesiastico introducta est. Unde non baptizatus, & fœmina irregulares non sunt; quia illorum inhabilitas à jure divino, & non canonico orta est.

2174 In data definitione particula (*ex se directè, ac primariò impediens*) distinguit irregularitatem à censuris. Quia *excommunicatio* privat ex se communicatione fidelium; *interdictum*, auditione divinorum officiorum, & *suspensio* muneribus sacris. Accedit, quòd suspensio solùm respiciat actus, eorumque usum prohibeat; irregularitas verò, quantum est ex se, ipsam capacitatem Ordinum aufert. Imò particula *Ordinum Ecclesiasticorum* includit non solùm sacramentales Ordines, sed etiam primam tonsuram, quam suspensio non impedit, sed supponit. Particula *ex se* etiam posita est ad occurrendum difficultati de Sacerdote, qui irregularis sit post omnes Ordines susceptos. Quia irregularitas ex se habet vim impediendi susceptionem Ordinum, ita tamen, ut si subjectum sit incapax susceptionis futuræ, quia jam susceptit, saltem impediat Ordinum usum, sicut in matrimonio affinitas in primo, & secundo gradu per fornicationem contracta ex se dirimit matrimonium, at superveniens matrimonio solùm impedit ejus usum. Irregularitatis effectus latè exponit Suarez D. 40. S. 2.

ARTICULUS I.

Quotuplex sit irregularitas?

ANgelus V. *Irregularitas* 1. & Majolus 2175 l. 1. de irreg. c. 3. multas enumerant irregularitatis species sine ullo ordine; Sayrus de Censur. l. 6. c. 1. n. 27. omnes irregularitates reducit ad duo capita, ita ut quædam sint, quæ contrahuntur *ex delicto*, & dicuntur contrahi ex facto proprio; alii breviter, & dilucidè dividunt irregularitatem in eam, quæ contrahitur sine ullo proprio actu ob aliquem corporis, aut natalium defectum, sic sunt irregulares cœci, & illegitimi: ac in eam, quæ contrahitur ob aliquem actum proprium; quæ iterum subdividitur in eam, quæ fertur ob aliquam culpam eam contrahentis, v. g. patrantis homicidium, & eam, quæ incurratur sine ulla culpa, nempe ob bigamiam, defectum lenitatis, & similia. Denique alia est totalis, & alia partialis.

Totalis ab omni ordine suscipiendo, aut 2176 exercendo perpetuò excludit. *Partialis* alio nomine *secundùm quid*, est, quæ non impedit omne exercitium ordinum, v. g. Sacerdos, qui amisit pollicem, manet irregularis ad celebrandum, non verò adaudiendas confessiones, & alia Sacerdotalia munera obeundum; & juxta Lessium l. 2. c. 34. n. 120.

Dia-

Diaconus, vel Subdiaconus potest fieri irregularis ad suscipiendum Sacerdotium, ita tamen ut non sit irregularis ad functionem ordinis suscepti v. g. ad canendum Evangelium, vel Epistolam. Aliqui Authores dicunt irregularitatem aliam esse juris divini, aliam juris humani; Sed perperam: quia nulla irregularitas est juris divini, ut latè probat Suarez D. 40. s. 4. quibus adde, omnem irregularitatem esse à jure, nullam ab homine; patet ex c. *Is, qui*, de sent. excom. excipe Papam; qui eam inducere potest, de quo Suarez cit. & alii; hinc eo inferiores non possunt facere irregularem; sic Streinius Juris Canonici p. 3. tit. 16. de pœnis, §. 13. n. 2.

2177 Observandum autem 1. ut contrahatur irregularitas ex delicto, requiri actum externum, consummatum, & graviter malum; *externum*, quia punitur pœnâ potestatis sensibilis; *consummatum*, nisi exprimatur aliud in jure; cùm sit pœna, de quo V. Azor l. 1. c. 2. & lib. 4. decret. à n. 1597. *graviter malum*, quia pœna est gravis. In quæstione autem, an ignorans, suo delicto annexam esse irregularitatem, hanc incurrat? affirmant Streinius cit. & apud eum Azor p. 1. l. 5. c. 7. q. 4. Sylvester V. *pœna*, n. 13. Armilla eodem, n. 1. Diana p. 4. tr. 21. Videtur tamen negandum de irregularitate ex delicto, ex dictis superius quo me remitto.

2178 Observandum 2. non requiri, ut actus, ob quem incurritur irregularitas ex delicto, sit manifestus, & notorius; Sic Covarruvias in Clement. *Si furiosus*, p. 2. §. 3. & Tridentinum sess. 14. c. 7. homicidæ per industriam, & insidias, quantumvis *occulto* statuit inhabilitatem ad ordines & beneficia. Nec obstat, si dicas, latentia peccata vindictam non habent, c. *Christiana* 32. q. 2. & Clericus propter crimen aliàs degradatione dignus, si sit occultum, impediri non debet à promotione, c. *Ex tenore*, de tempor. ordin. ergo. R. utrumque antecedens verum esse de pœna per Judicem, non verò de pœna à jure. V. Layman l. 1. tr. 5. p. 5. c. 4. n. 9. Barbos. ibid.

2179 Observandum 3. in controversia esse, quid dicendum in dubio irregularitatis? Nam juxta c. *Is, qui*, 18. de sent. excom. in 6. irregularitas non contrahitur, nisi in casibus jure expressis; econtra in c. *ad audientiam*, 12. de homicidio dicitur, in dubio propter periculum animæ, tutiorem partem eligendam esse, consequenter judicandum pro irregularitate. Cœterùm mihi videtur, quando est dubium juris, non contrahi irregularitatem. Nam de hoc loquitur c. *Is, qui*, incurri autem, quando est dubium facti, ut si dubium sit, an factum sit homicidium? & hoc propter claram decisionem c. *ad audientiam*, & c. *significâsti*, eodem, quod in eo solùm casu valere vult Toletus l. 1. c. 57. n. 13. quando aliàs est animæ periculum, ut cùm dubitatur, an irregularitatem contraxerit, ex qua suspenditur a sacrorum administratione: Secus, si absit, ut si dubium sit solùm in materia beneficii, vel officii retinendi; de quo V. Streinium cit. n. 6. Cœterùm irregularitas de facto non incurritur in ullo casu, nisi jure expresso, ut habetur expressè in cit. c. *Is, qui*, de sent. excom. in 6. ibi: *cùm non sit expressum in jure.* Sic Leander t. 1. hic D. 1. q. 5. cum communi contra Layman l. 1. p. 5. t. 5. c. 1. n. 6. Bauny de Censur. t. 11. q. 3. p. 446. Dianam. p. 8. t. 7. n. 28. Quando autem dubitatur, an impedimentum inducat irregularitatem totalem, vel tantùm partialem? censeri totalis debet, si illud obsit exercitio cujusvis Ordinis; secùs partialis, ita Streinius cit. n. 7.

Observ. 4. Quòd nulla irregularitas, 2180
etiam totalis privet jurisdictione Ecclesiasticâ, aut seculari; inter hanc enim, & sacros Ordines, non est necessaria connexio; hinc Episcopus irregularis licitè & validè excommunicat, absolvit, dat facultatem audiendi confessiones &c. ita Suarez D. 40. S. 2. n. 12. 24. & 44. Gibalinus c. 7. p. 2. Layman l. 1. t. 5. c. 1. n. 2. nec etiam privet ipsò jure beneficiis prius obtentis, arg. c. *postulâsti*, de Clerico excommunicato, depos. hinc fructibus suorum beneficiorum licitè fruitur, modò per se, vel alium onera beneficii subeat; sunt tamen beneficio tales privandi, & si per alios satisfieri non potest, debet vel sponte dimittere, vel privari; Glossa in c. *pudeat*, dist. 50. Sic Layman cit. Sed estne beneficii collatio de novo factâ irregulari ipso jure invalida? communis affirmat, sed fateor non esse jus, quo id definiatur; unde Gibalinus apud Streinium tenet negativam.

Observand. 5. in irregularitate so- 2181
lùm summum Pontificem dispensare potestate ordinariâ, qui tamen in casu bigamiæ, & homicidii voluntarii, id rarò facit, ut

patet ex c. 2. de bigamis, ubi Lucius III. Spalensi Archi-Episcopo rescribens: super eo, inquit, quod tua fraternitas *de bigamis* requisivit: respondemus, quòd ordinatores eorum potestate, & officio ordinandi; & ordinati, si ad sacros ordines fuerint promoti; eis ideo sunt privandi: quia *in bigamis contra Apostolum dispensare non licet, ut debeant ad sacros ordines promoveri, vel in eis, si promoti fuerint, remanere.* In ordinatore autem potest dispensatio adhiberi, ut ordinandi potestate & officio non privetur: & Cœlestinus III. in c. 3. eod. ibi: *de bigamis Presbyteris, & viduarum maritis*, idem sancimus omnino, ut nec viventibus uxoribus, nec defunctis, ad divinorum debeant celebrationem admitti: maximè cùm à doctrina sit Apostoli, & institutionibus Ecclesiæ alienum; quod confirmatur ex c. *nuper*, 4. eodem: fit tamen aliquando, c. *nisi*, 10. de renuntiat. ubi inter causas, ob quas Episcopi possunt renuntiare, & Pontifex consuevit renuntiationem admittere, ponitur *irregularitas personæ*: hinc Episcopi, & illis inferiores non possunt potestate ordinariâ, irregularitatem contractam relaxare; quamvis ex privilegio Tridentini sæpius jam citato dispensare possint in irregularitate ex quocunque delicto occulto, excepto homicidio voluntario.

ARTICULUS II.

De irregularitate sine delicto.

2182 COmmunis tenet, ex octo capitibus irregularitatem citra delictum nasci 1. ex defectu natalium; 2. defectu originis; 3. defectu libertatis; 4. ætatis; 5. famæ; 6. corporis; 7. animæ; 8. Sacramenti. Nam de defectu lenitatis dicemus infra à n. 2227. Hinc quæres 1. quid in hoc casu operetur defectus natalium, seu cùm quis est illegitimus? de hoc casu agitur c. 1. de filiis Presbyterorum ibi: *ut filii Presbyterorum, & cæteri ex fornicatione nati, ad sacros Ordines non promoveantur, nisi aut Monachi fiant, vel in congregatione canonica regulariter viventes: prælationes verò nullatenus habeant.* & c. *fin.* eod. ibi: *mandamus, quatenus prædictis personis* (nempe filiis Sacerdotum, & aliis non legitimè natis) *à personatibus & dignitatibus, & hujusmodi beneficiis prorsus amotis, ea personis idoneis conferri facias, per illos, ad quos collationem ipsorum de jure noveris pertinere.* Et ne id de cætero præsumatur, districtius inhibemus.

Censentur autem legitimi, ex justo & 2183
legitimo matrimonio; quibus annumerantur nati ex solutis, sed per subsequens istorum matrimonium legitimati, c. *conquestus.* 1. c. tanta, 6. qui filii sint legitimi; non legitimatur autem natus ex adulterio, esto subsequatur matrimonium, ut dicitur cit. c. *tanta.* Dixi *natus*; nam si conceptus sit in adulterio, & natus soluto matrimonio inter adulteros de præterito, erit legitimus; sic enim est filius naturalis tantùm, scilicet filius ex parentibus, inter quos tempore conceptionis, vel nativitatis matrimonium consistere poterat, ut dixi l. 4. Decretalium, tit. 17. naturales autem legitimantur subsecuto matrimonio, ex dict. c. *conquestus.* Deinde legitimis annumerantur ante sententiam separationis concepti vel nati ex matrimonio, bonâ fide, in facie Ecclesiæ contracto, licet deinde propter impedimentum dirimens, quod abesse existimabant, saltem unius bonâ fide, tale matrimonium separetur, c. *Cùm inter*, 2. eodem. Nam filii concepti habentur pro natis, cùm agitur de favore filiorum; secus si de odio. Abbas in c. cit. n. 3. & L. *quæ in utero*, ff. de statibus hominum. Legitimis præterea accensentur filii suscepti ex matrimonio, quod parentes contraxerunt nulliter, ex justo juris, vel facti errore. Nam ex justo errore nascitur bona fides; ita Barbosa in cit. c. *Cùm inter.* n. 3. quia secundùm aliquos (ut notat Barbosa ex Peregrino de fideicommiss. a. 24. n. 86.) titulus putativus, quamvis ex injusto errore proveniat, causat bonam fidem. Ad hunc effectum etiam sufficit matrimonium putativum, quamvis ex errore injusto; de quo V. Sanchez de matrim. D. 3. S. 5. n. 13. Suarez de Censur. tom. 5. D. 5. S. 1. n. 6. Secus est, si matrimonium tale foret clandestinè contractum, scilicet omissis denuntiationibus, c. *Cùm inhibitio*, de clandestin. desponsi. Sed de hoc V. l. 4. decretalium tit. 17.

Si petas, quid dicendum de filiis natis 2184
ex simili matrimonio, de quo antè, ante sententiam quidem, sed post litem contestatam? R. adhuc esse legitimos: sic Barbos. in c. *Cùm inter* n. 13. Azor institut. moral. p. 2. l. 2. c. 13. q. 6. nam litis contestatio non inducit malam fidem inter parentes, qui prius bonâ fide contraxerunt. Probabiliter

liter etiam illegitimi sunt, qui nascuntur ex parentibus, dubiis super valore matrimonii; quia tales non sunt in mala fide; & nati ex parentibus infidelibus, qui injustas nuptias contraxerunt, si postea ad fidem convertuntur, c. *fin.* qui filii sint legitimi; ibi: *prolem, de infidelium conjunctionibus natam, qui secundo, tertio, vel ulteriore gradu, secundùm opinionem illorum, matrimoniali contraxerunt affectu, post fidem receptam* (utilitate publicâ suadente) *legitimam volumus reputari.* In dubio autem, an censendus sit quis legitimus? R. in dubio præsumi pro legitimo thoro; sic Diana p. 4. tr. 3. resol. 6. ne præsumatur delictum.

2185 Ex dictis facilè colliges, qui censeantur jure Canonico illegitimi, quibus accenseri solent nati ex conjugibus, post solenne votum castitatis initum à parentibus de mutuo consensu; Streinius juris Canon. p. 3. tit. 16. de pœnis, §. 14. n. 1. quamvis etiam legitimi sint, qui tales fiunt per rescriptum Papæ, c. *per venerabilem*, 13. qui filii sint legitimi. Illegitimitas autem tollitur professione Religiosa, juxta Constit. Greg. XIV. sic, ut talis professus ad omnes Ordines promoveri possit; non tamen ad prælationes, ut habetur c. 1. de filiis Presbyt. ibi: *prælationes verò nullatenus habeant.* V. Strein. cit. n. 1. Diana p. 4. tr. 2. resol. 66. Si petas, an nota illegitimationis reviviscat, in ejectis professis talibus à Religione? negat Diana cit. de omnibus, exceptis dimissis à Societate JESU, sed & hoc videtur æqualiter negare; Sanchez l. 5. mor. c. 5. n. 14.

2186 Quæres 2. quid circa irregularitatem operetur defectus originis, vel libertatis? Ex defectu originis irregulares sunt servi, c. *instruendi*, 1. de serv. non ord. Nam absque injuria Domini ordinari nequeunt. V. dist. 54. per totum, & tit. 18. de servis non ordin. An autem & quando quis censeatur servus? ibid. à nobis traditum est: ex defectu autem libertatis, vel liberationis, irregulares sunt, & impediti à suscipiendis ordinibus, qui vel Curiæ ministerio destinentur ut Judices, Advocati forenses, Notarii, Milites, similesque Ministri, vel publicis ratiociniis obligati, ut Curatores, Tutores, Procuratores &c. intellige, quàmdiu tales sunt; habetur tit. 19. l. 1. Decret. ubi dicitur, ordinari posse, post ejusmodi onera deposita, si actus vitæ ipsorum fuerint comprobati.

2187 Sed hinc excipe 1. gravatum ære alieno; extra administrationem contracto. Talis enim lite pendente, si sit solvendo, potest ordinari; sic Streinius cit. n. 3. deinde Administrationem præ causæ, etiam nondum dimisso munere c. *ult.* dist. 66. c. *indicatum*, dist. 89. excipe 3. eum, qui publicis ratiociniis obstrictus est, si præstitit fidejussorem; Abbas in c. *Magnus*, de oblig. ad ratiocin.

Quæres 3. quid operetur defectus ætatis? R. *defectu ætatis* repelli quem ab ordinibus, quàmdiu minor est ætate requisitâ. Ea porrò traditur l. 1. decret. tit. 14. si autem non obstante defectu ætatis quis ordinetur, ab usu ordinis suspensus est, usque ad præscriptum terminum, c. *Vel non*, de temporib. ordin. Hodie, vi Trid. Sess. 22. c. 12. de reform. requiritur pro *subdiaconatu* annus 22. pro *Diaconatu* 23. pro sacerdotio 25. inchoatus; pro Episcopo 30. completus: Episcopus autem circa ætatem dispensare non potest, ut monet Congregatio Cardinalium, ibidem. 2188

Quæres 4. quid operetur defectus bonæ famæ, seu infamia tam juris, quàm facti? R. laborantes hoc defectu, irregulares esse; dictam tamen irregularitatem exinde natam non extendi ad infamiam ex alieno delicto, nisi speciali jure constitutum sit, ut est in casu, de quo superius tit. 1. V. Strein. cit. n. 5. ea enim non nascitur ex natura rei, sed ex libera voluntate publicata, ex decretis, & legibus; Sic Filliucius tr. 19. c. 8. Ut autem quis dicatur diffamatus; non sufficit, quòd duo vel tres dicant, se vidisse crimen perpetrari: sed requiritur rumor, & fama, apud majorem communitatis partem; Barbosa in c. *Inquisitionis*, de accus. n. 7. Less. de just. l. 2. c. 29. D. 15. Farinacius in praxi crimin. p. 1. q. 9. n. 1. de quo plura diximus supr. tit. 1. 2189

Illud hìc cumprimis not. quòd infamia parentis, qui occidit, vel mutilavit Rectorem, aut Clericum Ecclesiæ, cujus ipse Patronus fuit, derivetur in filios usque ad quartam generationem, c. *in quibusdam*, 12. de pœnis; quod desumptum est ex Concilio generali, & sic loquitur: in quibusdam provinciis Ecclesiarum Patroni, & Advocati, seu Vicedomini *se in tantam insolentiam erexerunt, quòd non solùm cùm vacantibus debet Ecclesiis de Pastoribus idoneis provideri, difficultates ingerunt, & malitias; verum etiam de possessionibus, aliisque bonis Ecclesiasticis, pro sua voluntate ordina-* 2190

re præsumunt: & (*quod horrendum est dicere*) in necem Prælatorum prorumpere non formidant. Cùm igitur, quod *ad defensionis subsidium* est inventum, ad *depressionis dispendium* non debeat retorqueri: prohibemus expressè, *ne Patroni, vel Advocati, seu Vicedomini, super præmissis, de cætero plus usurpent, quàm reperitur in jure permissum*: & si contra præsumserint, per se veritatem Canonicam districtissimè compescantur. Sacri nihilominus Concilii approbatione statuimus, quatenus, si Patroni, vel advocati, aut Feudatarii, seu Vicedomini, aut alii beneficiati alicujus Ecclesiæ, Rectorem vel Clericum alium ipsius Ecclesiæ, per se, vel per alios occidere, vel mutilare ausu nefando præsumpserint: *Patroni jus Patronatus*; *Advocati advocatiam*, *Feudatarii feudum*, *Vicedomini vicedominatum*, *& beneficium prorsus amittant*. Et, ne minus vindictæ, quàm excessûs memoria prorogetur, non solùm de præmissis nihil perveniat *ad hæredes*, sed etiam usque *ad quartam generationem* posteritates talium in Clericorum Collegium nullatenus admittantur, neque in domibus regularibus alicujus Prælationis assequantur honorem, nisi cum eis fuerit misericorditer dispensatum.

2191 Not. autem hæc intelligi *de descendentibus per lineam masculinam*, c. *ubicunque*, 4. eodem, in 6. ibi: ubicunque alicui, & ejus filiis, seu posteris *usque in certam generationem* pœna imponitur ab homine, vel à jure, pœna ipsa eos tantùm afficit, *qui per masculinam, non per fœmininam lineam descendere dignoscuntur*. Nisi aliud in jure vel sententia sit expressum. Ubi tamen nota, Episcopum posse dispensare, ut dicitur in c. *in quibusdam*. Nam ubi jura dicunt absolutè, *posse dispensari*, intelligitur, *posse Episcopum*, gl. fin. hic V. *dispensatum*. Henriquez in Summa p. 2. l. 14. c. 19. lit. P. Barb. in cit. c. n. 4. Unde illi posteri omnes prohibiti sunt à Clericatu, & prælationibus regularibus, ex c. *quibusdam* cit.

2192 Quæres 5. quid circa irregularitatem operetur defectus corporis? De hoc defectu loquitur c. *fin.* de corpore vitiatis, ubi dicitur irregularis, si habeat aliquam corporis deformitatem. Nam cùm quidam Thomas Monachus Honorio III. proposuisset, quòd, cùm in annis puerilibus esset constitutus, quædam barra ferrea super dextræ suæ pollicem fortuitò cadens, unguem avulsit ab eo, & ad Ordines hoc defectu non obstante, promoveri posset? rescripsit Honorius Episcopo Engolismensi: *si ad frangendam Eucharistiam sit in pollice ipso potens*, & aliud Canonicum non obsistat, *propter deformitatem hujusmodi non dimittas, quin eum ad Ordinem promoveas*. Ex quo deducitur, defectum corporis, qui scilicet causat notabilem deformitatem, vel impedit functionem Ordinis recipiendi, inducere irregularitatem. Talis porrò defectus non est, *carere ungue* in pollice, si hic adhuc sufficiat ad exercendam ejus usu actionem, v. g. frangendam sacram hostiam, ut liquet ex textu.

Præter hæc not. habentem levem ma- 2193
culam in oculo, ex hoc non censeri irregularem, saltem non ita, ut dispensari non possit à suo Ordinario, ut dicitur c. *Cùm de tua*, 2. eod. ibi: *de macula* verò Archi-Episcopo prædicto mandavimus, ut cum consilio suffraganeorum suorum, quod exinde visum fuerit, exequatur, *in quotibet nuxima dispensatione curavimus providere*. Idem est de illo, qui in cunabulis fectus est, de quo casu habetur textus in c. *Ex parte*, 3. eod. ubi Clemens III. ait, ex parte Bartholomæi Monachi petitorium fuisse Romano Apostolatui præsentatum, quòd, *cùm ipse in cunabulis fectus fuerit*, postmodum sub regula & Abbate, devotè DEO militans, in Diaconatus Ordinem est promotus; & subjungit: *Sanè, cùm secundùm statuta Nicæni Concilii, illi ad Clericatus Ordinem prohibeantur accedere: & si etiam in Clero fuerint, debeant cessare, qui seipsos sani abscinderint, vel affectaverint, ut ab aliis abscindantur; non credimus ei impedimentum afferre, quominus possit provehi, qui in cunabulis fectus fuit*; quia non videtur hoc eo tempore affectâsse, quo judicium animi non habebat; præsertim cùm in canonibus Apostolorum sit manifestè sancitum, quòd eunuchus, si per insidias hominum factus, vel ita natus sit, aut etiam in persecutione sint ei amputata virilia, & dignus est, possit in Episcopum promoveri.

Ex hoc textu deducitur 1. irregulares 2194
esse, & ab Ordinibus recipiendis prohiberi; & si Clerici jam sint, ab usu Ordinum, quos habent, cessare debere, qui sibi ipsis sani virilia sustulerunt, vel ut hoc ab aliis sibi contingeret, affectarunt; secùs, si ei hoc factum sit in cunabulis, vel per insidias homi-

hominum, aut persecutionem, vel natus sit eunuchus. Si tamen Sacerdos sibi virilia præscinderet, ex bono affectu, vel (ut ait textus, putans se obsequium præstare DEO) ab Ordinario dispensari posset per c. *Significavit*, 4. eod. ibi: si jam dictum Presbyterum aliàs DEO dignum inveneris, ei sacerdotale officium absque altaris ministerio, auctoritate nostrâ fretus, & tuâ, prout videris expedire, concedas. Ubi nota verbum: *authoritate nostrâ & tua*, quo innui videtur, Episcopum id posse, etiam jure ordinario.

2195 Not. 2. Quando contingit alicui abscindi virilia, ex causa, v. g. propter gravem infirmitatem id exigentem, talem non incurrere irregularitatem ex vitio, vel defectu corporis per c. *ex parte*, 5. eod. ubi ad propositum casum, quòd M. Presbyter, cùm sibi sentiret lepræ periculum imminere, de consilio Medici virilia fecit abscindi, ut posset à tam gravi infirmitatis vitio liberari: respondit Pontifex: Quoniam Canones sanctorum Patrum *hunc à sacri Altaris administratione non prohibent*, mandamus, quatenus si est ita, & memoratus M. est aliàs idoneus, ut sui ministerii officium exequatur, liberam ei tribuas facultatem. Ex quo colligitur, ex defectu corporis *occulto* non induci irregularitatem. Quæ enim occulta sunt; nec deformitatem, nec scandalum pariunt; excipe, nisi propriâ culpâ acciderit, patet ex c. *Maritum* 2. dist. 33. ibi: *nec eum, qui semetipsum quolibet corporis sui membro, indignatione aliqua, vel justo, vel injusto timore superatus, truncaverit*, & c. *si quis*, dist. 55. ibi: *si quis abscidit semetipsum* (id est, si quis amputavit sibi virilia) *non fiat Clericus*: quia sui est homicida, & DEI conditoris inimicus. *Si quis, cùm Clericus fuerit, absciderit semetipsum, omnino damnetur, quia sui est homicida.* c. *Hi qui*, cad. ibi: hi qui se, carnali vitio repugnare nescientes, abscindunt, ad Clerum pervenire non possunt. c. *qui partem*, cad. ibi: qui partem cujuslibet digiti sibiipsi volens abscidit, hunc ad Clerum canones non admittunt. Cui verò casu aliquo contigit, dum aut operi rustico curam impendit, aut aliquid faciens se non sponte percussit, hos canones præcipiunt & Clericos fieri, & si in Clero fuerint reperti, non abjici; in illis enim voluntas est judicata, quæ sibi ausa fuit ferrum injicere: in istis verò casus veniam meruit.

Contrarium autem dicendum est, si talis defectus contingit casu, ut dicitur c. *Lator*. 11. dist. 55. ibi: si ita est, quòd à Normanis digitum ipsum habeat abscissum, ad promovendum (si aliàs dignus fuerit) nil ei nocebit: eo quòd quid de his, qui à dominis, vel medicis, sive à paganis non sponte tale quid patiuntur, sacri censeant canones, dilectionem tuam latere non credimus; vel ex necessitate, ut diximus n. 2194. & habetur in c. *si quis*, 7. ead. ibi: si quis à medicis, *propter Languorem* defectus est, *aut à barbaris* excisus, hic in clero permaneat; & infra: *quos aut barbari, aut domini castraverunt*, si inveniuntur aliàs digniores, tales ad clerum suscipiat regula; *modò ipsi non affectaverint*, id quod etiam habetur c. *Eunuchus*, 8. c. *si quis*, 9. 10. & seq. dist. eâdem. V. Layman l. 1. tr. 5. p. 1. c. 7. 2196

Ad extremum nota, insigniter deformes, consequenter irregulares censeri, qui habent nasum amputatum, fissa labia, linguâ deturbatos, claudos, mutilatos manu, &c. ut notat Toletus l. 1. c. 63. de quibus plura ex professo dedimus lib. 1. tit. 20. de corp. vitiatis; idem facit defectus omnis, qui impedit usum ordinis, juxta cit. c. *fin.* ut, si adest morbus, qui facit notabilem deformitatem, vel gravem aliis horrorem, vel cùm ipsum ordinis exercitium per talem corporis defectum non permittitur, ut si careat digito Canonico. V. dict. loc. cit. quibus adde, quòd sacerdos carens virilibus, sine causa sublatis, in suo ordine dispensari possit ab Episcopo, c. *significavit*, de corpore vitiatis; similiter carens parte digiti amissâ in duello; is enim peragere potest in suo ordine ex Episcopi dispensatione, c. *de Presbytero*: hinc nota aliud in executione, aliud in susceptione ordinum impedimentum esse; & facilius executionem permitti, quam susceptionem, ut liquet ex c. *significavit*, c *ex parte*, 2. de quibus S. Thom. p. 3. q. 82. à ult. 2197

Quæres 6. quid circa irregularitatem operetur defectus animæ? R. huc ab aliquibus reduci amentes, furiosos, infantes, & similes; sed hi naturalem potius habent incapacitatem, quàm irregularitatem; hinc alii eos referunt ad defectum ex causa. Cœterùm defectus animæ inducens irregularitatem, contingit 1. cùm non adest debitum judicium, ut in pueris 2. cùm abest scientia necessaria, de quâ in c. *illiteratos*, dist. 2198

dist. 35. 3. cùm quis fuit paganus, vel Judæus; nam neophyti habentur irregulares, ut dicitur c. 1. dist. 48. de quo Concilium Nicænum, ibi: quoniam multa, sive per necessitatem, sive ex quacunque causa, contra regulam gesta sunt, ita ut homines ex vita gentili nuper adhuc catechizati, vel instructi, statim ad spiritualem baptismum venissent, & continuò, cùm baptizati, etiam ad Episcopatum, vel presbyterium provecti sunt: rectè igitur visum est de cœtero nihil tale debere fieri. Nam & tempore opus est, ut sit catechumenus, & post baptismum multâ probatione indiget. Evidens namque est Apostolicum præceptum dicens: *Non neophytum, ne fortè elatus in judicium incidat, & laqueum diaboli.*

2199 Not. autem 1. per Neophytos hìc intelligi eos, qui postquam ante baptismum, Saracenorum, vel Ethnicorum Religionem professi sunt, de novo ad veram Christi fidem accesserunt, ut habetur c. 2. dist. ead. Talis autem non est filius v.g. Judæi, ante usum rationis baptizatus; sic enim non est professus aliam religionem; Tambur. l. 10. de irregularit. c. 11. §. 1. n. 3. qui ibidem notat, adhuc censeri neophytum, etiam natum ex parentibus Christianis, qui cùm potuerit, noluit baptizari, esto baptizatus sit deinde v.g. ob periculum mortis.

Not. 2. ut quis post suam conversionem dicatur exuisse novitatem fidei, sufficere annum à conversione elapsum esse, Tamburinus cit. n. 6. qui censet, probabiliter ad primam tonsuram, & minores ordines admitti posse Neophytos; quibus Gobat in exper. Theol. tr. 8. n. 655. annumerat hæresim publicam; non autem occultam, & ablatam per absolutionem; ex hoc negans esse natam irregularitatem.

2200 Quæstio est 7. quid circa irregularitatem operetur defectus Sacramenti, qui reperitur in bigamia? R. eo ex irregularitatem induci, quia propter iterationem conjugii non bene repræsentant conjunctionem unius Christi, cum una Ecclesia, quæ est perfecta Sacramenti significatio, ut notat Streinius sup. cit. n. 8. Est autem *bigamia* triplex; primò vera, cum duplex matrimonium reipsa contrahitur, non sufficiunt autem sponsalia sola, etiam secuta copulâ; 2. *interpretativa*, cùm juris interpretatione censetur matrimonium duplex, ut si vel semel contrahas & consummes matrimonium cum vidua, vel corrupta: 3. *similitudinaria*, cùm ex eadem juris interpretatione, sed aliâ causâ matrimonium censetur duplex, ut si quis post votum solenne continentiæ solo etiam facto contrahat, & consummet cum virgine, ut notat Abbas in c. *Cùm in Apostolica*, de sponsal. n. 5. & dixi l. 1. decret. Tit. 21.

Not. autem à Tamburino l. 10. de Cen- 2201
sur. c. 16. §. 1. requiri ad bigamiam, ut homo eam contrahens sit baptizatus; sed huic contrarium tenet Streinius n. 8. ex Covarruv. in c. *gaudemus*, de divort. & expresè habetur c. *Si quis viduam.* distinct. 34. ubi Innocentius Papa Victricio Rothomagensi Episcopo rescribens ait: *Si quis viduam (licet Laicus) duxerit uxorem, sive ante baptismum, sive post baptismum, non admittatur ad Clerum; quia eodem vitio videtur excluſus. In baptismo enim crimina dimittuntur, non acceptæ uxoris consortium relaxatur.* Secundò ut matrimonium sit consummatum cum utraque, ad contrahendam bigamiam veram; & cum vidua, vel corrupta, ad interpretativam, quæ etiam incurritur à viro cognoscente suam uxorem ab alio viitiatam. Et universaliter de omni tenet Leander de irregul. tr. 2. D. 6. q. 5. ex c. *debitum*, de bigamis.

Quæri solet à nonnullis, an ad biga- 2202
miam veram requiratur matrimonium validè contractum? an sufficiat, licet sit invalidum in re, modò externè communiter habeatur validum? Sufficere hoc posterius, docent Abbas, Suarez, Navarrus, Toletus, & alii apud, & cum Streinio cit. n. 8. §. *aprimò*; quia etiam hìc est eadem indecentia, & videtur dici in c. *Nuper*, 4. de bigamis, ubi attenditur affectus animi externè significati, & exinde indecentia. Nam vir, qui mortuâ Uxore promotus ad sacros ordines, cum secunda de facto contraxit, bigamiæ pœnam, hoc est effectum, irregularitatem nempe, incurrit, ut habet Rubrica; c. *Nuper:* Contrarium docet Leander cit. q. 10. quia in defectu veri matrimonii defecit ratio sacramenti, ejusque significatio, quod subinde verum esse vult, licet unum verum sit, alterum invalidum.

In hac quæstione not. quòd cùm Epi- 2203
scopus Ratisbonensis Innocentio III. proposuisset an, qui mortuâ uxore suscepit sacros Ordines, & sub hoc de facto, seu invalidè contraxit cum secunda, eamque cognovit, incurrat bigamiæ pœnas? responderit Pontifex, quòd cum hujusmodi Clericis, *qui, quantum in ipsis fuit, secundas mulieres sibi matrimonialiter conjunxerunt*, tan-

tunquam cum bigamis non liceat dispensari, licet in veritate bigami non existant; non propter Sacramenti defectum, sed propter affectum intentionis cum opere subsecuto. Ex quo textu colligitur. 1. in dato casu non fuisse bigamiam veram, vel interpretativam; aliàs non dixisset. *licet in veritate bigami non existant*; adeoque ad utramque requiri matrimonium verum, cùm effectum bigamiæ non tribuat defectui Sacramenti; hoc est imperfectæ repræsentationi Sacramenti, cùm nullum eo casu sit; sed intentionis affectui cum opere subsecuto. Colligitur 2. ad bigamiam similitudinariam non requiri, quòd matrimonium sit verum in re, sed sufficiat, quòd sit in affectu, & intentione, opere carnalis copulæ subsecuto. Hinc conciliari posse videntur sententiæ oppositæ, si dicas cum affirmantibus ad bigamiam quoad effectum, seu similitudinariam sufficere matrimonium putativè validum, licet in re nullum sit; secus ad bigamiam quoad rem, ut sit bigamus verè, vel interpretativè.

2204 Not. 2. per Streinium cit. ex Filliuc. t. 19. c. 4. n. 107. ad contrahendam irregularitatem ex bigamia, non requiri scientiam, quòd ei facto ejusmodi inhabilitas annexa sit, quod universaliter verum esse vult in hujusmodi privationibus à lege constitutis; quia eadem indecentia est in æstimatione horum, sive sciens, sive ignorans iteret matrimonium, præsertim cum effectus bigamiæ (nimirum irregularitas) non supponat culpam. Porrò quavis bigamiâ induci irregularitatem, affirmat ut certum Leander cit. D. 6. q. 3. ex toto tit. de bigamis non ordin. & ex distinct. 26. & 34. à c. *Si quis de Laicis*, ex dist. 77. c. quicunque Trid. Sess. 23. c. 17. de reform. id, quod etiam tenet Pellizarius tom. 2. l. 7. c. 5. S. 2. à n. 82. est tamen solùm juris humani. Nec enim omnia, quæ præceperunt Apostoli, juris divini sunt, ut rectè docet Gibalin. de irregularit. c. 3. q. 4. n. 6.

2205 Ex bigamia interpretativa in quatuor casibus communiter dicunt irregularitatem contrahi 1. per matrimonium contractum cum vidua, seu validum, seu invalidum, c. *præcipimus*, c. *Lector*, dist. 34. deinde per contractum cum corrupta ab alio, c. *maritus*, dist. 33. Tertiò per contractum cum repudiata ab alio c. 1. de bigamis, c. *si quis viduam*, dist. 50. Quartò per copulam cum conjuge adultera consummatam; hæc Streinius cit. n. 8. Ex bigamia verò similitudinaria non tantùm â Clericis, sed etiam regularibus, irregularitatem contrahi cum multis aliis docet Leander cit. q. 23. & 24. qui hoc etiam extendit ad religiosos Societatis JESU post sola biennii vota q. 27. V. Pellizar. & alios.

Circa hæc not. verum esse, quòd in c. 2206
Præcipimus, 10. dist. 34. Gregorius Pontifex Episcopo Squilatino scribens dicat: ne unquam bigamum, aut qui Virginem non est sortitus uxorem, ad sacros Ordines permittat accedere; ac exinde probari eum loqui etiam de bigamia interpretativa, sed non etiam pro casu, quo matrimonium invalidum. Textus enim de hoc casu non loquitur; sed nec probatur ex c. *Lector*, 18. dist. eâd. ibi enim solùm dicitur, quòd. *si Lector alterius viduam duxerit*, debeat in Lectoratu permanere; promoveri tamen posse in Sub-Diaconum necessitate id exigente, ex c. *Maritus*, 2. dist. 33. Solùm habetur, maritum duarum matronarum post baptismum non esse in Clericum ordinandum; quod extenditur ibidem ad eum, qui duxit viduam, repudiatam, meretricem.

Et quoniam jure bigami prohibentur 2207
ordinari ex cit. c. *nuper*, & *fin.* de bigamis c. 1. eod. in 6. Episcopus cum eis etiam propriis dispensare nequit ad sacros Ordines, ut vult Diana p. 4. tr. 2. n. 61. nec etiam ad minores, ex c. *unico*, de bigamis, in 6. & Trid. ubi Sess. 23. c. 17. bigami hujusmodi omni privilegio clericali privantur; quod procedit, ne possit etiam cum suis propriis subditis bigamis dispensare, ut in sacris susceptis ministrent: sic Leander q. 32. ex c. *sanè*, de Clerico conjugato, & Trid. cit. idem censens de minoribus, q. 33. ubi tamen dicendum, secus esse de bigamia purè similitudinaria, ut habet q. 36. ex c. *sanè*, de Clerico conjugato. Quibus adde irregularitatem ex bigamia solâ dispensatione auferri posse, non autem baptismo, vel professione Religiosâ; ut latè probat Streinius cit. p. 3. tit. 16. §. 14. n. 6. cum aliis.

ARTICULUS III.

De irregularitate ex delicto.

Cùm irregularitas etiam nascatur ex de- 2208
licto, & hujus sex species numeret Reginaldus in praxi l. 30. t. 2. n. 7. aliisque, de his eodem ordine dicemus. Delicta porrò, ex quibus hæc inhabilitas provenit, sunt

1. baptismum iterare; 2. suscipere, aut indebito modo sacros ordines exercere; 3. violare censuras; 4. crimen enorme ac notorium, 5. deformare aliquem mutilando, vel occidendo, 6. hæresis, quibus positis: quæstio est 1. quando nascatur irregularitas ex baptismo iterato? Respondent communiter, quando quis alterum scienter rebaptizat, c. *ex literarum* 2. de Apostatis, c. *Afros*, 3. dist. 98. c. *qui in qualibet*, 1. q. 7. c. *qui bis*, 117. c. *eos, quos*, 118. c. *non licet*, 103. c. *rebaptizare*, 108. de consecr. dist. 4. ita Pellizar. tom. 2. tr. 7. c. 5. s. 3. à n. 110.

2209 Circa canones allatos, not. 1. quòd c. *ex literarum* loquatur solùm de casu, quo iteratio baptismi est *publica*; si enim delictum occultum est, ad ordines admitti potest reiterans baptisma; quod etiam conceditur ei pro casu, quo delictum publicum est, si religionem ingredi velit, ut favore religionis cum eo possit dispensari. Not. 2. quòd c. *qui bis*, expressè dicat: *bis etiam ignoranter baptizatos secundùm canones ordinari non posse, nisi aliqua magna necessitas cogat*, quod accipe de ignorantia culpabili; 3. quòd c. *Non licet*, solùm dicat, non licere Abbati, vel Monacho de baptismo filios suscipere; nec commatres habere; 4. in c. *rebaptizare*, rebaptizare hæreticum hominem, qui hæc sanctitatis signa percepit, quæ Christiana tradidit disciplina, omnino peccatum esse; *rebaptizare* autem *Catholicum*, *scelus immanissimum*.

2210 Hæc irregularitas in c. *ex literarum*, extenditur ad ministrantes ex officio rebaptizanti, non autem ad Compatres, juxta Gibalinum de irregul. c. 5. q. 1. n. 6. sed solùm si ministrat rebaptizanti *publicè*; nam ex c. *ex literarum*, ut diximus, constat, Acolythum sic ministrantem, si crimen occultum sit, ordinari posse; sic Pellizarius cit. q. 9. n. 115. Barb. in c. *ex literarum*, n. 5. & in irregularitate sic occulta dispensat Episcopus; ita Barbos. cit. n. 7.

2211 Sed & ipse rebaptizatus irregularis est, ex c. *qui in qualibet*, 1. q. 7. ibi: qui in qualibet ætate alibi, quàm in Ecclesia Catholica aut baptizati, aut rebaptizati sunt, ad Ecclesiasticam militiam prorsus non permittantur accedere. Excipe tamen 1. parvulum ante usum rationis, sic enim caret culpâ, quam hæc pœna supponit; sic Leander D. 18. q. 6. unde textus in cit. c. explicandus est de ætate, extra statum infantis, ubi est usus rationis; excipe 2. rebaptizatum cum probabili ignorantia prioris baptismi, ita Gibalin. c. 5. n. 5. & 8. Nam c. *qui his*, de consecrat. dist. 4 intelligi debet de ignorantia *culpabili*. Et hæc irregularitas non tollitur nisi à Papa, cùm sit juris communis. Non oritur autem ex iteratione aliorum sacramentorum; quia de his nihil statuitur in jure. Præter hoc adultus ab hæretico baptizatus, irregularis est, per c. *qui in qualibet*, 1. q. 7. ibi: *qui in qualibet Ecclesia, quàm in Ecclesia Catholica, baptizati*; est autem hæc pœna in odium hæreticorum, & communionis cùm eo factæ ab adulto; hoc tamen accipe extra casum necessitatis; quia tunc abest culpa; & ideo non incurritur ab infante, c. *placuit*, 1. q. 4. cùm delicti non sit capax. Qui autem differt baptismum usque ad articulum mortis, esto tunc baptizetur, irregularis est in pœnam negligentiæ, c. *si quis*, dist. 57. ibi: *si quis in ægritudine constitutus, fuerit baptizatus, presbyter ordinari non debet*. Non enim fides illius voluntaria, sed ex necessitate est: nisi fortè postea ipsius studium, & fides probabilis fuerit, aut hominum raritas exegerit. Ubi tamen observanda est limitatio, quam apponit textus.

Si quæras, an Laicus extra necessitatem baptizans non solenniter, fiat irregularis? R. quòd non; quia nullo jure definitum est; secus si solenniter, ex c. 1. de Clerico non ordin. sed nec incurrit eam sacerdos extra necessitatem baptizans; secus non sacerdos Clericus, baptizans solenniter etiam in summa necessitate, quia exercet actum proprium Sacerdotis; Gibalin. c. 5. q. 1. consect 2. nec eam incurrit Parochus baptizans puerum alterius Parochiæ sine licentia; non enim usurpat actum ordinis, sed tantùm jurisdictionis, cui talis pœna non statuitur; Gibalin. cit. n. 29. f. 332.

Quæstio 2. est de irregularitate ex abusu ordinum? & 1. an irregularis sit ordinatus ab Episcopo, qui Episcopatui renuntiavit? 2. an scienter ordinatus ab excommunicato, suspenso, interdicto vel abordinis exercitio prohibito? 3. an ordinatus per saltum? 4. qui furtivè? 5. qui non confirmatus? 6. qui uno die suscepit primam tonsuram, & quatuor minores? 7. qui inscio Episcopo eodem die accepit 4. minores, & subdiaconatum? 8. qui simul eodem inscio duos majores?

Ad 1. R. probabilius esse, quòd non; quia etsi talis in c. 1. de ordinato ab Episcopo, qui dicatur indignus, qui habeat executionem officii sui; intelligitur tantùm ejus

ejus ordinis, quem sic susceptit, quod pertinet ad suspensionem; irregularitas enim est ad omnia; Sic Azor p. 3. l. 3. c. 48. q. 13. Filliuc. tr. 17. n. 76. & alii. Ad 2. Bz. negativè; quia id nullo jure definitum est. Nam quando Clemens VIII. in Constit. edita 1595. dicit, quòd ordinatus ab Episcopo schismatico *minimè ministrare permittatur; nisi cum ipso super irregularitate hujusmodi fuerit dispensatum*, loquitur tantùm de ea, quam contraxit ob usum ordinis accepti, à quo suspensus fuit, si scienter ordinatus erat, vel prohibitus, si ignoranter, ut notat Streinius cit. de abusu ordinum n. 1. Ad 3. Bz. negativè, quia id nullo jure definitum est. Nam c. *unico*, de Clerico per saltum promoto dicitur; *eum in diaconum ordinari procures*; quod non sonat dispensationem, consequenter incursam, à qua liberetur, irregularitatem. Est tamen ab ordine sic suscepto suspensus; Barb. in cit. c. n. 2. si autem non ministravit in ordine suscepto per saltum, potest hodie Episcopus cum eo dispensare, ut in eo ministret. Sic Trid. Sess. 25. de reform. c. 14. & in c. *solicitudo*, dist. 25. agitur solùm de suspensione. Ad 4. Bz. affirm. quia in c. 1. de eo, qui furtivè, &c. propter suspensionem, quam sic incurrit, expressè etiam prohibetur promoveri, quod irregularitatem sonat; ita Suarez de Censur. D. 24. S. 3. n. 5. contra Gibal. cit. c. 5. q. 1. n. 21. dub. 6. fin.

2214 Ad 5. Bz. negativè. 1. quia id nullo jure definitur. 2. Quia non confirmatus suscipiens Ordines non peccat graviter; ergo, ita Suarez cit. S. 3. n. 14. Gibalin. cit. pag. 324. *Similiter* etiam Bz. ad 6. ex communi, & ob eandem rationem; ita Gibalin. in c. 5. q. 1. n. 20. D. 5. Ad 7. Bz. tali solùm imponi suspensionem ferendam; nec aliud colligitur ex c. 2. & 3. de eo, qui furtivè; nam ly *dispensare*, appellat solùm Ordinis ministerium, ut notat Suarez cit. S. 3. n. 1. si verò simul sic suscipiat duos majores; ipso jure suspensus est, non tamen irregularis; ita Leander cit. D. 20. q. 8. ex iisdem capitibus; ex quo patet responsio ad 8. esto contrarium teneat Streinius cit. n. 4.

2215 Quæres 9. An fiat irregularis Clericus, non Sacerdos, aliquem sacramentaliter absolvens, vel exercens actum Ordinis, quem non habet? Bz. quòd sic, patet ex c. 1. de Clerico non ordinato, ibi: *Si quis baptizaverit, aut aliquod divinum officium exercuerit non ordinatus*, propter temeritatem, *abjiciatur de Ecclesia, & nunquam ordinetur*. & c. 2. eod. ubi ad casum Diaconi, qui non ordinatus Presbyter, Missarum celebrationem usurpare præsumpsit, Episcopo Legionensi rescripsit Urbanus III. quòd *ad Sacerdotis officium non poterit promoveri*; à Diaconatu quoque biennio vel triennio pro tua maneat provisione suspensus. De beneficio autem misericorditer agatur cum eo: ne sustentatione privatus, ad sæcularia negotia revertatur. Ut autem securius ei possis hanc misericordiam facere, de agenda pœnitentia, diligentem circa eam curam non desinas exhibere: salubrius autem sibi absque dubio providebit, si ad regularem vitam se duxerit transferendum. Et hoc Suarez S. 4. n. 9. extendit ad Episcopum ordinatum per saltum, si ministret Ordinem omissum; esto id neget Leander q. 11. cujus tamen ratio solùm probat, quòd validè ordinet. Clericus autem per saltum promotus exercens Ordinem omissum, irregularis est, ut tenet Suarez cit. S. 4. n. 5. & 8. Filliucius D. 20. n. 209. Gibalin. cit. c. 5. consect. 3. n. 27. nam in eo suspensus est, c. *Solicitudo*, dist. 52. ergo violant censuram.

Quæres 10. An fiat irregularis Sacer- 2216
dos celebrans in altari non benedicto ab Episcopo? 11. an conficiens Eucharistiam omisso toto Missæ ritu? 12. an Episcopus alicui conferens unum Sacramentum ordinis, scienter omisso priori? 13. an Episcopus dispenset in casu proposito quæstione nonâ? Ad 10. Bz. quòd non, quia nihil est in jure; nam in c. 1. & 2. dist. 1. de consecrat. solùm sermo est de pœna *ferenda*; sic Leander cit. q. 21. Ex eadem ratione pariter respondetur negative ad 11. nam hic casus non reperitur expressus in jure; sic Diana p. 4. tr. 3. n. 47. Ad 12. Bz. negativè ex eadem ratione; sic Bonacin. q. 3. de irregul. p. 7. n. 24. Ad 13. Bz. negativè; Leander q. 31. excipe, nisi delictum sit occultum. Trid. Sess. 24. de reform. c. 6.

Quæstio 3. est de irregularitate *ex vio-* 2217
latione censurarum? In hac quæstione communis docet, quòd, qui per solennem actum Ordinis, qui ob censuram, quâ ligatus est, ipsi prohibitus est, censuram violat, efficiatur irregularis. Deducitur ex toto titulo de Clerico excommunic. ministr. & c. *is, qui*, c. *is, cui*, de sent. excom. in 6. id quod etiam inductione constat, & 1. de excommunicato excommunicatione majori constat ex c. *si quis Episcopus*,

2. q. 3. ubi dicitur, quòd non habeat spem reconciliationis etiam in alio Concilio, consequenter punitur pœnâ sine spe remissionis, quod non habet ulla alia censura. Secundò de suspensione habetur clarè in c. 1. de sent. & re judic. in 6. & c. *medicinalis*, de sent. excom. in 6. & c. *is, cui*, eod. Tertiò de interdicto etiam patet ex c. *is, qui*, eod. ut jam fusius dictum est in præmissis, cùm ageremus de censuris singulis.

2218 Not. autem, ut quis hanc pœnam ex prædicta censuræ violatione incurrat, requiri, quòd ea violatio sit *graviter* mala, aliàs pœna culpam excederet, violantem excusari per ignorantiam *probabilem*, ex c. *Apostolicæ*, de Clerico excommunic. ministr. 3. requiri, quòd sit exercitium ordinis *solenne*; quod taliter à Laico fieri non potest. Clericus autem excommunicatus excommunicatione minori, si actum ordinis sacri solenniter exercet, non contrahit irregularitatem; quia per hoc non violat censuram, quod etiam procedit. 1. si suam censuram violet Sacramentorum susceptione; quia etsi violet censuram, non violat eam tamen per actum ordinis sibi prohibitum censurâ; item si sacerdos scienter celebret in Ecclesia polluta, vel coram excommunicato, ut habetur ex c. *is, qui*, de sent. excom. in 6. Demum etiam de excommunicato suscipiente ordines; quia per hoc non violat censuram actu ordinis.

2219 Quæstio 4. est de irregularitate *ex crimine enormi, & notorio?* Quædam enim peccata sunt, quæ etiam citra infamiam annexam, causant irregularitatem, ut patet ex dictis; quædam verò non nisi, ut habeat annexam infamiam. Illa sunt, illicita iteratio baptismi. 2. susceptio ordinum post contractum matrimonium. 3. usus ordinum Clerico prohibitus, & violatio censuræ per solennem actum ordinis censurâ vetiti; 4. homicidium; quibus positis: R. propter nullam infamiam, nisi legalem, & Canonicam, quæ juris, vel facti sit, induci irregularitatem, c. *Infames* 16. q. 1. ibi: *hi omnes nec ad sacros gradus debent provehi*, c. *in aliquo*, dist. 51. ibi: *qui infamiæ notâ aspersi sunt*, &c. Et quamvis infamia *popularis*, quàmdiu durat, prohibeat susceptionem ordinum, non tamen propterea causat irregularitatem propriè dictam; hæc enim tollitur solâ dispensatione: illa verò per pœnitentiam, & emendationem. Sic Bonacin. hic D. 7. q. 3. p. 1. n. 5. qui porrò infames sint vel *legaliter*, vel ex *Canone*, constat ex dict. supra.

Quæstio est 5. de irregularite *ex homicidio injusto?* In Trid. sess. 14. de Reform. c. 7. de hoc casu sic statuitur: Cùm etiam, qui per industriam occiderit proximum suum, & per insidias; ab altari avelli debeat, qui suâ voluntate homicidium perpetraverit, etiam si crimen id nec ordine judiciario probatum, nec alia ratione publicum, sed occultum fuerit, *nullo tempore ad sacros Ordines promoveri possit*, nec illi aliqua Ecclesiastica beneficia, etiamsi curam non habeant animarum, conferri liceat, sed omni Ordine, ac beneficio, & officio Ecclesiastico perpetuò careat; si verò homicidium non ex proposito, sed casu, vel vim vi repellendo, ut quis se à morte defenderet, fuisse commissum narretur: quam ob causam etiam ad sacrorum Ordinum, & altaris ministerium, & beneficia quæcunque, ac dignitates jure quodammodo dispensatio debeatur, committatur loci Ordinario, aut ex causa Metropolitano, seu viciniori Episcopo, qui non nisi causâ cognitâ, & probatis precibus, ac narratis, nec aliter, dispensare possit. Ex hoc sequitur, eum, qui committit homicidium voluntarium, seu occisionem hominis, fidelis, vel infidelis, baptizati, aut non baptizati, irregularem esse; ubi etiam comprehenditur homicidium occultum; sic etiam Barb. in c. *Inquisitionis* de accusationibus n. 2.

Not. autem ad hanc irregularitatem requiri. 1. homicidium directè voluntarium, & per injustitiam commissum; ita Cardin. de Lugo. Respons. moral. l. 3. d. 9. n. 4. & 7. & in genere suo completum, ac externum, ut liquet ex dictis de censuris in communi. Quamvis autem in agente requiratur *fides*, & *baptismus* (aliàs enim Ecclesiæ non subesset) non tamen requiritur in patiente. Nam & infidelis injustè occidi potest. Requiritur etiam *mortem* esse *secutam*; quia id requiritur in omnibus pœnis, nisi aliter expressè statuatur, uti fit in c. 1. de homicid. in 6. ubi *mandantes* aliquem occidi, *esto mors non sequatur*, incurrunt excommunicationem, & privationem omnium beneficiorum ipso facto; extenditurque ad receptatores, defensores, & occultantes ejusmodi homicidas.

Dices: in c. *ex tenore*, 4. de tempor. ordinat. absolutè, & generaliter decernitur,

tur, *occulta crimina, etiam enormia, non inducere irregularitatem*; ergo nec tale homicidium occultum: R. id verum esse, *nisi exceptum sit*; homicidium autem occultum excipitur à Greg. IX. in c. *fin.* eod. qui posterior fuit Alexandro III. qui author fuit cap. *ex tenore*; deinde excipitur etiam in Trid. cit. Demum in cit. c. *ex* tenore, id, quod asseritur, non habetur; nam ut legitur in rubrica, solùm dicitur: *criminosus occultus moneri potest, ut non promoveatur; sed prohiberi non debet*, id quod plenè cum textu convenit.

2223 Quæres, an eandem irregularitatem incurrat aliquem injustè mutilans? R. affirm. ex c. *in Archiepiscopatu*, de Raptoribus, & Clem. *unic.* de homicidio, argumento sumpto è contrario. *Mutilare* autem, est, hominem aliquo membro privare. *Membrum* autem dicitur illa pars corporis, quæ moraliter loquendo censetur per se habere distinctum officium in humano corpore, ut oculus, auris, manus, pes, Covar. in Clem. *Si furiosus*, n. 8. Hanc responsionem amplia. 1. *ad mutilantem voluntariè se ipsum*; hinc, ut dicitur c. *qui partem*, dist. 55. qui partem digiti cujuscunque sibi ipsi *volens* abscidit, hunc ad Clerum Canones non admittunt; hoc restringit Streinius p. 3. tit. 16. de homicidio injusto, ad mutilantem se; non autem *alium à se*; hinc *digitum* negat esse membrum, cujus abscissio faciat irregularem, nisi talis esset, cujus usus necessarius est ad Eucharistiæ administrationem.

2224 Ampliatur 2. ad eum, qui procurat abortum fœtûs animati, sic S. Augustinus in c. *quòd verò*, & c. *Moyses*, 32. q. 2. c. *ex literarum*, de homicidio; secus est, si fœtus non sit animatus, ut liquet ex proximè cit. c. hoc Barbosa ibi extendit etiam ad causam moralem abortûs. Vid. eum à n. 2. & quamvis Sixtus V. voluerit, ut irregularis fiat, etiam in casu fœtûs non animati; ejus tamen constitutio correcta est, & ad viam juris reducta, per Greg. XIII. Vid. Suarez de censur. D. 44. s. 2. n. 13.

2225 Qui homicidium fieri mandat, homicida est, sed effectu secuto, & irregularis; imò licet non mandet mortem, sed tantùm verbera, si mandatum injustum est, & mors sequatur, licet ob excessum mandatarii, c. *is*, *qui*, de homicidio, in 6. nam ibi id expressè dicitur, *si mors secuta est*; videtur enim hæc pœna ibi solùm accessoriè ferri in mandantem. Excipe nisi revocet prius mandatum sic, ut mandatario innotuerit revocatio; quia sic effectus non sequitur *in vi mandati*; cùm hoc nec existat actu, ut ponitur; nec habitu; quia desinit per privationem revocationis intimatæ, consequenter in esse *habitualiter existentis*. V. Filliucium tr. 20. c. 1. n. 29.

Qui consulit fieri injustum homicidi 2226
um, effectu secuto pariter homicida, & irregularis est. Nam in c. *sicut dignum*, §. *illi*, de homicidio, dicitur: *ab homicidii reatu immunes non sunt, qui occisoribus opem contra alios præstare venerunt*; & expressè c. 23. de pœnit. dist. 1. Gl. in c. *sicut dignum*; excipe 1. nisi executor non operatus sit ex tali consilio; tunc enim consilium non influxit, consequenter consulens effectum illum non causavit; Sic Felinus in c. 1. de offic. delegati; excipe 2. si consulens consilium revocavit, & periclitantem monuit. Tunc enim non peccat contra justitiam juxta nonnullos, estò id negent alii, cùm etiam consilio revocato in mente executoris perseveret pondus rationum; sed verius oppositum. Eo enim casu operatio sequitur potius ex malitia operantis. Ratihabitio autem homicidii per alium facti, citra tuum mandatum, vel consilium, per se, & vi suâ non facit te irregularem. Sic enim non est causa homicidii; nam ratum quis habere non potest, quod ipsius nomine non est gestum, reg. 9. de regul. juris in 6.

ARTICULUS IV.

De irregularitate ex homicidio defectu lenitatis.

HOmicidium justum est, quod fit lici- 2227
tè, & citra peccatum; inducit tamen interdum irregularitatem ob defectum lenitatis, ac mansuetudinis, quam Ecclesiæ Ministros decet exemplo Christi sectari. Hæc irregularitas, ex defectu lenitatis, communis est utrique statui Clericorum, & Laicorum; quicunque igitur *voluntariè* occidit hominem, etiam citra peccatum, irregularis est c. 1. de homicid. nec promoveri potest; & si promotus est, deponi debet c. *sicut dignum*, junctâ Glossâ, ibi, cum Doctoribus communiter, etiamsi occisus fuisset paganus c. 5. dist. 50. Dixi: *Voluntariè*, ut excipiam homicidium *casuale*, & *purè defensivum*,

seu necessarium. Voluntariè autem occidit (per ordinem ad hanc irregularitatem) quicunque vel physicè, vel moraliter concurrit proximè ad alicujus mortem, non autem remotè, ut faciunt, qui furcam, funem, scalam, ensem &c. mortis instrumenta conficiunt. Extendunt hanc eandem irregularitatem communiter Doctores & Canonistæ etiam ad mutilationem, ex Clement. *unica*, de quibus vid. dicta ex professo supr. Titulo 12.

2228 Hanc igitur irregularitatem ex defectu lenitatis contrahit Judex sive Laicus, sive Ecclesiasticus, qui justè profert sententiam mortis, vel mutilationis in Reum, effectu secuto, c. *ex literis*, de excessibus Prælatorum, quod loquitur de utroque, c. *in Archi-Episcopatu*, de raptoribus. Ubi etiam sermo est de mutilatione, & flagellatione ad sanguinem. Videtur etiam argui ex c. *Sæpe*, c. *his*, *quibus*, 23. q. 8. Et ratio est, quia dare sententiam sanguinis, & pœnas repetere, etiam de nocente, est contra mansuetudinem Ecclesiasticam c. *Suscepimus*, de homicidio.

2229 Extendunt 2. ad Assessores in tali judicio, ut tenet communis cum Leandro, de irregularitate tr. 2. D. 7. q. 4. Nam & hi sunt causa proxima, *cùm authoritativè assistant*. Et res non intelligitur tantùm de morte per sanguinis effusionem; nam per *sententiam sanguinis*, hìc, *mors* simpliciter intelligitur; Sic Gibalin. de irregularitate c. 4. consect. 7. diffic. 3. nam eodem modo in tali homicidio est defectus lenitatis. Et quamvis Leander q. 8. neget irregularitatem incurri per flagellationem usque ad sanguinem; dicens, hanc irregularitatem reduci solùm ad duo capita, mortem scilicet, & mutilationem; sed reverà c. *in Archi-Episcopatu* posset fortè in hoc movere dubium. Hoc autem intellige de Judice, post susceptum baptismum, c. *si quis viduam*, dist. 50. c. *si quis post*, dist. 51. nam talis ante baptismum non est membrum Christi, consequenter in eo non consideratur defectus lenitatis, quæ hic respicitur.

2230 Qui fert legem mortis in certum delictum, sive sit Judex Ecclesiasticus, sive Laicus, est tantùm causa remota mortis, nec animadvertit in certam personam, atque adeo ex hoc c. non incurrit istam irregularitatem; Sic Pellizarius tom. 2. tr. 7. c. 5. S. 4. q. 1. n. 172. quod etiam procedit de Principe Laico, vel Ecclesiastico habente jurisdictionem temporalem, si constituat Ministros, & Judices, ut causam sanguinis inquirant, & puniant juxta leges, & juris dispositionem; ut habetur c. *fin.* Ne Clerici, vel Monachi in 6. quod etiam ex eodem verum est, esto alicui det *specialem* ad hoc *commissionem*, delegando v. g. alicui Commissario unam causam criminalem; Diana p. 4. tr. 2. resol. 78. secus est, si Judici à se delegato mandet, ut sententiam mortis proferat *in talem Reum*; sic enim directè & proximè cooperatur morti. Idem est, si mandet, ut, quem Judex delegatus prius ad mortem condemnaverat, *tali die* occidat. Sic Leander de irregular. tr. 2. D. 7. q. 24.

Sed quid si delegatus Reum injustè condemnet ad mortem? R. mandantem non propterea fieri irregularem, quia culpa mandatarii, dum fines mandati excedit, non debet obesse mandanti. L. *diligenter*, ff. mandati. Si dicas, hoc esse contra c. *fin.* de homicid. in 6. ubi contrarium expresè deciditur. R. ibi agi de *injustè* mandante. Nam textus sic habet: is, qui mandat aliquem verberari (licet expresè inhibeat, ne occidatur ullatenus, vel membro aliquo mutiletur) irregularis efficietur, *si* mandatarius fines mandati excedens mutilet, vel occidat. *Cùm mandando in culpa fuerit, & hoc evenire posse debuerit cogitare.*

2231 Jurisperitus, Theologus, Confessarius, vel quicunque alius, citra hanc irregularitatem, si quæratur in genere, an quis ob tale crimen mereatur mortem? respondere potest, *mereri*, *jure sic disponente*, quia sic respondens in genere, non influit proximè & immediatè in alicujus particularis mortem; sic Bonacina de irregul. q. 4. p. 1. n. 46. Gibalin. hìc, c. 4. q. 3. consect. 7. diffic. 8. Si autem circa personam in particulari respondeat, eum esse afficiendum morte? Henriquez l. 14. c. 6. n. 4. censet talem Clericum irregularem fore, sed negandum est, si tali casu dicat generatim, quod jura statuunt. Sic enim Judex movetur à solo jure, non ab aperiente veritatem juris; adeoque nec indirectè concurrit; Layman l. 3. tr. 3. p. 3. S. 5. c. 7. n. 4. id, quod etiam probabiliter tenendum, si Judici privatim quærenti, an teneatur ad mortem condemnare hunc hominem, qui commisit v. g. hæc delicta, quibus à jure decernitur pœna mortis, respondeat, ipsum teneri, vel talem juxta leges mortem esse

esse meritum, quia nullum jus hoc statuit, ut talis evadat irregularis. Nam 1. id non potest esse ex delicto, ut constat; 2. non ex defectu lenitatis; irregularitas enim ex hoc defectu tantùm imposita est Judici, ejusq; officialibus *authoritate publicâ* fungentibus, v. g. juridicè consulentibus, &c. sic Castropal. de Censur. D. 6. p. 14. §. 3. n. 7. Pellizar. tr. 2. l. 7. c. 5. S. 4. q. 11. n. 170. Leander hìc tr. 2. D. 7. q. 31.

2233 Hinc etiam ab ista irregularitate immunis est Confessarius, qui Judici, nolenti Reum punire pœnâ mortis, quando in conscientia tenetur, dicit, ego non possum, nec volo te absolvere, nisi eum morte punias. Nulla enim irregularitas ex defectu lenitatis incurritur propter actionem, quam quis sine peccato omittere non potest, nisi exerceatur à Ministro justitiæ, quà tali; ita Leander cit. p. 32. Reginald. in praxi l. 30. n. 138. & alii. Et hoc procedit etiam in casu, quo Confessarius monet, & jubet Reum, juridicè quæsitum, fateri crimen, quod fateri tenetur, quia sic fassio citra crimen omitti nequit.

2234 Not. Præterea, quòd, quando Prælati Ecclesiastici Reum occidendum tradunt brachio seculari, ut irregularitatem hanc evadant, pro eo intercedere debeant, ne moriatur, c. *Novimus*, de Verbor. signific. Henriquez l. 14. c. 12. n. 5. Layman tr. 3. l. 3. p. 3. c. 7. n. 3. Ab hac protestatione speciali privilegio eximuntur Inquisitores fidei (ut videri potest apud Leand. cit. q. 39.) eorumque Ministri.

2235 Not. 2. quòd Clerico jure antiquo non imputabatur ad irregularitatem, si civiliter petiit sibi ministrari justitiam pro rebus suis, vel injuriis, esto secuta fuerit pœna sanguinis inflicta per Judices occasione sumptâ ex tali causa. c. *postulasti*, de homicidio; sed nunc requiri per c. *Prælatis*, eod. in 6. ut expressè prius protestetur, se non intendere pœnam sanguinis, vel mutilationis. V. dicta à n. 866. & sequent.

2236 Not. 3. quòd, qui aliquem accusat criminaliter, petens vindictam, secutâ morte, vel mutilatione, fiat irregularis, defectu perfectæ lenitatis. Videtur colligi ex c. *si quis viduam*, dist. 50. ubi dicitur, quòd sibi conscius homicidii *facto*, *præcepto*, *consilio*, aut *assensione* (non, ut ibi ponitur, *defensione*) post baptismum, toto vitæ tempore communionem tantùm Laicam recipere debeat; ergo irregularis est talis: sed sic accusans est talis; verè enim cooperatur ad sententiam sanguinis vetitam, c. *sententiam*, ne Clerici, vel Monachi; ergo. Ubi not. si accusatio est justa, eum irregularem esse solùm ex defectu lenitatis; si injusta, ex delicto. Deinde Clericis judicium sanguinis agitare etiam in c. *Clericis*, eod. prohibetur; sed hoc loquitur de Clerico *in Sacris*; illud de Clerico simpliciter. Est autem hic sermo de accusatione criminis ad mortem sufficientis; secus enim non dat causam mortis, accusatione tantùm culpæ levis; Suarez de censur. D. 47. s. 2. esto postea ab aliis accusetur de criminibus dignis morte. Leand. cit. hìc tr. 2. D. 7. q. 44.

Testis *voluntariè* testificans in causa 2237
sanguinis, morte secutâ *ex ejus testimonio*, fit irregularis defectu plenæ lenitatis; sic enim verè cooperatur ad mortem; Castropalaus de censur. D. 6. p. 14. §. 2. n. 2. Hurtado hìc D. 2. diffic. 11. secus est, si facit ex obligatione juris naturalis, quia sic non deficit in lenitate, appositum enim peccatum est; Diana p. 4. tr. 2. resolut. 31. quod probabiliter etiam extenditur ad casum, quo quis testem agit ob præceptum Judicis, vel gravem metum; ratio est eadem. Castropal. §. 3. n. 3. Layman l. 3. s. 5. tr. 3. p. 3. c. 7. n. 6. Si dicas: ergo etiam Judex eo casu erit liber ab hac irregularitate; nam etiam Judex, ferendo sententiam mortis, obedit legi, &c. N. illatum, quia necessitas parendi præcepto in Judice, ejusque Ministris, fundatur in propria voluntate, cùm liberè susceperit illud officium; secus est in casu nostro, ut diximus n. 866. ubi pluribus, à n. 873. egi de irregularitate ex defectu lenitatis, & his, qui eâ afficiuntur.

Cùm autem præter homicidium, quod 2238
citra peccatum fit authoritate publicâ, contingant homicidia in bello, not. justum etiam homicidium illud censeri, quod fit in bello justo; hoc autem vel est defensivum, vel aggressivum. De illo agemus infra; de isto, hìc. Unde quæres 1. an in tali bello Clericis pugnare liceat propriâ manu? 2. an, & quando in tali casu irregularitatem incurrant? &c. ad 1. Clerico in sacris id prohibitum esse, c. *Clerici*, c. *quicunque* 13. q. 8. c. 1. ne Clerici vel Monachi; ita Suarez D. 47. s. 6. n. 7. & de Charitate D. 13. s. 3. quod Leander tr. 2. D. 7. q. 106. extendit etiam ad Clericos non in sacris (quia textus indistinctè loquitur) & etiam Religiosos Laicos, ex c. *eos, qui*, 20. q. 3. & ait

hanc

hanc prohibitionem esse juris tantùm humani, cùm in eo Pontifex dispensèt, ut habetur q. 108. sed V. dicta n. 889. & Castropalaum tom. 1. l. 6. D. 5. p. 6. n. 3. licitum tamen esse prædictis tali bello interesse, ut bellantibus sint subsidio spirituali, ut patet ex praxi, & ex c. *omni tempore*, c. *hortatu*, c. *præterea*, 23. q. 8. c. *petitio tua*, 24. de homicid. nec ob id incurrere irregularitatem, ut habetur c. *petitio*, cit. ubi Pelagius Presbyter in tali casu versatus, non est irregularitate notatus ab Honorio Papa, nec remotus ab Altari, nisi de interfectione cujuspiam conscientia ipsum remorderet; quia non fuit sufficiens necessitas.

2239 Si petas 1. an in bello justo fiant irregulares Clerici, si hortentur milites, ut hostes prævertant, occidant &c. 2. si quem ipsi tunc occidant, ut liberent Regem, vel Principem, aliàs ab hoste perimendum? 3. si ad salvandam patriam? 4. si ut defendant suos, v. g. parentes &c. R. ad 1. negativè, quia nec intervenit irregularitas ex delicto, ut constat; nec quæ est ex defectu lenitatis; hoc enim est pro iis tantùm, qui sunt publici Ministri justitiæ. Ad 2. R. etiam negativè 1. quia talis actus non est illicitus 2. nec est incongruus, sed jure naturali cuique statui debitus; Sic Henriquez l. 14. n. 2. lit. O; Streinius Jur. Can. p. 3. tit. 16. §. *de homicidio justo*, n. 9. ubi ait, pro opere, vel actu, quem sine peccato omittere nequeas, nulla ullibi constituta irregularitas est. Ad 3. R. quoque negativè, quia defensio patriæ prævalet vitæ hominis privati, sed hanc sic defendere possum citra ullam irregularitatem; ergo & illam; sic Suarez D. 47. s. 6. n. 2. & D. 13. de bello, s. 3. à n. 7. Ad 4. R. pariter negativè, quia vita parentis, uxoris, filii in ea necessitate perinde habetur, ac si esset una persona cum ipso defendente. Leander q. 119. Castropalaus tom. 1. tr. 6. D. 5. p. 6. à n. 7. Gibalin. hìc c. 4. q. 3. consectar. 6. difficult. ultimâ.

2240 Si quæres, quid dicendum de homicidio vitæ necessario? R. eum, qui propter vitæ suæ necessariam defensionem occidit alium, non evadere irregularem. Clem. *unic.* de homicidio; intellige si servet moderationem debitam. Hinc per hanc Clementinam derogatur capitulo *ad audientiam*, de homicidio, & c. 2. de Clerico pugnante in duello. Neque hic est defectus lenitatis; cùm, ut ponitur, non sit alius modus servandi vitam propriam; imò contrarium, foret ignavia, ut insinuatur c. 2. de homicidio in 6. si dicas; Tridentinum sess. 14. c. 7. eum remittit ad Episcopum pro dispensatione, qui non ex proposito, sed casu, & vim vi repellendo aliquem occidit? R. quòd declarationes Cardinalium id intelligant n. 3. de vi repellente cum aliquâ culpa. Sic etiam Barbosa dictum nostrum amplians copiosè apud Streinium cit. de homicidio necessario. n. 3.

Hoc extenditur etiam ad casum homi- 224
cidii necessarii, injusti aggressoris pro defensione suæ, vel alienæ castitatis, & pudicitiæ. Nam integritas corporis est inter prima hominis bona; sic pro utroque Tannerus D. 4. q. 8. n. 68. & 79. & communiter etiam ad defensionem honoris, ac boni communis. Sic Diana p. 5. resol. 12. Streinius cit. n. 5. secus ob contumelias, & injurias verbales per Magistratum reparabiles; bene tamen ad bona temporalia, de quibus V. dicta à n. 865.

Dices: Universalis regula est, omnem 224
homicidam voluntarium esse irregularem; & Clementina Unica, de homicid. excipit solum homicidium ob defensionem vitæ propriæ; ergo. R. dist. ant. & concedo de homicidis voluntariis, quos nulla necessitas, & justitia tuetur; secùs N. ant. nulla enim imponitur irregularitas, cùm quis operatur ex necessitate secundum dicta. In Clementina autem illa non ponitur ulla exceptio, sed tantùm affertur id, quod est juris naturalis. Neque ex dictis nostris sequitur, quòd nemo fiat irregularis, qui in bello justo offensivo, aliquem mutilat, vel occidit, quod est contra communem. R. enim cum distinctione, & concedo sequelam, si adsit necessitas, & absit prohibitio specialis, ut est in Clericis; secus, sin illa absit, & hæc adsit. Sed tunc intelligitur solùm, si quis mutilet, vel occidat alium, manu suâ.

ARTICULUS V.

De irregularitate ex homicidio casuali.

HOmicidium aliud est *in se* volitum; 224
aliud in alio. Hoc in præsenti appellant communiter homicidium *casuale*, seu *fortuitum*; & si contingat, ut voluntas in illud *nec directè*, *nec indirectè* feratur, non dicitur propriè *homicidium* (hoc enim propriè *crimen* sonat) sed *occisio simplex*; ita Julius

Julius Clarus, §. *homicidium.* Dicitur autem *indirectè volitum*, cum exerces actionem, quam scis, vel prævides habere annexum aliquod periculum mortis alienæ, vel mutilationis, & non sufficienter caves tali periculo, tunc enim culpibilis es; secus, est homicidium *merè* casuale, & citra culpam.

2244 Quicunque igitur committit homicidium etiam indirectè voluntarium, incurrit irregularitatem pœnalem, scilicet ex culpa, ut dicitur in c. *continebatur*, 8. c. *de cætero*, 11. de homicidio, & c. *is, qui*, eod. in 6. contingit autem, primò, si quis ponat actionem periculosam proximè v. g. si meretricem vocet ad se viâ periculosâ, v. g. per tectum, & hæc lapsu moriatur; talis enim homicidio, seu alienæ mortis causam dedit, ut habetur in cit. c. *de cætero*. Deinde si quis ponat actionem ex se licitam ac inde sequitur mors alterius, vel infirmitas causans mortem; intellige si non adhibuit, quam adhibere debuit, sufficientem diligentiam cavendo periculo, cit. c. *continebatur*, 8. c. *Presbyterum*, 7. de homicid. ubi rubrica habet: *homicidium casuale imputari ei, qui dabat operam rei licitæ* (nimirum correctioni pueri, disciplinæ causâ) *sed non adhibuit diligentiam, quam debuit*, dum eum percussit in capite; si ex ipsa percussione interiit, vel aliam infirmitatem incurrit, de qua noscitur exspirasse, id quod etiam habetur in c. *ad audientiam* 12. eod. Tertiò si quis dat operam rei illicitæ, unde mors alterius sequitur, c. *continebatur*.

2245 Not. autem, quòd quis non censeatur operam dare rei illicitæ, prout hic requiritur ad irregularitatem ex homicidio casuali, exercendo qualemcunque actionem peccaminosam; sed talem, quæ mala est, & comparatione vitæ alienæ periculosa; sic Molina de Just. tr. 3. D. 77. n. 7. & Barbosa in c. *dilectus*, de homicidio, n. 2. hinc notat Henriquez in Summa l. 14. c. 11. §. 1. quòd, qui causat homicidium casuale ex actione illicita, tunc irregularis fiat, quando ea actio est peccatum mortale, & quà talis influit in alterius mortem. Qui verò dat operam rei licitæ, nec fuit in culpa, esto præter ejus intentionem sequatur mors alterius; immunis est ab omni irregularitate pœnali, c. *dilectus*, 13. c. *ex literis*; 14. & 15. c. *significasti*; 16. c. *Joannes*, 23. c. *quidam*, 24. de homicid.

2246 Dices: si quis alterum casu vulnerat, & vulneratus à vulnere consanatus in morbum alium incidit, ex quo moritur, vulnerans fit irregularis per c. *ad audientiam*, de homicidio; ergo irregularitas hæc incurritur. 1. ex actione illicita etiam non periculosa, si periculo mortis cavetur. 2. ex actione omnino inculpabili, ut si vulnus nullo modo fuit ex tali actione prævisum. R. si certum est, eum morbum, ortum ex vulnere, & vulnus fuit prævisum in actione illicita; vel etiam licita, sed sine sufficienti cautela; vulnerantem omnino fieri irregularem; hoc enim dicit c. *ad audientiam*; secus, si vulnus ortum sit ex actione licita, citra culpam agentis; vel etiam ex illicita, sed vulnere non causante morbum. V. dicta à n. 849.

ARTICULUS VI.

De Dispensatione in irregularitate.

2247 QUæstio 1. est, an Episcopi, & Prælati Regulares dispensare possint in irregularitate, contracta ex membrorum mutilatione? R. & hanc, & natam ex homicidio, jure antiquo reservatam esse Pontifici in c. 1. de Clericis pugnantibus in duello, ubi conceditur Episcopo jus dispensandi cum Clerico in pœna depositionis, qui sponte duellum obtulit, vel oblatum acceptavit, dummodo ex ipso duello homicidium, seu membrorum diminutio non fuerit subsecuta: nunc verò jure Trident. Sess. 14. c. 7. & Sess. 24. c. 6. solam irregularitatem *ex homicidio voluntario*; & si quæ alia est ex simili casu homicidii, vel mutilationis deducta ad forum contentiosum? Ubi nota, *quoad irregularitatem* statutam homicidio, intelligi etiam mutilationem, & ita sumitur in Glossa communi de homicidio; & cùm negatur alicui dispensatio ob homicidium, non hoc ipso etiam intelligi per illud *mutilationem*. Nam *homicidium*, & *membrorum diminutio*, quoad hoc distinguuntur in jure, ut habetur c. 1. de Clericis pugnant. ibi: *homicidium*, vel *membrorum diminutio*; id, quod etiam habetur in declarationibus Cardinalium ad Sess. 24. Trid. c. 6. de reform.

2248 Et ideo, cùm aliquando sumantur pro invicem quoad aliquos effectus; aliquando distinguantur, observandæ sunt sequentes regulæ. 1. Quòd lex disponens aliquid de irregularitate ob defectum lenitatis ex homicidio, extendatur etiam ad mutilationem; favores enim ampliandi sunt; secus,

si ad rigorem pertinet; tunc enim non valet extensio, etiamsi fiat à jure. 2. Quòd lex disponens de irregularitate ob mutilationem, extendatur etiam ad homicidium, si rigorem continet; sic enim mutilatio continetur saltem continenter in homicidio; secùs si favorem, quia pœna mitigata minori delicto non facit consequentiam pro majori, vel totali.

2249 Quæstio 2. est, an potestas absolvendi ab omnibus peccatis, censuris, pœnis & sententiis, extendatur ad dispensationem ex irregularitate? R. negativè, c. *ult.* de officio Vicar. in 6. ubi dicitur: *in generali concessione nunquam illa veniunt, quæ non esset quis verisimiliter in specie concessurus*: atqui facultas illa generalis est talis concessio; nam, cùm Pontifex factâ eâ concessione, ut fit in jubilæis, vult etiam comprehendi facultatem pro irregularitate, eam specialiter exprimit; ita Reginaldus l. 30. tr. 2. 24. & communis.

2250 Dices: Irregularitas est censura. 2. Irregularitas saltem ex delicto est pœna; ergo: R. ad 1. id quidem doceri à Soto, & aliquibus Thomistis; sed sine fundamento. Hinc nego antecedens, ut dixi supr. n. 1611. Ad 2. R. C. antecedens, N. consequentiam. Namly *pœnis* in ea concessione significat solùm eas, quas significare vult Pontifex; hanc autem ibi non intendit significare, ut patet ex stylo Curiæ. Hinc etiam dici potest distinguendo: irregularitas est pœna, quæ non venit in generali dispositione de pœnis C. secus N. ant. & conseq.

2251 Not. autem, quòd dispensatio irregularitatis in jure non habeat determinatam formam, nulla enim præscripta est. Ut tamen licitè fiat, aliqua causa requiritur. 1. ex Trid. Sess. 23. c. 14. q. 2. quia universaliter requiritur in omni dispensatione, D. Thom. 1. 2. q. 97. a. 4. non tamen ut validè, pendet enim à lege humana, Suarez D. 41. hic, sect. 2. n. 2. eamque Pontifex dare potest pro omni irregularitate, juris scilicet humani; alii autem eo inferiores non nisi in casibus jure, tacitè, vel expressè concessis; cùm hoc fundetur in jure potestatis altioris.

2252 Episcopis porrò concessam esse facultatem dispensandi in omni irregularitate ex delicto occulto, non deducto ad forum contentiosum, excepto homicidio voluntario, habetur ex Trid. Sess. 24. c. 6. & tenet Suarez D. 41. S. 2. Sanchez, l. 2. Summæ, c. 11. Sed intelligetantùm de Episcopo, qui habet subditos, seu diœcesim, ubi saltem ex parte receptum sit Tridentinum; Sic Leander de irregularitate tr. 2. D. 27. q. 7. potest autem etiam cum Religiosis exemptis, qui quoad hoc se de suorum Superiorum veniâ subjiciunt; jure enim communi subjecti sunt; & solùm eximuntur privilegio; ita Suarez n. 12. Filliucius tr. 20. c. 5. q. 5. n. 271. Dixi, *si non est deductum ad forum contentiosum*; intellige, in quo Reus convictus esset; aliàs enim ea deductio non obest; Leander q. 9. V. dictan. 2034.

Not. autem; quando Tridentinum 2252 loco cit. irregularitatem ex delicto occulto reddit indispensabilem ab Ordinariis per exceptionem ibidem positam, non intelligi de quocunque homicidio *voluntario*, nisi hoc commissum sit per injustitiam? ita Cardinalis de Lugo Respons. mor. l. 3. D. 9. n. 4. Unde infert, quòd si quis occidat injustum aggressorem, hoc est, cum, qui gravem ac probabilem metum incutit per eos, qui minas solent exequi, & mandat eos, cùm irruunt, occidi necessariæ defensionis causa, non evadere irregularem; sic enim non agit injustè.

Quæstio ulterior fieri potest, an in sup- 2253 plicatione pro valore dispensationis in irregularitate contracta *ex homicidio*, necessariò fieri debeat mentio jam semel impetratæ dispensationis in ejusmodi impedimento ob alterum homicidium? Communis affirmat; quia Pontifex vel non concederet secundam, vel certè difficilius concederet, si præcedentis dispensationis notitiam haberet, quia difficilius est remittere pœnam duplicis delicti, quam unius, & gravius solet puniri relapsus, quàm ob primum lapsum: ut latè probat Suarez l. 6. de Leg. c. 23. n. 12. & multis relatis Thomas Sanchez l. 8. de matrimon. D. 22. n. 2. & 20. quibus consentit Basilius Pontius de matrimonio l. 8. c. 17. n. 8.

Verùm non requiri, testatur Filliucius 2253 tr. 10. p. 2. c. 10. n. 325. versatissimus in Sacra Pœnitentiaria; id quod etiam affirmârunt Anno 1631. 13. Martii, Datarius ejus temporis, & Coccinus Decanus S. Rotæ, & Regens Sacræ Pœnitent. apud Card. de Lugo cit. d. 8. n. 2. tum quia id jus positivum non exigit; tum quia non est ratio præsumendi aliud de intentione dispensantis; cùm id, quod dicitur L. 3. C. de Episcopali audient. ut remissionem veniæ crimi-

crimina, non nisi semel commissa, non habeant, usu receptum non est, ut testatur Filliucius loc. cit.

2256 Dices: licet olim ea mentio non exigeretur; secus tamen est hodie, quia modernus Regens sacræ Pœnitentiariæ hanc ob causam addi jubet in Brevibus hanc clausulam, Et, *si Orator simile delictum iterum admiserit, dispensationemque super eo, à sacræ Pœnitentiariæ officio denuo obtinuerit, ejusmodi dispensatio nequaquam ei suffragetur, si præsentis gratiæ mentionem in illa non fecerit*, & ita illam monere, &c. R. eam clausulam non apponi in quibuslibet dispensationibus; sed tantùm in his, quæ sunt *de aborsu*. Quarè, ubi ea non opponitur, necessaria non est ejus mentio; id, quod tenere videtur Henriquez l. 24. c. 17. n. 5. lit. I. & alii.

2257 Si quæras, quis dispenset in irregularitate ex defectu natalium? R. ex potestate ordinaria posse solum Pontificem. Solius enim est infirmare Canones, cùm id ratio expedit; at in c. *nimis in tua*, de filiis Presbyter: prohibentur tales promoveri ad dignitates, personatus, & alia beneficia curata sine dispensatione Papæ; sic P. Bauny de censuris, tr. 12. q. 15. Pellizar. tr. 2. D. 7. c. 5. s. 2. q. 20. n. 70. ex quo colliges, hoc loco quæstionem tantùm esse de ordinibus sacris.

2258 Ex hoc patet, Episcopum dispensare posse pro ordinibus minoribus, id quod habetur etiam, c. 1. & 2. eodem; quod etiam procedit de beneficio simplici. Idem censeo de Capitulo sede vacante (hoc enim ei succedit in jurisdictione ordinaria) Panormitanus in c. *cùm olim*, de majorit. & obed. Diana p. 4. tr. 2. resol. 64. quod verum esse vult Leander q. 52. cum Barbosa de officio Episcopi, allegat. 45. n. 24. ex eo autem, quòd aliquis illegitimus sit Episcopi familiaris, non autem alio titulo subditus, cum eo etiam ad minores dispensare non potest; quia facultas est tantùm ad subditos, vel familiares, aliunde habiles; sic Castropal. tom. 4. tr. 27. D. unica, de ordine, p. 15. n. 6. & tom. 6. de Censur. D. 6. p. 9. n. 7.

An Episcopus cum illegitimo dispensare possit ad Canonicatum Ecclesiæ Cathedralis? affirmant aliqui, putantes esse tantùm beneficium simplex; at respondetur, cùm jure novo Tridentini Sess. 24. de reform. c. 12. Canonicatus requirat Ordines sacros, Episcopum cum tali ad eum non posse dispensare, nisi dicas, quòd possit ad tempus, prout videtur docere Azor p. 2. l. 6. c. 3. q. 15. cùm Canonicatus postulet eos Ordines tantùm intra annum, quo tempore potest postea urgere dispensationem pro his à Papa, sed & huic contradicit Leander cit. q. 54. 2259

Ad extremum quæres, an, cùm quis stante, nec dispensatâ irregularitate ex illegitimitate obtinuit dignitatem Ecclesiasticam etiam majorem, malâ fide, occultato hoc impedimento, postea possit impetrare dispensationem non tantùm irregularitatis, sed etiam revalidationem tituli, & fructuum retentionem? Ad hunc casum affirmativè respondet Cardinal. de Lugo cit dub. 7. dicens in fine, in speciali Congregatione jussu Urbani VIII. coram majori Pœnitentiario sic fuisse judicatum, & dispensationem concessam 1. quia licet defectus natalium fuerit publicus; tamen in ratione impedimenti fuit occultus, omnibus, quibus id constabat, existimantibus, præcessisse dispensationem, 2. quia plures graves Doctores tenent, collationem beneficii, etiam Episcopalis, irregulari factam, esse validam; & collatarium fructus facere suos; pro quo citatur Sanchez l. 2. consil. c. 1. dub. 31. n. 24. Parisius, Navarrus &c. 3. quia huic favet textus in c. 1. de Cleric. non ordinat. ministr. 2260

QUÆSTIO XL.

IN TITUL. XL. DE VERBORUM SIGNIFICATIONE.

2261 *Verborum significatio* in Rubrica, ff. de Verb. significat: nihil aliud *est*, ut notat Pereyra in appendice ad Elucidarium n. 1932. quàm *certa sensûs demonstratio, quâ quælibet res, dictionis attributione, exprimitur*; vel brevius: significatio est proprius, & verus verborum, rerumque intellectus, quo quælibet res, tanquam in picta tabella oculis quasi subjicitur, & declaratur. *Significare* enim est rei alicujus essentiam, veluti pictâ quadam tabellâ exprimere. Quarè cùm in genuino, ac legitimo sensu verba, & dictiones accipimus, verba in sua significatione dicimur usurpare.

2262 Secundùm aliquos, triplicem verba, seu voces, formaliter significativæ, significationem habent, *naturalem*, ex institutione; *vulgarem*, ex communi usu hominum: *juridicam* juris acceptione, de qua divisione egimus l. 1. decretal. Alii autem, ut notatur ex Castropalao tr. 3. de Legib. D. 5. p. 3. §. 3. n. 7. volunt proprietatem verborum, vel esse naturalem, vel civilem. *Naturalis* est, quæ ex communi hominum acceptione habetur. *Civilis*, quæ ex sola fictione juris, & per quandam quasi translationem. Exempli gratiâ, nomen *mortis*, ex communi hominum acceptione, morti *naturali* accommodatur: fictione juris, & per quandam analogicam translationem, *professioni Religiosorum*, & *exilio* attribuitur: sic nomen *filius*, de naturali dictum, beneficio juris etiam dicitur *de adoptivo*. His prænotatis.

2263 Cùm in quæstionibus, quæ proponuntur, resolvendis, frequenter contingat, nasci dubium, *in qua significatione* verba legis, aut datæ dispositionis accipienda sint? *an in naturali tantùm? an etiam juridica?* ad hoc resolvendum regulæ aliquot à Doctoribus præscribuntur. Prima est, quòd primò omnium spectanda sit *mens dicentis*, ut dicitur c. *Secundò requiris*, de Appellat. & à nobis notatum est l. 1. tit. 2. a. 12. §. 4. Hinc ubi de hac constat, non curanda sunt verba, eâque standum est, licet in contrarium sint verba, secundùm dicta ibidem; quia non sermoni res, sed rei est sermo subjectus, ut dicitur c. 6. h. t. Verùm quia sæpe ambigitur *de mente* disponentis; vel loquentis ad eam rectè eruendam traduntur complures regulæ, quibus in dubio ritè adjuvemur. Prima est, quòd tali casu intelligenda sint, & accipienda *in propria significatione*, nempe secundùm communem usum hominum. L. *Non aliter*, 69. ff. de Legat. verùm & hæc regula limitari debet, ut non procedat, si verba sic accipiendo sequeretur absurdum; vel dispositio redderetur inutilis, vel repugnaret materiæ substratæ. Nam in tali casu verba potius improprianda forent, quàm ut ea admittantur, c. *Abbatis*, 25. h. t. ubi dicitur, verba debere intelligi, ut aliquid asserant, & non remaneat ambiguitas. V. quæ super his diximus l. 1. tit. 2. a. 12. à §. 4.

Et in hoc fundatur altera regula, quòd 2264
verba intelligi, & accipi debeant *cum effectu*, sic, ut aliquid operentur, nec ullum sit superfluum, L. 1. §. *hæc autem verba*, ff. quod quisque juris, L. 3. ff. de jure jurando, c. *Relatum*, 4. de Cleric. non Resid. Cùm enim in Concilio Lateranensi constitutum esset, ut nulli beneficium Ecclesiasticum conferatur, nisi residenti in loco, & curam ejus per se exercere volenti; nonnulli autem ad Ecclesias, quia se id posse affirmabant, præsentati, sed, quod se posse dicebant, facto contradicerent, proposuit Archiepiscopus Eboracensis Alexandro III. an propter hoc tales præsentatos possit rejicere, vel institutos removere? affirmativè respondit Pontifex dicens: *cùm verba accipienda sint cum effectu, tales, si præsentati fuerint, non debent admitti, & admissi poterunt amoveri*, nisi fortè de licentia suorum Prælatorum, vel studio literarum,

raturn, vel pro aliis honestis causis contigerit eos abesse: nec patrocinari debet eis appellationis diffugium, si contra hujusmodi intentionem decreti fuerit interjectum. Quia *aliàs Decretum Lateranense non habuisset effectum.*

2265 Tertia regula est, *verba generalia, generaliter accipienda esse*, L. 1. §. *generaliter*, ff. de Legat. præstand. cui conformiter comuniter usurpatur vulgatum illud in L. de pretio, ff. de Publiciana, *ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus.* Quarta, quòd, ubi idem sermo, seu dispositio duas sententias exprimit, ea potissimum excipienda, seu eligenda sit, quæ rei gerendæ aptior est, per c. *Inspicimus*, 45. de Reg. juris in 6. ubi dicitur: quòd inspicimus in obscuris, quod verisimilius est, vel quod plerumque fieri contingit. Nam licet, quando verba conventionis, vel dispositionis clara, & aperta sunt, absque ulteriore investigatione ea sequi debeamus; quia *in certis non est locus conjecturis*, P. *non aliter*, ff. de Legat. 3. ubi verba obscura sunt, vel quando nonnunquam etiam quædam sunt omissa, ne dispositio concidat, sed ut sustentetur, recurrimus ad id, quod est verisimilius, & fingimus plura dicta, quàm scripta fuisse, ut ait Gail. l. 2. observ. 132. n. 7. & seq. Videntur autem in idem coincidere, id, quod verisimilius est, & quod plerumque fieri consuevit, quia id, quod plerumque fieri consuevit, verisimile est communiter in actionibus humanis spectatum esse.

2266 Quinta, quòd per verba præcedentia declarentur subsequentia, & vicissim, L. *Vtrum*, ff. de Petit. hæred. Nam in proœmio plerumque mens, intentio, & causa finalis, ex qua procedit Legislator, vel disponens, exprimitur; & in subsequentibus sæpe per appositas clausulas præmissæ restringuntur, vel ampliantur. Sexta, quòd in dubio contra dicentem interpretatio fiat; nam is, qui contractum init, aut legem condit, aut privilegium concedit, omissis qualitatibus, quas, si voluisset appositas, exprimere potuisset, præsumitur sub tali qualitate non contraxisse, aut voluntatem suam alligasse, c. *Contra eum*, 57. de reg. jur. in 6. ubi dicitur: *contra eum, qui legem dicere potuit apertius, est facienda interpretatio*: sed hæc interpretatio solùm facienda est in ambiguis: quia in apertis non est locus conjecturis, L. *continuus*, ff. de verb. oblig. Nam si constet, de quo senserint, utique hoc sequemur, in quo nulla hæsitatio est. Si item constet, quòd dissenserint, actus corruit. Sed quando dubitatur, de quo senserint, aut quid senserint, vel quid comprehendi voluerint, aut non voluerint conventione? locus est regulæ; & hæc interpretatio ad hoc servit, quòd, cùm Judex secundùm adversarium hoc casu judicat, dicatur rectè, & secundùm veritatem judicâsse, L. *si stipulatus fuero*, §. *fin.* ff. de verb. oblig. nisi is, qui verba protulit, aut contraria probatione, aut fortiore aliquâ præsumptione aliud actum fuisse ostendat, L. *non aliter*, ff. de leg. 3.

Dices: contrarium haberi in jure; nam 2267
Ulpianus respondit, *si quis intentione ambiguâ, vel oratione usus sit, id, quod utilius ei est, accipiendum esse: & libellum in verbis aliquibus obscurum, non contra actorem, sed prout ipse hoc voluit, & ex intervallo declaravit*, L. *si quis intentione*, ff. de judic. interpretandum esse. Deinde in privilegiis à Principe concessis non fit interpretatio contra Principem, qui verba privilegii scripsit, sed propriæ ipsius interpretationi, si qua in verbis nascitur dubitatio, standum est, ut aut quid voluerit, aut quem esse modum sui beneficii velit, liberè dicat, & declaret, c. *cum ecclesiasticæ*, de except. L. *Neratius*, ff. h. t. quemadmodum & in universum alibi respondit Consultus, quòd *in ambiguis orationibus maximè spectanda sit sententia ejus, qui eas protulisset*, L. *in ambiguis*, eod. tit.

Sed contra est, quia is, qui verba 2268
concepit, mentem sive agat, sive excipiat, probare debet, l. 2. de prob. Probatio verò debet esse clara, & concludens, quia *sermo ambiguus non probat*, & *probatio dubia non relevat*, c. *in præsent.* de prob. L. non hoc, C. unde cogn. Gail. 2. ob. 13. n. 14. & seqq. & ob. 22. n. 3. vers. & prob. Mascardus de prob. conclus. 1363. Et ideò sibi meritò imputare debet, qui expressius non est locutus, atque eâ ratione intentionem suam dilucidè probare non potest. Hinc: Ad 1. object. &. illam regulæ non obstare. Ideo enim orationem ambiguam ad actoris utilitatem referimus, ut id petitum videatur, de quo actor senserit: quia (ut ait Ulpianus L. *inter stipulantem*, §. 1. ff. de verbor. obligat.) si dicto actoris in re dubia non staremus, semper negaret reus se

consensisse, semperque diceret se aliter sentire. Ut, ecce, si quis *Stichum petens*, sentiat *de uno*, & reus fortè videns se convinci testimoniis, contendat se *de alio ejusdem nominis* sensisse, & judicium accepisse, utique secundùm actorem fiet interpretatio, ne aliàs eludendi judicii occasio reo præbeatur, qui semper dicet se de alio Sticho sentire, & actorem malè agere, id quod pluribus verbis cum Zasio explicat Duarenus, ad §. si *Stichum*.

2269 Nec etiam obstat altera objectio, quod dicitur de Principis interpretatione; quia cùm Principis voluntas talis esse præsumatur, qualis de jure esse debet, L. ex facto, ff. de vulg. & pupil. substit. verisimile sanè est, quòd adversus æquitatem, & justitiam nihil declarabit. His adde regulam, quòd verba sint specialiter intelligenda *secundùm subjectam materiam, & naturam actûs*, L. *Si uno*, ff. Locati. Hinc fit, quòd verba legis, vel dispositionis, *in materia favorabili*, juxta regulas doctrinalis interpretationis, sumenda sint *latè*, nimirum non solùm in propria significatione *naturali*, seu usuali; sed etiam *civili*, seu *juridica*: in *materia* verò *odiosa*, strictè; nimirum in *sola significatione naturali*, seu usuali, de quo latè diximus l. 1. c. 2. ubi egimus de legis interpretatione, ac etiam exposuimus, quando rectè fiat extensio verborum, vel merè extensiva, vel comprehensiva; vel propter identitatem, aut paritatem, vel etiam majoritatem rationis, præsertim in pœnalibus.

2270 Not. quòd quamvis ad resolvendam dubitationem de intentione, ac mente loquentis, quâ significatione verbis in sermone, vel dispositione sua usus sit, perquam utiles sint dictæ regulæ, præsertim prima: quia tamen, ut ait Gregorius c. 8. h. t. sæpe contingit, *dum proprietas verborum attenditur* (nimirum sola) *sensum veritatis amitti*, qualiter fieret, si attentâ solâ verborum proprietate, sequeretur aliquid eorum, de quibus loc. cit. ut est absurdum, dispositio inutilis, oppositio cum fine directè quæsito, incapacitas materiæ substratæ, &c. non rarò tamen contingit, per aliarum legum exceptionem eas infringi, nisi sic limitentur, ut extra limites illarum exceptionum constituantur, quod operosissimi laboris est.

2271 Ad extremum nota, hunc titulum in expositione hujus libri raro in scholis tradi (præter dictas regulas) quoad particulares quæstiones in eo contentas, & à multis præteriri, cùm seorsim, traditione juris, pleraque tangantur: quia tamen complures quæstiones, perquam utiles continet, de iis selectis ex pluribus pauca subjungemus in sequentibus. §. §.

§. 1.

Qualiter sensus verborum eruendus sit?

REspondet D. Hilarius l. 4. de Trinitate; relatus c. *Intelligentia*, 6. h. t. intelligentiam dictorum *ex causis dicendi, esse assumendam*, quia non sermoni res, sed rei est sermo subjectus, id, quod diximus l. 1. tit. 2. & de jure civili plerumque admittitur; siquidem tuendæ voluntatis gratiâ, ut captio omnis vitetur, verba ipsa contra propriam significationem accipiuntur, ut in L. *Ex conducto* 15. §. *Papinianus*, ff. Locati, & L. 13. ff. de Excusat. Tutor. ex hoc fit, quòd nihil obstet narrandi diversitas ubi eadem dicuntur; quæ verba credunt aliqui in c. *Nihil*, 7. h. t. transcripta ex D. Augustino de Consensu Evangelist. l. 2. c. 12. 21. & 28. quia *non verbum ex verbo; sed sensus ex sensu in interpretatione transferendus est*, ut monet D. Gregorius c. 8. h. t.

Hinc in quæstione, an omnes, qui 2272
præsunt, ritè *Præpositi* vocentur? affirmativa deciditur c. *Quamvis*, 9. h. t. ubi tamen additur: quòd usus obtinuerit, per eos intelligi, *qui quandam Prioratûs curam super alios gerunt*. Olim enim, qui præerant rebus publicis, & civitatibus, dicebantur *Præpositi*, hæc dignitas deinde à civili politia ad Ecclesiasticam, imò etiam ad Regulares translata fuit (ut notat Gonzalez in c. *Ut Abbates*. 1. de ætate, & qualitate, ubi dicitur Abbates, Decanos & Præpositos, qui Presbyteri non sunt, Presbyteros fieri debere, aut *prælationes* amittere) & qui primam dignitatem in Ecclesia habent, dictos esse *Præpositos*, Ex quo colligitur, eos propriè nunc *Præpositos* ritè vocari ex usu, qui aliis præsunt cum dignitate, primâ nimirum curâ in tali Ecclesia, quales non sunt Decani rurales, Priores claustrales, Vicarii, aut Ministri in Monasteriis, aut Collegiis; quo colligitur nomen *Præpositi* cit. c. 9. accipi in significatione usuali.

§. 2.

§. 2.

An malè possideat, qui suis malè utitur?

2274 Affirmativam sequitur Isidorus l. 5. Ethymolog. c. 25. relatus c. *Jus dictum*, 12. h. t. sed hæc propositio potest habere plures sensus. Primus est, *quòd injustè possideat*, nimirum non munitus jure activo, seu legitima potestate utendi re possessâ, directè in commodum suæ libertatis, ex tali re perceptibile; & in hoc sensu non procedit; nam qui prodigit res, quorum dominium habet, *malè* utitur; non tamen *injustè* possidet, nimirum citra jus disponendi validè de illa re.

2275 Dices: ergo haberet jus ad actionem illicitam, & lege non permissam; nam *prodigere res suas*, *illicitum est*; jus autem activum non dicitur nisi ad usum lege permissum. R. 1. & quæro, an, qui est Dominus suæ pecuniæ, per hoc, quòd malè utatur illâ v. g. ut seducat mulierem, *injustè agat*, nimirum cum vera alterius injuria, & læsione justitiæ strictæ, seu commutativæ? si affirmas? concedis usum juris esse destructivum juris, hoc est effectum sibi non sufficientem, ut existat sine sufficientia existendi à se distincta, dum actu fit, & sufficienter existit, existere sufficienter, dum non existit adæquata sufficientia, ut existat: si negas? ergo concedis etiam pravum usum juris, esse actum dominii.

2276 R. 2. ex dictis in tract. Theol. de Jure, & Just. q. 1. dist. illatum: ergo talis haberet jus ad actionem illicitam, & *lege juris solùm extrinsecâ non permissam*, C. ad actionem illicitam, & lege juris constitutivâ permissam, N. illatum. Ad jus activum non pertinet intrinsecè, seu constitutivè, carentia omnis legis, usum præcisè prohibentis, sed solùm annullantis; aliàs dominus rei, qui voto, vel pacto sibi certum usum sui dominii præcisè interdixit, invalidè uteretur re suo dominio subjectâ, utendo illâ contra votum, vel pactum; quod dici non potest.

2277 Nam, vel cum tali pravo usu stat potestas legitima nihilominus *validè* utendi re, vel non? si ita? habetur intentum; si non? sequitur, quòd lex prohibens *præcisè usum*, auferat usum, & nihil adæquatè distinctum ab usu (hoc enim important ea verba: *prohibens præcisè usum*) & simul auferat usum, ac aliquid adæquatè distinctum ab usu, nempe dominium, seu potestatem legitimam *validè* disponendi de re.

Unde cum dicitur: *usus contra votum*, 2278
vel legem, etiam præcisè prohibentem, est formaliter malus, & peccatum; jus autem non datur ad peccatum formaliter malum; ergo. R. cum dist. ma. usus juris contra votum, vel legem prohibentem præcisè usum, est malus formaliter, in quantum est contra legem prohibentem C. in quantum est juxta legem juris constitutivam N. ma. hinc datâ min. N. conseq. Nam jus non est ad talem, nisi in quantum est juxta legem juris constitutivam; actus autem *in quantum est juxta legem juris constitutivam*, non est malus formaliter; sic enim explicat solùm *valorem actûs*, qui præscindit à licito & illicito; atque à lege extrinseca, usum præcisè prohibente; licet *in quantum opponitur legi præcisè prohibenti*, sit malus formaliter; sicut autem *potestas consecrandi validè corpus Christi*, non est potestas ad peccatum formaliter, licet sacerdos peccet formaliter, *consecrando validè*, dum per legem, illi potestati extrinsecam, prohiberur, puta, *si est instatu peccati gravis*; quia talis consecratio, secundùm quod procedit ex ea potestate, ac lege, seu Christi institutione, *est ad consecrationem præcisè validam*: sic est in casu præsenti. Hinc etiam nego, jus activum, propriè dictum, dici solùm ad actûs *lege permissos*, ut pluribus ostensum est loc. cit.

Secundus sensus illius propositionis 2279
esse potest: quòd malè, seu *non debito fine possideat*, si possessionem hanc ordinet ad abusum; & in hoc sensu rectè usurpatur. Nam medium, etiam de se bonum, vitiatur ex ordine ad finem pravum. Unde, sicut non procedit universaliter, quòd *malè* (hoc est, *injustè*) *possideat*, qui alienum possidet, cùm bonæ fidei possessor rei alienæ, non injustè possideat: sic non procedit universaliter, quòd, qui *malè* (hoc est, *illicitè*) suis utitur, *malè*, hoc est, injustè possideat.

§. 3.

Quid veniat nomine Oblationum?

REsp. quòd omnis donatio bonorum 2280
temporalium, facta Deo, vel Ecclesiæ, ut dicitur c. *Qui oblationes*; & c. *Clerici*, 13. q. 2. quod tamen in c. *Causa*, 10. h. t. aliquantum restringitur, ut nomine *oblationum* veniant *illæ solùm*, quæ *de propriis*, & *licitis*

licitis rebus *à Fidelibus* Ecclesiæ offeruntur. Dicitur *de propriis & licitis*; nam quædam res offerri, aut in altari poni, olim propter earum superstitionem prohibebantur, de quibus videri potest Gonzalez in cit. c. *Causa*, n. 3. Dicitur etiam *à Fidelibus*, plurium enim Christianorum donationes, seu oblationes, Ecclesia non recipit, nimirum eorum, qui sunt *Usurarii manifesti*, ut habetur in c. 25. Concilii Lateranensis, sub Alexandro III. & c. 3. de Usuris; *qui pauperes vexant, & opprimunt*, per can. 7. CC. Trossejan. *Hæreticorum*, c. *Excommunicamus*, 13. de hæret. *Raptorum rerum Ecclesiæ*, per c. 2. de Raptoribus &c. de quibus V. dict. Gonzalez à n. 4.

2281 Oblationes, in monasteriis Regularium factas, ab ipsis Regularibus recipi non posse; & eas ad Parochos spectare, docuerunt Trullench in Decal. c. 3. n. 13. & Azor p. 1. l. 2. c. 17. sed multò probabilius est oppositum ex c. 1. de statu Monachorum, ubi Gregorius rescribens Archi-Episcopo Neapolis ait: *Nec tu, nec Presbyteri tui, si quid illic* (nempe in Monasterio) *pro diversorum devotione accesserit, vobis vindicare æstimetis; cùm Monachis sibi servientibus debeat proficere, quidquid à fidelibus taliter offerri contingit.* Idem habetur in c. *Nimis*, 16. de Excessib. Prælat. ibi: *quidquid eis* (nempe Regularibus) *piâ fidelium devotione donatur, ab ipsis extorquere oblationis nomine contendentes; quod eisdem tam in ornamentis altaris, quàm in libris Ecclesiasticis absolutè confertur, vindicant perperam juri suo &c.* Qualiter autem ex oblationibus factis, occasione funeris, quarta pars Parocho debeatur, dicitur in tit. de sepultur. l. 3.

2282 Illud etiam notandum, oblationes in Ecclesia factas, non posse per potestatem secularem usurpari. Constat ex cit. c. *Causam*, ibi: *quicunque igitur eas* (nimirum oblationes) *per manum, vel potestatem secularem obtinet, procul dubio contra domini, & Sanctorum Patrum institutiones nititur; quin imò, & qui accipit, & qui tradit, raptor, & sacrilegus judicatur:* ac demum quando dicitur, quòd *statutum Laicorum, circa mortuaria, immunitati Ecclesiasticæ libertatis adversetur*, ut videtur colligi ex c. *Cum Laicis*, 12. de rebus Ecclesiæ non alienandis ad finem: Antonium Naldum in Annotationibus practicis ad varia jura Pontificia, ad cit. locum insinuare singularem doctrinam Cajetani in Summula, V. *Excommunicatio*, cap. 31. ubi pro intelligentia hujus literæ, ait, *id procedere in mortuariis* ordinatis *per se ab Ecclesia ad salutem defuncti*, seu *cultum divinum*: secus autem *de per se ordinatis ad honorem temporalem*; ut sunt sumptuosa sepulchra, multitudo crucum, varietas Religionum, copia numerosa luminarium, & similia, in quibus immunitas Ecclesiastica non læditur ex ante dicto, vel simili statuto Laicorum.

§. 4.

An extrema unctio dari possit à Presbytero, nullo alio præsente Clerico?

DUbitationis ratio esse potest ex verbis B. Jacobi, in ejus Epistola c. 5. ibi: *infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ*, ubi verbum *presbyteros* pluralem explicat; ex hoc enim deduci videtur, hoc Sacramentum ministrari debere *à pluribus Presbyteris*; & ideo in Ecclesia Orientali (ut notat Gonzalez in c. *Quæsivit*, 14. h. t. n. 4.) consuetudo est, ut septem Presbyteri Sacramentum hoc extremæ unctionis infirmis conferant: econtra verò Alexander III. in cit. c. *Quæsivit*, expressè resolvit, *quòd Sacerdos, uno præsente Clerico, & etiam solus, infirmum ungere possit*; rationem dat D. Thomas contra Gentes, c. 83. ex eo, quòd, licet unus solus Presbyter adsit, intelligatur hoc Sacramentum perficere *in virtute ipsius Ecclesiæ*, cujus Minister extitit, & *cujus personam* gerit.

2283 Nec obstat ratio in oppositum num. 2281 priori. Quia in sacra pagina frequenter *sub plurali numero*, non pluralis, sed singularis persona, vel personæ qualitas significatur. Sic apud S. Lucam c. 17. dum dicitur: *ite, & ostendite vos Sacerdotibus*, verificatur, quòd *alicui de sacerdotibus* se ostenderint; & illud apud D. Paulum ad Hebræos 11. v. 83. *Obturaverunt ora leonum*, verificatur *in solo Daniele*. Similiter apud Matthæum c. 17. & Marcum, 15. dicitur, *latrones* cum Christo crucifixos, imbecillitatem illius exprobrâsse; & tamen hoc fecit tantùm *unus*, ut testatur D. Lucas, 23. v. 39. *unus autem de his, qui pendebant*, blasphemabat eum. Et ideo etiam apud D. Matthæum c. 26. licet dicatur: *videntes autem discipuli indignati sunt*; pluralis stat pro singulari; siquidem *solus Judas* indignatus est; ergo etiam illud: *inducat Presbyteros*, rectè exprimitur *de uno*, ut sensus sit,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ut inducat unum ex Presbyteris, præsertim cùm sic accipiat ipse Papa, & probet recepta praxis Ecclesiæ.

§. 5.

An inter Festum B. Mathiæ, & Vigiliam, alia dies, quàm Dominica, intercedere possit?

2285 VIdetur dicendum negativè ex c. *Quæsivit*, 14. §. *Festum*, h. t. ibi: *Festum beati Mathiæ, juxta consuetudinem ecclesiasticam, Vigilia eatenus præcedat, ut nec pro bissexto, nec quolibet alio modo inter se, & solennitatem aliam diem admittat; in qua utique (nisi Vigilia venerit in dominica die) jejunium celebretur.* Nam in hoc textu Vigilia sic præcedere debet, ut etiam in anno bissexto inter ipsam & solennitatem alium diem non admittat; & insuper additur, *in Vigilia, (nisi venerit in die Dominica) jejunium celebretur.* Ex quo sequitur, si Festum Sancti Mathiæ venerit in die cinerum, Vigiliam, & jejunium (vi hujus textûs) celebrandum feriâ tertiâ antecineralium, nec posse transferri in Sabbathum præcedens.

2286 Hoc confirmari potest ex Decreto Congregationis Sacrorum Rituum, dato 23. Januarii 1694. quod sic habet: Quæsitum fuit à Sacrorum Rituum Congregatione, declarari; *an vigilia Sancti Mathiæ Apostoli, occurrens hoc anno in feria tertia, post Dominicam Quinquagesimæ, possit (ratione carnis privii) anticipari cum jejunio? & eadem Sac. Congregatio respondit negativè, & jejunium prædictâ feriâ tertiâ omnino servandum.* Die 23. Januarii 1694. quod de mandato Archiepiscopi, & Metropolitani Salisburgensis in ejusdem civitate repressum fuit.

2287 Sed tametsi verum sit, non modò non debere *vigiliam* sic præcedere solennitatem festi (nisi cadat in dominicam) ut alia dies intercedat; adeoque nec jejunium in diem aliquem præcedentem (extra casum dominicæ) transferri, *loquendo regulariter*, ut liquet ex cit. §. *Festum*: hoc tamen intelligi debet, nisi justa, & gravis causa, in aliqua diœcesi, provincia, aut regno, contrarium prudenter suadeat. Nam, ubi est evidens periculum, quòd, si vigilia tali die cum jejunio celebretur, magna, imò potior pars diœcesanorum, provincialium, vel regnicolarum, ex usu, & consuetudine inveterata, vix abstinebit ab esu carnium, minus à secunda refectione; diœcesani justam, & gravem causam habent vigiliam transferendi in alium diem, quo morali certitudine lex jejunii non exponatur tam evidenti periculo certæ transgressionis. Nec jus merè humanum cum tanto rigore in ejusmodi tam patenti circumstantia, translationem recusare, credi potest.

2288 Certum autem est, quòd feriâ tertiâ, ante diem cinerum, ex communissimo jam usu, & consuetudine lætitiæ, & festivitatum (quibus in certis provinciis non modò populus, sed etiam status illustris, indulgere solet, ab immemoriali tempore, per epulas, choreas, rhedationes, ludos comicos, & similia) sit evidens periculum non servandæ legis per abstinentiam à carnibus, minus à secunda refectione (cùm in his provinciis planè notorium sit, eo die agi omnia liberalissimè, etiam à plebe) justam sanè & gravem causam habent diœcesani (ne scilicet lex potius sit in destructionem, & ruinam, quàm in ædificationem) vigiliam cum jejunio transferendi in alium diem, quo illi morali certitudine sua observantia præstetur, sine ullo periculo certæ transgressionis in majori parte talis loci. V. n. 2496.

2289 Nec obstat decretum S. Congregationis. Hoc enim plus non vult quàm respondere ad quæsitum indefinitè propositum: *an vigilia Sancti Mathiæ, occurrens anno 1694. in feria tertia post dominicam quinquagesimæ possit ratione carnis privii anticipari cum jejunio?* quæ quæstio, cùm *generaliter* procedat, nec exponat circumstantiam evidentis periculi de illius transgressione *in certis solùm Nationibus* (nec enim ubique cum illis lautitiis, ac lætitiæ excessibus feria tertia dierum antecineralium celebratur) *solùm generaliter respondit*: eo præcisè titulo, *quòd in vigiliæ tali die occurrat, jejunium prædictâ feriâ tertiâ non omittendum, sed omnino servandum*, adeoque nec vigiliam transferendam. Nam verissimum est, non cessare universim obligationem jejunii ex ea præcisè occurrentia, sed omnino debere servari, sed (ut contingit in omni jure positivo humano) *justa limitatione*, nisi pro certis circumstantiis occurrat justa & gravis ratio aliter disponendi; & ideo non continet ullam prohibitionem, ne Ordinarii locorum (ubi fuerit tale periculum tam uni-

versale) faciant translationem vigiliæ cùm jejunio.

§. 6.

An beneficium Principis contra jus commune, habeat latam interpretationem?

2290 AFfirmativa suadetur ex pluribus utriusque juris textibus, quos congerit Gonzalez in c. *olim*, 16. de Verbor. significat. ubi, cùm Innocentius III. mandasset Capitulo Paduano, ut Magistro G. præbendam, & manualia beneficia (*quæ tantùm residentibus dari solebant*) conferrent, & ipsi malitiosè gratiam istam interpretantes, assererent, se non teneri mandatum adimplere, quia ipse Magister non residebat; consultus idem Pontifex pro explicatione hujus gratiæ, rescripsit, *quòd, cùm beneficium Principis latissimè sit interpretandum, dicto magistro præbenda, quæ tantùm residentibus in victu, & vestitu assignatur, erat conferenda.* Ex quo responso Pontificio sic arguitur: Hoc beneficium erat latissimè interpretandum, licet esset contra jus commune. Nam secundùm jus commune præbendæ, quæ in victu, & vestitu consistunt, tantùm divinis officiis interessentibus, non verò absentibus assignari possunt ex c. *Vnic.* de Cleric. non resident. in 6. ergo beneficium Principis, etiam contra jus commune, habet latam interpretationem.

2291 Hoc Papæ rescriptum, & ratio decisionis in eo contenta variis modis exponitur à Doctoribus, qui juris oppositi considerationem volunt, beneficium, seu privilegium contra jus concessum non latè interpretandum, sed restringendum esse per clarum textum in c. 1. & 2. de Filiis Presbyter. in 6. item c. Quod dilectio 3. de consang. & affin. ubi Cœlestinus III. ad quæstionem, utrum is, qui à stipite per descendentem lineam, sexto vel septimo gradu distat, possit ei, qui ex altera parte per lineam descendentem ab eodem stipite, secundo, vel tertio gradu distat, matrimonialiter copulari propter indulgentiam Apostolicæ Sedis Legati, quia permissum est hominibus terræ illius in sexto gradu conjungi? Quod videtur posse fieri secundùm regulam, quâ dicitur: quoto gradu quis distat à stipite, & à quolibet, per aliam lineam descendentium ab eodem: cùm tamen de consuetudine terræ, si quando talis casus emerserit, incolæ propter proximiorem gradum conjunctos separent & impediant copulari volentes: respondit: quòd indulgentia illa sic est intelligenda, quòd uterque conjungendorum distet à stipite sexto gradu. Si verò sexto vel septimo gradu distet à stipite, alter autem secundo vel tertio, conjungi non debent, unde in hac parte consultius diximus multitudini & observatæ consuetudini deferendum, quam aliud in dissensionem, & scandalum populi statuendum, quadam adhibita novitate: beneficium autem, de quo in præsenti, esse contra jus commune, probant primò ratione adductâ num. præced. deinde ex eo, quòd collatio præbendarum ad Capitulum spectet, ut colligitur ex c. 1. Ne Sede vacante, adeoque dictis Canonicis magnum præjudicium causaretur.

Glossa in cit. c. *Olim*, omnino defen- 2292
dit, *beneficium* in terminis illius textus latissimè accipiendum fuisse; quia Pontifex sic voluit; cui Panormitanus, improbans istum intellectum, opponit, quòd summus Pontifex ferè semper respondeat juxta jus commune, ut dicitur c. *in causis*, 20. de re judicat. ibi: *in causis, quæ summi Pontificis judicio deciduntur, & ordo juris, & vigor æquitatis est subtiliter observandus. Cùm in similibus casibus cæteri teneantur similiter judicare.* Nisi fortè cùm aliquid (causâ necessitatis & utilitatis inspecta) dispensativè duxerit statuendum: & jus commune doceat, beneficium Principis strictè interpretandum esse; ut habetur L. 2. §. *si quis à Principe*, & §. *meritò*, ff. ne quis in loco publ. & alibi passim: Sed ad hoc respondetur, verum esse, quòd Princeps ferè semper respondeat juxta jus commune, nisi exprimat contrarium, prout factum est in præsenti, ut habet textus, ibi: *quæ tantùm residentibus confertur.*

Panormitanus docet, hanc dispositio- 2293
nem Papæ non fuisse beneficium juri communi contrarium, sed secundùm jus fuisse; quia hic Magister absens erat in servitio Episcopi, vel Pontificis; consequenter juxta jus commune pro præsenti habendus erat, juxta c. 7. de Cleric. non resident. Verùm si hæc ratio erat, Pontifex in interpretatione illius gratiæ, usus esset dispositione juris communis in cit. cap. si ita fuisset; quod tamen non fecit, sed usus est jure communi de Principis beneficio latissimè interpretando, ut ostendunt textus varii in c. *si quem*, §. *Prævaricator*, 2. q. 3. c. *Frater*, 16. q. 1. c. 1. de usu, & auctor. pall. c. *Cùm dilecti*, de donat. &c. &c.

Alii

2294 Alii volunt in hoc c. non agi de privilegio, ut absenti darentur beneficia manualia, seu, ut exponit Gonzalez ibidem, distributiones quotidianæ; sed de mandato ad executorem directo, ut Magistro G. jam in Canonicum recepto in Ecclesia, in qua non erant præbendæ definitæ, aut numeratæ, ut advertit Gloss. penult. & complures alii apud Barbos. in cit. c. *Olim*, n 5. conferatur præbenda, juxta mandatum ante factum, de communibus proventibus ejusdem Ecclesiæ, perinde, ac illam habent alii Canonici inservientes. Sed etsi hoc sit valde verosimile, adhuc tamen stat resolutionis difficultas etiam de tali mandato. Nam ejusmodi mandatum, ac literæ, quantumvis dicantur beneficium Principis, tanquam ambitiosæ, adversantes juri communi, & parientes præjudicium tertii, restringi debent; juxta c. *Quamvis*, 4. de Præbendis in 6.

2295 Conzalez cit. n. 4. verius judicat, in præsenti casu ideo fieri latissimam interpretationem, quia non agebatur de privilegio, nec mandato utcunque, & simpliciter, sed *mandato de providendo, quod ex motu proprio summi Pontificis emanavit.* Ex quo fit; juxta hunc Authorem mandatum de providendo ex motu proprio, quantumvis contineat executionem juri communi repugnantem, & tertio præjudiciosam, habere latam interpretationem; id, quod cæteris probabilius videtur.

2296 Nec obstat 1. inquit ille, quòd etiam in hoc mandato præjudicium Canonicorum versetur, eò, quòd ipsi de jure communi poterant præbendam conferre, ideoque mandatum hoc esse odiosum: nam hoc non est considerabile, quando summus Pontifex concedit simile mandatum; quia ipsi Pontifici competit suprema beneficiorum dispensatio secundùm idem jus commune, c. 2. de præb. in 6. & c. *Dudum* 14. eod. lit. & lib.

2297 Nec obstat 2. juxta dictum Authorem cit. n. 5. quòd varia dentur jura, in quorum aliquibus dicitur: privilegium Principis *esse strictè*; alia, in quibus docetur, *latè interpretandum.* Nam hæc jura in speciem contraria reducit in concordiam dicendo: discrimen esse consulendum *inter privilegium*, seu beneficium, *quod alicui conceditur cum tertii præjudicio*; & *inter illud privilegium, quod aliquid præter jus continet, ex quo nulli præjudicium sequitur*; quo posito: concludit primo casu quodlibet beneficium, seu privilegium, strictè interpretandum esse, juxta L. *penult.* de constitut. & jura id enuntiantia: in secundo verò casu amplè, & plenissimè interpretandum in eodem casu, vel personâ, de qua loquitur, non autem extra casum, vel personam in beneficio expressam, ut habetur c. 7. de Privileg.

Verùm esto secunda pars hujus doctri- 2298
næ rectè procedat; in prima tamen non videtur consentanea terminis, quibus docuerat, beneficium Principis continens mandatum de alicui providendo, profecto ex motu proprio Papæ, quale fuit illud, de quo in præsenti agitur; hoc enim concedit habere latam interpretationem, esto fuerit contra jus commune, & in præjudicium Canonicorum Ecclesiæ Paduanæ.

Videtur igitur dicendum, jura, quæ 2299
docent, *beneficium Principis habere latam interpretationem, non solùm quando est præter jus, & nullum continet alterius præjudicium; sed etiam, quando contra jus commune, & in præjudicium tertii, quando illud conceditur motu proprio, ex certa scientia, cum expressione, quòd non obstante præjudicio (quod aliis per hoc fieret) velit illud executioni dari, aut non impediri ab illis, quibus præjudicare videtur*; jura verò contraria, quæ docent, *beneficium Principis strictè interpretandum*, contra jus commune, ac in præjudicium alterius, *si conceditur solùm simpliciter, sine dictis clausulis*; alias enim jura indefinitè loquentia ex tali interpretatione, sine ulla urgenti correctionis ratione, per jura opposita solùm ad certam speciem beneficiorum restringentur, quod tamen maximè cavendum est.

§. 7.

Quando interdictum locale dici debeat generale, vel particulare?

QUid, & quotuplex sit interdictum, 2300
constat ex dict. à n. 2104. quibus adde ex Suarez de Cens. D. 32. sect. 2. n. 9. interdictum, *contra hanc civitatem*, servare rationem interdicti generalis, quamvis ab illo unum, vel alterum templum excipiatur; econtra interdictum *templorum* servare rationem specialis, si in sola templa hujus civitatis, & non in alia loca feratur. *Generale personale* respicit aliquod corpus politicum collectivum plurium personarum, & personas singulas solùm, ut sunt partes talis communitatis. *Speciale*

personale in determinatam, vel determinatas personas fertur, ita ut ad singulas per se, & ad omnes (ut ajunt) per modum plurium tendat. Interdictum, quod fertur in collegium, vel academiam alicujus populi, generale est. Hæc Pereyra in Elucidario l. 3. elucidat. 7. f. 4. à n. 1743.

2301 Ex his deducitur resolutio dubitationis, quam olim Episcopus Calubrienſis Alexandro III. proposuit, ut habetur c. *Cùm in partibus*, 17. h. t. quandonam interdictum censeri debeat *generale*, quando *particulare?* Ratio dubitandi erat, quòd privilegiati dicerent, *interdictum terræ* duntaxat, generale esse, cùm Regnum, vel Provincia tota interdicto subjicitur; rescripsit autem Pontifex, ut notat Panormitanus hic, n. 1. quòd *particulare* interdictum dicatur, quando vel plures Ecclesiæ *specificè*, & non sub nomine Universitatis interdicuntur; *generale* verò, quando *Universitas unius loci* interdicitur, sive parvus, sive magnus sit, ut est *villa*, *castrum*; de quo V. plura à n. 2107.

§. 8.

Quid importet clausula: per censuram Ecclesiasticam compellas?

2302 CUm frequenter contingat in constitutionibus, & rescriptis Apostolicis apponi hanc clausulam: *per censuram Ecclesiasticam compellas*, dubitatum fuit à Priore S. Fridiani, quid per eam vocem (*Ecclesiasticam censuram*) intelligatur? respondit Innocentius III. ut notat Wagnereck in Exegesi ad c. *Quærenti*, 20. h. t. per eam non solùm interdicti, sed suspensionis, & excommunicationis sententiam posse intelligi, nisi Judex discretus, rerum, & personarum circumstantiis indagatis, ferat, quam magis viderit expedire.

2303 Cùm autem censuræ non ferantur unicè in vindictam delicti, sed etiam medicinæ causâ (ut in delictis contumaciter perseverantes, hâc pœnâ medicinali curentur, & ad sanitatem animæ reducantur, ut ait Panormitanus in cit. c. 20. h. t.) Judex, qui pollet potestate imponendi diversas pœnas, eam eligere debet, quæ consideratis rerum, & personarum circumstantiis, magis expediens videbitur, ut dicitur in cit. c. *Quærenti*, 20. h. t. Hinc, ut rectè notat Wagnereck ibidem, eam debet imponere, *quæ magis timetur*, quod procedit de valde pertinacibus; nam pœnæ, quæ non timentur, vix retrahunt à culpa. Ubi autem pertinacia magna non est, præstat inchoare à mitioribus; ubi enim statim ad extrema proceditur, plùs indiscretionis, minùs fructûs est.

Tametsi autem, ut constat ex Panor. à n. 3. citato n. 4. in omnibus ferè delegationibus apponatur hæc clausula (*ut contradictores per censuram Ecclesiasticam compescantur*) delegati tamen potestas per eam clausulam non ita restringitur, ut aliter cogatur imponere censuram, quam velit, ac expediens videatur. Et ideo etiam potest procedere etiam ad alias pœnas jure non expressas, sed arbitrarias, arg. c. *de causis*, 4. §. *Illis*, de offic. delegati, ibi: *illis etiam, qui pro causis tibi commissis ad citationem tuam venire, aut tuo super his parere judicio neglexerint: si tale fuerit negotium, quod certa exinde pœna in Canonibus exprimatur, eandem infligas, alioquin ipso pro delicti qualitate & causæ secundùm tuum arbitrium punire procures*; id quod etiam dicitur in L. *Voces*, ff. de his, qui jus dicenti non obtemp.

Ex eodem c. *Quærenti*, deducitur, 2304
sub nomine *censuræ* non venire irregularitatem; quærenti enim Episcopo Carnotensi significationem hujus vocis *Censura*, Pontifex exponens totam ejus significationem, nihil omnino meminit de irregularitate, id quod fusè deducit Gonzalez ad cit. c. *Quærenti* à n. 1. Similiter, sub nomine censuræ, vel interdicti (quatenus hoc habet rationem *censuræ*) non venit *cessatio à divinis*, ut rectè notat Navarr. in Manual. c. 27. à n. 164. & alii, de quibus supr. n. 1669. in fin. Ratio hujus est ex sequentibus in n. 2307. Cæterùm *cessatio à divinis*, quam alii *suspensionem organorum* vocant, per allusionem ad Psalm. 139. *suspendimus organa nostra*, sic definitur à Navarro cap. 27. n. 188. Cessatio à divinis est *quædam desistentia à divinis officiis, & administratione Sacramentorum; sub præcepto obligans*. Est enim, inquit Suarez de Cens. D. 39. S. 1. *morale vinculum, seu præceptum*, quo obligantur Ministri Ecclesiæ ad cessandum à divinis; & illud imponitur, nocentibus in signum doloris, seu afflictionis Ecclesiæ, quam visinde resultet aliqua pœna in innocentes; nomen habet ab effectu, scilicet *cessandi à divinis*.

Divinorum nomine (ut docet Suarez 2305
cit. S. 2. n. 1. & 2.) veniunt divina officia, sub quibus comprehenduntur Missæ celebratio, horarum Canonicarum publica reci-

recitatio, omnes solemnes benedictiones, & cæremoniæ, quæ in Ecclesia fiunt, Sacramenta, & Ecclesiastica sepultura, quibus omnibus privat cessatio à divinis. Privatæ autem orationes etiam in templis, & privata recitatio horarum Canonicarum non prohibentur; quæ prohibitio directè cadit in Ecclesiasticos Ministros, & consequenter in Laicos, ne audiendo participent.

2307 Hæc cessatio est valde affinis interdicto locali; quia in utroque ferè similia prohibentur; differunt tamen primò, quia *non est censura*; imò non habet propriè rationem *pœnæ*; cùm non tendat directè ad aliquod crimen puniendum, sed solùm assumitur in signum gravissimi mœroris, quem Ecclesia concepit, ob enormem injuriam honori divino illatam, quam significationem exhibet per modum justæ defensionis, ut cogat lædentem ab injuria desistere: at interdictum locale, *censura est*, & fertur per modum *pœnæ*; Secundò quia cessatio nullas unquam personas secundùm se afficit, sed solum prohibet certo loco divina celebrari, unde per illam præcisè nullus prohibetur celebrare divina in aliis locis: at interdictum locale secundùm se afficit personas illas, nempe, quæ interdicto causam dederunt: tertiò quia per violationem cessationis nulla irregularitas incurritur; secus per violationem interdicti.

2308 *Interdictum* autem *ab ingressu Ecclesiæ*, juxta Pereyram cit. n. 1747. est *censura*, & peculiare genus interdicti, spectans ad personalia, ab aliis personalibus differens quòd partiale sit, & fortè addat aliquem effectum, quem non habent reliqua personalia. Unde homini sic interdicto, extra Ecclesiam existenti, licitum non est audire divina, quæ intra illam fiunt. Nam ideò ingressus Ecclesiæ illi interdicitur, ut divinorum, quæ in ea celebrantur, particeps non fiat. Quarè irregularis fiet Diaconus, si vel existens extra Ecclesiam cantet solemniter Evangelium ministrando Sacerdoti celebranti in Ecclesia: vel econtra in Ecclesia illud cantet ministrando celebranti extra Ecclesiam.

2309 Quamvis autem communior, favorabilior, & fortè in praxi secura sententia sit, hujusmodi privationem ingressus Ecclesiæ, solùm esse ad celebranda, audienda, vel recipienda Divina; non verò ad privatas orationes fundendas: tamen vera opinio docet privationem illam extendi etiam ad orationes privatas, sumitur ex c. *Latorem*, 33. q. 2. Ad alias actiones, quæ non sunt proprii muneris Ecclesiæ, ut ad audiendam concionem, faciendam electionem, & similes non extenditur prohibitio. Hæc ex Suarez D. 35. S. 4.

Ex dictorum occasione, not. præterea suspensionem, quæ fertur unicè *in pœnam*, seu vindictam criminis, esse quidem pœnam, non tamen venire sub nomine censuræ ex n. 2050. Talis est suspensio c. *Cùm in cunctis*, *§. fin.* de Elect. ubi scienter eligentes indignum, per triennium suspenduntur, & in c. 2. de Rebus Eccles. in 6. ubi similis pœna imponitur Prælatis, qui bona Ecclesiæ Laicis subjiciunt, de quibus V. Navarrus cit. à n. 154. & Ugolinus de Censur. tab. 4. c. 3. econtra suspensio in c. *Nullus* & in c. *Præter*, dist. 32. *ubi Sacerdos, notorius fornicator, ipso jure suspenditur, donec pœniteat*, est censura; quia hæc principaliter fertur *in pœnam* non utcunque, sed *medicinalem*, donec pœniteat; ut etiam habetur c. *Si quis Presbyter*, dist. 81. Hinc fit, violantem suspensionem, quæ est *mera pœna*, non fieri irregularem; secus, quæ est *censura*, per c. *Vestra*, & c. *fin.* de Cohabitat. Clericor. V. Suarez D. 31. S. 4. à n. 4. & alii. 2310

§. 9.

An degradatio fieri debeat vocato Judice seculari?

DE hoc agitur in c. *Novimus*, 27. h. t. ubi Pontifex, expositurus, quid significetur, cùm in antiquis Canonibus dicitur, *ut clericus per Ecclesiasticum Judicem degradatus, seculari tradatur Curiæ puniendus*, respondit sequentia 1. Clericum degradatum, *tanquam exutum privilegio Clericali*, per consequentiam seculari foro applicandum; cùm *ab Ecclesiastico foro fuerit projectus*; 2. ejus degradationem celebrandam esse, *præsente seculari potestate, ac prænuntiandum esse ei, cùm fuerit celebranda, ut in suum forum recipiat degradatum*; & sic intelligi, *Curiæ tradi seculari*. Tertiò, quod Ecclesiasticus Judex, prædicto modo degradatum tradens Curiæ seculari, debeat *efficaciter intercedere, ut citra mortis periculum circa eum sententia moderetur.* 2311

Circa præsentem materiam de Clericis sceleratis, quomodo cum illis agendum sit Judici Ecclesiastico, specialiter 2312

agitur c. *Cum non ab homine*, 10. de Judiciis; ibi enim præscribitur ordo in accremento pœnarum; quamvis, si incorrigibiles sint, aut enormium criminum convicti, non tantùm deponantur *verbaliter*, sed etiam *realiter*, & seculari Curiæ tradantur puniendi, ut ex textu hujus c. deducit Gonzalez ibidem n. 10. ubi notandum, olim ante decretalam in c. *Novimus* contentam, duplicem fuisse sententiam *de degradatione*. Prima erat, *degradatum*, ipso facto *per consequentiam tradi foro seculari, cum eoipso ejiciatur de foro Ecclesiæ*; secunda, opus fuisse *traditione verbali*, quæ sufficienter fiebat, si degradatio celebranda, Judibi seculari nuntiata, ut eum in jus suum recipiat, & eo præsente celebrata fuit: & hunc secundum modum observari Pontifex voluit in hoc c. *Novimus*.

2313 Panormitanus hìc n. 7. censet, repugnare huic decretali, si degradatus nec *verbaliter* traditur judicio seculari, nec Ecclesia pro ipso intercedat *seriò*. Primum enim expresè opponitur textui, ibi: *celebranda est, seculari potestate præsente; & pronunciandum, ut in suum forum recipiat eundem*; Secundum autem illis verbis: *Ecclesia debet efficaciter intercedere*; cui tamen satisfit, si dicat: *degradatum, tanquam ejectum de foro Ecclesiæ, relinquo foro ipsorum*; & cùm multæ sint pœnæ, quæ non sunt *mortis*, aliquâ pœnâ simili puniendum, v. g. perpetui carceris, *pane doloris, & aqua angustiæ* sustentandum, *ut commissa defleat, & flenda non ulterius committat*.

§. 10.

An absenti pro causa necessaria currat tempus?

2314 CAsus procedit de misso in possessionem custodiæ causâ. Negativa suadetur ex c. 1. de eo, qui mittitur in possessionem rei servandæ causâ; ubi dicitur: *Nisi intra annum pars adversa præstiterit cautionem, quòd juri stare velit, cedere possessione penitus cogatur, salvo tamen petitorio*. Hinc cùm non tantùm Archi-Episcopus Turonienſis (pro causa necessaria futurus absens) sed etiam pars adversa à Pontifice indulgentiam petiisset, ut ne in absentia juri possessionis recuperandæ officeret, utrique Pontifex annuit. Quia verò Archi-Episcopus post reditum ostendit, vel jam prius ante abitum, vel post reditum, effluxisse annum integrum, intra quem pars adversa dictam cautionem non obtulit, cùm Episcopus facilè conveniri potuisset, Pontifex Archi-Episcopo causam possessionis adjudicavit, ut habetur in c. *Dilecto*, 28. h. t.

Ex hoc textu colliges 1. quòd *absenti* 2315 *pro causa necessaria non currat tempus*, seu non computetur tempus, quod durante tali causâ, effluit; hinc, si cui res aliqua detur in possessionem custodiæ causâ ad unum annum, si à die cæptæ possessionis elabantur menses duodecim, sed omnes, dum ex causa necessaria absens esse cogebatur, dicti menses non computantur, ut dicatur possedisse *per annum*; cùm tempus, quo conveniri non poterat, eidem non computetur ad possessionem annuam.

Collig. 2. partem adversam, cujus res 2316 alteri data est in possessionem unius anni, custodiæ causâ, amittere, seu cadere in possessorio judicio, si possessor ostendat, quòd dictæ possessionis annus integer elapsus sit, intra quem non præstitit cautionem, quòd velit judicio sisti; idque propter suam negligentiam, cujus effectum sibi imputare debet, ut constat ex casu dicti c. *Dilecto*.

Collig. 3. ex hoc, quòd in cit. c. *Dile-* 2317 *cto* dicatur: declaramus, quòd nostræ intentionis non fuit, per ipsam indulgentiam (*ut lapsus temporis, propter absentiam ex causa necessaria non officeret*) *jus* perimere, quod tibi competebat, *ex possessione* præterita, Covarruviam in reg. *Possessor* p. 2. n. 3. & alios velle, quòd possessio sit *jus*; contrarium tamen, nempe, quòd possessio sit *facti*, & *non juris*, velle Petrum Gregor. in Syntagm. juris, l. 1. c. 13. n. 6. & alios: quosdam autem, quòd possessio *plus habeat facti, quàm juris*, juxta c. *Cùm nostris*, 6. de Concess. præbend. ubi Præpositus alicujus Ecclesiasticæ dignitatis, etiam postquam in Episcopum electus, & consecratus est, illam dignitatem *facto*, *non jure* retinuit, & possedit.

Præter hos nonnulli volunt in possessi- 2318 one aliquando quidem esse *plus facti, quam juris*, ut docet Cujacius ad L. *Denique*, 9. ff. Ex quibus causis Majores, col. 55. aliquando autem *non factum principalium operari in possessione, sed jus*, per L. *Possessio*, 49. ff. de acquirend. possession. ibi: *plurimum ex jure operatur*. Unde Gloss. in cit. c. *Cùm nostris*, V. *plus habet facti*, & Gloss. 1. in regul. *Sine possess.* de reg. jur. in 6. (quas communiter receptas testantur Covarr. cit. n. 3. & §. 1. n. 6. aliique) distinguunt tri-

plicem,

plicem, aut quadruplicem modum possessionis.

2319 Hinc docent. 1. aliam esse possessionem, *quæ plurimum habet facti, & parum juris*, & dicitur illa, quam quisque per se ipsum acquirit, & retinet; & sic possessionem accipi in cit. c. *Cùm nostris*, & L. *Denique*, de qua Cujacius supr. cit. aliam, *quæ plurimum habet juris, & parum, vel minimum facti*; & est illa, quæ per servum, vel filium famil. ex causa particulari acquiritur ignoranti; & sic possessionem accipi in L. 1. §. *item acquirimus*, in L. *quòd servus*, 14. ff. de acquirend. possess. acin L. *Possessio*, 49. ff. eod. quæ dicit, quòd possessio plurimum ex jure mutuetur: aliam, *quæ habet plurimum juris & facti*, quæ per Procuratorem, aliam personam, vel etiam per filium ex causa non particulari acquiritur, de qua dicitur L. 1. C. de acquirend. possess. ibi: *tam ratione utilitatis, quàm jurisprudentiæ*: aliam, *quæ habet plurimum juris, & nihil facti*; & contingit, cùm Legis ministerio transfertur absque facto ejus, cui possessio acquiritur, juxta L. *quod meo*, ff. de acquirend. possess. quibus prænotatis:

2320 Dicendum in cit. c. *Dilecto*, 28. h. t. rectè dici, non fuisse de mente Pontificis perimere *jus*, quod habuit Archi-Episcopus Turonensis contra Venetos ex præterita possessione; hæc enim *plus juris habebat, quàm facti*; cùm, non obstante beneficio temporis non computati, seu non currentis propter absentiam ex causa necessaria, jus possessionis, ministerio legis eidem firmatum sit, eò, quòd pars adversa intra spatium anni, ubi poterat, & debebat ad possessionem recuperandam, cautionem debitam non præstiterit. Ex quo colligitur, posse dari beneficium Principis, *ne tempus elapsum noceat*, illudque vocari solere *reparationem temporis*, ut habetur L. 11. C. de temp. appel. ibi: *à nostro Numine reparationem peti præcipimus*; id, quod contingit, cùm quis intra præfinitum tempus aliquid agere deberet, & justâ, gravique causâ impeditur, v.g. *propter absentiam* ex causa boni publici, &c.

§. 11.

Ex quibus oblationibus tertia pars debeatur Episcopo, vel Ecclesiæ Parochiali?

2321 HÆc quæstio, uti priores, nascitur ex controversia super significatione verbi *oblatio*; subortâ enim lite inter aliquos, quibus tertia pars oblationum obveniebat; & illos, qui dare tenebantur, quæsitum fuit. 1. *an sub nomine oblationum veniant ea, quæ ipsi Capellæ in festivitate omnium Sanctorum mittuntur, vel portantur ad illam, seu ad domum Sacerdotis ejusdem, intuitu defunctorum, nec non, quæ in cimelini* (lege cimelio) *ponuntur, quod de altari suscipit, quæ ante Crucem, vel in Missa Trinitatis, & ea, quæ pro desponsatis canitur, & lampades cum oleo, quæ prædictæ capellæ ab aliquibus offeruntur, vel quæ dantur nuntio, qui ad recipienda talia pro præfatæ capellæ Parochia destinatur.*

Secundò, an sub eodem nomine *oblationum* (de quibus tertia pars solvenda erat) 2322 veniant *primitiæ*, & *decimæ*, vel ea, *quæ offeruntur pro missis mortuorum Sacerdotibus, quæ pro septimis, & tricesimis, & anniversariis, panni, & alia, quæ infra hebdomadam offeruntur, & mortuorum judicia?* &c. Consultus igitur Pontifex, ut habetur in c. *Cùm inter vos* 29. h. t. (ut hujusmodi scandalorum materia, toties pullulantium, radicitus evellatur) rescripsit: *volumus & mandamus, ut per Clericum à vobis in eadem Ecclesia institutum, de omnibus prædictis, & de aliis oblationibus, quocunque titulo ad Ecclesiam ipsam pervenerint, sine diminutione aliqua, integrè tertia vobis portio persolvatur.* Ex quo textu clarè sequi videtur, *Ecclesiam, quæ habet onus ex oblationibus sibi factis, præstandi alteri tertiam earum partem, teneri ad eam præstandam de omnibus, quæ ipsi quocunque titulo offeruntur.*

Sed not. quòd extet alius textus in c. 2323 *Ex parte vestra*, 31. h. t. in quo habetur sequens casus: Cùm Patriarcha Constantinopolitanus obtentu cujusdam Constitutionis, à Legatis Apostolicis factæ, de quibusdam, quæ aliis Prælatis, earumque Ecclesiis legabantur à decedentibus, tertiam partem exigeret; Legati vero interpretarentur, se non intellexisse, quod de his, *quæ in ornamenta, vel ad fabricam Ecclesiæ reparatione indigentis, aut Ecclesiæ luminaria, nec non pro his, quæ in anniversario, septimo, tricesimo, ac vicesimo faciendis, vel de his, quæ personis specialiter (nisi fiat Ecclesiæ ratione) à quocunque legentur, aliqua deberet solvi portio Ecclesiæ* (Patriarchali) *seu Cathedrali*: Pontifex hanc interpretationem *ratam habuit, & observari præcepit.*

Ex hoc enim sequi videtur, nomen 2324 *oblationum*, quæ subjectæ sunt præstandæ

tertiæ

tertiæ parti, non sumi adeo *amplè*, ut in c. *Cùm inter*, de quo supr. n. 2322. Sed advertendum, quòd in c. *Cum inter* 29. sermo sit de tertia *oblationum*, in c. *Ex parte*, 31. h.t. de tertia *mortuariorum*. Hinc quod resolutum est in illo, intelligendum venit solùm de *oblationibus*, seu his, quæ DEO, vel Ecclesiæ, ejusve Ministris *voluntariè* exhibentur; istud autem *de mortuariis*.

2325 Not. autem 1. per *mortuaria*, seu *funeralia* intelligi omnia, quæ spectant ad funus, unde funeralium appellatione veniunt imprimis omnia, quæ cum funere deferuntur; Stephan. Gratian. discept. foren. c. 29. n. 17. Tambur. de Abbat. D. 15. q. 17. n. 3. Lavor. tit. 2. c. 17. n. 19. & 20. ubi subdit, quòd *funeralia* hodie dicantur candelæ, quæ accenduntur circa cadaver, macies omnis, quæ supra castrum doloris, & corpus construitur, pannus, sive laneus, sive sericus, etiam auro contextus, quo feretrum tegitur, & omnia, quæ computantur cum funere, & pro eo ab hæredibus in Ecclesia præparantur. Not. 2. cum Lavorio tit. 2. c. 3. n. 191. & Azor p. 2. l. 9. c. 14. q. 13. vers. *funeralia*, non solùm venire omnia, quæ cum funere deferuntur, sed etiam omnia, quæ Ecclesiæ obveniunt ratione funeris, sive antequam corpus sit in terra conditum, sive post, & usque ad trigesimum diem.

2326 Hinc exponi potest quarta mortuariorum, seu funeralis, quæ sic describitur à Molina tr. 2. D. 515. init. De jure communi (inquit) Episcopis de omnibus relictis per ultimam voluntatem, Monasteriis, Ecclesiis, piis locis ipsi subjectis, itemque de oblationibus omnibus funeralibus, debetur certa portio; quæ diversis temporibus fuit diversa, aliquando tertia pars, aliquando quarta, & aliquando dimidium, ut constat ex c. *de his*, c. *antiquas*, c. *decernimus*, 10. q. 1. Hinc effectum est, ut pro regionum varietate usus obtinuerit, ut in aliquibus haberent tertiam, in aliquibus quartam, in aliquibus dimidium, & in aliquibus plus, vel minus, ut patet ex c. *officii*, c. *requisivisti*, de testam. Sed standum in his est consuetudini cujusque regionis, ut habetur c. *certificari*, de sepult. In dubio, quanta debeatur pars? censendum est deberi quartam.

2327 His aliqui addunt portionem *luctuosam*, quæ ex luctu propter mortem defuncti suborta denominatur, & à Molina tr. 2. D. 147. explicatur, diciturque ab eodem D. 215. successisse quartæ funerali jam omnino abolitæ, daturque, quando beneficiarius moritur. Episcopus enim de mobilibus, aut de se moventibus bonis talis beneficiarii, exigit rem unam, quam vult, sive illa mancipium sit, sive mala, aut quævis alia pretiosa res mobilis, & hanc luctuosam vocant. Quibus positis, & si ex professo alibi super hoc agatur, quantum in præsens attinet.

Not. 3. ex vi c. *Cum inter*, 29. h. t. ei, cui debetur tertia pars *oblationum*, omninò deberi tertiam partem omnium eorum, de quibus textus ibidem loquitur à nobis relatus à n. 2322. quando habent rationem oblationis, hoc est donationis voluntariæ, secùs si dationis necessariæ, ut sunt funeris expensæ, ac stipendium ministrorum.

Not. 4. constitutionem de solvenda Episcopo, vel Ecclesiæ parochiali, tertia, vel quarta funeralium, non intelligi de relictis ad fabricam Ecclesiæ (ut constat ex c. *Ex parte*, 31. h. t. & sic decisum à Rota refert Barbosa ibid. n. 2. pro eadem citans Quarantam in Summa Bullarii, V. *Quarta Episcopalis*) nec etiam de relictis Ecclesiæ, ad ejus ornamenta, luminaria, vel quæ veniunt pro anniversario, septimæ ac tricesimæ faciendis, nec de his, *quæ specialiter* fiunt personis (puta Rectori Ecclesiæ) *nisi fiat intuitu Ecclesiæ*, sic cit. c. *Ex parte*, cujus hic tenor est: Ex parte vestra fuit propositum, quòd Patriarcha vester occasione constitutionis cujusdam, quàm Albinen. Episcopus tunc Legatus in partibus Romaniæ *super legatis edidit defunctorum*, & dil. fil. J. titulo sanctæ Praxedis Presbyter Car. dum ibidem legationis fungeretur officio, innovavit de quibusdam, quæ vobis & Ecclesiis vestris legantur à decedentibus, *tertiam à vobis exigit portionem*. Cùm igitur ipsi (sicut ex eorum interpretatione accepimus) non intellexerint, quod de his, *qui in ornamentis Ecclesiasticis, vel ad fabricam Ecclesiæ reparatione indigentis, aut Ecclesiæ luminaria, nec non de his, quæ pro anniversario, septimo, tricesimo, aut vicesimo faciendis; vel de his, quæ personis specialiter, nisi forsan id fiat Ecclesiæ ratione, à quacunque legantur, aliqua deberet solvi portio Ecclesiæ Cathedrali.* Nos interpretationem eorum ratam habentes, secundùm ipsam Constitutionem præfatam præcipimus observari: firmiter inhibentes, ne in prædi-

prædictis aliquid fraudulenter in præjudicium Cathedralis Ecclesiæ procuretur.

2330 Dices: id, quod habet rationem oblationis, seu voluntariæ donationis, est subjectum, præstandæ tertiæ: sed quod specialiter datur personis sine intuitu Ecclesiæ, habet rationem oblationis, seu gratuitæ donationis; ergo id, quod specialiter datur personis, sine intuitu Ecclesiæ, est subjectum præstandæ tertiæ. Minor ex se patet, major autem est ex definitione oblationis. R. majorem esse veram de donationibus factis Ecclesiæ, vel ejus intuitu Ministris ipsius; non autem secùs, ut patet ex textu; at sub his non venit denominatio specialiter facta personæ, absque intuitu Ecclesiæ; ergo.

2331 Si quæras, an nec tunc quidem debeatur quarta, vel tertia de relictis ad fabricam Ecclesiæ, quando de præsenti non indiget restauratione? Affirmativam tenet Hostiensis, Joann. Andr. & Ancharanus in c. *fin.* de Testam. etiam Covarruviâ, apud Barbos. in cit. c. 31. n. 2. existimante, esse hanc magis communem opinionem; sed verius est, legatum Ecclesiæ non indigenti factum, servandum esse in futuram Ecclesiæ refectionem, & restaurationem, nisi aliud exprimat forma, seu tenor Legati, qui in dubio inspiciendus est; sic Covarruv. in c. *Nobis*, 2. q. 2. prout eum citat Barbosa; quamvis in cit. causa 2. q. 2. nullum reperiatur tale Capitulum. Unde ratio nostræ responsionis sumitur ex c. 31. cit. quod à quarta præstanda clarè excipit relicta Ecclesiæ *ad fabricam*, sine limitatione ad necessitatem *præsentem*.

§. 12.

An appellatione beneficii comprehendantur omnia, etiam majora, præbendæ, ac dignitates?

2332 Hæc dubitatio suborta fuit Episcopo Tullensi, postquam ei summus Pontifex concessisset pro relevatione oneris debitorum, quibus premebatur, *ut fructus beneficiorum*, quæ interim in ejus diœcesi vacare contigerit, *liceat biennio retinere*. Et quoniam aliqui Apostolicæ gratiæ privilegium restringere moliebantur, asserentes, *præbendas*, & *majora beneficia* nequaquam *beneficiorum* nomine contineri, apostolicam declarationem experenti respondit Pontifex: Nos interpretum hujusmodi sententiam *reprobantes*, auctoritate præsentium declaramus, quòd præbendæ, ac alia beneficia *generali beneficiorum nomine* continentur, c. *Tua nobis*, 32. h. t.

Ex hoc sequitur, cùm Pontifex re- 2333
sponderit ad quæstionem, declarando significationem *beneficii*, in materia, seu concessione gratiosa, id procedere sumpto nomine *beneficii* latè; qualiter in omni Dispositione gratiosa verba sumenda sunt, ut alibi diximus. Sic Gloss. in c. *Sigratiosè*, de Rescript. V. *Beneficia*, & in c. 1. de rerum permutat. in 6. V. *Beneficia*; Abbas in c. *Postulasti*, n. 2. & Felin. ibid. n. 4. de Rescript. Hinc in dispositione favorabili, qualis est indultum, seu gratia conferendi beneficia, alicui concessa, nomine beneficii veniunt omnia tam majora, quàm minora, etiam Curata, & dignitates; sic enim nomen beneficii sumitur latè; & constat ex c. *Dudum*, 14. de præbend. in 6. juncta Gloss. V. *Beneficia*. Et quamvis dispensatio sit odiosa, & strictè intelligenda; potestas tamen dispensandi commissa alicui favorabilis est, & interpretanda latè; ita Sanchez de matr. l. 8. D. 2. n. 1. & juxta cit. Glossam in c. *Dudum*, Gonzalez ad 8. reg. Cancellar. Gloss. 6. n. 24. & ideo infert Garcia de benef. p. 1. c. 6. n. 41. Curata beneficia posse conferri vigore facultatis datæ ad conferendum. Concluditur demum etiam præbendas (intellige Ecclesiasticas, quæ scilicet dantur propter officium spirituale) non autem Laicales, quæ dantur etiam Laicis, propter ministerium aliquod temporale, ut est præbenda Theologalis, quæ datur Magistris, esto Laici sint (de qua in c. *penult.* de magistr.) venire nomine beneficii, ut expressè habetur in cit. c. *Tuo vobis* 32. h. t.

§. 13.

De reliquis ad hunc titulum spectantibus.

Quæstio 1. est, quid intelligatur per 2334
Novale in privilegiis de decimis novalium non solvendis? R. intelligi agrum nunc primùm præcisum, ut dicitur c. 1. h. t. vel, ut loquitur Innocentius in c. 21. eod. intelligi agrum (seu terram) de novo ad culturam redactum, quin extet memoria præcedentis alicujus culturæ, ex quo Ecclesia prius nullum, aut modicum fructum percepit; ita Doctores communiter.

Quæstio est 2. quid veniat nomine *Pa-* 2335
tris: R. ex c. *Nam & Rex*. 2. h. t. in lata acceptione venire avum, proavum, ac deinceps, atque adeo omnes ascendentes; in-

tellige ubi de favore agitur, non de odio, ut notat Barbosa in Appellativis, appell. 190. n. 20. *Parentela* verò idem est, quod agnatio, & consanguinitas, ac ejus nomine veniunt non solùm parentes utriusque sexûs usque ad tritavum (qui enim sunt supra, dicuntur *majores*; non parentes, nec de parentela) sed etiam agnati, cognati, & omnes collaterales, de quibus ex diversis Authoribus plura Barbos. cit. appellativo 184. à n. 1.

2336 Quæstio est 3. an rectè *unigenitus* dicatur, qui ex eisdem parentibus plures habuit fratres? Sic enim Salomon se compellat in parabolis, ut habetur in c. *Nam & ego*, 3. h. t. cùm tamen habuerit plures fratres, à Davide susceptos ex Bethsabee, ex quibus parentibus fuit & Salomon, de quo Gonzalez in cit. c. 3. n. 1. Varias hujus appellationis causas assignant Doctores. Gonzalez cit. censet, Salomonem dictum *unigenitum*, quia unicè dilectus erat à Matre sua, cùm textus in c. 4. proverb. non dicat eum *unigenitum Matris suæ*, sed, *unigenitum coram Matre sua*, id est, ut Septuaginta vertunt, *dilectum in facie Matris suæ*, hoc est, *unicum* per singularem amorem, curam, & solicitudinem, perinde acsi esset solus, & unigenitus.

2337 Alii autem volunt, etiam secundum natum, seu filium dici posse *unigenitum*, si prior natus statim decessit; sic enim dicitur, acsi non fuisset. Ex hoc enim cap. *Nam & Ego*, colligunt, natum non videri, qui confestim mortuus est. Tiraq. in L. *Si unquam*, V. *Susceperit*, n. 167. & de primogenit. q. 3. n. 12. & Sanchez l. 3. de matr. D. 18. n. 6. Paria enim sunt, *non fieri*, vel, *ita fieri, ut non habeat effectum.*

2338 Quæstio est 4. an particula *antequam* semper sit implicativa? hoc est, an dictio negans actum certo tempore v. g. *antequam convenirent*, ponat implicativè, seu denotet actum alio tempore v. g. subsequenti? R. negativè ex c. *Quod dicitur*, 4. h. t. ubi habetur, ex hoc, quòd apud Math. c. 1. dicitur: cùm esset desponsata Mater ejus Maria Joseph, *antequam convenirent*, inventa est in utero habens de spiritu sancto, non sequi, *quòd postea convenerint*, sed ostendi solùm, quod factum non sit.

2339 Et ideo ex eo, quòd lib. 4. de despons. impub. dicatur: puberi, qui cum impubere contraxit, non licere reclamare adversùm ea sponsalia, *ante alterius pubertatem*; malè nonnemo objecit, dicens, quòd ly ante alterius pubertatem, faciat sensum, *acsi liceret huic puberi reclamare post alterius pubertatem*, qui sensus est falsus; cùm hic pubes nec ante, nec post pubertatem alterius possit reclamare, ut clarè patet ex c. *de illis*, 7. §. *Mulier*, de despons. impub. malè, inquam, objecit, & ex illo antecedenti alterum sensum falsum intulit; cùm illationis nullitas apertè constet ex cit. c. 4. h. t. hinc rectè ait Emmanuel Gonzalez ad cit. c. 4. quòd, sicut *vim nullam* habet hæc consecutio: antequam convenirent, concepit Virgo ex Spiritu S. *ergo postea convenerunt*: sic nec ista: ergo etiam hæc consecutio vim non habet: *ante alterius pubertatem* ille pubes non potest resilire; *ergo post alterius pubertatem potest resilire.* Nam ly *ante*, non necessariò trahit post se consecutionem ejus, quod negatur ante factum; sed solùm ostendit, quòd non possit, aut non sit factum, ut colligitur ex cit. c. 4.

Hinc etiam not. cùm dicitur; *Mariam peperisse primogenitum*, ex more scripturæ idem esse, ac *unigenitum*; quin per hoc denotetur, eandem genuisse secundum; c. *Joseph* 15. h. t. Primogenitus enim dicitur, qui primò natus est, nimirum, qui non habuit priorem se, etiamsi eum nullus frater sequatur; sic Barbosa in cit. c. *Joseph*, h. t. à n. 2. & plures alii. 234

Quæstio est 5. quid veniat per nomen *forus?* respondet Isidorus, relatus in c. *Forus*, 10. h. t. quòd locus exortarum litium, qui constet causâ, lege, judicio. Materia, super qua lis exercetur, necdum discussionis examine patefacta, dum discutienda proponitur, *causa* dicitur; dum discutitur, *judicium*; dum finitur, *justitia*; quamvis, ut notant alii, *causa* propriè dicatur ipsum jus deductum in judicio: sic Maranta de ordine judiciorum, p. 5. Tit. & omnia stant durante instantia, n. 66. Cæterùm *judicium* propriè dicitur solùm de negotio, postquam inter partes litigantes coram Judice discutitur; & est actus trium personarum, Judicis, Actoris, & Rei: *causa* verò generalius sumitur, & dicitur non solùm, postquam negotium in judicio discutitur (qualiter accipitur c. *Cùm olim*, & c. *fin.* de causa possess. & propriet.) sed etiam antè; quia est materia, & origo ipsius judicii, seu dissensionis. 234

Quæstio est 6. an facultas concessa Episcopo, ut possit disponere de rebus Cleri-

rum

rum decedentium ab inteſtato, intelligatur etiam de rebus *Canonicorum?* Hanc quæſtionem Altiſſiodorenſis Epiſcopus propoſuit Clementi III. qui id reſcribens definivit: quòd appellatio *Clericorum*, non ſolùm alios Clericos, non Canonicos, ſed etiam Canonicos comprehendat, ut habetur in c. *Cùm tibi*, 18. h. t. ſic etiam Abbas ibid. n. 1. & 3. Felinus in c. *Non dubium*, de ſent. excom. quod tamen aliqui limitant, ne procedat *in materia ſtrictâ*, ſic Barboſ. appellat. 61. n. 3. Præter hoc not. quòd, cùm quis jurat fidelitatem, & obedientiam Epiſcopo, & Clero Eccleſiæ, per *Clerum* hic intelligatur non Clerus totius diœceſis; ſed ſolùm Capituli Eccleſiæ Cathedralis; ſic Clemens III. Capitulo, & Præpoſito Placentino, ut habetur in c. *Cùm Clerici*, 19. h. t.

2343 Quæſtio eſt 7. an illi, qui in voluntate, & diſpoſitione alterius ſuam committunt ultimam voluntatem, nihil per ſe penitus ordinantes, vel determinantes, quid, cui loco, vel perſonæ conferri debeat, dicantur decedere *inteſtati*? Caſus iſte habetur in c. *Cum tibi*, 13. de Teſtam. ubi de hac materia ex profeſſo agitur, & motus etiam eſt à dicto Altiſſiodorenſi Epiſcopo, ut habetur in c. *Cum tibi*, 18. de Verb. ſignific. quamvis reſponſio Papæ habeatur in cit. c. 13. Interim ſufficiat, Pontificem hìc non affirmare, teſtatoris voluntatem *alterius voluntati* committi poſſe utcunque; ſed *alterius diſpoſitioni*, ſeu ordinationi, quod fieri poteſt dupliciter 1. ſi committat alteri, ut ipſe diſponat nomine ſuo diſponentis 2. nomine committentis, ut ſi hic dicat: *volo ut filius meo nomine teſtetur*, vel, *quod diſpoſuerit filius, tanquam meum teſtamentum obſervari volo.* Hunc teſtandi modum, & ultimam voluntatem in alterius diſpoſitionem, ſeu arbitrium, hoc eſt, maturam deliberationem, committendi, hoc loco videtur approbâſſe Pontifex; & hunc modum valere, ne quis dicatur deceſſiſſe inteſtatus, diximus l. 3. tit. 26. Cujus ratio eſt, quia talis diſpoſitionis modus ſolùm alteri committit *declarationem* ſuæ voluntatis ultimæ; at talis modus valet, ut habetur L. *Si is*, 66. ff. de procuratoribus, L. *Quæ in hærede* 25. ff. de rebus dubiis.

2344 Quæſtio eſt 8. an cenſurato dari poſſit abſolutio non ſatisfactâ parte? De hoc agitur in c. *Ex parte*, 23. h. t. ubi cum diſtinctione reſpondetur: Si quis excommunicatus, vel interdictus eſt præcisè ob contumaciam, ut quia citatus juri ſtare noluit, poſſe abſolvi, ſi prius det cautionem ſufficientem, ſtandi juri: Si autem pro offenſa manifeſta, ut, quia maleficium emendare noluit, non debere abſolvi, niſi prius ſufficiens præſtetur emenda. Dixi, *manifeſta*, nam ſi dubia eſt offenſa, ſufficiet cautio de parendo Eccleſiæ mandato; Sic Alagona in Compend. juris Canon. pag. 791. & patet ex ipſo textu dicti c. *Ex parte.* Not. autem illam offenſam intelligi *manifeſtam*, quæ nota eſt, vel per confeſſionem, vel probationem legitimam, vel evidentiam facti, quin poſſit ulla tergiverſatione celari, ſic habetur in c. *Cùm olim* 24. h. t. Ex quo colligitur, *notorium* induci, & probari per verba judicii; ſic Maſcard. de Probat. concluſ. 1101. à n. 13. Farinac. in praxi crim. p. 1. q. 9. n. 20. & q. 21. n. 14.

Quæſtio eſt 9. quid importetur, quando aliquid conceditur per privilegium cum clauſula *juxta*, vel *ſecundum morem præteriti temporis*? R. ex c. *Abbati* 25. h. t. per eas dictiones *juxta*, vel *ſecundum*, non denotari diſpoſitionem *conditionalem*, quaſi dicerétur, *ſi talis mos eſt*, concedimus; ſed *cauſalem*, & determinativam, ut ſenſus ſit, quia talis mos eſt, ideo concedimus; ſic Joannes Andr. Panorm. Vivianus in Ration. l. 5. juris Pontif. pag. 338. 2345

Præter hæc not. cùm in cit. c. *Abbati* privilegium vocatur *lex privata*, aliud non intelligi, quàm, quòd ſit *jus ſingulare* contra jus commune indultum, ut notat Gloſſa in Rubricam de Reſcript. in 6. Azor inſtit. moral. tom. 1. l. 5. c. 22. & alii; & quando dicitur, privilegium, *debere aliquid ſpecialiter concedere*; nec privilegium eſſe, ſi concedat tantùm illud, quòd jure communi conceſſum eſt; advertendum eſſe, quòd privilegium duobus modis conſiderari poſſit, *tanquam aliquid contra jus commune.* Primo ut *ſecundum ſubſtantiam* ſit contra jus commune, puta, ſi concedit, quod jure communi eſt prohibitum, v. g. *ut jure communi inteſtabilis, valide condat teſtamentum; ne quis excommunicatum vitare teneatur, ne decimas ſolvere &c.* Deinde, ut *ſecundum modum* ſit contra jus commune, ut cùm actus, qui agitur, aut fit, jure communi eſt licitus, non tamen modus; prout contingit in privilegio militum, ut teſtari poſſint non ſervatis ſolen- 2346

nitatibus, &c. His addi potest tertius modus, quo privilegium aliquod est contra jus commune; nimirum *quoad aliquos particulares effectus* v. g. ad sedandos scrupulos, aut majorem securitatem; cùm subinde contingat, quòd impetrantes privilegium, propter opiniones oppositas, putent sibi non licere, quod jure communi licitum est. Sic Azor cit. c. 23. q. 3. Salas de legibus, D. 17. s. 1. n. 4. Porrò, ut concessio facta retineat privilegii nomen, sufficit, si effectum aliquem, præsertim ex prædictis duobus habeat.

2347 Quæstio est 10. an consuetudo immemorialis (cujus nimirum non extat memoria in contrarium) habeat *vim privilegii*, & quidem ex certa scientia concessi à Principe? Affirmativam tenent Decianus, Menochius, Rebuffus, & alii, apud Barbos. in c. *Propterea*, 26. h. t. à n. 4. volentes cum Felino in c. *Cum nobis*, de præscript. consuetam *præsumptionem*, quæ resultat ex tali consuetudine, *esse juris*, & *de jure*: Sed hæc intellige, suppositâ capacitate illam inducentis, vel præscribentis. Sic Abbas in c. *Novit*, de judiciis, n. 22. & in c. *Causam, quæ*, de præscript. Felinus in c. *Audientes*, de præscript. n. 6. & Covarr. l. 1. Variar. c. 17. n. 6. nam ea seclusâ fallit. Laico enim ex privilegio summi Pontificis acquiri potest jurisdictio spiritualis; non autem consuetudine etiam immemoriali, ut diximus lib. 1. decretal. Hinc quando dicitur, *consuetudinem*, cujus non extat memoria, habere *vim tituli*, ut vult Natta Consil. 154. n. 6. l. 2. eo quòd *titulus* præsumatur ex cursu temporis immemorialis per Menoch. de Præsumpt. l. 3. præsumpt. 131. n. 45. intelligi pariter debet, suppositâ capacitate simili, eam inducentis, vel præscribentis.

2348 Quæstio est 11. an, quando in dispositione dicitur, ut *res fiat, vel maneat in statu, quo fuit tempore litis motæ*; hoc tempus referendum sit ad tempus, quo lapillus in denuntiationem novi operis jactus fuit? an verò, qualis inter partes extitit, dum lis fuit contestata? de hac quæstione agitur in c. *Ex parte*, 30. h. t. &, cùm ea proposita fuisset Pontifici decidenda, respondit: *esse referendum ad tempus, quo litis contestatio* facta fuit; quamvis Gonzalez ibid. n. 2. notet, hìc esse casum specialem, licet in aliis casibus lis incipiat à citatione; sed de hoc egimus l. 2. tit. 1.

2349 Quæstio est 12. an, cùm alicui committitur potestas *moderandi numerum prebendarum*, propter allegatam insufficientiam facultatum Ecclesiæ, si reperiantur non modò sufficientes pro numero, qui est; sed etiam pro pluribus, delegatus (vi verbi *moderationis*) eundem numerum augmentare, vel minuere debeat? Ad hanc quæstionem respondit Gregorius IX. (ut habetur in c. *Transmissæ*, 33. h. t.) in hoc casu *moderationi non esse locum*, consequenter Canonicorum numerum esse relinquendum in statu veteri; quia, ut notatur in rubrica, verbum *moderationis* diminutionem continet, non augmentum: si quod tamen foret augmentum redituum ejusdem Ecclesiæ, convertendum esse in ejusdem utilitatem. Cœterùm de hoc V. Trid. sess. 24. de Reform. c. 15.

Præter hactenus dicta de Verborum 2350
significatione not. 1. per hæc verba in privilegiis à Pontifice datis posita, *recipimus Vos in proprios filios Romanæ Eccl. sie*, non significari *exemptionem* à jurisdictione Ordinariorum; Sic Innocentius IV. in c. *Veniens*, 1. h. t. in 6. significari tamen, *quòd non possint excommunicari, suspendi, vel interdici, nisi à Papa, vel ejus delegato.* Ubi Innocentius IV. ait: per illa verba: *in speciales, & proprios Ecclesiæ Romanæ filios vos recepimus:* dictos fratres exemptos non intelligi, & ipsos ex illo in proprios ejusdem Ecclesiæ filios fuisse receptos, *quòd ab alio, quàm à Romano Pontifice, vel Legato ab ejus latere destinato, interdici, vel excommunicari à quoquam non valeant, declaramus.* Ex hoc autem textu infert Felinus in c. Grave, de offic. Ordin. n. 3. & alii, exemptos subjectos esse jurisdictioni Legati de latere: id, quòd etiam docet Navarr. de datis, & promissis pro justitia, not. 4. n. 10. sed huic indefinitæ illationi contrarium diximus supr.

Not. 2. *familiares* alicujus, *proprie dici*, 2351
qui expensis ejus, tanquam continui commensales vivunt, etiamsi contingat aliquando aliquos ex illis abesse pro negotiis gerendis, c. *fin.* h. t. in 6. ubi Bonifacius VIII. exponit, quit significetur per verba *Clericorum suorum*; & ait: quia dubitas, qui Clericorum *tuorum* appellatione debeant contineri? brevi respondemus oraculo, quòd *illos in his, & similibus casibus tuos volumus intelligi Clericos, qui per te non quæsiti; propterea vel recepti sine fraude, & fictione qualibet verè tui Clerici familiares existunt, & in tuis expensis continuè domi-*

domestici commensales. Etiamsi quos ex illis aliquando per tuis gerendis negotiis abesse contingat.

2352 Cœterùm, cùm frequenter contingat dubitatio, quid in privilegio, quod habent aliqui Regulares, ut possint *familiaribus suis* in infirmitate ministrare extremam unctionem, S. Eucharistiam, ac etiam sepulturam, importetur per verbum *familiares?* Notandum 1. ex Pereyra in Elucidario n. 355. & seqq. quòd Baldus in c. *In literis*, de testib. ponat discrimen inter *domesticos*, *familiares*, & *attinentes*, exponens in hunc modum: *Domestici* dicuntur omnes, qui vivunt ad unum panem, & ad unum vinum, ut sic loquar (ait) grosso modo. Authent. de monachis, §. *cogitandum.* Subscribit Felin. in c. *Insinuante*, de offic. deleg. affirmans domesticum dici illum, qui pro majori parte *cohabitat*: addens domesticum in dubio præsumi de familia. *Familiares* dicuntur omnes, qui sunt sub alicujus imperio de jure, vel de facto, ff. de jurisd. om. jud. quæ jurisdictioni. *Attinentes* autem dicuntur, qui possunt accusare tanquam prosequentes suorum injuriam. L. 1. in fin. ff. de postul. & L. *si fœmina*, C. ad Turpil.

2353 Not. 2. familiarium appellatione verè contineri, qui expensis alterius vivunt, & morantur cum eo, indeque continui Commensales vocantur. c. *Sicut nobis*, de verb. signific. in 6. ita Card. Tusch. pract. concluſ. tom. 3. lit. F. concluſ. 72. n. 1. idem dicit n. 30. de consanguineo, filio, & conjuncto: addit n. 37. dici familiarem, qui actualiter nec in servitio domini est, nec vivis expensis illius, sed recessit reversurus, & n. 41. dicit, quòd sufficit commensalitas, *licet sit extra domum*, & quòd sufficit pars in pecunia, licet non in speciebus.

2354 Not. 3. familiarium appellatione ad fidei commissum, quod testator reliquit *suis familiaribus*, venire eos, quos testator circa se, & sui cultus gratiâ tenebat continuos commensales domi suæ. L. *alimenta*, §. libertis, ff. de alim. & cibar. legat. Ubi cum multis Fusar. tract. de substit. q. 376. Etiam in odiosis, cùm interdicitur Petrus cum familia, Henriq. in sum. lib. 13. c. 48. §. 5. ver. *nomine*, affirmat contineri omnes, qui sunt de domo illius, & sub potestate paterna, ac dominativa, puta servos, & famulos in eadem domo viventes, & eos, qui expensis domini vivunt, *etiam extra domum*, quales v. g. Oeconomi, & alii officiales: qui veniant familiarium nomine, ut fruantur privilegiis concessis Regularium familiaribus, exponit latè Suarez tom. 4. de relig. tract. de Societ. lib. 9. c. 6. n. 14.

Not. 4. *familiarium Papæ* appellatione 2355
venire Cardinales juxta Oldrad. cons. 48. quoad effectum reservationis, venire Referendarios, Prothonotarios, Auditores Rotæ, Cubicularios, Secretarios, Milites S. Petri, & reliquos officiales R. Pontifici in palatio deservientes, aut custodiam facientes, licet in eodem nec comederint, nec comedant; ita Gonzalez ad reg. 8. Cancel. gloss. 51. à n. 16.

Not. 5. *familiarium Episcopi* appellatione 2356
apud Majol. de irreg. l. 4. c. 2. n. 5. ad ordines accipiendos, venire illos, qui per triennium cum Episcopo fuerint commorati, & præsentes inservierint: non tamen illos, qui absunt, licet sumptibus Episcopi vixerint ad formam Trid. sess. 23. de reform. c. 9. V. Barb. de offic. & potest. Epis. p. 2. alleg. 5. n. 6. & n. 18. & Sanchez in opusc. de or. dub. 20. n. 22. quibus præmissis:

Deducitur, in ordine ad diversos ef- 2357
fectus, verbum *familiares*, diversa significatione accipi, ut constat ex his, quæ præcedentibus numeris attulimus; quia tamen, ubi dispositio favorabilis est, & privilegium, præsertim ob merita Religionibus concessum, cumprimis etiam intuitu Religionis, latam habet interpretationem, meritò latè sumitur verbum familiares, prout exponit Suarez citatus supr. n. 2354. quod valde probabiliter extenditur etiam ad eos, qui in domiciliis, & Seminariis sub cura, & directione talium Regularium in eadem domo degunt, eorundem disciplinæ, ac correctioni consignati, ex n. 2352.

Not. 6. cùm inter Professores regulæ 2358
S. Francisci, dubio suborto, *an teneantur ad observantiam eorum omnium, quæ in regula sub verbis imperativi modi ponuntur?* quibusdam eorum viris devotis, ac doctis, valde probabiliter affirmantibus; aliis probabiliter negantibus (ut dicitur in Clement. *Exivi*, 1. h. t.) consultum Clementem V. ut, quid in hac controversia tenendum, declararet, Clementem respondisse sequentia: *Nos itaque attendentes, quòd in iis, quæ animæ salutem respiciunt, ad vitandos graves remorsus conscientiæ, pars securior est tenenda*, ita dicimus: quòd licet Fratres

non ad omnium, quæ sub verbis imperativi modi ponuntur in regula, sic ut ad præceptorum, & præceptis æquipollentium observantiam *teneantur*; *expedit tamen* ipsis Fratribus, ad observandum puritatem regulæ, & rigorem, *quòd ad ea*, sicut ad æquipollentia præcepti *se noverint obligatos, quæ hìc inferius annotantur.*

2359 Ex hoc textu colliges. 1. Pontificem apertè distinxisse inter ea, quæ sunt *sub obligatione*; & ea, quæ licet non sint sub obligatione, *tamen expediunt* ad conscientiæ tranquillitatem; & *pro hac secunda parte confirmanda*, illud (quod alibi sæpius dicitur) assumpsisse, *quòd ad vitandos conscientiæ remorsus pars tutior est tenenda*, quod est meri consilii *super re magis expediente*, propter scrupulos.

2360 Colliges. 2. quòd, licet in quæstione, *an omnia sint sub obligatione conscientiæ*, quæ in regula ponuntur, *sub verbis imperativi modi*, opinio affirmantium esset æquè, vel etiam probabilior oppositâ; Pontifex nihilominus resolverit *pro negativa, non ad omnium*, quæ sub verbis imperativi modi ponuntur in regula, sicut ad præceptorum, vel præceptis æquipollentium, *observationem teneri Fratres.*

2361 Et quamvis plura fuissent proposita, de quibus apud dictos Regulares erat dubitatio, *an præcepta essent?* cum ponantur *sub verbis imperativi modi*: Pontifex tamen, non tantùm decidit pro negativa, *quoad obligationem omnium*, sed etiam *quoad securitatem, & regulæ puritatem* etiam in iis, quæ sub obligatione non sunt; ut patet ex illis verbis, ubi, postquam dixit *expedire*, ut, *licet non omnia essent præcepta, tamen aliqua* (ergò, *non omnia*) *expedire, ut servarentur, quæ scilicet inferius annotaverat.* Ubi liquet, axiomati (*pars securior est tenenda*) nec in iis quidem, *ex præcepto*, vel *præcepti necessitate* locum esse, quæ etiam *expedientia sunt*, licet probabiliter affirmaretur ab aliquibus, etiam ea esse *sub obligatione.*

2362 Not. 7. non tantùm in c. *Exiit*, 3. h. t. in 6. sed etiam cit. Clementina *Exivi*, 1. eod. plura particularia decerni, & declarari, quæ pertineant ad Religiosos S. Francisci Seraphici; quia tamen hæc sunt solùm pro illo Ordine; & ipse Pontifex ad finem cit. c. *Exiit*, prohibet diversas Doctorum opiniones ab Expositoribus induci; nos ulteriorem in ea commentationem prætermittere.

Not. 8. ex hoc, quòd Joannes XXII. 2363
senserit, *non posse nudum usum, rerum usu consumptibilium, separari à dominio*, & Nicolaus V. in Extravag. *Exiit*, 3. h. t. ac Clemens V. in Clement. *Exivit*, contrarium asseruerit, cum communi Theologorum, & Juristarum; per hoc tamen aliud non sequi, quam ipsos disconvenisse in re, non fidei, sed *merè Ethica, politica, & juridica.*

Not. 9. Hæreticos ineptè contrariæ- 2364
tem in rebus fidei inter summos Pontifices, Joannem, & Nicolaum, ex eo, quod Joannes XXII. neget, *Christum semper exercuisse rigidam paupertatem*, quæ excludit omnem proprietatem; & Nicolaus dicat: *Christum aliquando perfectissimam paupertatem, verbo, & exemplo docuisse; aliquando verò minus rigidam*, cùm ut Joannis 13. legitur, *legatur habuisse loculos.* Nam quoad hoc in nullo à Nicolao contradici Joanni, plus quàm manifestum est. Imò opinionem, quæ asserit: *Christum, & ejus discipulos nihil habuisse in particulari, & in communi*, esse erroneam, & hæreticam, tradit Barbosa in Extravag. *Cùm inter*, 4. Joannis XXII. n. 1.

Not. 10. ad quæstionem, *quid intelli-* 2365
gatur, quando in jure canonico præcipitur Judicibus, ut causam sibi commissam tractent *simpliciter, de plano, & sine strepitu, ac formâ judicii*; Clementem V. in Clement. *Sæpe*, 2. h. t. respondisse: intelligi sequentia 1. quòd non necessariò exigat libellum, neque etiam litis contestationem, in tempore etiam feriarum, ob necessitates hominum indulturam procedat; dilationum materiam amputet; partium, advocatorum, procuratorum, testium contentiones, testiumque multitudinem refrænet; probationes tamen necessarias, & legitimas defensiones admittat; citationem verò & juramentum, calumniæ nomine, Pontifex non excludat. Secundò, quòd, si quid petere voluerit, in ipso litis initio petitio facienda sit (ut constet, super quibus positiones, & articuli formari debeant) & actis inserenda sit. Sed de his ex professo l. 2. tit. 1. de Judiciis.

QUÆ-

QUÆSTIO XLI.

IN TITUL. XLI. ET ULTIMUM, DE REGULIS JURIS.

2366 HIc titulus non tantùm habetur in hoc libro 5. decretalium, sed etiam eodem libro in 6. ubi plures, & magis usitatæ juris regulæ traduntur; ex quibus, eas in præsens duntaxat hìc proponemus, quæ usu frequentiores sunt. Not. autem, tametsi eæ sint in plurium authorum frequenti usu, quibus ad probationem sufficit, quandoque etiam in rebus magni momenti attulisse aliquam juris regulam; persæpe tamen ejusmodi probationes facilius elidi, quàm sustineri, propter innumeras fallentias, quibus subjacent, ut aliunde notum est.

ARTICULUS I.

De Regulis Juris in Communi.

2367 REgulæ Juris, sunt *sententiæ*, seu *propositiones quædam generales, continentes multarum causarum decisiones, & principia, ex quibus quæstiones, in jure non decisæ, seu dubiæ, resolvi possunt.* Unde qui talem regulam habet pro se, cæteris paribus jus certum habere dicitur, ut notat Andr. Gail, in novo opere Consil. 1. n. 13. ex L. *ab ea parte*, ff. de probat. & Bartol. in L *qualis*, ff. si quis cautionibus; ubi dicitur, *ejus conditionem potiorem esse, qui regulam habet pro se.*

2368 Verùm circa hos effectus not. 1. Regulas juris, per quandam antonomasiam, inter humanas leges sortiri nomen *Regularum*, quatenus, imitatione cujusvis regulæ, ad rectum subditorum regimen, & morum directionem, pertinent; nec omnes juris regulas hoc titulo comprehendi; sed eas tantùm, quæ præcipuæ sunt, & ad usum magis idoneæ; & ad compendiosam aliquam utriusque juris notitiam deserviunt. Cæterum non est dubium, multò plures esse, quæ hoc loco comprehensæ non sunt.

2369 Not. 2. præcipuam regularum juris differentiam, in eo sitam esse, quòd ipsæ non faciant jus, sed desumantur, & colligantur ex jure jam prius constituto; quamvis ubi locum habet similitudo, vel identitas rationis in casu non expresso per jus ante constitutum, jus facere dicantur, per Dynum ad Rubric. hujus tit. ex L. *Posthumus*, ff. de injusto rapto; & L. *à Filio*, ff. de V. O. Cùm autem regula in aliquo vitiatur (hoc est, cùm in casu particulari fallit) eo casu perdit officium suum in regendo, sive dirigendo, si, prout jacet, indefinitè, ac generaliter usurpetur; & consequenter, nisi restringatur ad terminos fallentiam non admittentes, ut constabit ex sequentibus, ei locus non est, id, quod maximè contingit, si contrarium aliquo jure constitutum sit. Nam regularum usus potissimus pro casibus, aliunde non decisis, est.

Not. 3. valde periculosum esse, inniti 2370
universalissimis regulis juris, ut rectè docet P. Joannes de Cardenas in Crisi Theol. tr. 4. de offic. Canon. D. 35. c. 8. n. 83. quia subjacent plurimis limitationibus. Hinc si quis eas, *in illa universalitate* accipere contenderet, pergeret utique, sed non sine periculo errandi, & in periculosas alias consequentias abeundi, id, quod Cardenas non paucis casibus demonstrat. Hoc periculum potiori juri reperitur in eis regulis *juris civilis*, quæ fictionem juris important; cùm fictio juris non sit ad omnes omnino effectus; sed solùm ad aliquos præcipuos, quos ipsæ leges plerumque determinant, ut aliàs pluribus locis à nobis ostensum est.

Cæterùm pro dictorum confirmatione, 2371
sint sequentia: In L. *Si certum petatur*, & alibi dicitur, *ea, quæ in continenti fiunt, inesse videri*, ex quo aliqui inferunt; ergo officium divinum, cœptum ante mediam noctem, & post illam in continenti finitum, finitum dicitur *totum*, ante mediam noctem; quia licet finias etiam unâ, vel duabus, aut pluribus horis post mediam noctem, adhuc fieri dicitur *in continenti*. Nam *in continenti* fieri dicitur, secundùm aliquos,

aliquos, quod fit, *quando commodè fieri potest*, ut habetur in §. *Recuperandæ.* Instit. de Interdict. imò apud Tuschum lit. I. concluſ. 80. dicunt aliqui, *intra triduum factum*, dici *factum in continenti*; & factum *intra ſex menſes*, factum eſſe *in continenti*, docet Bartolus in L. 3. §. *Eum*, ff. de vi, & vi armat: tales autem ſequelæ valde abſurdæ ſunt. Sic enim matrimonio legitimè celebrato manè, alter à meridie, vel die poſtero reſilire poſſet; quia cùm id fiat *in continenti*, totum ineſſe videtur ipſi contractui; at quis hoc concedet?

2372 Similiter notiſſimum eſt illud brocardicum, *habetur cinctus, qui ſtatim eſt cingendus*, ut colligitur ex L. *Ex eo*, ff. de teſtamento milit. junctâ gloſsâ V. *Confeſtim.* Unde hoc, velut axioma vulgatum inter Jurisperitos habetur: *Id, quod de proximo eſt faciendum, pro facto habetur*; licet, ut rectè notat Cardenas cit. n. 89. parum probet. Cùm, ut notat Card. Tuſchus lit. A. concluſ. 63. n. 21. ſit materia brocardica, quæ non ſemper eſt vera, ut ſunt innumera hinc inde exempla. Aliàs poſt horam celebraturus matrimonium, vel editurus profeſſionem, jam gauderet juribus matrimonii, vel profeſſionis; ſubjaceretque omnibus jam oneribus, quæ ſecum trahunt illa. Ex hoc ſequitur, nullam eſſe ferè regulam, quæ ſtrictè ſit univerſalis, aut æquipolleat univerſali. Nam, cùm frequenter contingat in caſibus, qui videntur cadere ſub unam regulam, in uno reperiri aliquam circumſtantiam, propter quam jura talem regulam limitarunt, non repertam in altero; jam eo ipſo non procedet indefinitè; ſed locum habebit in uno, non in altero, ut conſtabit ex ſequentibus.

ARTICULUS II.

De Regulis juris, extra librum Sextum.

2373 SUpponendum, non omnes regulas, quæ in hoc titulo, extra Sextum decretalium, referuntur, eſſe profectas immediatè à ſummis Pontificibus, aut iis, qui habent jus ſtatuendi leges pro univerſali Eccleſia; cùm multæ ſint deſumptæ ex SS. Patribus, aut etiam jure civili; unde de illarum authoritate judicandum erit ſecundùm ea, quæ diximus in materia de legibus l. 1. tit. 2. de Conſtitut. his præmiſſis:

§. 1.

Ad c. Omnis Reſp. 1.

2374 PRima regula ſub hoc titulo eſt: *quòd omnis res, per quascunque cauſas naſcitur, per easdem diſſolvatur.* Tribuitur D. Chryſoſtomo, ut patet ex inſcript. hujus c. & reperitur expreſsè in jure civili. L. *Nihil tam naturale*, 35. ff. de Regul. jur. L. *Prout*, ff. de ſolut. Ejus veritas pluribus probari poteſt. Nam jura civilia civili commento ſolvuntur, §. *Minus*, Inſtit. de hæredit. quæ ab inteſtat. Pactum pacto ſolvitur, L. 27. §. *pactus*, ff. de pactis; lex lege tollitur, §. *penult.* Inſtit. de jure natur. Sponſalia mutuo conſenſu nata, mutuo etiam conſenſu ſolvuntur, ut diximus l. 4. Et ideo cenſet Barboſ. in cit. c. *Omnis res*, n. 1. eandem ſolennitatem requiri in revocatione actûs, quæ in confectione ipſius. Unde ſicut Clericus, cùm ordinatur, calicem, & cœtera ornamenta eccleſiaſtica accipit; ita & eadem illi auferuntur, cùm degradatur; c. *Epiſcopus* 11. q. 3. &c. 2. de pœnis in 6.

Verùm, ut hæc regula procedat, intelligi debet *de obligationibus temporalibus, & his, quibus*, cùm contrahuntur, *non accedit aliud vinculum fortius, vel naturâ ſua, vel inſtitutione, aut juris diſpoſitione.* Nam aliàs matrimonium, & profeſſio religioſa, ſicut mutuo conſenſu fiunt, ſic ſolvi poſſent mutuo conſenſu conjugum, vel profitentis, & Religionis recipientis. Sic leges ab inferioribus *liberè* conditæ, accedente confirmatione Superioris, abrogari ab inferioribus non poſſunt *liberè*, &c. 2373

§. 2.

Ad c. Eſtote, 2.

ALtera regula eſt: quòd *dubia in meliorem partem interpretanda ſint*, ut habetur cit. c. *Eſtote*, quòd tribuitur Bedæ in homiliis. Senſus eſt, ut rectè exponit Gonzalez ad dictum c. *Eſtote*: quòd *facta, circa quæ dubium eſt, quo animo fiant, in meliorem partem interpretanda ſint*; intellige, ſaltem *negativè*, nimirum, *non in malum*; cùm animus operantis nobis incognitus ſit; & judicare de internis, reſervetur ſoli Deo. 2375

Dices: per ſacras literas conſtare, quòd *ex fructibus cognoſcatur arbor*; ergo etiam hominis animus ex operibus. Re. in ipſo textu cit. c. ſolutionem dari; cùm ibidem dicatur: illud: *ex fructibus eorum cognoſcetis eos, de manifeſtis dictum eſſe, qua non poſſunt bono animo fieri, ut ſtuprum, blaſphemia*, & ſimilia, *de quibus nobis permittitur judicare.* Sic textus. 2376

Sed *hoc poſtremum*, dupliciter intelligi poteſt 2377

potest. 1. quòd nobis permittatur judicare de manifestis, *secundùm quod manifesta sunt*; non, secundùm quod *non manifesta sunt*; 2. etiam secundùm ista; primum verum est; non autem secundùm; quia licet actus externus manifestus sit, & per eum manifestetur voluntarium, *externè faciendi actum talem externum*; latere tamen potest, *an quis eum faciat sciens, aut saltem sufficienter sciens, malitiam operis.*

2379 Nec obstat, quòd interpretando in meliorem partem aliena facta, sæpius erretur. Nam si hæc interpreteris *bene*, solùm negativè, hoc est, *non malè*, aut suspendas judicium, non erras. Deinde, si judices, *accipiendo in bonam partem etiam positivè*, non facis ei *injuriam*; secus, accipiendo *positivè in malum*; cùm valde frequenter contingat nos falli, *taliter judicando.*

2380 Porrò dictam regulam: *tutiorem partem in dubio esse eligendam*, consequenter, *potius bene, quàm malè sentiendum de proximo*, esse intelligendam *ex consilio*, non præcepto, quando sunt duæ opiniones probabiles, & altera minus tuta, docet Barbosa in cit. c. *Estote*, n. 2. in fine; & apud illum D. Antonin. p. 1. tit. 3. c. 10. §. 20. concluf. 7. Angel. V. *opinio*, n. 2. Sylvester eodem q. 1. Navarr. in c. *Consideret*, dist. 5. n. 38. Henriq. in Summa l. 4. c. 3. §. 4. Gutierez Canon. l. 1. c. 31. n. 41. Sanchez l. 2. matr. D. 41. n. 9. Sed de hoc alibi. V. n. 2359.

§. 3.

Ad c. Qui Scandalizaverit, 3.

2381 Tertia regula in dict. c. ita sonat: *utilius scandalum nasci permittitur, quàm veritas relinquatur.* Desumpta est ex Beda in c. 9. D. Marci, & D. Gregorio l. 1. in Ezechiel. hom. 7. Nam, etsi aliàs dicatur, ad cavendum scandalum, *dimittendum esse omne, quod prætermitti potest*: additur tamen: *salvâ triplici veritate, vitæ, justitiæ, & doctrinæ*, seu *disciplinæ*, ut legit D. Thomas, 2. 2. q. 43. a. 7. ad 4. Per veritatem *vitæ* intelligitur, quod ad quemlibet pertinet; per veritatem *justitiæ*, quæ ad Judicem: per veritatem *disciplinæ*, quæ ad Prælatum, seu Superiorem. Sensus ergo illius regulæ est, *nec à privato, nec à Judice, nec à Superiore relinquendam esse veritatem, cum culpa etiam veniali, ut scandalum passivum evitetur*; quamvis, quod citra culpam fieri potest, quandoque melius omittatur, quàm ut scandalum permittatur. Hinc aliud est, prætermittere actum, etiam bonum, qui sine culpa prætermitti potest; aliud, qui omitti non potest sine peccato; de primo igitur intelligenda venit regula; non de secundo.

§. 4.

Ad c. Quod non est. 4.

2382 HOc capitulum continet quartam regulam, quæ dicit: *quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum.* Hanc regulam intelligunt Authores communiter *de lege positiva*; quod cumprimis verum est *de lege humana*; & exemplum allatum in regula de Machabæis; qui, non obstante, quod illis à DEO præceptum esset custodire Sabbathum, sine culpa pugnabant contra hostes suos, probat, id etiam procedere *de lege divina positiva*, non tamen *naturali.* Nam quod jure naturæ illicitum est, nullâ necessitate, etiam totius mundi salute, honestari potest.

2383 Ex hoc multi censent, ubi est vera, & gravis necessitas opus aliquod faciendi, vel omittendi, quod aliàs sub jure positivo, & seclusâ tali necessitate, citra culpam omitti non potest, v. g. sacrum, aut jejunium, quando id præstari non potest, nisi gravi corporis detrimento, eò quòd lex, quæ liberè conditur, non extendat sese ad ejusmodi actum sub circumstantia talis necessitatis. V. quæ diximus l. 1. tit. 2. de Constit. Cæterùm ea regula sic indefinitè sumpta, in pluribus fallit. Unde non procedit in materia jurisdictionis sic, ut Judici v. g. necessitas jurisdictionem proroget, etiam in non subjectos, ut diximus loc. cit. de Constitut. minus autem, ut quodvis liceat, etiam urgente necessitate quantumcunque gravi, etiam cum mortis periculo, ut constat ex communi Moralistarum doctrina.

§. 5.

Ad c. Quod latenter 5.

2384 HÆc regula, quæ est quinta, sic sonat: *quod latenter, aut per vim, aut aliàs illicitè introductum est, nullâ debet stabilitate subsistere.* Tribuitur Gregorio VII. l. 2. Epist. 84. c. 93. Nam qui *occultè* actum facit, generalem contra se præsumptionem habet ex authoritate Christi Domini Joann. 3. ibi: *qui malè agit, odit lucem.* Hac regula usus est Gregorius con-

tra Joannem Episcopum Ravennatem, quem reprehendit, quòd pallio usus sit in iis locis, & diebus, quibus jure permissum non est; & cùm Episcopus opponeret consuetudinem, eam reprobavit, utpote *latenter* inductam V. c. *Consuluit* 24. de offic. delegati, ibi: *cavendum quoque ne judicium Ecclesiasticum ad noctem differatur*; ne scilicet *latenter* fiat.

2385 De his autem, quæ vi, vel metu fiunt, qualiter aut irrita sint, aut irritanda, constat ex l. 1. tit. 4. *Fieri* autem *latenter*, atque *clam*, idem est. Unde non verificatur, *clam esse factum*, quod actum est coram multis; dicitur autem *clam fieri*, quod publicè fieri potest, & occultò conficitur; vel, quoties ita fit, ut ad eos, quorum interest, notitia pervenire non possit; Sic Felinus in cit. c. *Consuluit*, n. 20. cum Barbos. de Dictionibus usu frequent. dict. 59. Cœterùm, multa firmitatem obtinent, quæ latenter facta sunt. Olim enim matrimonia simpliciter clandestina, & latenter facta, firma erant. Sponsalia de futuro clandestina, etiam defacto tenent. Sensus igitur videtur esse, quòd, quæ latenter fiunt, & consequenter præsumptionem ex hoc fundant, non esse factum jure in foro externo, nisi elidatur juris præsumptio debitâ probatione, contra factum procedatur, negando firmitatem, ac ejus effectus, qui alias ei tribui solent.

§. 6.

Ad c. Cùm in contemplatione. 6.

2386 SExta regula est, quòd *in ipso causæ initio non sit à quæstionibus inchoandum*, Sic Gregorius VII. in dicto c. 6. vel ut loquitur Rubrica, quòd *tormenta, non præcedentibus indiciis, non sint inferenda.* Hinc Joannes Andr. in cit. c. ait; quòd nec in publicis criminibus Judex incipere debeat à tormentis, etiamsi per indicia sit procedendum; sed de hac materia V. quæ diximus à n. 139. & seqq. præsertim à n. 145. Quare judicium statim incipere ab executione; vel ab indiciis incertis (v. g. ex scriptura, priusquam constet, esse manum hujus determinati hominis) statim procedere ad incarcerationem, iniquum est, & contra naturale jus de non infamando altero, qui adusque retinuit statum illæsæ dignitatis suæ.

§. 7.

In c. Quæ multoties. 7.

UBi dicitur: *quidquid in sacratis DEO rebus, & Episcopis injustè agitur, pro sacrilegio reputari; quia sacra sunt, & à quamquam violari non debent.* Ita Stephanus t. relatus in dict. c. 7. Ex quo colligitur, *Sacrilegium* (seu irreverentiam, Religioni oppositam) committi, vel *in rebus*, vel *in personis DEO dicatis*; nam sive sit homo, sive ager DEO sacratus, si injustè invadatur, sacrilegium est, per c. *Nulli liceat*, 12. q. 2. ibi: *Nulli liceat ignorare, omne, quod Domino consecratur, sive fuerit homo, sive animal, sive ager, vel quidquid semel fuerit consecratum, Sanctum Sanctorum Domino erit; & ad jus pertinebit sacerdotum. Propter quod inexcusabilis erit omnis, qui à Domino, & Ecclesia, cui competunt, auferit, vastat, invadit vel eripit, & usque ad emendationem, Ecclesiaque satisfactionem, ut sacrilegus judicetur: & si emendare noluerit, excommunicetur.* Et invasor sacrilegus declarari debet, c. *Prædita* 5. ead. causa, & quæst. ibi: *prædia divinis usibus* tradita, *quidam humanis applicant usibus, & Domino, cui tradita sunt, ea subtrahunt, ut sibi inserviant.* Quapropter ab omnibus illius usurpationis contumelia depellenda est: ne prædia usibus secretorum cœlestium dicata, à quibusdam irruentibus vexentur. Quod *si quisquam præsumpserit, ut sacrilegus habeatur*, per c. *Conquestus*, 16. de foro compet. ubi Gregorius IX. Cùm autem valde sit iniquum, ait, ea quæ collata sunt, pro remedio peccatorum venerabilibus Ecclesiis vel relicta, aut eis justis modis aliis acquisita, aliis usibus applicari, propter quod meritò invasores ipsarum rerum, tanquam sacrilegi sunt anathemati usque ad satisfactionem congruam supponendi: *Mandamus, quatenus si tibi constiterit de præmissis, monitione præmissâ, per censuram Ecclesiasticam cessare ipsos ab hujusmodi*, & satisfacere de præteritis damnis & injuriis, appellatione remotâ, *compellas.* Præterquam, quòd talis *jus publicum offendat*, quod consistit *in Sacris*, & *Sacerdotibus*, c. *Jus publicum*, dist. 1. sic Gloss. in cit. c. 7. V. *Episcopis*, de Sacrilegio autem ex professo agit D. Thom. 22. q. 99. a. 3.

§. 8. Ad

§. 8.

Ad c. Qui ex timore. 8.

2388 RUbrica hujus c. dicit: *qui facit aliter, quàm debet facere, facere non dicitur*; vel, ut habet textus: *qui ex timore facit præceptum, aliter, quàm debet, facit; & ideo jam non facit.* Citatur pro hac regula D. Augustinus. Ubi not. sermonem esse de *timore servili*, qui solo metu pœnæ præceptum implet, aliàs non facturus. Sic Gloss. ibid. V. qui ex timore. Hinc quando dicitur, quòd talis perinde se habeat, ac is, *qui non facit*, intelligendum venit quoad meritum, & præmium per c. *Jam verò §. Ex his*, 23. q. 6. Nam *timor non est in charitate*, ut dicitur c. *Jam verò*, cad. §. 23. q. 6. intellige *servilis*. Et ideo talis obedientia, vel minima, vel nulla est per c. *Sciendum* 8. q. 1. quod maximè procedit, si executionem operis ex metu pœnæ comitetur *affectus ad oppositum ei, quod præceptum est.*

2389 Not. præterea, in hac expositione etiam accipiendum esse illud vulgatum: *non dicitur factum, quod legitimè non fit*, ut habetur c. *Pudenda*, 23. q. 1. c. *faciat homo*, 22. q. 2. c. *Quod autem*, de jure Patronat. & c. *Ad nostram*, de Regularib. *nisi factum ex timore, excludat aliquid, quod pertinet ad substantiam operis.* Tum enim non tantùm perdit meritum; sed etiam valorem actûs; ut, *si petat actum*, sponte factum. Ex hoc per oppositum infert Glossa in dict. c. 8. V. *Jam non facit*, qui invitus facit, non esse ei imputandum, arg. L. *Qui cùm major*, §. *Si libertus*, ff. de bon. lib. adeoque Clerico, qui invitus fert testimonium contra Ecclesiam suam, non imputari debere; id quòd verum est, si loquatur de invito per coactionem absolutam; vel etiam conditionalem, ubi oppositum est debitum *jure humano*, & metus est gravis, ac injustè incussus; secus est in his, quæ sunt juris naturalis, & divini. V. c. *Sacris*, de iis, quæ vi metusvè.

§. 9.

Ad c. Desleat peccator. 9.

2390 HOc c. dicitur ex D. Augustino, *quòd offendens in uno, factus sit omnium* Reus; id quod etiam habetur in epist. Canon. D. Jacobi, c. 2. sed videtur difficile; cùm transgressor unius præcepti, non eo ipso sit transgressor omnium; imo cum violatione unius stare possit observantia plurium. Diversæ sunt expositiones hujus textûs. S. Augustinus epist. 29. ait: etiam uno peccato commisso (nimirum *gravi*) fieri quem *omnium reum*; quia agit contra charitatem, à qua *tota lex*, consequenter *omnia pendent.* Quia sine charitate nihil prodest. D. Chrysostomus hom. 32. ait: hoc sensu peccatorem *fieri omnium Reum*, quia perdit *Dei amicitiam, gratiam, & vitam spiritualem animæ; & reum fieri reatûs gehennæ.* Cornelius à Lapide in cit. epistolam S. Jacobi censet, Apostolum id dixisse occasione hæresis Pharisæorum, qui dixerunt, *transgredi unum, aut alterum legis præceptum, non esse peccatum grave, quo Deus offenderetur; nisi vel omnia, vel major illorum pars violaretur*; cujus contrarium D. Jacobus firmare voluit doctrinâ suâ; *cùm in uno æquè, ac in omnibus, eadem sit authoritas Summi Legislatoris, Dei.* Gonzalez demum in cit. c. 9. n. 2. censet, textum hìc exponi posse de reatu pœnæ damni, quæ respondet *aversioni à Deo* tanquam fine ultimo, in quo conveniunt omnia peccata; vel de læsione charitatis, quæ est plenitudo legis. Videtur etiam dici posse, intelligendum esse textum de violatione legis, quæ, ut satisfiat ei, petit actum ex fine virtutis, quæ diligi non potest, nisi quantùm actus procedit ex fine, seu motivo universali, universaliter, qualiter petit fides, & charitas Theologica, de quo ex professo egimus in tract. Theol. de fide, spe, & charitate.

§. 10.

In c. Quamvis causa. 10.

COntinet regulam juris decimam, de-2391 sumptam ex D. Gregorio, ubi dicitur: *quod non possit esse Pastoris excusatio, si lupus oves comedit, & Pastor nescit.* Nam Pastores, seu Prælati, & Superiores tenentur rationem reddere de ovibus, seu subditis suis; adeoque *vigilare*, ac *custodire*, ne per ipsorum culpam, vel negligentiam quemquam deperdant. Et ideo D. Gregorius, l. 2. Regist. epist. 52. c. 91. *videant Pastores*, inquit, *quid excusationis sint habituri, cur tot oves sub illis pereant*, perstituræ utique, si boni Pastoris cura, & non dominatio, impensa illis esset. Ex hac regula communiter deducunt Doctores, *quòd non excuset ignorantia de alieno facto, quando quis tenetur diligenter indagare, custodire, ac præcavere*; quod fit, non tantùm removendo pericula *ex parte subditorum*; sed etiam,

etiam, quod frequenter evenit, *ex parte Pastorum*, de quibus meritò D. Gregorius hom. 17. in Evang. ait: *Multi, cùm regiminis curam suscipiunt, ad lacerandos subditos inardescunt, terrorem potestatis exhibent, & quibus prodesse debuerant, nocent*; de quo plura perquam opportunè tradit P. Carolus Scribanus l. 1. de animarum morbis, & curationibus.

§. 11.

Ad c. Indignum. 11.

2392 POstrema regula in lib. 5. extra 6. (quam tradidit Lucius III.) habet, *indignum, & à Romanæ Ecclesiæ consuetudine alienum esse, quòd quis pro spiritualibus facere homagium compellatur.* Pro cujus expositione not. differentiam esse inter *juramentum*, & *homagium*. Nam, ut notat Sanchez l. 3. Decal. c. 2. n. 33. *homagium* importat simplicem promissionem; inter Nobiles factam; nec in eo interponitur divina fides (ut in juramento) sed solum humana. Et ideò etiam *præstatio fidei* secundùm se, teste Sylvestro V. *juramentum*, 1. n. 7. non est *juramentum*, nisi ubi sumitur *fides* pro virtute Theologica, quia juramentum fit *sacræ rei interventu*, non autem *fidei præstatio*; hæc enim dici potest promissio facta super *propria fide*, id est, *fidelitate*; erit autem juramentum, si dicatur: *juro tibi per fidem meam, seu Evangelium*, me daturum. Hinc si alicubi in jure, *juramentum* dicatur *homagium*, non est juramentum strictè, sed tantùm latè, prout accipitur in c. *Gravem*, de excessib. Prælat.

Suppositâ igitur differentiâ *homagii*, & 2393
juramenti, advertendum ex Suarez tom. 1. de Relig. l. 1. c. 13. n. 24. *homagium* dici propriè *de temporalibus*, per quod is, qui præstat, fit ejus, cui jurat, seu homagium deponit, Vasallus, & obligatus ad certas operas temporales, & communiter fit Dominis temporalibus. Quando igitur in dicta regula reprobatur *homagium in spiritualibus*, de *homagio* sic accepto, intelligendum est; non autem de juramento fidelitatis, & obedientiæ Clericorum, ad suos Prælatos. Nam hoc illis debent tanquam Pastoribus suis pro spirituali cura. Neque dubium est, si Superiores Ecclesiastici à Clericis, vel Regularibus sibi subjectis, pro spiritualibus exigerent homagium in dicta acceptione, fore simoniacos; id, quod æquè procedit in hoc casu de Laicis per c. *Ex diligenti*, de Simon. c. *Cum essent*, eod.

APPENDIX AD PRÆCEDENTES QUÆSTIONES.

2394 SUbjungimus ea, quæ prioribus jam absolutis vel primum innotuerunt, vel ante dictis opportunè superaddi posse videntur. Ex illis sunt dubitationes aliquæ occasione jubilæi, post universale celebratum Romæ, ac terminatum nocte Nativitatis Domini 1700. à Clemente XI. etiam istis Provinciis 15. Januarii 1701. communicati per constitutionem incip. *Ad futuram rei memoriam*: quæ sic habet:

Clemens PP. XI.

AD futuram rei memoriam, Salvator, & Dominus noster JESUS Christus Dei filius, cujus, licèt immeriti vices gerimus in terris, ad hoc Nobis ligandi, & solvendi potestatem tradere voluit, ut saluti ejus gregis nostræ curæ divinitus commissi, paterno affectu, ac solicito studio incumbamus. Hinc est, quòd nos attendentes, Christi Fideles in civitate, & diœcesi Passavienſi, diversis impedimentis detentos, ad hanc almam Urbem nostram pro cælestibus thesauris Jubilæi, anni præteriti consequendis, accedere non potuisse, ac propterea nos illorum *spirituali consolationi, ac animarum saluti* providere volentes, supplicationibus dilecti Filii nostri, Joannis Philippi S. Rom. E. Cardinalis, de Lamberg, nominati Ecclesiæ Passavienſis ex concessione, & dispensatione Apostolica Præsulis, nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de omnipotentis DEI misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum, ejus auctoritate confisi, *omnibus, & singulis utriusque sexûs Christi fidelibus civitatis, & diœcesis hujusmodi, verè pœnitentibus, & confessis, ac sacrâ communione refectis, quatenus*

tuor Ecclesias, vel Capellas, aut loca pia, per Ordinarium Passaviensem, arbitrio suo semel tantùm deputanda, per quindecim dies continuos, vel interpolatos (quos pro personis infirmis, senibus, prægnantibus, Virginibus, Viduis, *& aliis quovis alio legitimo impedimento detentis*, ac Capitulis, Congregationibus tam sæcularium, quàm Regularium, Sodalitatibus, Universitatibus, Confraternitatibus, Ecclesias, vel Capellas, aut loca pia hujusmodi processionaliter visitantibus, atque *ob alias causas, prout ipsi Ordinario videbitur, ad minorem numerum, arbitrio pariter suo, reduci posse volumus*) devotè, & reverenter visitantibus, & ibi *quinquies orationem Dominicam, & toties salutationem Angelicam*, pro peccatorum suorum remissione, ac deinde pro Christianorum Principum concordia, & hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, præsentibusque Ecclesiæ necessitatibus pie ad DEum preces orando recitantibus, ut plenariam ejusdem anni Jubilæi omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem, *semel tantùm*, consequantur, perinde ac si quatuor Ecclesias dictæ almæ Urbis pro consequendo Jubilæo hujusmodi deputatas, statutis ad id diebus, personaliter visitâssent, & alia ad hoc requisita adimplevissent;

2395 Et ad hunc effectum *illis, ut confessarios*, quos *dictus Ordinarius, Jubilæi hujusmodi causâ, in statutis Ecclesiis deputaverit, sibi eligere valeant*, presbyteros seculares, vel cujusvis Ordinis Regulares, qui confessionibus eorum diligenter auditis, eos, ac *eorum quemlibet* à quibusvis peccatis, criminibus, excessibus, & delictis, etiam quantumcunque gravibus, & enormibus, *etiam Sedi Apostolicæ reservatis*, ac in literis, quæ die cænæ Domini legi consueverunt, contentis; nec non censuris, & pœnis Ecclesiasticis, *ad effectum ipsius Jubilæi consequendum tantùm*, injunctâ eis pœnitentiâ salutari, absolvere possint; nec non ut illi, qui forsan Romam venerunt, ac Jubilæum ipsum quovis modo consecuti sunt, denuò etiam illud juxta tenorem præsentium consequi valeant, Authoritate Apostolicâ, horum serie concedimus, & indulgemus.

2396 Præterea eidem Ordinario, ut cujusvis Monialibus, & Orphanorum, aliarumque mulierum in communi viventium Congregationibus, ad Jubilæum intra monasteria, domusve suas consequendum, conditiones, modum, & tempus præscribere; *& denique in præmissis omnibus, & singulis ejus arbitrio facere, ordinare, providere, & quæcunque sibi benevisa remedia opportuna adhibere possit, prout animarum saluti expedire judicaverit, facultatem tribuimus, & impertimur*; præsentibus ad bimestre tantùm à die illarum publicationis valituris.

Volumus autem, quòd præsentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsùs fides ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XV. Januarii MDCCI. Pontificatûs nostri Anno primo.

Oliverius.

Hoc indultum Clementis XI. per 2397
omnia concordat cum eo, quod Innocentius X. concessit 22. Maji, 1651. datis ad Episcopum Constantiensem literis, extenso pariter jubilæo priori anno Romæ celebrato; ac sub iisdem verbis refertur à Gobat in Quinario tract. 3. Porrò resolutiones dubitationum, quas hoc jubilæum communes habet cum aliis, deduci possunt ex dict. à n. 1451. peculiare verò est. 1. quòd exigat visitari *quatuor* Ecclesias ab Ordinario designatas, & hoc *per dies quindecim* continuos, vel interpolatos; 2. quòd loquens de Confessariis ad effectum jubilæi, qui pœnitentes absolvere possint à quibusvis peccatis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis &c. *specificè* dicat de illis, *quos dictus Ordinarius, Jubilæi hujusmodi causâ, in statutis Ecclesiis deputaverit*; relictâ tamen Ordinariis potestate, ut cum certis personis in §. *Præterea*, expressis, in præmissis omnibus, & singulis arbitrio suo facere, ordinare, providere, & quæcunque sibi visa remedia opportuna adhibere possint, prout animarum saluti expedire judicaverint; quibus positis:

Prima dubitatio est, an, postquam 2398
Ordinarius certas quatuor Ecclesias, vel loca pia pro visitationibus eorum deputavit, potuerit denominare alias, vel omnes, vel unam, aut alteram? Videtur dicendum negativè. 1. quia textus in §. 1. expressè dicit: quatuor Ecclesias, vel Capellas, aut loca

pia per Ordinarium arbitrio suo *semel tantùm deputanda.* 2. quia licet verbis immediatè sequentibus concedat Ordinariis facultatem, præscriptum dierum numerum ad pauciorem reducendi pro iis, qui ibidem expressi sunt, & ob quodvis impedimentum, aut ob alias causas tot visitationes peragere non posse, arbitrio ejus, judicabuntur; nihil tamen loquitur de facultate mutandi Ecclesias, vel loca pia semel per ipsum designata. Nec obstat, quòd in §. *Præterea* n. 2396. Ordinariis concedat facultatem *in præmissis omnibus, & singulis* (adeoque etiam in Ecclesiis designandis) arbitrio suo ordinandi, providendi, & quæcunque sibi visa remedia opportuna adhibendi, prout animarum saluti expedire judicaverit: nam hoc non dicit indefinitè, sed restrictè ad personas in cit. §. expressas, cujusmodi sunt cujusvis ordinis Moniales, Orphanorum, aliarumque mulierum in communi viventium Congregationes.

2399 Potest tamen non improbabiliter dici, facultatem ordinandi *in præmissis omnibus, & singulis*, non restringi ad *solas* personas in cit. §. *præterea* expressas; cùm sermo, pro illis tribuens facultatem præscribendi *conditiones, modum,* & *tempus,* jubilæi lucrandi causa, intra Monasterium, domosve suas, valde probabiliter finiatur inclusivè ad ea verba, *conditiones, modum,* & *tempus præscribere,* & statim subjungat: & *denique* in præmissis omnibus, & singulis possint *quæcunque sibi bene visa remedia* opportuna adhibere; nam, ut notat Joannes Calvinus in Lexico juridico, particula *denique* ad finem dictorum ponitur pro postremo; subjicitur autem ad finem prædictorum omnium, & singulorum; adeoque non solùm eorum, quæ in §. *præterea* continentur, sed etiam præcedentium; cujus ratio est ex n. 2266. quod maximè suadetur etiam ex eo, quia in dispositione tanti favoris ad divinum cultum, & animarum fructum (qualis est ista, ut per se patet) potius mens, & intentio concedentis, quàm verborum ordo attendendus est, ex c. 7. & 8. de V. S. hinc idem videtur, acsi diceret, *denique*, hoc est, *universim loquendo de requisitis ad hoc jubilæum*, concedimus Ordinario facultatem, in omnibus, & singulis præscriptis quæcunque cum suis ordinandi, quæ illorum spirituali consolationi, & saluti animarum opportuna judicaverit. Unde clausulam (*semel tantùm deputanda*) intellige, nisi Ordinarius pro suorum bono judicaverit, alia esse deputanda; sed circa hoc punctum V. dicenda à n. 2424.

Secunda dubitatio est, an sub illis verbis in §. 1. (*omnibus, & singulis Christi fidelibus utriusque sexus, in hoc jubilæo*) comprehensi sint etiam Regulares, quoad contenta in eo privilegia, & concessos favores, licet illis aliàs nullius privilegii, seu gratiæ hactenus concessæ, vel in posterum concedendæ usus possit esse licitus, nisi per solius Generalis communicationem? Videtur negandum ex aperto textu Gregorii XIII. in sua constitutione: *Decet Romanum*, ita loquentis: *ne quis autem, Apostolicorum indultorum prætextu, regularem, ac exemplarem instituti prædictæ Societatis disciplinam, quam modis omnibus retineri, & conservari volumus, dissolvere, aut relaxare præsumat; non esse, nec fore unquam mentis nostræ, aut Sedis Apostolicæ, ut personæ Societatis, absque expressâ Superiorum ejusdem Societatis licentiâ, utantur facultatibus, quæ in Jubilæis, Bullis cruciatæ, Confessionalibus, aut aliisquibusvis Apostolicis indultis, sive communitatibus, sive privatis personis, sive piis locis, aut quomodocunque aliter hactenus concessa sunt, aut in posterum concedentur, etiamsi in illis expressè indulgeatur, ut omnes regulares, etiam Mendicantes, hujusmodi facultatibus uti possint.* 2400

Contrarium tamen dicendum est *de jubilæis universalibus*; quod primò suadetur ex dictis à n. 1561. præsertim argumento Constitutionis Urbani VIII. de quo ibid. n. 1562. secundò, quia textus ex Constitutione *Decet Romanum*, specificè loquens *de favoribus jubilæi*, nihil habet *de jubilæis universalibus*, qualia sunt, quæ conceduntur *omnibus Christi fidelibus, utriusque sexûs*, post annum sanctum Romæ terminatum; vel cùm novi Pontifices indulgent jubilæa extraordinaria ex diversis causis: sed illis tantùm, quæ *Communitatibus, sive privatis personis, sive piis locis concessa sunt, aut in posterum concedentur*; id, quod maximè suadetur ex initio dictæ constitutionis *Decet Romanum*, ubi expressè habetur, à P. N. Everardo expositum Gregorio, quòd, cùm gratiæ, immunitates, indulgentiæ, & privilegia Ordinum Mendicantium, cæterarumque Religionum, & piorum locorum per nonnullos Romanos Pontifices *Sodalitati fuerint communicata, & concessa*; aliquando tamen *circa illorum praxin, & usum,* seu

seu modum, & formam eisdem utendi, propter instituti ipsius Societatis ab aliis prædictis Religionibus diversitatem *dubitari contingat*; dubietatem hujusmodi declaratione suâ submoveret; id quod etiam benignissimè fecit Gregorius, & ea, quæ ad jubilæi usum, qui fortè dubius esse poterat, pertinent, relato superius §. declaravit, nullam mentionem faciens de jubilæis pro omnibus Christi fidelibus, & universalibus, quia de his non erat quæstio proposita; sed solùm de his, quæ aliis concessa, per viam communicationis etiam Societati concessa voluerunt alii Pontifices. Non igitur procedit, nisi de his, quæ proposita sunt; adeoque non tangit resolutionem nostram de jubilæis directè concessis omnibus Christi fidelibus.

2402 Tertia dubitatio est, an Confessarii ad lucrandum hoc jubilæum ab Ordinario deputati potuerint cùm *impeditis*, quò minus *per quindecim dies* visitarent designatas 4. Ecclesias, dispensare in numero visitationum, reducendo ad pauciorem? Rz. à Clemente XI. in jubilæo, de quo loquitur ejus constitutio relata à n. 2394. pro infirmis, senibus, prægnantibus, virginibus, viduis, *& aliis, quovis alio legitimo impedimento, vel ob alias causas detentis* Ordinario concessam esse; consequenter eandem committi ab eodem potuisse Confessariis designatis, ut constat ex §. *præterea*, in n. 2396. ibi: *denique in præmissis omnibus, & singulis ejus* (nimirum Ordinarii) *arbitrio facere ordinare providere, & quæcunque sibi visa remedia opportuna adhibere possit, prout animarum saluti expedire judicaverit facultatem tribuimus, & impendimus*; ubi recolenda sunt, quæ circa istam facultatem notavimus à n. 2399.

2403 Occasione hujus dubitationis not. 1. circa designationem Ecclesiarum, quæ durante bimestri hoc jubilæo, ubi semel designatæ fuerint, visitandæ erant, ab Eminentissimo Diœcesis Passavensis Ordinario sic dispositum esse: **Ausserhalb unserer Stadt Passau aber lassen Wir / anfangs ermeldten Prälaten / Abbten / Pröbsten / Dechanten / Pfarrern / Vicarien / und Provisorn / zu selbst eigener** *Disposition* **gestellet / was dieselbe in Städten / Märckten / und Dörffern / auch bey Stifft / und Clöstern / neben der Pfarr-Kirchen jedes Orts / für andere drey Kirchen / oder Capellen eben derselben Pfarr- oder in Ermanglung derer vier Altär in einer Kirchen / mit vorbedeuten Gebett auch fünffzehen mal / innerhalb eben dieser Zeit / auch ein- für allemal zu besuchen / benennen wollen / wie es nach Gelegenheit des Orts / und der Pfarr-Kinder sie am füglichsten und bequemsten zu seyn / gedencken / und ansehen wird.**

Ex hac dispositione Ordinarii deduci- 2404
tur 1. omnibus non tantùm Parochis, Vicariis, aut Provisoribus, qui alicui Ecclesiæ habenti populum præsunt; sed etiam Prælatis Ecclesiasticis & Regularibus (cujusmodi sunt Abbates, Præpositi, Rectores, Priores, Guardiani, & similes, etiam exempti respectu suorum) in diœcesi Passavensi extra Ordinarii Civitatem, permissam esse liberam dispositionem, prout ipsis videbitur pro loci opportunitate, ac suorum commoditate conducibilius, præter Ecclesiam Parochialem, designandi pro suis alias tres Ecclesias, vel Capellas ejusdem Parochiæ; aut in harum defectu quatuor altaria in una Ecclesia, sic tamen, ut ad singula præscripta oratio fieret. Unde in hac Ecclesiarum designatione nec ad mentem Papæ, nec Ordinarii egerunt illi, qui pro suis Ecclesias nimium distantes, etiam complurium horarum intervallo designârunt, eo dispendio, ut plurimi præsertim in pagis partim ruris laboribus, aut aliis servitiis detenti, quòd grave nimis accideret tot diebus à laboribus suis debitis feriari, tantum Ecclesiæ thesaurum sibi comparari posse non credentes id omnino neglexerint.

Deducitur 2. Prælatos etiam Regula- 2405
res; tam exemptos, quàm non exemptos, in diœcesi Passavensi, extra Civitatem Ordinarii degentes, potuisse pro suis subditis designare, præter Parochialem loci Ecclesiam, tres alias, vel capellas, vel etiam in sua Ecclesia 4. altaria, si hoc pro loci opportunitate, & subditorum commodo conducibilius judicâssent. Nam dispositio Ordinarii hanc liberam facultatem non minus illis, ac aliis animarum Curatoribus non regularibus respectu suorum indulget. Si dicas in §. dispositionis diœcesanæ (de quo n. 2403.) non fieri mentionem *de Rectoribus, Guardianis, & Prioribus*: Rz. id negando; cùm in cit. §. expressè dicat: **Anfangs ermel-**

ermeldten Prälaten; at in principio literarum meminit, non tantùm Abbatum, Præpositorum, sed etiam Priorum (intellige conventualium, non merè claustralium hi enim non sunt in dignitate Ecclesiastica) Rectorum, Guardianorum, qui respectu suorum sunt verè Prælati. Nam, ut rectè notat P. Bedictus Pereyra in Elucidario l. 1. elucidat. 10. n. 286. *Prælatorum* nominè propriè veniunt non solùm Episcopi, & Episcopo superiores, sed etiam alii inferiores Prælati jurisdictionem ordinariam habentes, c. *Romana*, §. *Archidiaconis*, de appellat. in 5. Rebuffus tract. de pacificis possess. n. 64. & Put. decis. 238. n. 3.

2406 Quòd Prælatorum appellatione veniant *Abbates*, docet Suarez de relig. tom. 4. tr. 8. l. 2. c. 2. n. 23. Quòd veniant Abbates commendatarii, maximè perpetui, tenet Ludovic. Gomez in reg. de triennali q. 5. n. 17. & fusius de visit. lib. 2. c. 9. de comment. n. 5. venit etiam Prælatus immediatus. Unde si debeat dari licentia studendi alicui monacho *à suo Prælato*, intelligitur *de immediato*, ut dicit Feder. de Senis, Consil. 145. n. 6. & sic de similibus, nisi stet in oppositum consuetudo, vel constitutio, ut notat Calder. cons. 388. alias 3. de Reg. idem procedit teste Sanchez lib. 6. Decal. c. 7. à n. 59. de translatione Monachi professi ad strictiorem ordinem, quæ fieri debet *ex facultate Prælati*. Minus propriè, & valde fusâ significatione, *Prælatorum* nomine, veniunt illi, qui in Ecclesia habent prærogativam, & honorificum gradum sine jurisdictione, quales Decani, Plebani, Archipresbyteri, & similes; sic gloss. V. *Prælatum*, in Clem. de elect. Prælati autem appellatione non venit Capitulum, ut tenet Natta, consil. 41. n. 4. Hinc:

2407 Quæres. 1. an si Decanus, vel Parochus loci, extra Ordinarii civitatem siti, in quo etiam degunt Regulares, etiam non exemti, lucraturis hoc jubilæum Clementis XI. pro sua Parochia designâsset præter Parochialem tres alias Ecclesias, vel Capellas, quarum visitatio Regularibus, judicio sui Prælati, seu Superioris, non opportuna certis, ac justis de causis visa esset, talis Prælatus, vel Superior regularis etiam non exemtus potuisset pro suis designare suam, si omissa fuisset, vel etiam alias? R. affirmativè; nam, ut constat ex dispositione Ordinarii, de qua n. 2403. in diœcesi Passavienſi facultas liberè designandi tres alias Ecclesias, vel capellas, præter Parochialem cujuslibet loci, per eminentiss. mum illius Ordinarium, *extra suam civitatem*, permissa est omnibus Prælatis, etiam Regularibus respectu suorum; id, quòd etiam dicendum in aliis similibus jubilæis post annum Sanctum Romæ finitum concessis sub eadem forma, quâ usi sunt Innocentius X. & Clemens XI. de qua n. 2394. si loci Ordinarius ex facultate sibi tunc indulta eodem modo disponat, prout ab eminentissimo Ordinario Passaviensi in hoc jubilæo, de quo in præsens agimus, dispositum esse diximus n. 2403.

Quæres. 2. an vi dictæ dispositionis in n. 2403. talis Superior, seu Prælatus regularis, prætermissâ Ecclesiâ Parochiali illius civitatis, oppidi, vel pagi, à Curato illius loci designatâ, assignare potuerit Ecclesiam suam regularem, licet aliàs illa, respectu aliorum, qui non sunt ejus subditi, non sit Parochialis? videtur probabiliter affirmari saltem de Prælatis exemptis. Nam ipsi respectu suorum censentur Ordinarii in jurisdictione non pendente à potestate Ordinis; & Ecclesia Regularium, quoad ipsos, est quasi Parochialis etiam in ordine ad Sacramenta, ipsis convenientia, licet cæteroquin pertinentia ad munus Parochi; & alias functiones, ut sunt Viaticum, extrema unctio, Ecclesiastica sepultura, &c. præsertim cùm exempti non sint formaliter *de tali Parochia*; licet eorum domus, & monasteria materialiter sint intra fines Parochiæ talis loci; & adhuc verificetur, quod ab illis visitatio fieret *in Parochiali Ecclesia loci*, de quo sunt; cùm talis Ecclesia exempta titulo exemptionis quoad suos habeat territorium speciale; licet materialiter sit in, non tamen formaliter de Parochia talis Curati non regularis: rectius tamen dici videtur, in hac dispositione per *Ecclesiam Parochialem*, intelligi eam, quæ talis est respectu populi Parochialis territorii. Nam Parochialis Ecclesia in eo stat, quòd habeat populum certis finibus distinctum, qui in illa suscipere sacramenta ipso jure compelluntur; sic Pereyra cit. l. elucid. 18. n. 1287. cum Azor p. 2. l. 3. c. 12. q. 3. & seq.

Not. 2. cùm in constitutione Clementis XI. ut patet ex n. 2394. Ordinario concessa sit facultas dispensandi cum certis personis ibidem expressis, in numero visitationum 4. Ecclesiarum cæteroquin præscriptarum, *quovis impedimento legitimo*, aut *ob alt.*

ob alias causas detentis, quo minus per quindecim dies Ecclesiæ designatæ visitentur; Eminentissimum Ordinarium Passaviensem quoad hoc punctum ex facultate sibi à Sanctissimo concessa sic disposuisse: **Fünffzehen/ mögen Krancke/ Schwache/ Alte/ Schwangere/ Gefangene/ und sonsten unvermöglich oder verhinderte Personen/ an statt der fünffzehenmahligen Kirchen-Besuchung/ dieselbe in geringerer Anzahl/ und bloß so offt es ihnen möglich/ besuchen/ worunter auch die Manns- und Frauen-Clöster begriffen. Welche aber in ewiger Clausur leben/ die haben ihr eigene Closter-Kirchen/ und die darinnen findige Altär/ oder Capellen/ fünffzehen mahl zu besuchen/ und das vorgeschriebene Gebett zuverrichten. So mögen auch jede geistliche Vorsteher/ und Beicht-Vätter denen jenigen/ welchen die Kirchen- oder Altar-Besuchung gantz unmöglich fallet/ an statt derselben/ andere gute Werck vorschreiben**; ita habetur in instructione de præcipuis capitibus ad lucrandum præsens tunc jubilæum necessariis, subnexa literis Eminentissimi Cardinalis, & Ordinarii Passavienſis, quibus jubilæum, de quo agimus, per totam diœcesin suam intimavit.

2410 Ex hac dispositione deducitur, diœcesanos Passavienses, quantum est vi obligationis præstandi tot visitationes quatuor Ecclesiarum, ad hujus jubilæi participationem satisfacere potuisse, licet dictas Ecclesias non visitaverint per dies 15. si *justo impedimento*, vel *ob alias causas detenti* fuerunt, modò eas præstiterint, *quas potuerunt*, ut constat ex verbis dispositionis relatæ num. præced. ibi: **mögen die sonst unvermöglich/ oder verhinderte Personen/ an statt der 15. mahligen Kirchen-Besuchung/ dieselbe in geringerer Anzahl/ und bloß/ so offt es ihnen möglich/ besuchen**; quæ verba important actualem Ordinarii dispensationem in numero dictarum visitationum cum taliter impeditis; adeoque Parochos, Confessarios, imò quemlibet Virum Doctum, simplicibus, aut dubitantibus consulere potuisse, ipsos satisfacere, licet designatas Ecclesias non visitent sæpius, quàm possint, quantum per justum impedimentum licet.

Deducitur. 2. eâd. Ordinarii dispositione uti potuisse Regulares utriusque sexûs; 2411
constat ex illis verbis: **worunter auch die Manns- und Frauen-Clöster begriffen.** Et quamvis in eo, quod statim subjungit, ibi: **Welche aber in ewiger Clausur leben/ die haben ihr eigene Closter-Kirchen/ und die darinn findige Altär/ oder Capellen/ fünffzehen mahl zu besuchen/ &c.** videatur id, quod prius dictum est (nimirum ab impeditis satisfieri minore numero visitationum) circa regulares in perpetua clausura degentes restringi, eò quòd statim de his loquatur per particulam adversativam: **welche aber/** seu, *qui verò*, quæ dictio *adversativa* est præcedentium in jure, & facto juxta Bartolum & alios apud Barbosam de diction. usufreq. dict. 420. n. 1. melius tamen dicitur etiam istos satisfacere potuisse minore visitationum numero, stante justo impedimento non admittente præscriptum cæteroquin illarum quindenarium numerum. Pro quo:

Observandum, quòd textus in præce- 2412
dente §. declarans justè impeditos à visitatione 4. Ecclesiarum, satisfacere, si visitent, quoties possunt, ut constat ex n. 2409. loquatur de illis, *qui non sunt in perpetua clausura*; & §. subsequens *de perpetuò clausis*. 2. quòd *ab illis* exigatur quindena visitatio quatuor ecclesiarum designatarum; *ab istis*, quindena visitatio suæ ecclesiæ, altarium, vel capellarum in ea; 3. quòd numerus istarum visitationum justè impeditis relaxetur, ut sufficiat minor numerus, si à majori, & aliàs præscripto, justè impediantur, quo posito: quæstio est, an' particula adversativa (*qui verò*) priori §. adversetur in eo, quòd non clausi, justè impediti, possint satisfacere minori numero? an in illo, quòd secluso impedimento legitimo debeant facere visitationem quindenam? an denique in hoc, quòd illi non satisfaciant, nisi visitando *quatuor* ecclesias designatas? quibus præmissis:

2. particulam illam (*qui verò*) non ad- 2413
versari paragrapho præcedenti in tertio, consequenter regulares perpetuæ clausuræ non minus, ac alios, satisfacere visitatione suæ tantùm Ecclesiæ, & altarium, vel capellarum, eo numero, quo per ju-

ſtum impedimentum poſſunt, licet minori, aliàs debito, ſi per legitimum impedimentum non poſſint: ſed in primo, ut ſenſus ſit: qui verò ſunt in perpetua clauſura, non teneantur ad viſitationem *earum Eccleſiarum*, ad quam tenentur alii, qui non degunt in perpetua clauſura; ſed ſatisfaciant quindenâ viſitatione *ſuæ Eccleſiæ*, *altarium*, *vel capellarum*, ſi per impedimenta licet; ſi ſecùs, etiam in numero minore. Hinc monialis infirma, cui ad Eccleſiam per morbi ſtatum non niſi ſemel, bis, aut ter, venire licet, æquè hac viſitatione ſatisfaceret, ac aliæ quindenâ; ſi autem nunquam? viſitatio commutanda foret, prout dicemus in ſeqq. & hac expoſitione ſatisfit rationi dubitandi; nec enim particula *adverſativa* in ſubſequenti adverſari neceſſariò debet omnibus in præcedenti; ſalvatur enim, ut notat Barboſa cit. ſufficienter in eo, quando id, cui adjicitur, diverſam habet rationem, ut contingit in præſenti, ubi adjicitur §. agenti *de perpetuò clauſis*, quibus ſufficit *viſitatio ſuæ Eccleſiæ*; non autem illis, qui non arctantur clauſurâ perpetuâ.

2414 Dices: ſi quilibet impeditus eo viſitationum numero ſatisfacere poteſt, quem per juſtum impedimentum præſtare valet, eſto non impleat numerum viſitationum per dies quindecim, fruſtra in diſpoſitione Ordinarii (de qua n. 2409.) conceditur facultas impeditis *commutandi dictam viſitationem*; hoc autem admitti non poteſt, cùm nullum verbum in aliqua diſpoſitione poſitum fruſtrari debeat effectu ſuo; & operari aliquid debeat in anterioribus non conceſſum. Seq. prob. Nam ſi tales impediti non poſſint facere viſitationes Eccleſiarum, eoipſo per dictum §. in n. 2409. ad eas non tenentur, adeoque non indigent commutatione. R. N. ſeq. pro quo not. aliud eſſe, loqui *de impeditis* præſtare *etiam unicam viſitationem*; aliud de his, *qui poſſunt aliquos*, *ſed non omnes*; qui poſſunt ſaltem aliquam Eccleſiarum deſignatarum viſitationem præſtare, licet non omnes quindecim, non egent commutatione; quia ſatisfaciunt, ex diſpoſitione Ordinarii in n. 2409. viſitando tot vicibus, quot præcisè poſſunt; qui autem nullam, egent commutatione, de qua n. jam cit. Hinc reſponderi poteſt. 2. cum diſt. ſequelæ majoris: ſi quilibet impeditus, eo, quem per juſtum impedimentum poteſt, viſitationum numero ſatisfacere poteſt, fruſtrà conceditur facultas, impeditis commutandi opus viſitationis in alia opera pia, quæ poteſt, *ſi ſcilicet poſſit aliquem*, *licet non totum numerum præſcriptarum viſitationum*, C. *ſine unam quidem poſſit*, N. ſequelam majoris; & ſic diſtinctâ min. N. conſeq. Ad probat. ſequelæ R. cum diſtinct. ſi tales impediti non poſſunt facere viſitationes Eccleſiarum, eoipſo per dictum §. non tenentur ad eas, quas poſſunt, licet in minori numero, N. ſi nullam omnino poſſunt, & tamen velint lucari jubilæum, ſubdiſtinguo: ad nullam tenentur, ſed cum onere petendi commutationem C. ſine hoc onere, N. Qui enim intendit lucrari jubilæum, debet viſitare deſignatas Eccleſias & ſi non poſſit per dies 15. præſcriptos, ſaltem tot diebus, quot poteſt; vel ſi nullam præſtare, petere commutationem viſitationis Eccleſiarum in alia opera.

Quæſtio. 3. eſt, quis impeditis à viſita- 241
tione Eccleſiarum poſſit eam in alia opera commutare? R. cùm Pontifex Ordinario indulſerit facultatem cum taliter impeditis quæcunque ordinandi, quæ arbitrio ſuo judicaverit opportuna pro animarum bono, & ut loquitur Clemens, *ſpirituali ſolatio*, reſolutionem conſtare ex diſpoſitione eminentiſſimi Ordinarii Paſſavienſis pro ſua diœceſi, quam retulimus n. 2409. ibi: **ſo mögen auch jede geiſtliche Vorſteher / und Beicht-Vätter denen jenigen / welchen die Kirchen oder Altär-Beſuchung gantz unmöglich fallet / an ſtatt derſelben / andere gute Werck vorſchreiben.** Ex quibus colligitur. 1. poſſe id quemlibet Confeſſarium reſpectu pœnitentis, cui per impedimentum juſtum non licet in modico numero præſtare viſitationem 4. Eccleſiarum; 2. quemlibet Superiorem Eccleſiaſticum reſpectu ſuorum. Nam ille terminus **geiſtlichen Vorſteher** / videtur importare quemvis Eccleſiaſticum, qui aliis præeſt, non utcunque; nam, ut rectè notat Pereyra in Elucidario num. 1656. in fin. *præeſſe*, in quantum pertinet ad Eccleſiaſticos, præſertim Sacerdotes, idem eſt, ac *paſcere*, & *regere*, nimirum ad ſpirituale bonum animarum; & quoniam hoc præſtare ſolent Superiores Eccleſiaſtici, tam Regulares, quam non Regulares; imò etiam Parochi, & Vicarii, cæterique confeſſarii, rectè ſequitur, in dicta Ordinarii diſpoſi-

tione

tione prædictis omnibus concedi facultatem, visitationem Ecclesiarum in jubilæo, de quo agimus, commutandi in alia opera illis, quibus *omnino* per impedimenta *non licet* etiam in minori numero præstare illas Ecclesiarum visitationes.

2416 Dixi: quibus *omnino non licet*', propter eos terminos in dispositione Ordinarii, de qua n. 2409. **welchen aber gantz unmöglich fahlet**; ex his enim verbis deduci videtur, majorem impotentiam requiri in his, quibus Ecclesiarum visitatio in alia opera commutanda est; quàm in illis, qui non possunt peragere dictas visitationes in eo dierum numero, qui præscriptus est; cùm dispositio Ordinarii loquens de istis (ut retulimus n. 2409. non apponat eos terminos: **gantz unmöglich**; sed solùm: **und sonsten unvermöglich- oder verhinderte Personen**; quod utique non exigit impedimentum reddens visitationem in præscripto dierum numero **gantz unmöglich**/ *seu omnino impossibilem.* Dicendum, per eos terminos non exigi omnimodam impotentiam; sed sufficere moralem, nimirum fundatam in judicio prudentum, censente à tali homine, stante justo impedimento (quale foret probabile periculum valetudinis, aut alterius mali gravis) ne unò quidem die præstari posse visitationem præscriptarum Ecclesiarum; ea enim verba: **gantz unmöglich**/ videntur dici relatè ad eos, quibus per justum impedimentum non licet visitare Ecclesias, nisi per aliquot dies, ut sensus sit, illis tunc sufficere minorem numerum; quibus verò per justum impedimentum nec hoc licet, commutari posse in alia opera. Et hoc videtur suaderi ex intentione Ordinarii, volentis prospicere, ac consulere taliter impotentium spirituali consolationi, & justo solatio, ne hi crederent se, cùm nullam Ecclesiam visitare possint, non obtenturos jubilæum.

2417 Quæstio est 4. qualitet intelligenda veniant ea verba in literis eminentissimi Ordinarii Passaviensis: **Ausserhalb Unserer Stadt Passau aber lassen Wir anfangs ermeldten Prälaten / Abbten / Pröbsten / Dechanten / Pfarrern / Vicarien / und Provisorn zu selbst eigner Disposition gestellet / was dieselbe in Städten / Märckten / und Dörffern / auch bey Stifft- und Clöstern / neben der Pfarr-Kirchen jedes Orts / für andere drey Kirchen / oder Capellen eben derselben Pfarr: oder in Ermanglung deren vier Altär in einer Kirchen mit vorbedeutem Gebett auch fünffzehen mal innerhalb eben dieser Zeit / auch ein- für alle mal zu besuchen / benennen wollen / wie es nach Gelegenheit des Orts / und der Pfarr-Kinder sie am füglichist- und bequemisten zu seyn / gedunckten / und ansehen wird.** Videri enim posset, ea appellare supra *visitationem*, ut sensus sit: *sufficere visitationem designatarum Ecclesiarum unicam, seu factam semel, pro reliquis omnibus*; hoc enim videtur sonare: **auch ein- für allemal zu besuchen**: sed dicendum est, ea verba *semel pro semper*, seu *semel tantùm* non appellare supra *actum visitandi Ecclesias*, ut unus sufficiat, locò omnium; sed supra *actum designandi Ecclesias*, quæ visitandæ sunt, ut liquet ex verbis ipsius Clementis XI. relatis n. 2394. ibi: quatuor Ecclesias, vel capellas, *aut locapia* per Ordinarium arbitrio suo *semel tantum deputanda*; nec alium sensum intendi in Germanico, deduci potest ex ipsis verbis rectè perpensis; sensus enim est: **Ausser Unserer Stadt Passau lassen Wir anfangs ermelden Prälaten zu selbst eigener** Dispositiõn **gestellt / was dieselbe jedes Orts für andere drey Kirchen / so zu besuchen / ein- für allemal benennen wollen**; prout paulò superius dictum est, ibi: **so werden in Unserer Residentz-Stadt nachfolgende vier Kirchen / ein- für allemal benennet / und außgezeichnet.**

Not. autem, per ea verba, quibus certis personis conceditur facultas ab Ordinario extra Residentiam Ordinarii, in aliis civitatibus, oppidis, vel pagis, quibus præsunt in spiritualibus, *designandi Ecclesias visitandas* **auch bey Stifft- und Clöstern**/ non denotari aliud, quàm, quod ejusmodi Præpositi, Parochi, Vicarii, præter Parochialem, ex tribus aliis à se designandis: possint etiam nominare, seu designare Ecclesias Regularium: non autem, quòd Ecclesias ab illis (Decano rurali, vel Parocho talis loci) designatas *teneantur* ipsi Regulares visitare, si Prælatus eorum ex justa causa pro suis alias designâsset; nam hæc facultas sic universalis, etiam ad Regulares prorogata, non continetur in verbis dictæ commissionis; & ratio est ex dictis à n. 2404. Quando autem in exem-

plari Germanico dicitur: **welche mit wahrer Reue / und Beicht ihrer Sünden / und Empfahung der H. Communion / die von** Ordinario **benente Kirchen beſuchen** / & reliqua; non eſt alius ſenſus, quàm expoſuimus ſupr. n. 1526. eos terminos, *vere pœnitentibus, & confeſſis.* Unde non eſt conditio, ſine qua non, quòd confeſſio, & communio fiat ante viſitationem Eccleſiarum, vel alia opera præſcripta; quamvis, tanquam diſpoſitio valde decens rectè præmittatur; & confectis cœteris operibus pro requiſito opere confeſſio, & communio, tanquam complementum omnium, animo rectius diſpoſito ad plenam omnium indulgentiam, peragatur; de quo V. dicta à n. 1453. & 1459.

2418 Præter hæc durante hoc jubilæo dubitatum fuit 1. an ſufficiat deſignatas Eccleſias *viſitare quindecies*, v.g. *per dies 5. præſtando quovis die viſitationem ternam?* 2. an ſufficiat ea viſitatio, quam quis præſtat aliunde, v. g. ut in tali Eccleſia interſit ſacro? vel veſperis, &c. 3. ſi, dum viſitare vult Eccleſiam, reperiat eam clauſam, & oret genuflexus ſolùm ad portam, vel in aditu Eccleſiæ. 4. ſi præſtet illam poſt lapſum in peccatum; 5. ſi in una Eccleſia deſignatæ ſint ſolùm ejus capellæ vel altaria, & viſitans Eccleſiam, non adeat ſingula, ſed flectens in loco Eccleſiæ, quo converſus ad ſingula peragat præſcriptas preces? 6. an ſi non deſcendat in Eccleſiam, ſed ſolùm adeat chorum ejus, qui communiter eſt ad ſummam aram, & ibi fundat preces debitas? 7. an, ſi non diceret quinquies orationem Dominicam, & ſalutationem Angelicam, ſed alias preces duplo, vel triplo etiam longiores?

2419 Ad 1. ℟. quòd non; nam Breve Apoſtolicum, de quo n. 2394. expreſsè petit dictas Eccleſias viſitari *per quindecim dies continuos, vel interpolatos*; nec quoad hoc quidquam aliud diſpoſuit Ordinarius ex indulta ſibi facultate, quæcunque ſibi benevisa remedia adhibendi, ordinandi, providendi in omnibus, & ſingulis à Clemente præſcriptis ad conſequendum hoc jubilæum. Ad 2. reſpondit quidam Confeſſarius, negativè; ſed immeritò. Nam ut viſitatio fiat *unicè ſolius jubilæi causâ*, nullibi præſcriptum eſt; nec plus exigitur, quàm, ut quis ad intentionem, pro qua jubilæum hoc conceditur, in dictis Eccleſiis fundat præſcriptas preces; quod fieri poteſt, licet Eccleſiam acceſſerit, ut in ea quoque Sacrum audiat, vel veſperas, aut quid aliud.

Ad 3. ℟. affirmativè; nam in favorabilibus aditus, ſeu porta Eccleſiæ, venit nomine Eccleſiæ; quantum eſt ad effectum audiendi miſſam, orandi in tali Eccleſia, aſſiſtendi Verbo Dei, &c. quamvis adhuc latius accipiatur in ordine ad effectum immunitatis, ne per vim ab Eccleſiis extrahantur delinquentes, ut habetur c. *diffinunt*, 17. q. 4. ac exponit Suarez tom. 1. de Relig. l. 3. c. 9. Et ita tenent cum P. Antonio Quintanaduenna in ſingularibus Theol. moral. in appendic. Tract. 6. dub. 5. n. 5. Corduba, Bonacina, & Cardinalis de Lugo D. 27. de Pœnitent. ſect. 6. n. 97. apud eundem citatus; cùm aſſerat extra portam viſitari poſſe Eccleſiam pro jubilæo illam viſitantibus conceſſo. Ad 4. ℟. pariter affirmativè, id, quod probavimus ſupr. à n. 1453. 2420

Ad 5. ℟. non eſſe neceſſarium motum corporeum de uno altari in aliud; ſed ſufficere, quòd quis uno loco fixus preces fundat versùs deſignata altaria, ſolo cordis motu, & intentione, faciendi ſingulorum viſitationem, etiamſi commodè cæteroquin locali motu ſingula adire poſſet, modò aliquo ſaltem geſtu, vel converſione capitis, aut corporis ea mens, & animus ſignificetur; id, quod etiam tradit Card. de Lugo cit. D. 27. ſect. 6. n. 98. ubi ſic loquitur: ſi in eo loco, & ſitu ſis, in quo moraliter cenſeri potes orare ad quodlibet ex illis altaribus, & ſi ſis in loco apto, ut in medio Eccleſiæ: vellem tamen aliquo geſtu, vel converſione capitis, vel corporis ſignificari converſionem animi ad ſingula altaria; ſic ille. 2421

Dubitari tamen poſſet, an, ubi loco Eccleſiarum, deſignata certis perſonis ſunt altaria unius Eccleſiæ, valeat ad fructum indulgentiarum eorum altarium viſitatio, ſi careant arâ, ſeu lapide, cui tempore ſacrificii inſiſtit calix? vel ſi habeat quidem lapidem, ſeu aram, ſed vacuo ſepulchro, nimirum deperditis exinde reliquiis? vel ſi nunquam adhuc ibi celebratum ſit? ℟. in hac materia per *altare* intelligi quodlibet altare, erectum pro celebratione miſſarum eorum authoritate, qui facultatem habent, vel conſecrandi, vel erigendi, ut in erecto licita ſit celebratio; ſic enim accipi *altare* per ordinem ad lucrandas indulgentias, certa viſitati- 2422

visitantibus altaria concessas, communiter tenent Doctores cum Trullench l. 1. §. 2. d. 2. n. 2. Henriquez, & aliis.

2423 Ex hoc respondetur ad 1. casum, ad hunc effectum, visitatione altaris lucrandi indulgentias visitantibus illud concessas, requiri, quòd illud altare habeat aram; nec, quòd ara, seu lapis, super quo celebratur, habeat reliquias in sepulchro; nec denique, quòd jam in illo celebratum sit. Primum tenet Henriquez l. 7. de indulgentiis, c. 10. lit. B. ubi, satis est, inquit, visitare Oratorium (vel altare) designatum pro celebratione missæ, licet aram non habeat; quia in jure censetur *Ecclesia*; Secundum, & tertium tradit Quintanaduennas in app. tr. 6. d. 3. n. 3. quia etiam illis seclusis, verificatur visitando tale altare, visitari *altare*, prout exigitur ad lucrandas indulgentias, hæc vel illa altaria visitantibus concessas, ut dictum est priori numero. Quarè sufficit, licet nondum sit consecratum; modò per veniam legitimi Superioris in eo locato portatili celebrari licitè possit.

2424 Ad 6. &. quando ad lucrandas indulgentias inter opera lucraturis præscripta, exigitur *etiam visitatio Ecclesiæ*, nomine Ecclesiæ venire. 1. omnes Ecclesias non tantùm eas, ad quas populus confluit gratiâ missas, vel Verbum Dei audiendi; sed etiam ea loca pia, per Episcopos approbata ad missarum solennitatem; ut docet Suarez de interdicto, D. 34. Sect. 1. n. 9. & alii ex c. *Almamater*, de sent. excommunic. in 6. Secundò etiam Oratoria privata, ut pluribus probat Quintanaduennas cit. d. 2. n. 2. & Trullench. l. 1. §. 6. d. 2. Tertiò, etiam chorum, ex quo est prospectus ad Ecclesiam; si enim ostium Ecclesiæ visitare, ac ibidem preces fundere sufficit ad effectum lucrandi eas indulgentias, ut cum pluribus diximus supr. n. 2420. sufficiet etiam preces fundere in choro, unde prospectus sit ad Ecclesiam, utpote in ordine ad hunc effectum æquè, ac ad gaudendum immunitate loci sacri, canonicè *Ecclesia*.

2425 Ad 7. videtur negandum; nam cùm persolutio precum, quarum *qualitatem* exprimit dispositio gratiæ, videatur exigi non minus tanquam forma, quàm exigatur v. g. *jejunium*; nec sufficiat impleri formam per æquipollens, dicendum erit, nec per quascunque preces alias, quantumvis longiores (si non includant recitationem quinam orationis Dominicæ, & Salutationis Angelicæ) satisfieri; qualiter nec satisfaceret, qui loco jejunii præstaret alia opera, etiam majora, non includentia jejunium. Non sufficere formam impleri per æquipollens, tradunt communiter Doctores cum Fagnano in c. *Tuæ Fraternitati*, de sponsal. à n. 6. Nam forma dat esse rei, L. *Julianus*, §. *si quis*, ff. ad exhibendum; & impleri debet præcisè, & non per æquipollens, L. 1. §. *opus novum*, & *ibi Scribentes*, ff. de nov. oper. nunciat. & L. 1. §. *si quisita*, ff. verb. obligat. c. *cùm dilecta*, de rescript. gloss. in Clem. 1. V. *Tertio*, de Vit. & honestat. Cleric. & alii relati à Tiraquel. de retract. lignag. §. gloss. 2. n. 11. quod intellige, si tale quid requiratur *ut forma substantialis*, non autem *merè probatoria*. Nam, ut bene notat *Hostiensis* in c. *si inter virum*, de Consanguinit. V. *Expressa*, quod requiritur non ad actûs substantiam, sed ad ejus probationem, etsi dicatur ipsum esse necessarium, potest expediri per æquipollens: & ex hoc infert, ut si statutum disponat contractum esse celebrandum solo consensu, sed verba requiri ad probationem, sine verbis sufficiat æquipollens, ut signa, L. *nutu*, ff. de legat. 3. Et sic etiam exponenda est regula, quæ dicit: non refert, quid ex æquipollentibus fiat. Huic solùm locus est in iis, quæ non sunt de substantia, sed sola probatione; sic Fagnanus cit. n. 27. at preces illæ de quinquies recitanda oratione Dominica, & salutatione Angelica, non requiruntur ut forma probatoria, ut per se constat; ergo.

Præcipua difficultas in hoc jubilæo, de 2426
quo in præsens agimus, est in illis verbis concessionis Pontificiæ, non solùm ab Innocentio X. sed etiam à Clemente XI. factæ, ut constat ex §. *& ad hunc effectum*, relato supr. n. 2395. ibi: *& ad hunc effectum, illis* (nimirum omnibus, & singulis utriusque sexûs fidelibus) *ut Confessarios, quos dictus Ordinarius, jubilæi hujusmodi causâ, in statutis Ecclesiis deputaverit, sibi eligere valeant, Presbyteros seculares, vel cujusvis Ordinis Regulares, qui confessionibus eorundem diligenter auditis, eos, ac eorum quemlibet à quibusvis peccatis, criminibus, excessibus, ac delictis, & quantumcunque gravibus, & enormibus, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, ac in literis, quæ in die Cœnæ Domini legi consueverunt, contentis, nec non censuris, & pœnis Ecclesiasticis ad effectum ipsius jubilæi consequendum, tamen injunctâ eis pœnitentia*

salutari, absolvere possint. Nam ex his verbis videtur deduci 1. vi hujus jubilæi non concedi Fidelibus facultatem, *pro beneficio absolutionis à peccatis, & casibus reservatis*, aliisque specificatis, eligendi Confessarium nisi approbatum ab Ordinario, *ad quem* Breve suum direxit Pontifex, ut patet ex verbis: quos *dictus* Ordinarius deputaverit 2. non quoscunque deputatos, seu approbatos ab illo, sed *quos deputaverit jubilæi hujusmodi causâ*; 3. nec quosvis deputatos causâ hujus jubilæi, sed quos deputaverit *in statutis Ecclesiis*; igitur non deputatos extra quatuor Ecclesias semel pro semper designatas.

2427 Hinc præter plura alia, meritò dubitatum fuit, ut observat Gobat in Quinario, tr. 3. c. 50. Classe 2. à n. 435. an Confessarii deputati debuerint excipere confessiones *in illis duntaxat Ecclesiis*, quæ erant visitandæ? nam ratio id asserendi est hæc fundamentalis, quòd in Brevi fiat potestas eligendi non quoslibet Confessarios, sed quos *dictus Ordinarius jubilæi hujusmodi causâ in statutis Ecclesiis deputaverit*. Augetur difficultas ex eo, quòd cùm Clemens VIII. pro jubilæo voluerit *unicam* Ecclesiam designari, & loquens *de Confessario* dicat: *eligendi Confessarium, quem idem Nuntius noster in illa, vel alia Ecclesia nominabit.* Ex quibus verbis deducitur, confessiones fuisse imprimis *audiendas in Ecclesia, non autem extra:* deinde *non in qualibet Ecclesia*, sed *solùm in una è designatis*; cùm enim Clemens disjunctivè dicat, confessionem esse peragendam *in designata, vel alia diversa*, Innocentius verò & Clemens abstineat disjunctivâ; videtur & nos debere abstinere, quia quod lex non dicit, nec nos dicere debemus, c. *illa*, ne Sede vacante. Præterea dubitatum fuit circa Confessarios eligendos 1. propter ea verba: quos *dictus* Ordinarius deputaverit; 2. *hujus jubilæi causâ*, &c. an scilicet ii duntaxat Confessarii eligibiles fuerint, quos Ordinarius *ad effectum hujus jubilæi* (inter quos est absolutio à reservatis, &c.) & causâ jubilæi deputaverit, deputatione speciali ad hunc finem? privativè ad alios cæteroquin ritè approbatos pro tota diœcesi; 3. propter eos terminos *in designatis Ecclesiis*, sic ut ii, qui pro visitandis Ecclesiis non sunt specialiter deputati Confessarii alias, licet cæteroquin approbati, non fuerint eligibiles?

2428 Difficile non foret quæstionem resolvere, si omnes Ordinarii, ex facultate sibi in dicto Brevi concessa in præmissis omnibus & singulis ordinandi, providendi, & quæcunque sibi benevisa, prout animarum saluti expedire judicaverint, arbitrio suo præscribendi, uniformes fuissent. At, quoniam, ut constat, non ubique Ordinarii in suis, eodem modo circa præscripta, disposuerunt, pro varietate similium dispositionum, diversitas dubitationum, consequenter & resolutionum sanè non modica est. Quidam enim pro tota sua diœcesi in hoc casu sex tantùm personas Regulares deputârunt; alii eos tantùm Confessarios, qui aliunde in Ecclesiis designatis ad confessiones secularium expositi sunt, &c. Clementissimè in hoc, & (quantum colligere licet) prorsus ad mentem Summi Pontificis, cum suis egit Eminentissimus Cardinalis, & Ordinarius Passavienſis, qui in instructione typo datâ circa opera ad lucrandum hoc jubilæum, consequenter fruendum gratiis in eo concessis peragenda, & in specie, circa §. *ad hunc effectum*, in sexto dictæ instructionis puncto sic gratiosè disposuit: **Sechstens / ist einem jeden erlaubt / nach seinem Gefallen / einen von dem** *Ordinario approbirten* **Beicht-Vatter / Weltlichen / oder Ordens-Stands / zu erwöhlen / welcher ihne von allen / auch schweristen Sünden / ohne Außnamb / und Vorbehalt / zu** *absolviren* **Gewalt hat.**

Ex hac enim dispositione Ordinarii 2427 deducitur, pro Confessariis, quos omnes, & singuli utriusque sexus Christi fideles in dicta diœcesi eligere poterant causâ hujus jubilæi deputatos fuisse quoslibet approbatos ab Ordinario 1. sine restrictione ad Ordinarium hujus loci; 2. sine restrictione ad specialem deputationem causâ jubilæi; 3. sine restrictione, excipiendi confessiones in Ecclesiis pro visitatione designatis: sed quoniam non in qualibet diœcesi, ut dictum est, tam benignè ab Ordinariis, præsertim in hoc puncto ordinatum est, non eadem pro aliis locis resolutio esse potest. Cæterum standō præcisè in verbis dicti §. *ad hunc effectum*, prout jacet in Brevi Innocentii X. & Clementis XI.

Videtur 1. per ea verba, quos *dictus* 2427 *Ordinarius deputaverit*, vi concessionis Pontificiæ potuisse illum, pro Confessariis ad dictum effectum eligibilibus deputare quosli-

quoslibet pro confessionibus audiendis aliàs legitimè approbatos, etiam ab aliis; quia non dicitur, quos dictus Ordinarius *approbaverit*, sed *deputaverit*, seu designaverit, delegerit, vel constituerit; nam hæc idem sonant juxta Lexicon Joannis Calvini, V. *designare*: at hoc non importat idem formaliter, ac *approbare pro confessionibus audiendis*, licet in eo, qui ad hoc deputatur, etiam approbatio requiratur. Nam *approbatio*, de qua Trident. sess. 23. c. 15. de reform. est quædam legitima declaratio idoneitatis ad audiendas confessiones, quam Prælatus confert Sacerdoti subdito. Non enim per approbationem (inquit Bellanus D. 8. de pœnit. d. 7.) confertur ullum jus, vel jurisdictio ad audiendas confessiones; sed solùm persona judicatur idonea, cui jurisdictio illa conferatur. Est igitur approbatio, testimonium authenticum, quo approbatus judicatur idoneus, seu aptus, cui jurisdictio, seu munus audiendi confessiones committatur; hoc est, cui à Prælato oves sibi commissæ in ordine ad absolutionem à peccatis subjiciantur. Deinde plures sunt pro animarum cura per Ordinarios approbati, hoc est, per declarationem authenticam idonei declarati, quin sint eo ipso deputati pro tota, vel parte diœcesis; hoc enim importat etiam designationem populi, cui beneficium Sacramentale præstare valent jurisdictionis suæ usu, hoc ipso, quòd deputatus sit, quod non contingit solâ approbatione, seu testimonio idoneitatis.

2431 Videtur 2. per ea verba, quos Ordinarius deputaverit *jubilæi hujusmodi causâ*, non exigi. 1. novam approbationem, seu declarationem authenticam de idoneitate Confessoris ad audiendas confessiones eorum, qui vellent absolvi à reservatis, & reliquis in §. *ad hunc effectum* expressis, cùm textus non dicat, quos *approbaverit*, sed, quos *deputaverit* jubilæi hujusmodi causâ; *deputari* autem verificari potest etiam in eo, qui jam ante habet authenticam declarationem idoneitatis, præsertim simpliciter; ergo. 2. non exigi certum numerum personarum, nec etiam certam earum qualitatem, ut sint tantùm Regulares, vel non Regulares, aut certi tantùm Ordinis; cùm textus expressè dicat presbyteros *seculares*, vel *regulares cujusvis Ordinis*, 3. hanc deputationem non exigi, nisi *ad effectum absolutionis à reservatis*. Quarè, si Ordinarius certos solùm Regulares, vel seculares presbyteros deputaret, lucraturus jubilæum, consequi potest indulgentias, & peccatorum remissionem, confitendo cuilibet alias approbato, & ad audiendas confessiones deputato (licet non esset ex specialiter deputatis ab Ordinario *hujus jubilæi causâ*) si non indigeret absolutione à peccatis, & pœnis *reservatis*, pro quorum absolutione vi talis jubilæi, specialis facultas conceditur.

Si quæras, an Confessarii ordinarii, 2432
nimirum legitimè approbati, & pro usu dictæ approbationis etiam extra jubilæum actu deputati, *in hoc jubilæo, etiam ad effectum absolutionis à reservatis, eligibiles fuerint*, si Ordinarius, vulgato in sua diœcesi hoc jubilæo, expressè dixit, *se causa hujus jubilæi deputare pro Confessariis*, N. N. *expressis solùm certis*, v. g. *Confessariis ex tali Ordine, vel expositis in tali Ecclesia*, non nominatis aliis, cæteroquin etiam exercentibus munus Confessarii ordinarii in ea diœcesi vel aliis Ecclesiis?

Ante resolutionem not. verum esse, quòd uterque summus Pontifex, Innocentius X. & Clemens XI. locorum Ordinariis indulserit facultatem, quatuor Ecclesias pro visitatione, & oratione in illis, designandi, in numero dictum præscripto cum impeditis dispensandi, pro certis personis quoad opera, conditiones, modum, & tempus præscribendi, Confessarios jubilæi causâ eligibiles, deputandi, & universim quæque opportuna remedia sibi visa in prædictis omnibus, & singulis adhibendi, non tamen aliter, quàm, quæ spirituali consolationi, ac animarum saluti expedire judicaverint, ut liquet ex §. 1. in Brevi Clementis n. 2394. & §. *Præterea* in n. 2396.

Quarè contra illa, quæ certis Religio- 2433
nibus jure suarum legum, à Sede Apostolica confirmatarum ad suam religiosæ perfectionis observantiam præstanda sunt, in operibus præscriptis pro jubilæi consecutione non videtur indulta facultas aliquid ordinandi præscribendo vel exigendo actiones illis contrarias, ac si jubilæum obtinere velint, & obligatione præstandas. Cujus ratio est, quia Pontifex concessione jubilæi non quærit nisi spirituali consolationi, & animarum saluti consulere, libertate conscientiæ, cæteroquin ad certos tantùm Confessarios, aut recursum ad Superiores restrictæ facilitando peccatorum confessionem, & absterso eorum maculis etiam

pœnæ

pœnæ reatum per indulgentias extinguendo, ut tantò securius à mundis corde placetur DEUS, &c. quibus positis:

2434 R. ad quæstionem in n. 2432. videri, posse probabiliter affirmari; quia quando Pontifex in virtute hujus jubilæi concedit omnibus Christi fidelibus facultatem eligendi Confessarium pro impetranda Sacramentali liberatione à reservatis ex iis, quos Ordinarius deputaverit jubilæi hujusmodi causâ, non intendit *excludere* Confessarios ordinarios, tanquam essent ineligibiles vi jubilæi, si eos non deputaret Ordinarius; sed solùm *ampliare*, ità, ut *præter Ordinarios*, etiam alii eligibiles sint, sed quos Ordinarius deputaverit jubilæi hujusmodi causâ; consequenter eorum verborum (*& ad hunc effectum illis, ut Confessarios, quos dictus Ordinarius, jubilæi hujusmodi causâ deputaverit, sibi eligere valeant, concedimus, & indulgemus*) sensus sit: *& ad hunc effectum* (nimirum absolutionis à peccatis, & pœnis reservatis accipiendæ) *concedimus, & indulgemus* prædictis Christi fidelibus, omnibus & singulis, *ut præter ordinarios suos Confessarios, etiam alios*, nimirum cæteroquin non ordinarios, *eligere sibi valeant, quos dictus Ordinarius deputaverit jubilæi hujusmodi causâ.*

2435 Ratio hujus expositionis est, quia Pontifex in jubilæis concedens pœnitenti libertatem conscientiæ, seu eligendi Confessarium etiam extraordinarium ad effectum obtinendi absolutionem à reservatis, intendit illi facere meram gratiam, & Pontificiæ charitatis beneficium ad spiritualem animæ consolationem, at hoc non contingeret, si eligibilitatem Confessarii cum ejusmodi facultate restringeret ad solos extraordinarios, exclusis Ordinariis, (quorum operâ Fideles pro solatio animæ suæ uti consueverunt) non enim foret gratia, & beneficium, sed onus, negatâ facultate Confessori Ordinario, cogi eo relicto tempore tam gratioso accipere alios, & conscientiam aperire aliis, præsertim alterius Ordinis, vel statûs, ad quos frequenter non est confidentia, &c. Deinde, quia si Episcopus deputans Confessarios, nullum de tali Ecclesia Regulari cæteroquin Confessorem ordinarium illorum Regularium deputaret, ut factum esse dicitur, illi, si consequi vellent hunc effectum, de quo loquimur, cogerentur eligere in Confessarium hominem alterius Ordinis, aut etiam statûs non regularis; quod revera non est opus gratiæ, aut spiritualis consolationis, fortasse nec ædificationis; dum *cogerentur*, quo non negatur, si hoc *permittatur*, ut omnino permitti videtur, ne citra causam restringamus hoc singulare beneficium summi Principis Ecclesiastici.

Dices: ergo saltem illi Regulares in hoc jubilæo ad effectum absolvendi à reservatis non erant eligibiles, qui nec deputati sunt ab Ordinario hujus jubilæi causâ, nec sunt Ordinarii Confessores Regularium. R. N. illatum. Nam quando dicimus, deputationem Confessarii eligibilis, faciendam ab Ordinario, intelligendam de Confessariis extraordinariis *præter ordinarios*, per Confessores *ordinarios* non intelligimus eos tantùm, qui solùm sunt *Ordinarii Regularium*, sed qui sunt *Ordinarii, seu deputati ad audiendas confessiones in tali Ecclesia, vel universim cum facultate audiendi omnes undecunque accedentes.* Quia per amplissimum hoc beneficium benignæ Matris Ecclesiæ pro libertate conscientiæ Fidelium non potest præsumi, velle excludi ordinarios Confessarios *Ecclesiarum*, sed potius ampliari permissione prorsus maternâ, ut præter illos, etiam non ordinarios cæteroquin, sed extraordinarios, pro hujus jubilæi effectu deputare, & Fideles etiam ex illis unum eligere possint. Hoc enim maximè consentaneum est tali gratiæ ac beneficio, & secus plurimis afferret plus gravaminis, quàm spiritualis consolationis, contra intentionem concedentis. Hæc afferenda videbantur in favorem sententiæ, quam n. 2434. diximus, videri posse, probabiliter affirmari; cæterum aliorum judicio resolvendum relinquo.

Ad exponenda igitur ritè verba paragraphi *ad hunc effectum*, quibus dicitur indulgeri Christi Fidelibus, pro absolutione à reservatis obtinenda eligendi Confessarium ex his, quos dictus Ordinarius jubilæi hujusmodi causâ *in statutis Ecclesiis deputaverit*, not. 1. non contineri præceptum ejusmodi Confessarios *in statutis* pro visitatione, ac precibus fundendis *Ecclesiis deputandi*, & non extra; tum quia verba illius §. necsunt præceptiva; tum quia non diriguntur immediatè ad Ordinarium, imponendo illi aliquod vinculum conscientiæ pro Confessariis *in tali loco* designandis, & consequenter confessione *inibi* peragenda. 2435

Not. 2. illa verba: *quos in statutis Ecclesiis deputaverit*, posse multiplicem intelli-

telligentiam habere. 1. ut appellet solùm supra illos, quos deputaverit ad audiendas confessiones, *in ipsis Ecclesiis pro visitatione statutis*, seu designatis; *& non alibi*; 2. quos deputaverit ad audiendas confessiones *in Ecclesiis*, hoc est, piis locis, ad Dei cultum *statutis, & designatis*; Ecclesiæ enim appellatione in favorabilibus includitur omnis locus pius, per c. *Requisisti*, de testament. ibi: *aut aliis locis piis*, & ideo nomine Ecclesiæ, de quo in c. 1. de restitut. in integr. in 6. veniunt loca pia, eisque competit remedium restitutionis in integrum, prout competit ipsi Ecclesiæ, ut resolvit Abbas in c. 1. n. 5. de restit. in integr. in Decretalibus. Tertiò, quos deputaverit in Ecclesiis *statutis pro Sacramentorum perceptione*; vel 4. in Ecclesiis *statutis*, ac *designatis, pro jubilæi celebratione*; nam Ecclesiæ Ordinario subjectæ, cùm sint multæ, & sæpe justis de causis non possunt simul eodem tempore jubilæum inchoare, non gaudent jubilæo, nec dicuntur *jubilæi causâ statutæ, vel designatæ prius*, quàm ab Ordinario denominatæ sint, jam hæ, jam illæ, ut in tali Ecclesia, seu loco jubilæum intimetur, ac celebretur; quibus præmissis:

2439 Videtur 3. dicendum, prædicta verba, quos *in statutis Ecclesiis deputaverit*, non esse accipienda in primo sensu, tanquam intelligenda forent *de illis tantum*, quos Ordinarius deputaverit *ad confessiones excipiendas solùm in illis Ecclesiis, quæ pro ipsarum visitatione statutæ*, seu designatæ sunt; sed potius in eo, quem diximus secundo, aut tertio aut quarto sensu, ut nimirum sensus sit, illos etiam Confessarios in hoc jubilæo esse eligibiles, quos præter ordinarios deputaverint in statutis, seu denominatis Ecclesiis, & locis, ut ibi solennitas, & devotio celebretur. Ratio hujus expositionis est. 1. quia hunc sensum à nobis positum congruè recipiunt ea verba, citra ullam violentiam, aut improprietatem. 2. quia verba in primo sensu intellecta, important acceptionem strictam, quam recusat dispositio tam favorabilis, qualem continet hoc jubilæum; 3. quòd contineat acceptionem valde onerosam, & in praxi nullatenus subsistentem, aut usurpatam. Non enim est credibile, quòd Religiosi homines, qui solent suas confessiones peragere in cellis, seu conclavibus suorum Confessariorum, vel in Capitulo, volentes fieri participes talis jubilæi, fecerint confessionem in Ecclesia. 4. continet expositionem contra communem praxim. Nam etiam in jubilæo tempore Innocentii X. ut testatur Gobat cit. in diplomate, quo jubilæum ab ipso concessum, fuit promulgatum, copia fiebat *omnibus Confessariis* extra urbem Constantiensem degentibus, & approbatis, excipiendi confessiones adspirantium ad gratiam jubilæi, & *sine mentione loci*, in quo deberent fungi hoc officio, sicut & omnibus approbatis (sine itidem mentione loci) Anno 1651. concessit Antistes Erisinganus; & plures alii, id, quod novissimè in hoc jubilæo Clementis XI. sub pari omnino forma cum Brevi Innocentii X. ab ipso concesso, simili amplitudine disposuit eminentissimus Cardinalis, & Ordinarius Passavienſis, ut notavimus n. 2428.

Accedit, quòd nec in §. *ad hunc effe-* 2440
ctum exigatur, *in statutis Ecclesiis confessiones esse audiendas, vel faciendas*; sed tantùm faciendas apud ipsos quocunque demùm decenti loco, qui deputati sunt pro Ecclesiis statutis; ubi non additur statutis *pro visitatione*, vel statutis, *ut in ipsis fiat oratio præscripta*; ergo congruè dicitur, quos deputaverit in Ecclesiis *statutis pro celebrando inibi jubilæo*, seu statutis pro his, qui se volunt participes reddere jubilæi per executionem injunctorum operum: sic autem omnes ab Ordinario legitimè approbati, rectè dicuntur *deputati in Ecclesiis* hoc sensu *statutis*; ergo. Nec in casu, quo aliter disponerent Ordinarii, præsumendum est, illos in alio sensu accipiendos esse, nisi clarè exprimerent, quòd spectato animarum bono expedientius arbitrentur, non esse alios Confessarios, quàm à se expressos, hujus jubilæi causâ, eligendos; quod vix evenire poterit, spectatâ spirituali animarum consolatione, quam Summi Pontifices in hisce favoribus intendunt.

Nec favere videtur, quod quidam pu- 2441
tant, primum sensum expressis verbis in §. *ad hunc effectum*, contineri; hoc enim ad summum dici posset, si attendantur verba *purè*, præscindendo, quòd usurpentur *in materia favorabili*; 2. præscindendo ab intentione loquentis; quæ tamen adeo attendi debet, ut, ubi de illa constat, aut meritò præsumi potest, non curanda sint verba. *Non enim*, ut rectè loquitur Clemens III. c. 19. de verb. signif. *debet aliquis verba considerare, sed voluntatem & intentionem; quia intentio non debet verbis deservire, sed*

verba intentioni: at intentio concedentis jubilæum non est, obstringere ad confessiones faciendas, vel audiendas *intra Ecclesias pro visitatione statutas*, sed solùm faciendas illis, quos Ordinarius volentibus lucrari jubilæum pro Confessoribus deputaverit eo tempore, quo in Ecclesiis, seu locis hujusmodi jubilæi devotio, ac solemnitas statutis & determinatis celebratur; quo casu nomine *Ecclesiæ statutæ*, quoad hunc effectum veniunt omnes Ecclesiæ, & loca pia illius loci, vel Parochiæ, cui authoritate Ordinarii promulgatum est jubilæum; nisi secus, & aliter expresse restringat concedens, prout absolutè potest, quod tamen in dubio, stante usu contrario in similibus casibus exercito, præsumi non debet contra naturam dispositionis favorabilis in causa salutis animarum & Religionis, quod fortè ex causa speciali dici posset de casu jubilæi Clementis VIII. cujus mentio superius facta est.

2442 Contra id, quod diximus n. 2399. (in jubilæo anni Sancti à Clemente XI. ad instantiam Episcopi Passavienſis extenso ad hujus Diœcesin Ordinarium, post semel deputatas Ecclesias quatuor (quas Pontifex exprimit, *semel tantùm deputandas*) potuisse non improbabiliter alias deputare, non obstante dictâ clausulâ.) Dices 1. quòd hæc assertio sit contra expressam mentem Pontificis dicentis, *semel tantùm*, quæ verba *essent otiosa*, si vi clausulæ finalis Jubilæi Clementini, assumptæ ab Authore ad probandum suum assertum (in qua dicitur: *Ordinarium in præmissis omnibus, & singulis arbitrio suo posse ordinare, providere* &c.) posset Ecclesias *semel* deputatas *negligere*, aliasque deputare: quare hæc finalis clausula referenda est duntaxat ad personas, immediatè ante eam specificatas, videlicet ad Moniales, Orphanos &c. Secùs ad §§. alios anteriores, exceptis iis, in quibus expresse, aut saltem implicitè Pontifex commisit arbitrio Ordinarii dispositionem, prout explicitè committit bis, & tertia vice dum agit de monialibus Orphanis &c. Si verò committit implicitè, nempe in illis §§. in quibus dicitur: *prout ipsi Ordinario videbitur.* Videatur Gobat tr. 3. de Jubil. c. 50. à n. 499. ad 515. præmittens n. 428. quòd Pontifex per particulas, *semel tantùm* exigit in Ordinario constantiam in designatione semel facta. Dices 2. quòd generi derogetur per speciem; ergo clausula generalis finalis per præcedentes specificas restringitur, ut non afficiat §§. specificè clausulatos.

Ad 1. arg. R. Verum esse repetiri utram- 244
que clausulam, &, non obstante primâ, nihilominus poni secundam; quia Pontifex *omnia & singula præcedentia* subjicit dispositioni ipsius Ordinarii sine ulla restrictione committens hoc ipsius prudenti judicio, consideratis personarum & rerum qualitatibus, &c. atqui inter omnia & singula promissa est etiam *illa clausulata designatio Ecclesiarum*; ergo non obstante, quod semel facta sit, si videbitur Ordinario expediens pro bono animarum, vel omnium in tali loco, vel saltem aliquarum, pro illis poterit designare aliam, à prius designata, Ecclesiam. Quod P. Gobat dicat desiderari constantiam Ordinariorum, non obstat dictis; cùm non omnis mutatio alicujus designationis factæ, supervenientibus causis gravibus, arguat inconstantiam, quæ non deceat Pastorem animarum; sapientis enim est mutare consilium, ubi graves rationes suadent contrarium, ut manifestum in tot constitutionibus Successorum, etiam Romanæ Ecclesiæ Pontificum, qui constitutiones suorum Antecessorum vel abrogârunt, vel restrinxerunt, justis causis sic exigentibus. Deinde prorsus negatur, quòd *posterior illa clausula* referatur ad §. qui agit solùm de Monialibus & Orphanis &c. cùm legenti Bullam Pontificiam (cujus verba sufficienter retuli) satis constare possit, etiam alia in reliquis §§. contenta, arbitrio subjici ipsius Ordinarii.

Ad 2. R. verum esse, quòd *generi per* 245
speciem, & dispositioni generali per specialem posteriorem *derogetur*, non autem si specialis prior est, & illi in eadem scriptura subnectatur generalis, quâ dicitur *omnia & singula præmissa*; nam per hanc expresse denotat *omnia & singula priora*, quantumvis clausulata si gravis, & justa ratio exigat, per illam subjici dispositioni ejus, cui concedit facultatem disponendi de omnibus, & singulis *præmissis*; & ita sentiunt etiam complures jurisperiti à me super hoc specialiter consulti, tam sæculares, quàm Ecclesiastici; & ratio hujus est; quia prior est solùm declarativa necessitatis communis in illis personis; posterior autem universim quoad casus occurrentes ex justa causa committit eorum dispositionem arbitrio Ordinarii.

Præter hæc ad factas objectiones not. 246
quod objiciens dicat 1. clausulam (*Ecclesias semel tantùm deputandas*) fore *otiosam*, si per posteriorem clausulam (*omnia & singula præ-*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

prædicta) facta esset facultas Ordinariis deputandi *alias Ecclesias*, si prius deputatæ viderentur minus opportunæ ad finem lucrandi jubilæum per injunctas Ecclesiarum visitationes. Sed an hoc bene sequatur? judicent alii. Si quis enim dicat, *committo tibi facultatem, semel tantùm in hac materia disponendi*, & subjungat clausulam generalem, *nisi aliter tibi visum fuerit ex justa causa in prædictis disponere*; non bene dicetur, illud *semel tantùm*, fore *otiosium*, ubi necessitas; vel justa utilitas id exegerit. Nam ly *semel tantùm*, in materia tam favorabili, ut est præsens, de qua agimus, propter sequentem clausulam rectè exponitur, quòd *semel tantùm, seclusâ necessitate, vel justa causa aliud exigente*.

2446 Dicit 2. clausulam memoratam *fore otiosam* si Ordinarius vi clausulæ finalis, seu posterioris (quâ dicitur, *Ordinarium in præmissis omnibus, & singulis posse providere, ac ordinare*) posset Ecclesias, semel deputatas, *negligere*, aliasq; deputare &c. Propositio, quam trado n. 2399. est hæc, quòd *vi ejus clausulæ generalis, & finalis, non improbabiliter dici possit, Ordinarium causa justa exigente, (non obstante clausula (semel tantùm deputandas) alias ab illis antè deputatis*, designare posse) cùm per clausulam finalem fiat ei potestas providendi, & ordinandi, in *omnibus, & singulis prædictis arbitrio suo*, (hoc est) maturo judicio id suadente rebus supervenientibus, ritè perpensis; & opponens infert: ergo posset jam semel deputatas Ecclesias *negligere*. Error hujus illationis, seu sequelæ videtur ex eo natus, quòd arguens ly *disponere*, ac *providere pro arbitrio*, sumat pro eo, quod est *ex mero libitu*, quod sine dubio non rectè accipitur; ut constat ex utroque jure: quod quis facere potest *pro libitu*, potest *facere, vel omittere*; secus, quod committitur *alicujus arbitrio*, hoc enim importat libertatem arbitrandi, *& voluntatem ratione regularem*, ut notat Pereyra in Elucidar. n. 58. ex Alexand. Scot. V. *Arbitrium*; non igitur *libertatem negligendi*, de qua nemo somniavit. Illa igitur clausula (*semel tantùm deputandas*) foret otiosa, si Ordinarius *pro libitu* posset eam deputationem *negligere*; non autem, si causâ superveniente, eâque justâ, & rationabili, voluntate per rationem maturè regulatâ, aliter ordinare.

2447 Dicit 3. per clausulam *specialem* derogari generali, sive hanc præcedat, sive sequatur: quia *generi per speciem derogatur*; ergo clausula posterior generalis non extendit se ad illud punctum, quod habet clausulam specialem; sed punctum de Ecclesiis *semel tantùm* deputandis habet clausulam specialem: ergo ad hoc punctum non extendit se clausula generalis committens Ordinariis facultatem disponendi de prædictis. &c. illam regulam 34. in 6. *generi per speciem derogatur*, habere multas fallentias, ut videri potest apud Peckium in Clement. ad regulas juris Canon. reg. 34. à n. 3. consequenter ex illa sic indefinitè prolata non rectè concludi in casu particulari.

Unde scribentes in ejusmodi regulas, rectè notant cum Henrico Linckio ad tit. 41. de regul. juris circa omnes istas regulas sequentes cautelas observandas esse, primo, jus non esse sumendum ex regula, sed regulam ex jure; supponit enim jus jam constitutum, regula 2. regulam restringi ad suam juris speciem, & sic applicari ad eum casum; ubi omnes circumstantiæ, & qualitates regulæ concurrunt, & si non adsint qualitates juris, ex quo regula desumitur, illam suum officium perdere, & vitari 3. Omnem regulam in jure dici *periculosam* (scilicet quoad congruam applicationem) ut nimirum tum, si non adsint ejus requisita, illa perdat suum officium; at hoc non præstat arguens. Nam vel assumit eam universaliter? & sic fallit; ut fatentur omnes; vel in casu particulari? & sic arguit à particulari ad particulare, sine medio utrique communi: quod vitiosum est; ergo.

Sed ut directè &c. dist. ant. per clausulam specialem derogatur generali si hæc subjiciatur pluribus antè dictis, & apponens posteriorem expresè illam non referat *ad omnia, & singula prædicta*, transeant: *si eam expresè referat ad omnia, & singula prædicata*. N. anteced. nam per hoc satis apertè ostendit, se casum particularem sic statuisse, ut non velit illum procedere, ubi subintrat casus posterior, quem generaliter eximit, ut, si dicat, *nisi aliud Ordinarius judicet*; ex hoc enim fit, quòd utraque verificetur, ut non liceat, nisi semel tantùm deputare visitandas Ecclesias, secluso scilicet casu, quo pro animarum salute aliud judicaverit Ordinarius; sic enim nec posterior priori, nec ista illi contradicit, ad quod cavendum introducta est illa regula, ut notat Peckius cit. n. 4.

Contra id, quod dixi n. 2400. (*privile-* 2448

gium Gregorii XIII. *ad instantiam P. N. Generalis Everardi, Societati concessum, ne Religiosi Soc. JESV utantur facultatibus directè, vel indirectè Societati concessis, sine faculate Superiorum, non obstare, jubilæis universalibus, quòminus illi facultatibus per ea concessis, citra factam à Superioribus licentiam, frui possint*) contra hoc, inquam, sic arguebat Theologorum quispiam: si hæc opinio ab Authore fundaretur in clausulis derogatoriis, communiter adjici solitis, nihil opponerem; verum quatenus fundat eam in hoc, quòd Constitutio Gregoriana non loquatur de jubilæis universalibus, idque colligat ex precibus Everardi initio ejusdem Constitutionis expositis, quæ videntur restrictæ ad gratias aliorum Ordinum, piorum locorum, particularium communitatum, ac personarum, nullâ factâ mentione jubilæi universalis, proinde Constitutio Gregoriana procedat de expressis in petitione, ac instantia, oppositum habet.

2449 Opponit. 2. quia etiam secundùm Patronum dictæ sententiæ in interpretatione principaliter, ac primò omnium sit spectanda mens dicentis, proinde hìc, Gregorii *concedentis privilegium*, hujus autem mens ac intentio *expressa* est, ut Societatis Regularis, ac exemplaris disciplina retineatur, ac conservetur: huic autem intentioni *non minùs repugnat usus liber jubilæorum universalium*, quàm particularium, imò magis; quia *jubilæa universalia* cum favoribus videntur concedi (ut initio cujusvis novi Pontificis, ac tempore necessitatis magnæ Ecclesiæ; uti nostra ætate sæpe vidimus illa indici per orbem Catholicum) è contra rarò particularibus communitatibus.

2450 Opponit 3. mens P. N. Everardi fuit universalis, quoad conservandam Societatis disciplinæ integritatem, quæ non minùs potest labefactari per usum jubilæi universalis, independentem à Superiorum licentia, quàm particularis; ergo cùm Regularis observantia sit favorabilis toti Religioni, proinde conservat bonum publicum ejusdem, latè est interpretanda Constitutio privilegiativa atque adeo extendenda *ad omnes species jubilæi*.

2451 Opponit. 4. Pontifex in sua Constitutione cit. §. *ne quis autem* &c. ait: *quòd modis omnibus velit retineri disciplinam Regularem, nec esse, nec fore unquam suæ, aut Sedis Apostolicæ mentem, ut personæ Societatis aliter, quàm cum expressa licentia superiorum, uti possint favoribus jubilæi quomodocunque concessis hactenus, aut imposterum concedendis nisi in ejusmodi jubilæis fiat mentio expressa, quòd etiam Regulares iisdem frui possint*: ex quibus arguens inquit: Voces, (*non esse, nec fore unquam*, favoribus *quomodocunque* concessis, aut concedendis, *universales sunt*) proinde universaliter sumendæ; ac genericè, cum earum materia sit favorabilis toti ordini.

Opponit 5. quòd Pater Gobat, in jure versatissimus, nunquam intellexerit dictam Constit. Gregorianam, esse restrictam; sed intellexerit eam ut universalem, uti constat ex tract. de jubil. à n. 225. imònec audet definire, an per clausulas derogatorias, in universalibus jubilæis expressas, derogetur privato privilegio Societatis. 2452

Ante respons. not. me de industria, lo. 2453 co cit. non usum argumento, desumpto à *clausulis derogatoriis ejusmodi jubilæorum universalium*, quæ directè conceduntur *omnibus Christi fidelibus*, communiter apponi solitis; quia tales clausulæ non semper adjiciuntur; ut constat ex jubilæo Clementis XI. cujus verba retulimus à n. 2394. atque adeo potius conclusionem fundasse in ipso textu privilegii à Gregorio XIII. concessi nostræ Societati, deducendo facultates, quæ *directè* conceduntur *omnibus Christi fidelibus* in jubilæis universalibus, non comprehendi *sub facultatibus, quarum usum (independenter à consensu superiorum) Gregorius negat posse nostris competere*. Hujus ulterior ratio est; quia, ut male supponit arguens, ad hoc ut ex assumpto à nobis argumento conclusio firma sit, dictum privilegium non indiget *derogatione*; cùm negetur supposito, sub eo contineri usum facultatum, quæ in jubilæis universalibus conceduntur *directè omnibus Christi fidelibus*, ut constabit ex sequentib.

Pro hujus rei expositione not. Gregorium XIII. in sua Constitutione *Decet Romanum*; ita loqui: *Decet Romanum Pontificem, ne religiosæ personæ, pro usu gratiarum, à Sede Apostolicâ emanatarum, ab institutæ sui normâ recedere cogantur, declarationis suæ oraculo, aliisque opportunis remediis diligenter providere.* Deinde subjungere, *quòd Everardus Mercurianus, Præpositus Generalis Societatis JESV, tam suo, quàm Dilectorum filiorum Societatis hujusmodi nominibus, suæ Sanctitati nuper exposuit, quòd licet* 2454

gratia,

gratiæ, immunitates, indulgentiæ, & privilegia aliorum Ordinum Mendicantium, cæterarumque Religionum, & piorum locorum per nonnullos Romanos Pontifices, & præsertim felic. recor. Pium Quintum, prædecessores Gregorii, dictæ Societati fuerint communicata, & concessa; nihilominùs aliquando; circa illorum praxim, & usum, seu modum; & formam eisdem utendi (propter institutii ipsius Societatis ab illis prædictis Religionibus diversitatem) dubitari contingat: quibus relatis, & Societati denùo *indultis privilegiis*, omnium Ordinum, ac piorum locorum *concessis, & concedendis* juxta institutii rationem, *ad submovendam omnem omnino hujusmodi dubitationem*, circa dictorum privilegiorum concessionem, his verbis ita statuere: *quod privilegia, immunitates, exemptiones, facultates, concessiones, indulta, indulgentiæ, remissiones, gratiæ, & litteræ hujusmodi, nec non & ipsi Societati nominatim, vel ejus Præposito, aut personis, seu locis hactenus concessa, seu in posterum concedenda, prædictis, & pro tempore existenti Præposito Generali Societatis hujusmodi concessa esse intelligantur; qui illa per se ipsum, vel alium, seu alios ab eo, vel de ejus commissione, electos, seu eligendos, quibuscunque locis, & personis dictæ Societatis sub ejusdem Societatis obedientia, emissis tribus votis, etiam simplicibus, degentibus (prout magis expediens fuerit) communicare liberè; & licitè valeat; Nec aliter cæteræ personæ dictæ Societatis, prædictis privilegiis, facultatibus, & aliis præmissis, aut aliquo eorum, nisi per Generalem Præpositum, & de ejus beneplacito, aut per alium, seu alios ejus commissione electos, ut præmissum est, uti, aut gaudere possint.*

2455 Ex hoc textu; quantum quidem ego colligere possum, & quisque attentè illum considerans deprehendet; habetur, quod P. N. Generalis in sua supplicatione non loquatur de aliis gratiis; immunitatibus, indulgentiis, & privilegiis, quàm quæ Societati concessa sunt, per viam communicationis in privilegiis aliorum *ordinum Mendicantium, cæterarumque Religionum & piorum locorum*, eò, quòd horum occasione; ac *liberò* usu, propter diversitatem instituti Societatis ab institutis aliarum Religionum contingeret quandoque dubium circa praxim, & usum, seu modum, & formam dictis privilegiis utendi, cùm usus, & modus utendi eisdem, qui aliarum Religionum institutis congruit, quandoque non congruat instituto Societatis propter hujus diversitatem ab illis.

Secundo, si consideremus verba, & 2456
sensum privilegii concessi à Gregorio, seu potiùs id, quod in ea constitutione ab illo conceditur; æquè clarum erit, textum consideranti, Gregorium non loqui de *quibuscunque* facultatibus, & gratiis, *quibuscunque*, & quomodocunque concessis, & concedendis, sed solùm *de privilegiis, indulgentiis, remissionibus, gratiis, & literis, hujusmodi*, concessis, & concedendis, & *ipsi Societati nominatim* (nimirum directè) *& indirectè*, videlicet *per viam communicationis cum aliis personis, & locis prædictis*: ac inter *prædictas* facultates, & gratias; vel personas, & loca, non est *jubilæum universale directè concessum omnibus Christi fidelibus*; ergo istud sub eo privilegio non comprehenditur. Certum enim est plura privilegia, gratias, & similia, successu temporis esse concessa toti Fidelium cœtui, seu toti populo Christiano, à quibus vi dictæ constitutionis Regulares Societatis non excluduntur. V. Constitut. Urbani VIII. in fi.

Ad 1. oppositionem in n. 2448. (qua- 2457
tenus vult conclusionem n. 2400. à nobis datam *non rectè fundari* in verbis supplicationis, & desuper datæ à Gregorio specialis concessionis) simpliciter nego arguentis oppositionem, ut constat ex præmissis à n. 2455. Ad 2. in n. 2449. &. illam *interpretationis* regulam non habere locum, *nisi cum verba sunt sensûs ambigui*; nam ubi lex ipsa clara est, *interpretatione* non indiget; in dato autem casu verba clarè aperiunt quid sit petitum? ob quem finem petitum? quid concessum? & qualiter in singulos ea descendat? hac nimirum ratione, ut cæteri subditi Societatis JESU *prædictis* privilegiis &c. non aliter nisi per generalis consensum, uti, & gaudere possint; ubi nota, quòd non dicat *nullis*; sed prædictis privilegiis &c. quæ autem illa? sed hoc explicatione non eget, cùm in n. 2455. ipse textus clarus sit. Hinc dato, quod in hoc etiam casu (juxta leges, rectæ interpretationis) locum habeat ea regula; nimirum principaliter spectandam esse mentem, ac intentionem concedentis; dist. min. sed expressa intentio Concedentis est; ut in Societate regularis disciplina retineatur, & conservetur in usu *prædictarum* facultatum, de quibus loquitur supplicatio. C. in aliis non expressis. N. min. Pontifex enim in suis rescriptis, & conces-

sionibus non censetur consentire, nisi in ea, *quæ sibi exponuntur* in supplicatione; & ideo expresè concessionem suam iterato limitat ad *præmissa*, ad *prædicta*, ad facultates, personas, & loca, *hujusmodi*, de quibus scilicet in supplicatione ibidem relatâ mentio facta est.

2458 Ad 3. oppositionem in n. 2490. N. ma. non enim video, quomodo, vel unde desumat, mentem P. N. Everardi fuisse *universalem*, cùm, ut liquet ex claro textu in n. 2454. Pontifici solùm proposuerit difficultatem *circa tenendum in Societate usum*, praxim, modum, & formam gratiarum, immunitatum, indulgentiarum & privilegiorum *aliorum Ordinum Mendicantium, cæterarumque Religionum, & piorum locorum*, quæ etiam Societati per viam communicationis concessa sunt per antecessores Gregorii; sed gratiæ, immunitates, indulgentiæ, & privilegia concessa aliis *Ordinibus Mendicantium, cæterisque Religionibus, & piis locis*, nullatenus denotant *universalitatem* relatè ad omnes gratias, immunitates, indulgentias, & privilegia concessa, & concedenda *cuicunque alteri*, qui non continetur sub vocibus eorum ibi specificè expressorum: ergo citra fundamentum dicitur, etiam jubilæa concessa, vel concedenda toti populo Christiano, seu omnibus Christi fidelibus, comprehendi sub ea Gregorii dispositione, vetante Regularibus Societatis usum earum gratiarum, immunitatum, indulgentiarum, & privilegiorum, quæ concessa sunt, & concedentur *aliis Religionibus, & piis locis*.

2459 Ad 4. oppositionem ℣. quòd si opponens textum Gregorianæ Constitutionis ex §. *Nequis autem*, sincerè, ac nullo verbo prætermisso retulisset, in eodem textu solutionem suæ oppositionis apertè vidisset. Textus in cit. §. *Ne quis autem*, sic habet: Ne quis autem Apostolicorum indultorum *prætextu* regularem, ac exemplarem instituti prædictæ Societatis disciplinam, quam modis omnibus retineri, & conservari volumus, dissolvere, aut relaxare præsumat; non esse nec fore unquam mentis nostræ, aut sedis Apostolicæ, ut personæ Societatis absque expressa Superiorum ejusdem Societatis licentiâ, utantur facultatibus, *quæ in jubilæis*, Bullis cruciatæ, Confessionalibus, aut aliis quibusvis Apostolicis indultis *sive communitatibus sive privatis personis, sive piis locis, aut quomodocunque aliter hactenus concessæ sunt, aut in posterum concedentur*, etiamsi in illis expresè indulgeatur, ut omnes Regulares, etiam Mendicantes hujusmodi facultatibus uti possint. Ex hoc enim apparet Pontificem loqui, de jubilæis, Bullis cruciatæ, & aliis Apostolicis indultis, quomodocunque concessis, & concedendis, *non cuicunque*, aut *quibuscunque*, sed *Communitatibus*, vel *personis privatis*, aut *piis locis*, quæ verba oppositor in suo argumento prætermisit, non bene; cùm per ea sermo de jubilæis &c. restringatur ad ea tantùm, quæ concessa sunt *prædictis*, ut sæpe jam notavimus in præcedentibus, nullibi enim dicit generaliter, *concessis quibuscunque*.

Ad §. oppositionem in n. 2452. desumptam ex P. Gobat ℣. quæ ex illo allata sunt, non præjudicare dictis; constat virum illum in Moralibus fuisse versatissimum; sed non constat, quibus ille causis motus abstinuerit à dicenda sua sententia in hac quæstione. Mihi dubium non est, illum potuisse sapienter omnino, ac perquam eruditè dicere mentem suam: cur non dixerit? divinare non prodest; nec ego hæc aliter dicta velim, quàm quantùm ex ipso textu memorati Privilegii legitimè sequitur. 2452

Quod verò ab Arguente dicitur in n. 2449. intentioni conservandæ regularis disciplinæ in hac Religione usum liberum privilegiorum *universalium* non minus, imò magis *repugnare*, quàm *particularium*, ego tam fidenter non auderem asserere: sed quidquid sit de hoc, ratio ex qua procedit falsa est; nam etsi jubilæa *particularia* particularibus Religionibus *rarò* concedantur (universalia verò *sæpius*, utpote initio cujusque novi Pontificis, & causâ gravium Ecclesiæ necessitatum) illa tamen, *cùm perpetua sint*, & quovis anno recurrant; universalia verò non nisi temporanea, & ad dies paucos, nec quovis anno, non potest *ex vero* dici, hæc propter *frequentiam* suam magis, quàm illa repugnare intentioni conservandæ Regulari disciplinæ. 2449

Deinde nor. ad hominem, quod idem, 2449 qui hæc opponit contra jubilæa universalia, dicat, ut notamus n. per vocem *jubilæum* non importari nisi plenarias indulgentias, seu, quod formalissimè idem est, plenitudinem tollendi reatum pœnæ propter peccata debitæ; non autem, favores alios: quo annotato, quæro, quando Pontifex in §. *ne quis autem*. dicit non esse suæ mentis, quòd Regulares Societatis absque expressâ Superiorum licentiâ utantur *facultatibus*, *qua*

quæ in jubilais sive communitatibus, sive privatis personis, sive piis locis quomodocunque concedantur &c. an loquatur de sola facultate lucrandi plenarias indulgentias, vel liberandi animam ex purgatorio, aut applicandi per modum suffragii defunctis fidelibus? vel etiam de aliis facultatibus, distinctis à priore facultate lucrandi indulgentias? primum vix dici potest; quis enim dicet, quòd repugnet regulari disciplinæ Societatis, quòd ejus Religiosi sine Superiorum licentia possint lucrari indulgentias plenarias pro delendo reatu pœnæ pro peccatis debitæ: ergo necesse est, quòd *jubilæum* simpliciter prolatum (prout Pontifex in dicto §. usurpat vocem *jubilæum*, sine addito) importet alias facultates, ac diversas à facultate lucrandi indulgentias, at hoc iste Theologus non admittit; ergo admittere debet, ibi prohiberi solùm usum liberum indulgentiarum; quod non bene dicitur.

2463 Ad n. 1352. cùm loc. cit. expresè teneamus, etiam in Confessore Regulari necessariam esse approbationem ordinarii loci, in quo fit confessio, quæstio fieri potest, an sufficiat approbatio *tacita*, quam aliqui vocant *concessionem jurisdictionis*, in eo sitam, quòd loci Ordinarius Confessori à se prius non approbato subjiciat suas oves in ordine ad forum Sacramenti pœnitentiæ, pro resolut. Not. quòd aliqui dicant, dari approbationem duplicis generis; *expressam* (nimirum sumptam pro judicio authentico de aptitudine personæ pro excipiendis confessionibus) & *tacitam*, acceptam pro concessione jurisdictionis, qua intelligitur illa suarum ovium subjectio. Et quoniam etiam nos diximus in n. 1352. quòd approbatio, præter authenticum judicium idoneitatis, hoc importet, quòd Episcopus subjiciat Confessori oves sibi concreditas, quo insinuatur, à nobis etiam admitti dictam approbationis divisionem, contra hanc divisionem approbationis quidam hæc argumenta opposuit, dicens: 1. hæc distinctio approbationis caret omni fundamento; nam approbationem penitus distingui à jurisdictione, est doctrina Tridentini, quod Sess. 14. c. 7. & Sess. 23. c. 15. de reform. statuit, *ut de distinctis*; nullusque Authorum, quantùm mihi constat, & videre est passim apud Theologos, meminit illius; sed expresè Gaspar, Hurtad. de pœnit. D. 10. difficult. 16. ait, eam distingui à concessione jurisdictionis; atqui consensus Ordinarii, quo approbando Regulari (dum in ejus Diœcesi prius non approbatus audit Confessiones) subjicit pro foro Sacramenti oves sibi concreditas, est concessio jurisdictionis in easdem oves; ergo approbatio Regularis est distincta à consensu Ordinarii, quo approbando Regulari &c. subjicit pro foro Sacramenti oves sibi concreditas.

Secundò, & suo quidem judicio evi- 2464
denter: Clementina *Superna Magni*, editâ à Clemente X. declarat *approbationem* in eo sensu etiam Regularibus necessariam esse à diœcesano loci confessionis (nisi fortè excipiamus Parochum, aliumque similem curatum in aliena Diœcesi audientem suum Parochianum: Illsung tr. 6. n. 178) in quo sensu inter DD. controvertebatur, à quo Ordinario, nempe an loci confessionis, vel pœnitentis, vel Confessarii, vel alicujus ex his tribus sit ad mentem Tridentini obtinenda? sed omnes Doctores in hac controversia ad mentem Tridentini intelligunt per approbationem judicium authenticum de idoneitate Confessarii: ergo Clementina citata in hac controversia, declarans ad mentem Tridentini, esse etiam Regularibus necessariam approbationem à Diœcesano loci confessionis, intelligit *per approbationem* judicium authenticum de idoneitate Confessarii.

Ad hæc argumenta R. divisionem, seu 2465
distinctionem approbationis *in expressam* (quæ dicat authenticum judicium idoneitatis personæ ad munus Confessarii) *& tacitam* (sitam in actu voluntatis, quo Episcopus alicui prius non approbato subjicit suas oves ad audiendas earum confessiones) expresè tradi à Gobat in Theol. Experiment tr. 7. n. 43. & 44. & n. 50. hanc approbationem tacitam sufficere in omnium sententia prout apertè constat ex dictis lib. 1. decretal. à n. 2816. *& hanc ipsam tacitam approbationem*, non tantum à Gobat loc. cit. sed etiam à P. Illsung in Theol. practic. tr. 6. D. 6. q. 6. a. 2. §. 1. n. 2. à n. 181. (cujus opus à Revisoribus Soc. Romæ approbatum est) *non distingui à jurisdictione*, quam nos dicimus esse potius applicationem potestatis in presbyteris acceptæ, ad hoc, ut eam in tales subditos exercere valeat; ut pluribus ostendimus cit. l. 1. à n. 2816. §. *his addi*, quo prænot.

Ad 1. R. immerito ab hoc Doctore 2466
dici, *datam divisionem* carere omni fundamento; cùm nullus prudenter dicere possit, quòd

quòd Ordinarius, qui alicui Regulari, prius non approbato, dicit (*quicunque ex meis Diœcesanis tibi confiteri voluerit, si vis, audi confitentem*) non approbet eum tacitè, hoc est, non censeat dignum hac commissione, nisi eum velis arguere temeritatis. Quod autem dicit, nullum Authorem hujus distinctionis meminisse, in contrario jam ostensum est; neque argumentum desumptum ex Hurtado aliud probat, quàm *consensum Episcopi*, quo aliàs non approbato subjicit suas oves, ab illo *dici concessionem jurisdictionis*. Verùm hanc *concessionem* distingui *ab approbatione tacita*, negat Gobat, negat Illsung, & alii. Nec juvat id, quod assumit ex Tridentino volens hoc loqui sess. 14. c. 7. & sess. 23. c. 15. de reform. de *approbatione* & *jurisdictione*, tanquam *de distinctis*, atque adeo illam ab hac penitus distingui.

2467 Sess. 14. c. 7. sic loquitur; *quoniam igitur natura, & ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos duntaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, & verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet jurisdictionem.* Sess. 23. c. 15. sic: *Quamvis Presbyteri in sua ordinatione à peccatis absolvendi potestatem accipiant, decernit tamen Sancta Synodus, nullum, etiam Regularem* posse *confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut* aliàs idoneus judicetur, *& approbationem, quæ gratis detur, obtineat, privilegiis*, & *consuetudine quacunque*, etiam immemorabili, *non obstantibus.*

2468 Ex primo textu solùm deducitur, quòd Sacerdotes, non obstante potestate absolvendi à peccatis, acceptâ in ordinatione suâ, invalidè absolvant extra mortis articulum, si sententiam ferant in eum, *in quem non habent jurisdictionem*, seu, *in non Subditum*; quo satis clarè insinuatur, hic *jurisdictionem* accipi pro eo, quod alicui ab habente potestatem approbandi subjiciantur oves sibi concreditæ in ordine ad Sacramentum pœnitentiæ; atq; adeo *jurisdictionem* sic acceptam *distingui à potestate absolvendi accepta in ordinatione Presbyterii*, & *hanc* etiam distingui ab approbatione tam expressâ, quàm tacitâ, quod ultro conceditur; sed arguens probare debebat *jurisdictionem* (quam distinguimus à potestate absolvendi acceptâ in ordinatione Presbyterii) *penitus distingui etiam ab approbatione tacitâ*; id quod nullatenus præstat, hoc duplici argumento. Quarè

Ad 1. dico Tridentinum hoc loc. cit. 2467 loqui *de approbatione*, & *potestate absolvendi accepta in Sacramento Ordinis*, tanquam de penitus distinctis; non autem *de approbatione*, & *jurisdictione*, cùm hæc importet approbationem tacitam juxta Gobat, & Illsung cit. sup. n. 2466. Ad 2. in n. 2464. 2. demus totum, quòd Clementina cit. petat *approbationem* in eo sensu, in quo illam petit Tridentinum dist. min. sed Tridentinum (cum cæteris Doctoribus) *per approbationem* intelligit *judicium Authenticum* de idoneitate Confessarii, *expressum vel tacitum*. C. *semper expressum* N. sed quid ex hoc infert? nam per Gobat, & Illsung cit. *illa jurisdictio* (quam distinguunt A. A. à potestate absolvendi acceptâ in Sacramento Ordinis) *est approbatio tacita*; quomodo ergo ex vero dici potest, ab hoc Doctore, sine omni fundamento, nullo Theologorum suffragante, *distingui approbationem in expressam, & tacitam*; &, illam *penitus distingui à jurisdictione?* sed de hoc satis.

Ad n. 1464. & 1466. contra id, quod 2467 loc. cit. à me dictum est, in casu quo Pontifex concedit *jubilæum*, per hanc vocem, præter indulgentias plenarias, importari etiam alios favores in jubilæis communiter annexos, (puta facultatem eligendi Confessarium, qui absolvat à reservatis &c. citato pro hac sententia P. Suarez, cum Castropal. p. 4. tr. 24. D. unica, p. 12. n. 5. & Gobat de jubilæo c. 1.) contra hoc, inquam, opponitur 1. quòd ipse Gobat postmodum, agnoscens, ejus insoliditatem, in eodem tractatu edit. ult. c. 48. illam revocet, dum à n. 358. scribit, nunc esse sibi propemodum certum, *jubilæum*, simpliciter prolatum, nullos habere favores, præter indulgentiam plenariam; in quam rem plura testimonia Romanorum, idem sentientium, adducit; sufficit hic meminisse Card. Lugo, qui coram Innoc. X. in examine Episcoporum dixit, malè quosdam Confessarios anni Jubilati. 1650. absque alio Privilegio absolvisse à casibus Papalibus, &c. non enim habebant authoritatem id faciendi, ex vi Jubilati anni sanctis quam censuram, si Pontifex præsens censuisset illegitimam, debuisset in re tanti momenti, præsertim coram iis, qui pro Episcopatu examinabantur, corrigere.

Dein-

2471 Deinde citatus Gobat n. 364. in Appendice proponit authenticam declarationem Clementis X. cujus titulus est iste: *Notificatio gratiarum, & Declarationum factarum à SSmo Domino nostro Papa Clemente X. occasione præsentis jubilæi Anni Sancti:* postea sequitur per extensum declaratio. Ad hanc cit. Gobat Litt. ee scribit, valdè reflexè observandam esse copulativam *&*, expressam in titulo, *palmarius enim error*, inquit, *foret, si quis existimaret omnia in hoc Cardinalitio scripto habere vim declarationis; sed maxima ex parte constituere novum jus, seu potiùs esse impertitivum aliquarum gratiarum, quæ revera ne implicitè quidem continebantur in Bulla pro anno sancto, siquidem dictio etiam, quâ Cardinalis utitur Lit. B. includit species diversas, ab ante expressis*, per Barbos. in tract. de Dictionibus. 113. n. 15. sed ante lit. B. exprimitur sub Lit. A. venturos Romam ad annum sanctum, consecutores plenissimum Jubilæum, ergo jubilæum plenissimum, ac universale sub Lit. A. expressum, simpliciterque prolatum, nec implicitè continet species expressas sub Lit. B. ac deinceps exprimit favores *eligendi Confessarium, qui absolvat à reservatis, censuris, etiam Bullæ cœnæ Domini, vota commutet, &c.* nullâ factâ mentione compositionis, super bonis incertis, ablatis &c. ergo hi, & similes favores nec implicitè continentur in voce *jubilæum* simpliciter prolata juxta Pontificium oraculum, scripto Cardinalitio comprehensum.

2472 Ante responsionem not. me in n. 1463. & seq. nihil aliud dicere, quàm quòd juxta citatos ibidem DD. *jubilæum* ab indulgentiis distinguatur in eo, quod illud, præter indulgentias, importet communiter alios etiam favores & facultates illis concessas, quibus indulgetur, ut sunt facultas eligendi Confessarium, qui à reservatis absolvat, commutandi vota &c. quibus plura addit Castropalaus à nobis relatus n. 1466. nisi vocis illius significatio expressè limitetur à concedente, vel stylo curiæ communi, & per Sedem Apostolicam probato. Idem aliquando docuit, & tradidit Gobat; licet postea retractaverit, longè tamen pluribus in sententia affirmante persistentibus, ut diximus, n.

2473 Fundamenta porrò, quibus Gobat permotus à prima sua mente recessit, & negativam amplexus, retulimus à n. cum eorundem solutione, quibus etsi negare non velim probabilitatem, certitudinem tamen etiam solùm moralem in illis non reperio. Videamus nunc, quæ Doctor alius in præmissis à n. 2470. affert ad ostendendum, quòd vox *jubilæum* ex communi usurpatione non plus importet, quàm indulgentias plenarias. Ad mutandam sententiam, quæ affirmat plus importari per eam vocem simpliciter prolatam, me non movet, quòd P. Gobat opinionem suam mutaverit. Primum argumentum in n. 2470. desumptum ex Cardin. de Lugo non probat intentum. 1. quia casus ibi non est de jubilæo *simpliciter* prolato; sed de *jubilæo anni sancti*. 2. Cardinalis non dixit ibi: *per jubilæum concedi solùm indulgentias, & nullos alios favores*; sed tantùm *facultatem absolvendi à casibus Papalibus*, & quidem in jubilæo non *generaliter* sumpto, sed specificè *anni sancti*, eo anno, nimirum 1650. à concedente limitato in eo puncto; quod in jubilæis anni sancti sæpius factum est, ut subinde negentur, quæ liberaliter concessa sunt in jubilæis extra annum sanctum, & plura etiam in illis concedantur, quæ in jubilæis generaliter acceptis non indulgentur, ut manifestum est ex novissimo jubilæo Clementis XI. de quo n. 2394.

Igitur si hanc primam impugnationem reducamus in compendium, hoc sonat: *in jubilæo anni sancti 1650. non fuit concessum privilegium absolvendi à casibus Papalibus*; ergo jubilæum generaliter, seu simpliciter prolatum *non importat ullos alios favores, aut facultates absolvendi, sed tantùm indulgentias.* 2474

An autem hoc argumentum rectè concludat? judicet prudens Lector. Certè non rectè argueret dicens: *in jubilæo anni sancti* non conceditur facultas extra Romam lucrandi indulgentias plenarias in festivitatibus certorum Sanctorum concessas, nec utendi aliis facultatibus, intuitu earum indultis; *ergo nec in aliis jubilæis extra annum Sanctum indultis*; certè, non bene. Accedit, quòd negans in aliquo casu facultatem *ad certam speciem* actuum, non neget *omnem facultatem.*

Ad 2. in n. 2471. R. ex illo prout jacet, nihil aliud concludi, quàm in jubilæo *anni Sancti sub Clemente X.* sub favoribus, præter indulgentias ibi expressis *nullam fieri mentionem compositionis super bonis incertis, ablatis* &c. at hoc non obstante consequentiam tamen (quæ ponitur ad finem illius argumenti n. 2471.) negabit Castropalaus, quem di- 2475

xi sentire oppositum; Cæterùm ℟. argumentum non inferre ex discursu præmisso, quod probandum susceperat; id enim, quod inferre contra meum assertum deberet, est: ergo voce *jubilæum* simpliciter prolatâ *nulli favores, & facultates importantur præter solas indulgentias*; nam id, quod oppugnat, est: *voce jubilæum simpliciter prolatâ, præter indulgentias plenarias importantur etiam communiter alii favores*, nimirum obsolvendi à reservatis, & commutandi vota; quamvis Castropalaus etiam addat facultatem *componendi super bonis incertis:* arguens autem solùm probat ex illo Pontificio oraculo non contineri *in jubilæo Clementis X.* etiam implicitè *eam particularem facultatem* componendi Super incertis: quod non est ad intentum, quod *nullum favorem, nisi indulgentiarum significet.*

2476 Nihil igitur ad intentum faciunt hæc duo argumenta, quæ à n. 2470. opposita sunt; nihil etiam, quòd Gobat mutaverit suam opinionem; per hoc enim non evertitur, quod alii gravibus rationibus persuasi tradunt, & tradiderunt; nec etiam id, quod ipse Gobat de jubilæo c. 1. n. 2. dixit, se non legisse Bullam, in qua Pontifex dicat, *se concedere jubilæum, & non simul concedat, saltem tacitè facultates de quibus* hìc n. 2475. exceptâ Bulla antiquissima Alexandri III. de jubilæo Compostellano, in qua non datur facultas *commutandi vota;* hoc enim stare potest, esto Gobat deinde senserit aliud; cùm ejus argumenta contrarium efficaciter non evincant, & non obstante illius recessu alii in affirmativa persistant.

2477 Sic Ausonius Noctinot. in summa Dianæ. *V. Jubilæum.* 1. *jubilæum*, inquit, *est indultum Pontificis, ad excitandam fidelium devotionem, emanare solitum, indulgentiam plenariam, & magna privilegia, certa opera in Brevi præscripta præstantibus concedens*; sic Lezana apud Gobat cit. n. 3. *jubilæum*, ait, *est indulgentia plenaria, à summo Pontifice concessa visitantibus certas Ecclesias, ac certa pia opera facientibus, cum facultatibus circa absolutionem à casibus reservatis, censuris, & commutationem in votis.* Sic Suarez D. 50. sect. 4. n. 8. apud eund. loc. cit. ad rationem jubilæi, dicit, *inusitata, & adæquata significatione* hujus vocis *jubilæum* in rigore comprehendi plenariam indulgentiam, *cum facultatibus circa absolutionem à casibus reservatis, censuris, & commutationem in votis.* Accedit, quòd communis usus, & acceptatio vocis non pendeat à privato sensu; & complures testentur (inter quos Sanctarellus, Castropalaus, Lezana, & alii citati à Gobat n. 4. & 5.) dictam jubilæi definitionem, esse desumptam *ex communi Doctorum doctrina*; & favores illos, *esto non exprimantur*, in jubilæi concessione comprehendi.

Instabis cum eodem Doctore, si ex voce *jubilæum*, simpliciter, & absolutè prolatâ, id est, præscindendo à speciebus Jubilæi *anni Sancti*, seu Romani, *Compostellani*, & *extraordinarii*, favores communiter annexi inferri legitimè possent in jubilæis extra tempora ordinaria concessis, aut concedendis, esto in his Pontifex non exprimeret dictos favores, sed simpliciter diceret *concedo jubilæum*, vel inferrentur ex hac voce complexa, *jubilæum extraordinarium*, vel ex illa *præscindente?* non hoc secundùm? aliàs id etiam haberet jubilæum anni Sancti; sed hos non habet jubilæum *anni Sancti*: ergo. Non etiam primum? quia sic vox *jubilæum* non proferretur simpliciter, & absolutè, sed specificè, seu cum restrictione ad speciem *jubilæi extraordinarii?* sed nec hoc dici non potest; quia, cùm Romanum sit antiquius, & notius, ac ordinarium, ex eo regulanda sunt jubilæa nova, & extra tempora ordinaria concessa, cùm primum in unoquoque genere sit exemplar cæterorum. Ex hoc autem habetur, bene argui ex Cardin. de Lugo, & authentica declaratione Clem. X. neque esse arguendum à restricto ad non restrictum; sed à restricto ad restrictum, seu à specie ad speciem, cùm non minus *extraordinarium* sit species jubilæi, quàm *anni sancti.* Deinde sit meum argumentum, inquit arguens, à restricto ad non restrictum? an non optimè juxta Dialecticam concluditur à restricto ad non restrictum? estque verissimum, *quòd ita*, & quidem tam affirmativè, quàm negativè, sed non vicissim: v. g. *est homo sapiens, ergo est homo*, item, *non omnis homo sapiens docet; ergo non omnis homo docet*, ergo etiam, si de jubilæo restricto negantur favores communiter annexi, bene etiam negantur de jubilæo non restricto; sic ille.

℟. favores, quos diximus communiter annexos *jubilæo, simpliciter prolato, si non limitetur à concedente*, inferri ex jubilæo *præscindente ab eo*, quòd concedatur hoc vel illo tempore, huic, vel illi loco, atque adeò ex ipso significato *vocis simpliciter prolatæ.* Ad prob. in contrarium, qua infertur: *ergo hoc ipso etiam iidem favores importarentur* in

in Jubilæo anni Sancti. R. cùm pluribus id concedi, nisi à concedente significatum illius vocis expresè limitetur. Probationes allatæ, quòd dicti favores non veniant *in jubilæo anni sancti*, nihil aliud evincunt, quàm in iis casibus, qui afferuntur non esse sermonem de favoribus communiter annexis, vel factam esse pro tali casu limitationem à Concedente. Exceptio enim facultatis quoad commutationem votorum, nullibi legitur facta in jubilæo, nisi sub Alexandro III. ut notavimus n. 2476. Quod affertur ex Cardin. de Lugo loquitur pariter de exceptione *particulari* facultatis absolvendi *à casibus Papalibus*, facta in præsentia ipsius Innocentii X. cujus silentium ad illud Cardinalis responsum fuit tacita declaratio, & approbatio factæ exceptionis in illo jubilæo anni 1650. non autem *cujuslibet* jubilæi Romani. Quod dicitur de jubilæo Clementis X. pariter continet solùm exceptionem *unius favoris*, nempe facultatis componendi super incertis: quem non omnes numerant inter favores *jubilæo* simpliciter prolato comprehensos. Non igitur quidquam probatur factis argumentis contra hanc propositionem: *jubilæum simpliciter prolatum, præter indulgentias plenarias, importat etiam alios favores (nisi expresè limitetur à Concedente, vel recepto, & approbato Stylo Curiæ)* nec enim vi ullius instantiæ ex allatis legitimè sequitur: quòd *jubilæum simpliciter prolatum* nullum importat favorem, nisi indulgentias plenarias, quod tamen arguenti præstandum erat.

2480 Altera pars argumenti in n. 2478. assumit, quod nemo affirmantium dicit. Quando enim quæritur, qui sint illi favores quos importat *jubilæum simpliciter prolatum?* & respondetur, quòd sint illi, qui communiter conceduntur in jubilæis concedi solitis extra consueta & ordinaria tempora (qualia sunt *annus centesimus*, postea *quinquagesimus*, nunc *vigesimus quintus*) non accipimus hoc jubilæum, ut aliquam speciem jubilæi, in quantum *extraordinarium* est, & ratione temporis oppositum jubilæo *anni sancti*, sed solùm secundùm quod ejusmodi jubilæa extra ordinaria tempora concedi solita regulariter plus indulgent, quàm solam indulgentiam plenariam, &, ultra hanc, etiam facultatem absolvendi à reservatis, censuris, & commutandi vota; & *hos favores* dicimus importari per vocem *jubilæum* simpliciter prolatum nisi à Concedente in aliquo restringatur; unde quòd jubilæum *anni Sancti* habeat tempus *ordinarium*, quo conceditur in recursu talis temporis; alia non habeant tempus *ordinarium* ac definitum pro sui concessione, sed indulgeantur pro diversitate circumstantiarum, id suadentium, non diversificat *specie* dicta jubilæa, ut malè supponit arguens in ratione communi *jubilæi*.

Quia tamen in hac secunda parte sui ar- 2481
gumenti videtur magnam vim ponere, etiam ad illud R. 1. dicit argumentum ex jubilæo anni Sancti, de quo Card. Lugo sup. n. & altero Clementis X. de quo Gobat in n. desumptum non esse à termino restricto ad non restrictum, sed à restricto ad restrictum, seu à specie ad speciem. Hoc autem immeritò dicit, si attendatur propter quem finem illa duo jubilæa producat; probandum illi erat quòd vox *jubilæum* simpliciter prolata, *nullos favores* importet præter indulgentias plenarias, ubi à concedente in aliquo non restringitur; & ad hoc probandum assumit illud duplex jubilæum *anni sancti*, & arguit: primum illud anni sancti jubilæum fuit limitatum, ut non comprehenderet casus Papales, secundum, ut non comprehenderet facultatem componendi super bonis incertis: igitur ut contradicat meæ propositioni, inferre debet: ergo *vox jubilæum simpliciter prolata præter indulgentias plenarias non importat alios favores*; sed per ipsum jubilæum anni sancti est *species*; jubilæum simpliciter prolatum, juxta eundem est *genus*; ergo argumentum non fit à specie ad speciem, sed à specie ad genus, seu à termino contracto ad non contractum.

Quod verò deinde subjungit in eod. n. 2482
ibi: *sit meum argumentum à termino restricto ad restrictum* &c. meo tenui judicio, planè non obtinet. Primo enim, si dicit se argumentari *à specie ad speciem*, nimirum à jubilæo *ordinario*, ad *extraordinarium*, quæro, an arguat ab uno ad alterum ex *prædicato communi utrique* (qualiter fieret, si dicerem: *homo secundùm quod est animal potest sentire*; *ergo etiam equus, secundum quod est animal, potest sentire*) vel ab unius differentia specifica ad alteram? si hoc secundum? manifestum est, ineptum esse argumentum; si primum? deberet sic arguere jubilæum *Ordinarium* (*in quantum est jubilæum, in communi sua usurpatione non limitatum à Concedente*)

non importat illos favores communiter indultos; ergo etiam jubilæum *extraordinarium (in quantum est jubilæum in communi sua usurpatione, non limitatum à concedente)* non importat ullos favores communiter indultos; si autem argumentum sic sonaret, rectè quidem argueretur à specie ad speciem *sub ratione communi utrique*, sed tum negatur antecedens; & id non probatur per illas duas instantias *ex jubilæo anni Sancti*, cùm (ut ipse fatetur) in utroque facta sit aliqua exceptio.

2483 Opponit deinde contra id, quod dixi à termino restricto ad non restrictum, non rectè argui, ut in casu: *est homo pictus, ergo est homo; Petrus est mortuus, ergo Petrus est*; Opponit, inquam, optimè, juxta Dialecticam concludi à restricto ad non restrictum tam affirmativè, quàm negativè; sed non vicissim: probat dicendo: rectè arguitur: *est homo sapiens; ergo est homo*: &, *non omnis homo sapiens docet; ergo non omnis homo docet*; hæc est mirabilis probatio. Sed R. negando ant. ad probat. R. in exemplis allatis nihil assumi, quod probandum est. Nam terminus *homo* in sua significatione per terminum *sapiens* non *restringitur*, sed potius extenditur; idem est in altero negativo, quia per ly *non docet*, non restringitur significatum *hominis sapientis*; unde nec nos dicimus, *jubilæum* simpliciter prolatum in sua significatione *restringi*, quando contrahitur, per ly *anni sancti*, vel *extraordinarii*, species enim non restringit formale significatum generis; id, quod dicimus in præcedentibus *de restrictione vocis, jubilæum simpliciter prolatæ*, procedit solùm *de restrictione, quam exprimit utens voce jubilæum*, & indicans, se non uti ea voce in hoc, vel illo casu, *quoad totam ejus significationem*, quam alioquin in communi usurpatione habet, cujus exempla innumera sunt in sacris Canonibus. Quare in factis argumentis, negatur, ullum ex illis esse *à termino restricto ad non restrictum*; cùm nullus terminus jubilæo appositus diminuat significationem alterius, cui apponitur, quod tamen propriè est restrictionis.

2484 Ad n. 2547. Contra assertionem hoc num. traditam opponitur decretum Innocentii XI. *Delatæ sæpius*, ubi sub finem §. *Indulgentias porrò*. Sic habetur: *Indulgentias porrò Stationum Vrbis, quæ à Romanis Pontificibus singulari quodam beneficio, vel communicatæ sunt, vel communicabuntur interdum aliquibus locis, ordinibus, aut personis, dies tantùm stationum in missali Romano descriptis suffragari posse, declarat; semel autem dumtaxat in die plenariam indulgentiam, incerti dies Ecclesiam visitantibus concessam, vel aliud pium opus peragentibus lucrifieri.* Sed R. quòd hoc decretum nihil faciat contra doctrinam n. 1547. à nobis traditam. 1. quia non dicit, *nullas* indulgentias sæpius posse lucrifieri, sed tantùm *nullas indulgentias plenarias concessas in die stationum* visitantibus Ecclesiam, vel aliud pium opus peragentibus; cùm quo stat. 1. etiam in die Stationum indulgentias *non plenarias* posse repetitis operibus sæpius lucrifieri. 2. etiam indulgentias *plenarias*, si non sint concessæ *pro diebus Stationum*. Non igitur objiciens hunc textum ex cit. §. legitimè concludit: *nullas indulgentias sæpius posse lucrifieri, etiam repetitis operibus præscriptis* intra tempus, quo durant indulgentiæ. Quia verò sæpius occurrunt plures dubitationes post hoc Decretum circa varias indulgentias, quas quandoque à nonnullis, præsertim Regularibus publicari contingit, visum est opportunum hoc loco referre ipsa verba Decreti, quod sic habet:

Decretum Innocentii XI.

DElatæ sæpius fuêre ad Sacram Con-2485
gregationem, Indulgentiis, sacrisque Reliquiis præpositam, indulgentiæ quædam *confictæ*, & *omnino falsæ*, quæ per diversas Christiani Orbis partes circumferuntur; aliæ verò examinandæ, quæ adhibito studio inventæ sunt, vel *Apocryphæ*, vel à Romanis Pontificibus *revocatæ*, vel *nullæ*; quod datum eis tempus præteriisset, quarum quidem plurimæ, cùm non facilem cognitionem habeant, Christi fideles, harum rerum minùs peritos, fallunt; qui spe indulgentiæ remissionisque peccatorum suorum consequendæ frustrantur. Quam ob rem eadem Sacra Congregatio, vehementer cupiens huic malo, magis indies serpenti, occurrere animorum profectui, & indulgentiarum dignitati consulere, plures illarum singulari diligentiâ colligi, & in Indicem referri curavit.

Tales sunt imprimis illæ (ut asserunt) 2486
concessæ à Joanne II. & Sixto IV. recitantibus orationem Charitatis JEsu Christi Domini nostri: *Præcor te piissime Domine &c.* Ab Urbano II. Ecclesiæ S. Mariæ, ut vulgò di-

gò dici solet, Compagnolæ, & S. Victoriæ. Ab Eugenio III. Revelationi de plagâ in humero JEsu Christi factæ S. Bernardo. Ab Innocentio III. Archi-confraternitati, & Ordini Redemptionis. A Bonifacio IX. Visitantibus Capellam S. Nicolai de Tolentino in ejusdem die festo. A Joanne XXII. osculantibus mensuram plantæ pedis Beatæ Mariæ Virginis. Ab Alexandro VI. Imagini S. Mariæ, vulgo dictæ Laghetti. A Leone X. gestantibus funiculum S. Francisci, primùm in urbe impressæ, deinde Mediolani 1665. suas tamen habent, & veras confratres Archi-confraternitatis Cordigerorum S. Francisci. Recitantibus salutationem Angelicam ad pulsum horologii, & Imagini conceptionis Mariæ Virginis Immaculatæ in circulo depictæ, cujus pedibus luna subjecta est. A Pio IV. vel Pio V. Principi Seharum. A Clemente VIII. dicentibus orationem, *O magnum Mysterium &c.* & Ecclesiæ S. Mariæ, quam vocant montis serati, Avenione impressæ. Tum aliæ pro animabus Christi fidelium defunctorum, impressæ Madriti 20. Julii 1606. A Paulo V. cantantibus hymnum: *Te Matrem DEI laudamus, te Matrem Virginem confitemur &c.* vel si die sabbathi intererint, dum idem canitur; & coronis, rosariis, imaginibus, & numismatibus, quæ Medallias appellant; ab eo benedictis, Federico, Boromæo supplicante anno 1611. dum Ecclesia Romæ in honorem S. Caroli ædificaretur, & ab eodem Paulo, & Gregorio XV. dicentibus: *Sia lodato il Santissimo Sacramento; laus Sanctissimo Sacramento.* Ab Urbano VIII. in honorem ejusdem Sacramenti, precibus Cardinalis Magalotti, & sacerdotibus, celebratâ missâ dicentibus: *Ave Filia DEI Patris; Ave Mater Dei Filii, &c.* A Clemente X. Recitantibus mane, meridie, ac vespere consuetam antiphonam: *Angelus Domini* &c. & in fine: *DEO gratias, & Mariæ.* Ac demum aliæ à nonnullis Romanis Pontificibus tributæ, ut ajunt, coronis mysteriorum Passionis Domini nostri JEsu Christi, prece Magni Ducis Hetruriæ.

2487 Talis indulgentia sodalitatis S. Nicolai, quâ repetitâ quinquies oratione Dominica, & Salutatione Angelica, unam liberari animam, quolibet die à purgatorii pœnis affirmant.

Tales aliæ Perusii Confraternitatis S. Sebastiani, & Rochi, & Romæ Societatis S. Bernardi ad columnam Trajani.

Tales demum aliæ cruce signatorum S. Eustorgii Mediolani, Arimini, & Bononiæ. Ejus generis sunt, & illæ concessæ; ut ajunt Capellæ Rosarii in Ecclesia S. Antonii de Rovigo, seu Rodigii, vel Ecclesiæ SSæ. Trinitatis Bergomi; aut S. Petri montis Tadoni die festo inventionis S. crucis, vel gestantibus funiculum S. Francisci de Paula; vel celebrantibus missas S. Augustini, aut alias quinque in honorem quinque festivitatum B. Virginis. Vel recitantibus officium S. Franciscæ Romanæ; aut Antiphonam: *O passio magna &c.* in memoriam Passionis JEsu, aut Rosarium S. Annæ (quod Congregatio Sacr. Rit. non probat.) aut orationem, quæ impressa cum Imagine S. Annæ circumferri solet, *Ave gratia plena* &c. (quæ oratio prohibetur) aut officium Conceptionis B. M. V. Immaculatæ, quod asserunt à Paulo V. probatum fuisse. Aut orationem DEUS, *qui nobis in S. Syndone* &c. Excipitur indulgentia centum dierum anno 1671. concessa, precibus Ducissæ Sabaudiæ, ad annos 25. coactis in illius ditione degentibus. Aut aliam: *Ave Filia DEI* &c. post communionem recitandam, vel aliquo conspicuo signo venerantibus SSi. Eucharistiæ Sacramenti nomen.

Indulgentiæ rursus octoginta millia an- 2488
norum veteri de tabula exscriptæ, quam in Basilica Lateranensi asservari affirmant, pro dicentibus orationem illam vetè piam: *DEus, qui pro redemptione mundi* &c. Tum, quæ impressæ fuerunt Papiæ anno 1670. sub hoc titulo, sommario delle Indulgenze concesse dalla santità di nostro signore Papa Leone X. all' Imagine della Concezzione della gloriosa Vergine Maria; vel Pisauri sub nomine S. Joannæ anno 1608. evulgatæ; Vel Barlettæ seu Baruli à recitantibus quasdam non sanè malas orationes; lucrandæ; Vel Parmæ, à visitantibus per quadragesimæ dies Ecclesias Tertii Ordinis S. Francisci; Vel Pistorii, & Vastallæ, à recitantibus orationem: *Ave Sanctissima Maria, Mater DEI, Regina cæli*, & aliæ in particulari impresso libro descriptæ, quibus frui dicunt devotos Seraphicos, & Benefactores. His annumerandæ sunt, quæ crucibus Caravacensibus tributæ dicuntur, vel coronæ, sive Stellario Conceptionis Virginis Immaculatæ, quod ex duodecim globulis precariis constat; vel granis, crucibus, coronis Aloy-

siæ ab Ascensione Hispaniæ Monialis Ordinis S. Claræ; Vel mensuræ altitudinis JEsu Christi Domini nostri: Vel Imagini, aut mensuræ Vulneris lateri ejus inflicti; vel orationi, ut ajunt, in sepulchro Domini nostri repertæ; Et indulgentiæ, ut ajunt, innixæ revelationi factæ Sanctis, Brigittæ, Mechtildi, & Elisabeth, vel B. Joannæ de cruce, & concessæ, ut asserunt, granis, quæ aliquod ex tribus granis tetigerint, extantibus penes Romanum Pontificem, Hispaniarum Regem, & Ministrum Generalem, Fratrum Minorum observantiæ S. Francisci. Omnes verò & singulas jam dictas indulgentias Sacra Congregatio partim esse confictas, & planè falsas declarat, partim Apocryphas, vel ex alio capite nullas, quæ nemini suffragari possunt; easque in futurum ullo, in loco, ut veras publicari, & lucrandas Christi fidelibus proponi vetat; foliaque & libros, ubi sic proponuntur, seu asservantur omnino præcipit aboleri, nisi prædictæ indulgentiæ fuerint diligenter expunctæ; nec ideo tamen vult alias quas hoc decretum non continet, pro veris & legitimis, taciteque probatis haberi.

2489 Ac demum, omnes indulgentias concessas ante decretum Clementis VIII. latum die 9. Januarii 1597. coronis, rosariis, granis, seu calculis, crucibus, & imaginibus Sacris, vel ante breve Pauli V. quod incipit: *Romanus Pontifex.* editum 23. Maji 1606. Personis regularibus, quarumcunque Religionum & ordinum, etiam Mendicantium, vel ante Constitutionem 115. Clementis 8. cujus initium: *Quæcunque* &c. & 68. Pauli V. incipientem, *quæ salubriter* &c. habitas, per aggregationem, vel aliam communicationem ab Archifraternitate ulla, Ordine, Congregatione, Societate etiam Jesu, Capitulo, vel cætu quocunque, vel ab eorum Officialibus, Superioribus, aliisque personis, vel persona etiamsi earum, vel ejus mentio specialis, & individua facienda esset (*nisi fuerint deinde Romæ Pontificis authoritate innovatæ, aut confirmatæ*) nullius esse roboris, & momenti, pariter declarat.

2490 Porrò Summaria indulgentiarum pro congregationibus Doctrinæ Christianæ, Confraternitatis SS. Trinitatis, & Redemptionis Captivorum, B. Mariæ de Monte Carmelo, cincturæ S. Augustini, & S. Monicæ, nisi ab eadem Congregatione recognita, non permittantur. Indulgentias porrò Stationum Urbis, quæ à Romanis Pontificibus singulari quodam beneficio, vel communicatæ sunt, vel communicabuntur interdum aliquib⁹ locis, Ordinibus, aut Personis, diebus tantùm Stationum in Missali Romano descriptis suffragari posse declarat, *semel autem duntaxat in die plenariam indulgentiam in certos dies Ecclesiam visitantibus concessam, vel aliud pium opus peragentibus, lucrifieri.* De quibus relatione facta per secretarium ad sanctissimum, *cuncta Sanctitas sua probavit, & inviolatè servari jussit.* Datum Romæ die 7. Martii 1678.

Ad n. 1583. Deinde observandum, 249
hanc propositionem, qua dicitur, nullam facultatem Societati concessam à Summo Pontifice, licitè deduci in usum (nisi eam P. N. Generalis communicet vel per se vel per alium) nimis laxè ac ample sumi à nonnullis, nimirum *de omnibus favoribus & gratiis*, cùm tamen Pontifex non tam amplè loquitur, & manifestum est ex his, quæ annotavi à n. 2454.

Ad n. 1702. & seq. Exponebat non 249
nemo, quòd n. 1702. dicam, annexam alicui delicto censuram non incurri ab eo, qui ante consummationem delicti efficaciter doleret de illo, licet impedire non amplius possit effectum externum, rationem animadvertendi in hanc responsionem ponit 1. quòd sit contra communem, ut ait Castropalaus lib. 10. de Censuris, & irreg. tr. 4. c. 15. §. 8. n. 10. &c. 2. Quòd locum à me citatum ex Castropalao invenire non potuerit, juxta citationem à me factam. Fateor, quòd locum, à Censore citatum ex Castropalao non inveniam; nam Castropalaus agit de Censuris, p. 6. tract. 29. diviso non in *libros*, & *capita*, sed *Disputationes*, *puncta*, & §§. Quod autem ait: locum à me citatum ex Castropalao (dum eum allego D. 1. p. 8. n. 15.) non potuisse inveniri à se, facilè inveniisset inspiciendo tractatum de Censuris D. 1. p. 8. n. 15. Nam ibi, postquam dixit, *mandantem* liberum esse à censura lata contra mandantem, si priùs efficaciter revocavit mandatum, sic, ut præsumi non possit causa moralis; quæstionem movet, an idem dicendum, si quis mandatum revocavit, quantum potuit, licet Mandatarius revocatione non moveatur? vel reipsa efficaciter non revocetur faciendo, ne sequatur effectus? & statim post n. 15. §. *Sed rectius*, pronuntiat etiam eo casu libe-

liberum à censura, dans rationem cum Innocentio, Tabiena, Davila, & Gaspare Hurtado, eò, quòd eâ revocatione, & pœnitentiâ positâ, non causes *culpabiliter* opus medio mandato, & consilio dato, sed omnino inculpabiliter, cùm culpa præterita, mediâ pœnitentiâ, delata sit: ergo non incurris censuram, quæ, utpote pœna medicinalis, solùm afficere potest actu delinquentes, inobedientes, & rebelles; non verò eos, qui ab inobedientia, rebellione, delictoque recesserunt; non igitur est contra communem etiam ex mente Castropalai. Censura enim est propter actum externum culpabiliter consummatum; ubi autem culpa deleta est priùs, quàm ponatur actus externus, non est actus culpabiliter consummatus.

2493 Ad n. 1789. Quidam censebat, hæc dura ex terminis videri. Verum &c. hanc propositionem ante me traditam esse typo à pluribus Doctoribus etiam Societatis, & ab ipso P. Suarez tom. 5. D. 5. de subjecto censuræ, sect. 4. ubi de tali casu pluribus, perquam solidè discurrens à n. 4. hoc ipso casu proposito tandem n. 9. sic loquitur: *Potius dicendum fore, ibi committi delictum in ordine ad censuram, ubi exterius consummatur, licet alibi inchoetur; unde, si quis inchoet delictum in proprio territorio, consummet verò extra illud, non incurret censuram statuti, proprii territorii; secus verò, si è contrario extra inchoet, & intra consummet. Dico autem*, prosequitur Suarez, *in ordine ad censuram*; quia in ordine ad alias pœnas, vel effectus, communis est doctrina Juristarum, quando delictum in uno loco inchoatur, & in alio consummatur, delinquentem utrique loco fieri subjectum ratione delicti, juxta L. 1. C. ubi de crimine agi oportet, in illis verbis: *ubi commissa, vel inchoata sunt*; sic Suarez cit. dignissimus lectu quoad totum ibidem discursum. Unde non video, quid in hoc petatur? cùm doctrina à me tradita sit prorsus consona verbis Patris Suarez cit. loco, paulò infrà loquentis etiam de specifico casu homicidii, si placeat inspicere illum cit. n. 9.

2494 Ad n. 2035. Circa istam quæstionem in neutram partem quidquàm resolvo. Unde malè mihi quidam imputavit, quòd, dum in n. 2035. refero aliorum Doctorum sententias inter se discordes, innuere videar sententiam Hurtadi *esse probabilem*, quia nihil contra illam oppono; conor tamen solvere, quæ opponuntur contra Hurtadum à parte contraria. Nam & hoc prorsus immeritò dictis meis imponitur; quia in n. 2036. solùm dico, quid ad objectionem ibi propositam responderi posset *à sententia contraria*, quin addam aliquid de mea mente. Quando autem mihi opponitur ab eodem, quòd Hurtadum referam non *allegata loco*, quo super data quæstione agit; sed tantùm dicam, *apud Hurtadum cit.* sufficienter indico, locum à me in prioribus allegatum esse, id quod millies reperiet in aliis Authoribus; & verò locum à me allegatum esse in præmissis, videri potest in n. 2030. ibi: sic Hurtado D. 15. difficultat. 1. deinde n. 2031. ibi: aliisque cum Hurtado difficult. 1. n. 2. tertiò in n. 2032. ibi: Hurtado difficult. 2. ac demum n. 2035. ibi: apud Hurtad. n. 12. & quia in materia de censuris allegatur, puto sufficienter à me allegari hujus Authoris locum.

Illud hic addendum videtur, ante Alexandrum VII. à multis gravibus Doctoribus assertum esse, privilegium in Trid. Episcopis concessum non limitari à Bulla Cœnæ per exceptionem casuum in illa expressorum, prout videri potest apud Barbos. Sess. 24. de Reform. c. 6. an autem ex hac propositione complexa, prout jacet, damnatâ, sententia asserens, Bullam Cœnæ solùm prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629. 18. Julii, in Consistorio S. Congregationis Eminentissimorum Cardinalium visa, & tolerata est; an, inquam, ex illa complexa damnata illatione evidenti, ac legitimâ sequatur, quòd etiam vel formaliter vel virtualiter damnata sit ista simplex: privilegium à Trid. Episcopis concessum non limitatur à Bulla Cœnæ per exceptionem casuum in ea expressorum, aliis considerandum relinquo; id, quod præstabit, qui probaverit complexam illam non tantùm, prout jacet, & in quantum complexa est, sed etiam secundùm quamlibet simplicem in ea contentam, esse damnatam. Illud solùm addo, per dictam prohibitionem propositionis illius tertiæ non limitari alterum Episcoporum privilegium, sive potestatem à summis Pontificibus delegatam in c. *Mulieres*, c. *quamvis*, c. *de cætero*, de sent. excom. & c. *Eos, qui*, eod. in 6. vi

cujus

cujus à peccato, & censurâ summo Pontifici reservata, ex enormi percussione Clerici contractâ, & ob rationis paritatem, unanimi Doctorum assensu, & consuetudine approbatam, à quocunque peccato, & censura Pontifici reservata, Episcopi absolvere possunt omnes suos subditos, qui ratione impedimenti perpetui, ac diuturni non possunt ad summum Pontificem accedere; cujusmodi impedimenta cum obligatione prius satisfaciendi, vel cautionem faciendi, parti læsæ, ac cum promissione jurata, cessante impedimento se sistendi summo Pontifici, plura e.g. enumerantur in cit. c. *quamvis*; ita novissimè cum Suarez D. 30. sect. 3. n. 9. S. Jacobus Illsung in Arbore scientiæ boni, & mali, tr. 6. D. 6. q. 6. a. 3. §. 3. n. 215.

2495 Ad n. 2092. Cœterùm ad propositionem generaliter respondendo videtur dici posse, non incurri suspensionem à Pontificalibus per Episcopum, qui ordinaret Regularem, munitum privilegio, quòd à quocunque Episcopo, Sedis Apostolicæ communionem habente, ordinari possit, in aliena diœcesi; sed loco exempto, etiam non requisitâ Ordinarii licentiâ; quia tunc talis ordinans *in loco exempto*, non exercet Pontificalia in loco alteri Ordinario subjecto, seu in ejus Diœcesi; non formaliter, & juridicè, ac per ordinem ad effectus juris, præsertim pœnales.

Ad n. 2289. Quòd autem quæstio Sacræ Congregationi (de vigilia S. Mathiæ) proposita solùm indefinitè (nimirum omissâ mentione de evidentibus peccatorum periculis in magna parte populi) constat ex ipsismet verbis in n. 2287. quæ accepi ex responsione Congregationis, Romæ impressa; unde non obstante hoc Congregationis responso plures Episcopi etiam eo anno jejunium illud præcedente Sabbatho anticipârunt; & sic centum, & amplius talia Congregationum responsa exponunt Authores interpretatione doctrinali, ut passim videri potest apud Sanchez, Castropal. & alios. Cœterùm, si quoad datam responsionem difficultas sit, loco responsionis in n. 2289. sic poni poterit: quod affertur ex decreto S. Congregationis dato ad quæstionem in n. 2286. ℟. responsum Congregationis omnino servandum, cùm conforme sit c. *Quæsivit*, §. *Festum*, h.t. ubi generaliter dicitur, inter festum, & Vigiliam cum jejunio non debere mediare alium diem, nisi vigilia venerit in dominica die; hoc tamen non obstante, locum esse regulis, quæ agunt de causis excusantibus ab observantia legis Ecclesiasticæ, propter graves, & justas circumstantias occurrentes in executione.

FINIS.



INDEX